image
not
available

COLLECTIO MAXIMA
CONCILIORUM
OMNIUM
HISPANIÆ,
ET NOVI ORBIS,

EPISTOLARUMQUE DECRETALIUM CELEBRIORUM, NECNON PLURIUM MONUMENTORUM VETERUM AD ILLAM SPECTANTIUM.

Cum Notis, & Diſſertationibus, quibus Sacri Canones, Hiſtoria, ac Diſciplina Eccleſiaſtica, & Chronologia, accurate illuſtrantur.

CURA, ET STUDIO

JOSEPHI SAENZ DE AGUIRRE,

Benedictinæ Congregationis Hiſpaniarum Magiſtri Generalis, Regii, ac Supremi Fidei Senatus Conſultoris, in Salmanticenſi Academia Doctoris Theologi, ac poſt plures alias Cathedras Primarii ſacrorum Bibliorum Interpretis.

S. R. E. PRESBYTERI CARDINALIS,
TITULI S. BALBINÆ,
PROTECTORIS REGNI SICILIÆ.

Editio altera in ſex Tomos diſtributa, & novis Additionibus aucta.

TOMUS PRIMUS.

AD SANCTISSIMUM PATREM

BENEDICTUM XIV.
PONTIFICEM MAXIMUM.

AUCTORE JOSEPHO CATALANO
ORATORII S. HIERONYMI CHARITATIS PRESBYTERO

ROMÆ, CIↃ IↃ CC LIII.
Ex Typographia Antonii Fulgonii apud Sanctum Euſtachium.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

61

Digitized by Google

BENEDICTO XIV.
PONTIFICI MAXIMO

JOSEPHUS CATALANUS
SALUTEM, ET FELICITATEM P.

EDiturus *iterum in lucem*, Beatissime pater, *ampliſſimam Collectionem Conciliorum Hiſpaniæ ſummo ſtudio, & incredibili diligentia, ac labore a doctiſſimo Viro S.R.E. Cardinali de Aguirre, inclytæ Nationis Hiſpanæ, Benedictini Ordinis, Sacri Collegii, Litterariæ Rei-*

Digitized by Google

publicæ, atque Eccleſiæ univerſæ ornamento concinnatam, quod in multis inſignibus Bibliothecis deſideretur, & vix apud bibliopolas reperiatur, jam non alii illam, quam Tibi dedicandam ſtatui, qui Chriſti vices geris in terris, & locum Apoſtolorum Principis tenes, a quo, vel ab ejus primævis Succeſſoribus totius Occidentis, ac præſertim Hiſpaniæ Eccleſiæ fundatæ fuerunt, id expreſſe atteſtante S. Innocentio Papa I. in celebri Epiſtola ad Decentium Eugubinum Epiſcopum. Huc accedit inſignis Tua benevolentia in religioſiſſimam Hiſpanorum Nationem, ac Regem Catholicum, de Chriſtiana Religione optime meritum, qui Majorum exempla æmulatus ſuam operam omnem impendit, ut Catholica Fides, & Chriſtiana ethice in Conciliis Hiſpaniæ conſtabilita, ſarta tectaque non modo in vaſtis Hiſpaniæ Regnis conſervetur, verum etiam ut in longinquis barbarorum, ethnicorumque regionibus propagetur, inſtituta eam ob cauſam Apoſtolica variorum Religioſorum Ordinum Miſſione, ut Evangelium barbaris gentibus prædicarent. Quos inter tantam Deus nuper Fratribus Ordinis Prædicatorum gratiam contulit, ut vel initio Regni illius, ac glorioſiſſimi Tui Pontificatus multi ex ipſis in Sinenſi Imperio, in quod Dominicani primi omnium Fidem Catholicam Romanam invexerunt, Martyrium pro Chriſto fortiter ſubierunt; quos omnes merito duabus egregiis Alloquutionibus Tuis in ſecreto Conſiſtorio ad Cardinales habitis non ſine ingenti Chriſtianorum plauſu laudaſti. Hinc certus ſum, probatum iri a pientiſſima Hiſpanorum Gente meum hoc conſilium, dedicandi ſcilicet Hiſpaniæ Concilia a me novis Additionibus aucta, & in ſex Tomos diſtributa, Tibi Apoſtolicæ Sedis Præſidi, a qua Nationalia non ſolum, ſed & Generalia, atque Oecumenica Concilia ſuam obtinent firmitatem. Jam non addubito, Beatissime Pater, *quin hilari vultu, & gratanti animo novam hanc editionem ſuſcipias, quippequi rebus Theologicis, Canonicis, ac Liturgicis, quibus ipſa Hiſpaniæ Concilia referta ſunt, ſummopere delectaris, confi-*

xiſ-

xiſque opinionibus laxis, ſcandaloſiſque, ſaniorem doctrinam, purioremque Chriſtianam ethicem ſemper probaſti, quam eadem Concilia, ac cætera omnia a Chriſto Domino edocta, qui in Evangelio dixit, Arcta eſt via, quæ ducit ad vitam, *fideliter ſervandam iterum iterumque diſtricte mandarunt. Superbum autem, ac minime ferendum merito Viri pii cordatique Scriptorum quorundam recentiorum aſſertum cenſent, ac damnant, qui minime verentur in rebus Theologicis, moralibuſque, vel infimi gradus Caſuiſtas Patribus non modo, ſed & Synodis ipſis præferre, Evangelium non ſemel, quod horrendum eſt dictu, opinionibus ſuis repugnans torquere, ac perperam interpretari. Sed agendæ gratiæ Deo Optimo Maximo, qui Te Pontificem doctum, zelantem, vigilantemque Eccleſiæ ſuæ ſoſpitem ſervat, quod nos ſperamus quamdiutiſſime, quo diſciplina præſertim Chriſtiana, quam Theologi quidam molles non parum labefactarunt, ut non ſemel dolet in ſuis ad hæc Hiſpaniæ Concilia Diſſertationibus, ac Notis religioſiſſimus æque, ac doctiſſimus Cardinalis de Aguirre, ad priſcos Eccleſiæ mores, & ad Regulas a Te, & a Prædeceſſoribus Tuis præſcriptas redigatur.*

JOSEPHUS CATALANUS LECTORI.

QUæ me cauſa impulerit ad novam hanc ampliſſimæ Collectionis Conciliorum Hiſpaniæ a doctiſſimo Cardinali de Aguirre ordinatæ editionem, jam ſatis explicui in dedicatoria ad feliciter regnantem Pontificem Maximum BENEDICTUM XIV. Epiſtola. In nova editione nihil auferre, nihil confutare cenſui, de iis, quæ in ſua laudatus Cardinalis poſuit. Imo tametſi multa paraſſem ad magis magiſque exornandam novam ipſam editionem, abſtinui tamen ea deſcribere, ne maleſeriati homines in pravum ſenſum, quæ ſcriberem torquerent, & odium mihi potius, quam benevolentiam inclytæ Nationis Hiſpaniæ, cui Gens mea Catalana addicta ſemper fuit, concitarem. Addidi nihilominus non pauca, quæ a variis eruditis, probatiſque Scriptoribus mutuatus ſum, præſertim Notas ex illuſtri Auctore Delectus Actorum Eccleſiæ univerſalis, & alia quædam nondum edita, publici non ita pridem juris facta ab erudito, & diligenti Scriptore Dominico Manſi Congregationis Matris Dei Presbytero in Supplemento ad Concilia Labbei editionis Venetæ. Hinc Collectionem ipſam Conciliorum Hiſpaniæ a Cardinale de Aguirre in quatuor Tomos diviſam, diſtribui ego in Tomos ſex, in quorum primo, qui eſt præſens, varia inſignium Auctorum Elogia deſcripſi, quæ vitam, mores, ac res egregie geſtas laudati Cardinalis ſpectant. Lubet autem primum præclaram Epiſtolam referre, quam de obitu ipſius Cardinalis de Aguirre Romæ die 25. Auguſti anni 1699. ad unum e Patribus Benedictinis Gallicanæ Congregationis S. Mauri ſcripſit dignitate, ac pietate Eminentiſſimus Cardinalis Colloredus, legiturque initio Operis, Clariſſimi Viri Edmundi Martene, *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, & eſt hujuſmodi.

ADMODUM REVERENDE PATER

VIx exaruerant lacrymæ, quibus Patri noſtro Stephanotio parentavimus, cum iterum revocamur ad fletum, avulſumque alium, ſi non ex veſtra Congregatione, ex veſtro tamen inſtituto deflere compellimur, Joſephum nempe Tit. S. Mariæ ſuper Minervam Presbyterum Cardinalem de Aguirre, qui e Benedictino Ordine aſſumptus ad purpuram, majus illi contulit, quam acceperit ſplendoris ornamentum, ſive eximius morum ipſius candor ſpectetur, ſive doctrina ejus, & ſingularis eruditio proponatur. Sed de his judicent alii. Mihi quod inter ſpeciales amicos, & eo loci, ut nulli in hac parte gloriæ ſecundum fuiſſe me credam, præ ceteris incumbit in ejuſdem memoria dulciter immorari, qui ſupremis etiam ipſius horis adeſſe merui. Porro quis non recolat converſationem ejus in Deum piam, & ſanctam, in nos blandam, atque morigeram? Cujus tanta erat in dilectione ſinceritas, ut neminem a corde ſuo excluderet. Non enim erat diſtinctio apud ipſum Judæi, aut Græci; neque ex ore illius prorumpebant frigida illa verba, Meum, & Tuum. Reſpiciens namque in omnibus Chriſtum, univerſis prodeſſe ſatagebat. Egregiam in Deum, in cælites pietatem aperte demonſtrabant ignitæ illæ orationes, quibus ſurſum levabatur, vel cum Sacris intereſſet, vel cum ſacra inviſeret Templa; multiplex etiam illa piorum libellorum editio, quam curabat, ut torpentibus animis flammas ardentius excitaret. Quid referam de miſericordia in pauperes? Quos a ſe vacuos abire non permittebat, & quos ope non poterat, officiis adjuvare nunquam ceſſabat. Pro Catholica Fide tantus illi inerat ardor, ut nihil optatius haberet, quam de Chriſtianæ Religionis progreſſibus audire ſermones. Memini aliquando, cum in Conſiſtorio a Sanctiſſimo læti aliqui nuntii de hujuſmodi re afferrentur, telem in ſe expertum eſſe lætitiam, ut a lacrymis ſe temperare neutiquam potuerit. Alias etiam cum ſiniſtri aliqui ſpargerentur rumores, tactum ſe dolore cordis, vehementi extrinſecus etiam prodere ſe fuiſſe coactum. Hinc etiam zelus ille præcipuus aſſerendæ Eccleſiaſticæ dignitatis, pro qua nec vultum potentum, nec domeſtica eſt veritus detrimenta. Porro qua animi celſitudine cum de eligendo Pontifice comitia haberentur, nihil propriæ conſcientiæ prætulerit, oculis noſtris perſpeximus, & manus noſtræ contrectaverunt. Sed & libertas illa, qua cum de reſidentia Epiſcoporum

porum ageretur, vel de temperando erga conſanguineos affectu, vel de cæteris rebus ad Eccleſiaſticam diſciplinam ſpectantibus loquebatur in conſpectu Regum, ac Pontificum, ejuſmodi ſane erat, qualem Cardinalem decebat, ac hominem illius Curiæ, quæ neminem timere novit, niſi Deum. Affectantibus Cathedras Epiſcopales, ſeque ipſos ultro intrudentibus præclara illa Bernardi ſententia reſpondebat: *Qui pro ſe rogat, jam judicatus eſt.* Viam inſuper veritatis eligens, ſanam in opinionibus promovere ſtuduit doctrinam; ut abunde non ejus tantum ſcripta, ſed & celebrium Scriptorum encomia teſtantur, quorum amicitiam cum conſtanter coluerit, pluribus viciſſim ab ipſis eſt litteris frequentatus; ex quibus Gallia veſtra quot erga Hiſpanum hominem amoris, & exiſtimationis præbuerit argumenta, non eſt quod vobis ingeram. Nam præter veſtri Ordinis Viros, Eminentiſſimus Janſon, Illuſtriſſimi Boſſuet, Huetius, aliique abunde docebunt. Plura habens vobis ſcribere, nolui per chartam, & atramentum, jamque inſtat tempus, quod calamus reſugit, reminiſci nempe Fer. IV. hebdomadis elapſæ, qua repente ſublatum nobis tantum Virum ingemuimus. Cum enim de mane e ſtrato ſurrexiſſet, velut quæ ſibi ventura erant, præcognoſceret, ter apud Confeſſarium ſuam voluit deponere conſcientiam. Cibo exinde reſectus, placide tantiſper ſe dedit quieti; ſed ecce tibi antiquus denuo inſurgit epilepticus morbus, eo gravior, quo frequentior; nec adhibita medicamenta ſopitum hominem excitare valuerunt. Monitus ipſe accurri, ut benedictio ſuper me veniret. Impletur cubiculum, aſſiſtunt Religioſi Viri, Cardinalis quoque Judice convenit, Pſalmis, Hymnis, Roſario B. Virginis, aliiſque precibus proſequimur amicum repatriantem, in quo præter motum, nec vox, nec ſenſus aliquis vigebat. Sacro inunctus Oleo, ac piacularibus Ritualis Romani precibus ad agonem diſpoſitus, Pontificia inſuper Benedictione, aliiſque adjutus ſuffragiis, circa horam ſecundam noctis prope ſeptuagenarius placidiſſime obdormivit in Domino. Juſta in S. Jacobi Hiſpanorum Feria VI. fuere ſolemniter exhibita, quibus quemadmodum olim S. Cardinali Bonaventuræ Imperator Græcorum, ipſa etiam Poloniarum Regina in odæo voluit intereſſe. Conditur ibi in Sepulchro Corpus; ſed cor, quod S. Patris Banedicti ab adoleſcentiæ veſtigiis adhæſerat, Caſinum juſſit transferri, ut ubi theſaurus ſuus erat, ibi eſſet & cor; nec a ſuorum conſortio penitus disjungeretur in morte, qui vivens duos, vel tres ex ſuo Cœnobio ſemper retinuit domi, cum quibus diu, noctuque verſatus, nihil Monaſticæ perfectionis dereliquit. Utinam M. meo tamdiu producatur vita, quo ad hæc uſque perveniens tempora, novum hoc Benedictinæ Familiæ ſidus ſuis poſſit Annalibus inſerere; ſitque mihi in tam dilecti amici amiſſione levamen hoc grande, quod memor ſis mihi in tuis orationibus.

Philippus Cardinalis de Montibus in Elogiis S. R. E. Cardinalium pietate, doctrina, ac rebus pro Eccleſia geſtis illuſtrium pag. 195. ſic habet:

JOSEPH AGVIRRIVS HISPANVS
ORDINIS S. BENEDICTI
AB INNOCENTIO XI. ANNO MDCLXXXVI. CR. PR. CARD.
TIT. SANCTÆ BALBINÆ
OBIIT ROMÆ XIX. AVGVSTI MDCXCIX.

In Ordinem S. Benedicti ingreſſus ita pietate, & humanarum, Divinarumque rerum ſcientia profecit, ut primus Sacræ Scripturæ Interpres in Salmanticenſi Univerſitate, ac deinde a Secretis Supremæ Inquiſitionis Hiſpaniarum renunciaretur. Præſidens generalis Hiſpanicæ Congregationis S. Benedicti creatus, eam provinciam ſumma cum laude adminiſtravit. Pro Catholica Fide tantus illi inerat ardor, ut quam de ea tuenda, propagandaque nullam priorem haberet cogitationem. Hinc zelus ille præcipuus aſſerendæ Eccleſiaſticæ Juriſdictionis, pro qua nec vultum potentum, nec domeſtica veritus eſt detrimenta. Defenſio Cathedræ S. Petri ab eo ſuſcepta, invicteque confirmata adverſus eam impugnantes, tantam illi apud omnes peperit gloriam, & præſertim apud Innocentium XI. ut Auctorem in Sacrum Collegium aſciſceret. Nova auctus dignitate, cum de rebus ad Eccleſiaſticam diſciplinam, aut libertatem ſpectantibus loqueretur in conſpectu Regum,

gum, ac Principum, ejuſmodi erat illius oratio, qualis Cardinalem decet, ac hominem illius Curiæ, quæ neminem timere debet, niſi Deum. Viam inſuper veritatis perpetuo ſequens, ſanam in opinionibus doctrinam promovere ſategit; ut abunde non ejus tantum Scripta, ſed & celebrium Scriptorum encomia teſtantur. Vita caſte, integreque peracta perenne poſteris, rarumque noſtrorum temporum teſtimonium humilitatis reliquit in tumuli ſui apud S. Jacobum in Circo Flaminio inſcriptione, quam tibi ſubjicio:

VITA . PECCATOR . APPELLATIONE . MONACHVS
S. BENEDICTI . STVDIO . THEOLOGVS .

Marius Guarnacci in Romana Curia XII. Vir Signaturæ juſtitiæ, & Sacræ Congregationis Firmanæ a Secretis, Tomo I. Vitarum Pontificum Romanorum, & S. R. E. Cardinalium, pag. 265. & ſeq. ſic de ipſo Cardinali de Aguirre habet.

Domnus Joſeph Saens de Aguirre Patria Lucronenſis, natione Hiſpanus, die naſcitur 24. Martii anni 1629. Feracis ingenii Vir, aſsiduique laboris, virtutem habuit hæreditariam; inter majores enim ſuos recenſebat Michaelem de Aguirre (*a*) inſignem Juriſconſultum, alioſque egregios Viros de Literarum Republica optime meritos. Ipſe vero ut ſtudiis impenſius incumberet, inter Benedictinos Caſsinenſes Monachus adſcribi voluit. Pietate, morum integritate, & ſcientiæ deſiderio cæteris anteibat. Hinc ſui Ordinis Confratribus bis Præpoſitus fuit, dignitate Abbatis S. Vincentii ornatus in Civitate Salmanticenſi. Pauloque poſt in eadem Civitate, atque in celebri Salmanticenſi Univerſitate publicus in Facultate Theologica Lector eſt renunciatus. Præſes etiam Generalis Hiſpanicæ Congregationis Sancti Benedicti, omnia geſſit, ut diſciplinæ Monaſticæ conſuleret, ut redditus augeret Eccleſiæ, ut privilegia, & jura totius Ordinis aſſereret. Conſiliarius præterea fuit, & a Secretis Sanctæ Inquiſitionis in Hiſpaniarum Regnis.

(*a*) Nicolaus Anton. Bibliothec. Script. Hiſpan.

Tantis diſtractus curis, ſuorum tamen ſtudiorum eximia monumenta in lucem edidit. Quatuor enim ingentia Volumina publici juris fecit cum Titulo, *Notitia Conciliorum Hiſpaniæ*, & *Novi Orbis &c.* alioſque Libros inferius recenſendos evulgavit. Romam adveniens, edendiſque Libris ſemper intentus, uni præſertim incubuit Libro, qui prodiit anno 1683. ſub Titulo, *De Cathedra Divi Petri*, in quo Sanctæ Scripturæ, & Conciliorum teſtimonio fretus, propoſitiones illas refellit, quas edidit Clerus Gallicanus anno 1682. & quibus Sanctæ Sedis auctoritas, & infallibile Papæ judicium in rebus Fidei impetebantur. Tantam ex his nactus eſt exiſtimationem apud Romanum Pontificem, ut Innocentius XI. illum inter Presbyteros Cardinales retulerit ſub Titulo Sanctæ Mariæ ſuper Minervam, eumque in Conſiſtorio maximis laudibus cumulaverit. Congregationibus inſuper illum adſcripſit Sacri Concilii Tridentini, Sancti Officii, & Indicis Librorum prohibitorum. Iis frequens intererat, & libertate dicendi Eccleſiaſtica utebatur. Alexandro VIII. proponenti in Conſiſtorio Tuſſanum de Fourbin ad Cardinalatum promovendum, Cardinalis Colloredus aperte reſtitit, & ſolus de Aguirre eumdem Colloredum objicientem ſequutus eſt, palam opponens Pontifici, indecorum eſſe ad Cardinalatum evehere eundem de Fourbin averſum, atque inimicum authoritati Sedis Apoſtolicæ. Fuit etiam Protector Regni Siciliæ.

Interea feſſus laboribus Romæ interiit, apoplexiæ ictu correptus die 19. Auguſti anni 1699. ſcripto ſibi hærede Monaſterio Benedictinorum Caſſinenſi in Civitate Calaguritana. Mortem tanti Viri lacrymis decorarunt Romæ Optimates, & funerum ſolemniis in Eccleſia peractis S. Jacobi Nationis Hiſpanicæ adeſſe voluit Regina Vidua Joannis III. inclyti Regis Poloniæ. Vivens ſequentem ſibi paraverat Epigraphen.

JOSEPH SAENS DE AGVIRRE
NATIONE HISPANVS
PATRIA LVCRONENSIS
VITA PECCATOR
APPELLATIONE MONACHVS S. BENEDICTI
STVDIO THEOLOGVS
MISERATIONE DIVINA S. R. E. CARDINALIS
TITVLI SANCTÆ MARIÆ SVPER MINERVAM
PROTECTOR REGNI SICILIÆ

ORA-

Digitized by Google

ORATE DEVM PRO EO
OBIIT DIE XIX. AVGVSTI ANNI MDCLXXXXIX.
MISERERE MEI DOMINE
QVIA PECCAVI SVPER NVMERVM ARENÆ MARIS

Libri, quos edidit Cardinalis de Aguirre.

Ludi Salmanticenſes.
De Conciliis Hiſpaniarum, & Novi Orbis Tomi 4.
De Philoſophia Scholaſtica Tom. 3.
De Philoſophia Morali Tom. 2.
De Theologia Scholaſtica juxta mentem S. Anſelmi Tom. 3.
Defenſorium Gerſonis.
De Viatore Chriſtiano in Patriam pergente.
De *Cathedra S. Petri.*

Joannes Palatius in Faſtis Cardinalium Volumine IV. pag. 466.

D. Joſeph Saens de Aguirre Hiſpanus, natus Salutis anno 1630. die 24. Martii, honeſte educatus nomen dedit Monachis S. Benedicti, inter quos gradu virtutis, munera attigit, quæ præmium eſſe ſolent Religionis, obſervantiæ, modeſtiæ, & ſcientiæ non inflatæ. Abbas aſſumptus S. Vincentii in Civitate Salamancæ, bis præfuit ea lege, ut imperium exordiretur primo contra ſe ipſum. Annos quindecim Studiorum Præfectus in Collegio dicti Monaſterii, in literarum fruge juventutem ita habuit obſequentem, atque plaudentem, ut inde ad Salmanticenſem Cathedram evocatus, Theologiam primo, Sacram poſtea Scripturam, magna explanaret auditorum frequentia, Præſidens etiam Generalis Hiſpanæ Congregationis S. Benedicti, nil omiſit, quo vitam promoveret Monaſticam, privilegia manuteneret, latifundia redimeret. Tantis implicitus calamum non abjecit, imo perpolivit, exaratis Voluminibus * quinque, *De Conciliis Hiſpaniarum, & Novi Orbis.* *Leg. quatuor

De Philoſophia Scholaſtica. To. 3.
De Philoſophia Morali. To. 2.
De Theologia Scholaſtica juxta mentem S. Anſelmi. To. 3.
De Theologia Florulenta. To. 2.
De Orationibus, Meditationibus S. Anſelmi. To. 2.
Defenſorium Gerſonis.
De Viatore Chriſtiano in Patriam pergente.

De Cathedra S. Petri. Quo Opere Innocentium XI. ſibi conciliavit R. P. a quo die 2. Septembris 1686. Presbyter Cardinalis dictus Tit. *S. Mariæ ſuper Minervam.* Congregationibus adſcriptus, Tridentini Concilii, Indicis Librorum Prohibitorum, S. Officii, doctrina, ac dicendi libertate refulſit. Cum enim ab Alexandro VIII. propoſita eſset in Conſiſtorio promotio Tuſſani Fourbin, eaque oppugnaretur a Cardinali Leandro Colloredo, ſolus de Aguirre Colloredum ſulcivit objicientem. Romæ obiit apoplexia obrutus die 19. Auguſti 1699. ibidem ſepultus in Eccleſia S. Jacobi Nationis Hiſpanæ. Qualis fuerit, ab ejus habes Epitaphio, quod ſibi vivens præſcripſerat.

JOSEPH SAENS DE AGVIRRE NATIONE HISPANVS
PATRIA LVCRONENSIS VITA PECCATOR
APPELLATIONE MONACHVS S. BENEDICTI
STVDIO THEOLOGVS
MISERATIONE DIVINA
S. R. E. CARD. TIT. S. MARIÆ SVPER MINERVAM
PROTECTOR REGNI SICILIÆ
ORATE DEVM PRO EO.
OBIIT DIE XIX. AVGVSTI. AN. DOM. MDC. XCIX.
MISERERE MEI DOMINE QVIA PECCAVI
SVPER NVMERVM ARENÆ MARIS.
MIRARE QVI LEGIS ERVDITISSIMI VIRI PIETATEM
ET VIRTVTEM, DISCEQVE DE TE HVMILITER SENTIRE
TRANSCRIBENDVS CÆLO INSCRIBI TERRAM SIC VIVENS
EXPRESSIT ET TVMVLARI VOLVIT
IMITARE MODESTIAM SEQVERE VITAM.

De eo Brietius in Annalibus brevi, ſed nervoſo Elogio. Tantam victoriam expugnatæ Budæ Innocentius XI. quaſi divina inſpiratione edoctus Chriſtiani Orbis lætitiam 27. Purpuratorum creatione cumulavit, inter quos vario meritorum genere inſignes pietatis æque ac doctrinæ fama commendavit Stephanum Camuſium Gratianopolitanum Epiſcopum, & Joſephum de Aguirre in Salmanticenſi Collegio jam ab annis amplius viginti Sacræ Theologiæ Lectorem, & variorum ſacra eruditione refertorum Librorum Editorem. Romæ ſepultus jacet in Eccleſia S. Jacobi Hiſpaniarum.

Elogium Viri Clariſſimi D. Joannis Baptiſtæ de Miro Monachi Caſinenſis Sacrorum Canonum Profeſſoris in Urbe, & Sacræ Congregationis Indicis Conſultoris, tum Abbatis, Procuratoris Generalis, ac Præſidentis, ut ajunt, ejuſdem Congregationis, itemque Vaticanæ Bibliothecæ Cuſtodis, præfixum Tomo II. primæ Editionis hujus Operis.

ΤΩι ΑΝΔΡΙ ΣΟΦΩΤΑΤΩι,
Καὶ ἐξοχωτάτῳ τῆς ἁγίας Ἐκκλησίας τῆς Καθολικῆς ΚΑΡΔΙΝΑΛΕΙ
ἸΩΣΗΦΩ ΣΑΕΝΣ ἈΓΥΙΡΡΗι,
Εἰς φῶς διδόντι τὰς τῆς Ἐκκλησίας τῆς Ἱσπανικῆς, καὶ τοῦ νέου Κόσμου, ἤτοι Ἀμερικῆς Συνόδους.

ΩΔΗ.

Ἀλίου φέγγος γλυκερὸν βροτοῖσιν,
Βένθεϊ αὐγάζον χθονὸς ἠδὲ πόντου,
Εἰπέ μοι πρόφρον, τίνα φῶτ' ἐφεῦρες
Ἴσον Ἀγυίρρῳ.
Τὸν μὲν ἠπείρω κελαδοῦσιν ἄμφω,
Τῷ πότμῳ καὶ ἀμφοτέρω δέδονται,
Τὸν καὶ ὑψίστα ἀρετὰ γεραίρει,
Εὐτυχία τε.
Μοῖρα γὰρ δῶκεν θεόθεν βλέπουσα
Ἐσθλόν οἱ κῦδος, κλέος, ἠδὲ δόξαν,
Πᾶσιν ἀνθρώποις σοφίῃ πάρεσχεν
Ἀγεμονεύειν.
Ἀλλὰ καὶ πρᾶξαι σοφίας ἅμιλλαι,
Ἠδὲ καὶ νίκαι παρέχειν ἄεργον
Οὐ δύναντ' αὐτόν· πόνῳ ἠκολούθει
Εὐσεβείῃ τε.
Οὐδὲ καλλίστη ἀρετᾶς πάρεδρος
Τιμὰ ἐμβάλλειν ἀγαθαῖσι φρεσσὶν
Θῦφον, ὃ ὄκνον δύνατ, ἀλλὰ μᾶλλον
Θῆσεν ἄοκνον.
Χάρμα γὰρ παύροις ἄπονον λέλογχε
Τοὶ γὰρ ἱδρῶται προπάροιθε τιμᾶς
Θῆκαν, ὦ ΖΕΥ, ἁμετέραν ἀληθὲς
Δῶτορ ἐάων.
Καὶ σὺ γὰρ πρατῶς βάλες ἐς Ἀγυίρρον
Ἱμέρως καλᾶς ἀρετᾶς ἁπάσας,
Τὸ βλάβων πασᾶν κρατέειν, πάθων τε
Ἠγγυάλιξας.
Νῦν σὺ τῷ αὐτῷ παρέχεις δυνάσθαι
Εἰς νέον σῦρειν φάος ἀλίοιο,
Μυρίας δέλτας, ἀρετᾶν γέμουσας
Οὐδὲν ἀχρεῖον.
Τάσδε πλουτίζειν σχολίοις, τὰ δῶλοι
Πάντες οἱ ΧΡΙΣΤΟΥ χρυσίου προτίμων,
Τοῖς μέλει ἁγνοῦ βιότοιο, ψυχὸν τ'
Ἀσφαλίσασθαι.
Χαίρετ' Ἱσπανῶν ἱερεῖς παλαιοί,
Χαίρετε πρᾶτοι βασιλῆες, ἱερεῖς,
Νῦν γὰρ ἀρχαίας ἔχετ', εὐσεβείας
Ἆθλον ἕκαστος.
Τᾶν φρενῶν γὰρ γ' ἰδμοσύνῃ πεποιθὼς,
Εἰσφέρει πολλὰς Συνόδους φαέσδειν,
Εὐ-

SAPIENTISSIMO VIRO,
Et Eminentiſſimo Sanctæ Eccleſiæ Catholicæ
CARDINALI
JOSEPHO SAENZ DE AGUIRRE
Typis mandanti Hiſpanæ Eccleſiæ, & Nuvi Orbis, ſeu Americæ Concilia.

ODE.

Solis o cunctis jubar expetendum,
Quod ſpecus luſtras maris, atque terræ,
Dic virum quemnam ſimilem repertum
Cernis Aguirri?
Gaudet hunc Orbis celebrare uterque,
Et Deus ſortes tribuiſſe utraſque;
Nam bonis virtus ſociata fatis
Munera præbet.
Fama nam ſummo veniens Olympo,
Gloriam, laudem tribuit, decuſque,
Et viros omnes ſimul obſequentes
Reddidit ipſi.
Otium at nullæ potuere pugnæ
Gignere invictæ, ſapientis arte
Mentis expreſſæ; magis inde ſurgit
Cura laboris.
Nec comes virtutis honor ſuperbum
Injicit faſtum, ut ſolet, inſolentem,
Nec pigrum reddit; ſed amor laboris
Creſcit honore.
Deſides pauci tenuere læti
Gloriam; præit labor, atque ſudor,
Sic tibi viſum, Deus, omnia affers
Qui bona nobis.
Nunc Aguirri, quod parit alma virtus
Dulce tu deſiderium dediſti;
Quin & affectus ſuperare cunctos
Et mala præbes.
Annuis nunc tu quoque, ut ipſe doctos
Plurimos virtute Libros refertos,
Utiles nobis, domitis tenebris,
Vendicet Orbi;
Et notas addat facis ut deſertas,
Aureis glebis magis æſtimandas
Integris vita, propriæ tenet quos
Cura ſalutis.
Gentis Hiſpanæ facer eja cœtus
Præſulum, gaudete duces priores,
Accipit priſcæ pietatis ampla
Munera quiſque.
Mente confiſus generoſa Aguirres,
Lucis, antiquas Synodos Iberas
Pa-

Εὐσεβίω καὶ τὰς σελίδας ἀνάκτων	Paginas Regumque pias priorum,
Δῶρον Ἀγυίῤῥας.	Munere donat.
Χαῖρετ' οἰκισταὶ ἄζατο τὸ πρόσθεν,	Gauda & ignoti bone cultor Orbis,
Νῦν ζατῶ γαίας, καλέοντι πάντες	Quem nuvum Mundum libuit vocare,
Τὰν νέον Κόσμον, ἔδραμες ἂν ἀγαυῶν	Cujus extremas peragravit oras
Εὔρεο Ἰβήρων.	Tuus Iberus;
Οἱ ΘΕΟΥ καὶ τᾶ μεγάλοιο πίστιν	Qui Fidem veræ tribuit ſalutis,
Ὕμμιν ὤπαξαν, βιότοι ἑταίραν	Et tibi vitæ comitem fidelem
Ἀσφαλῆ σεμνᾶ, ἀγάπην διδᾶσαι,	Gratiam certam Dei, & aſſerantem
Κ' ἐλπίδ' ἀλαθῆ.	Spem generoſam.
Ἄλλᾳ ἄγνωτοι ἀρετ' οὐκ ἔσονται	Nam Sacerdotum vaniat tuorum
Κόσμῳ, ὕμμων τῶν προτέρων δικαςῶν	Fama virtutis reliquas ad oras,
Ἱρεων, ὀρθὰς κανόνας ζοῦ, οἳ	Regulas vitæ quibus altioris
Ὕμμιν ἔδωκαν.	Tu modo debas.
Τῶνδε καὶ πᾶσιν φανέρωσ' Ἀγυίῤῥας	Omnibus nunc hæ patuere Aguirris
Νῦν ἔτι κεδναῖς σελίδεσσι, ταῖσδε	In piis, doctiſque Libris, quibuſque ob-
Δύσμορον λᾶθαν ἐδάμασσεο, ἠδὲ	Livionem jam domuir ſiniſtram,
Τὸν φθόνον ἀργόν.	Invidiamque.
Οὐ γὰρ οἱ πρᾶτοι Συνόδος ἁπάσας	Grandius fama haud potarir ſonara
Συλλ'γοντες, τὸ κλέος ἐσθλὸν ἔσχον	Gloriam illorum Synodos, priores,
Τόσσον, αὐτῷ νῦν ὅσον οἱ ὁ ΧΡΙΣΤΟΥ	Qui dedere Orbi, magis at pateſcet
Λαος ὀφείλει.	Gloria Aguirris.
Θυμέ τι σπεύδεις ἀνόδοιο κέλευθον	Invium tentas peragrara callem
Ἐλθεμεν; θῆκον πτέρυγας θρασείας,	Mens mea, audaces revoca volatus;
Οὐ πρέπει σαυτῷ κελαδεῖν ἀοιδαῖς	Hunc Virum digno celebrara cantu
Ἄνδρα μέγιστον.	Haud tibi fas aſt.
Τὸν φίλον θείαις χαρίτεσσ' ἀλαθῶς,	Hunc Virum doctum, ſapientem, amicum
Τὸν σοφὸν, τόνδε φρόνιμον, τὸν ἁγνόν,	Gratiis divis, bane conſulentem,
Τὸν κ' ἐπιστάμας, ὃν ἀρεταὶ πρόπασαι	Cujus & virtus merito coronæ
Ἐστεφάνωσαν.	Præmia donat.
Νήπιος ῥαστῷ σχεδίῳ θαλάσσας	Stultus imbelli maris æſtuoſi
Κύματ' ἐλπίζει περᾶν, ὃς ἔργα	Cogitat cymba penatrare fluctus,
Ἐξόχω ἀνδρὸς ἀγορεύσ' ἀνίσοις	Qui Virum haud juſta celebrare ſparat
Βύλετ' ἐπαίνοις.	Laude ſupremum.

Quoniam vero tanti Viri Elogium deſcripſimus, quo Opus ipſum Cardinalis de Aguirre quammaxime commendatur, opportunum cenſui hoc loco Elogium referre, quod de ipſo Abbate de Miro ad nos miſit unus ejuſdem Congregationis Alumnus, ut vel inde intelligas, quis, & qualis fuerit Cardinalis de Aguirre, tantopere laudatus a doctiſſimo Abbate de Miro, eſtque hujuſmodi:

Joannes Baptiſta de Miro Graniani non obſcuri nominis Oppidi Meditarranai non longa a Stabiis natus eſt A. Eræ vulgaris MDCLVI. Eum filium Paulus, Vir nobilis, Juriſconſultus, atque Advocatus Neapolitanus ex Catharina de Athenaſio ſuſcepit. Fratram vero Vincentium de Miro habuit, unum ex Regni Curatoribus a Carolo Cæſare electum, & in Surrentinorum Nobilium Collegio reſtiturum. Neapoli adoleſcens Monaſticam diſciplinam amplexus eſt S. Benedicti, Caſſinenſis ſcilicet Congregationis, in S. Severini Aſceterio, ubi litteris ſedulam navavir operam. Philoſophiæ, ac Theologiæ ſui Ordinis Religioſos Viros Doctoras habuit. Græcam linguam avide, celeriterque arripuit, eam prælegenta Gregorio Meſſeriu, eximio Neapolitanæ Academiæ Profeſſora, qui primus eandem linguam pene fatiſcantem ſuſtinuit. Hinc Veterum aſſidue lectiona omnem hauſit ſapientiam. Philoſophiam in eodem Cœnobio docuit a Barbarorum ſordibus exterſam. Inde Venetias evocatus, ſummo auditorum plauſu Theologiam profeſſus aſt. Plures poſt annos in Collegio S. Anſelmi Romæ Sacros Canones maxima antiquæ Eccleſiæ diſciplinæ erudiriona rradidit. Ejus virtutes noſter Ordo multis honoribus decoravit. Primum Abbatem; deiode univerſæ Congragationis Generalem Procuratorem; poſtramo Præſidentem elegit. Acceſsit etiam SS. Pontificis Innocentii XII. munificantia, & aliarum Vaticanæ Bibliothacæ Cuſtodem præfecit. Tantus Vir inter tot curas antiqua Philologiæ ſtudia, quæ unice deperibat, ſomni, cibique parcus, numquam intermiſit. Ad eum noſtræ Urbis in re literaria Principes conveniabanr, & præſertim Franciſcus Galluppus Græcæ, Latinæque linguæ peritiſsimus, cujus familiaritata, atque omnigena ſcientiarum, & totius antiquitatis eruditione magnopare dalectabatur. Quin etiam er ultima Britannia Diſſertationem, cui Titulus inſcriptus, *Origines Neapolitanæ Urbis*, non alii legendam miſit, quam noſtro de Miro Vir Clariſſimus Reinolds. Ejus tamen ſententantiæ de Neapoleos primis incolis aſſenſum noſter Abbas præbera non poterat. Hinc Diſſertationem Epiſtolæ forma penitiſſima aruditiona refertam ipſi Reinolds non ſine promerito varborum honore conſcripſit ab opinione ejuſdem Reinolds diſſentientem. Illam Anno CIↃIↃCCXXXIX. præſtantiſſimus Jac. Phil. D' Orville miſcellaneis obſarvationibus Amſtelodami editis interſerandam curavit, Volumina a. Tom. tertio.

Poſtremis annis Bibliothecæ cuſtodiæ nuntium remiſit, ac Neapolim rediit. Sanctiſſimus vero Pontifex Clemens XI. ſapientiſſimum Virum jam rude donatum annua largitione octo millium ſeſtertium proſecutus eſt. Heic quamvis arthritico morbo laboraret, quem ſumma animi conſtantia perferebat, ſellæ tamen, vel lecto innixus a legendis Antiquorum monumentis oculos numquam avertit. Vir integer vita, ac moribus candidus, vereque Philoſophus occubuit Anno MDCCXXI. ætatis ſuæ LXXV. Plura exſtant apud nos ejus præclari ingenii monumenta, a quibus edendis Vir modeſtiſſimus abſtinuit. Ex illis veluti ex ungue leonem dignoſcere licet. Hæc partim ad Eccleſiaſticas res, partim ad Philologiam ſpectant. Quin Muſas etiam Latinas, Græcaſque amavit, indigna quidem quæ lateant, quamvis multa ſervemus carmina. Hæc ſunt, quæ tibi de Viro Clariſſimo, cujus memoria eſt recolenda, nuntianda putavimus.

Cenſura R. P. Magiſtri Ildephonſi de Mier, Congregationis S. Benedicti Hiſpaniarum Procuratoris Generalis, Sacrarumque Congregationum S. R. Univerſalis Inquiſitionis Qualificatoris, & Sacrorum Rituum Conſultoris, præfixa Tomo I. primæ hujus Operis editionis.

INjunctum mihi a Reverendiſſimo Patre F. Thoma Maria Ferrari Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro munus exſequutus, legi Diſſertationes Eccleſiaſticas in Collectionem Iſidorianam Conciliorum, & Epiſtolarum Decretalium, ac Notas in Concilium Illiberritanum, Auctore Eminentiſſimo, ac Reverendiſſimo Cardinali de Aguirre. Qui quidem jam dudum Orbi literario notus, tot ſcriptis immortali nomine comparato, viam ſibi ad poſteritatem feliciſſime ſtravit. Cum igitur ampliſſimi Auctoris gravitas, ſuo potius nomine, quam meis laudibus commendetur, ea tantum proferam, ad quæ Cenſoris munus me compellit; nempe, deprehendiſſe me in hoc Opere maximum & eruditionis, & judicii pondus, quibus omnia ad exactiſſimam criſeos vannum deducta, ſumma dexteritate diſcutit, ventilat, ac legitima quæque ab interpolatorum quiſquiliis ſegregans, Epiſtolas tandem plurimorum injuria in Utopiam relegatas, veluti poſtliminio iterum reducit. Quare cum nihil in iis reperiatur, quod vel Catholicis moribus, vel diſciplinæ Eccleſiaſticæ adverſetur, immo omnia e reconditis ſacræ eruditionis penetralibus feliciter eruta, digna exiſtimo, quæ in lucem prodeant, ut lucem præbeant. Ita cenſeo. Romæ IV. Kalendas Majas, anno Domini MDCXCIII.

Cenſura F. Angeli Juliani Ord. Prædic. Th. Mag. Fidei olim Quæſitoris, tum Sacrarum Congregationum Indicis, & Rituum Conſultoris.

DEmandante Reverendiſſimo Patre F. Thoma Maria Ferrari Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro, perlegi una cum gloſſematibus, & Commentariis pridem annexis, Concilia Hiſpanica, quæ Typis toties cuſa, & recuſa, jamdudum famæ ſibi celebritatem compararunt. Nunc autem de integro prodituris, accedunt ampliſſimi Cardinalis de Aguirre Obſervationes ad Eliberitanum, & Diſſertationes de Iſidoro illo Mercatore, qui ob invectas, nono circiter ſæculo, & prætentas Pontificum Decretales, ad magnum criſeos ſorum exactus, compluriumque ibi ſphalmatum, & parachroniſmatum inſimulatus, tandem amandatus fuerat ἀπὸ τοῦ ἱεροῦ τῆς ἀληθείας ad ſacra Deæ Fabulinæ. Ea vero, quæ initi penſi erant, Vir eximius aſſequitur tanta dicendi facilitate, ac felicitate, ut quod olim Plinius ſenior protulit de penicillo Timanthis pictoris, huc ego referre poſſim de calamo tanti Scriptoris: *In omnibus*, ajebat, *ejus operibus plus ſemper intelligitur, quam pingitur; & cum ars ſumma ſit, ingenium tamen ultra artem eſt*. Ne minimum quidem hic contra regulas Indicis; immo potius pluſquam multum, quod e re literaria ſit, ut prodeat, quo proficiat. Romæ e Cœnobio Minervæ IV. Kal. Maji anno Chriſtiani Orbis MDCXCIII.

Cen-

Cenſura R. P. D. Joannis Mariæ Gabrielli Monachorum S. Bernardi Ordinis Ciſtercienſis Viſitatoris Generalis, Sacræ Theologiæ Magiſtri, Sacræ Congregationis Indicis Conſultoris, Supremæ, ac Univerſalis Romanæ Inquiſitionis Qualificatoris, & demum S. R. E. Cardinalis, quæ Tomo 1. primæ editionis legitur.

HUnc ſecundum Tomum *Collectionis Maximæ Conciliorum omnium Hiſ-*
paniæ, & Novi Orbis, incredibili ſtudio, limatiſſimo judicio, & om-
nigena eruditione concinnatæ ab Eminentiſſimo, ac Reverendiſsimo D. Car-
dinali de Aguirre (*cujus ingenii*, ut verbis B. Hieronymi de S. Cypriano *De Script. Eccleſ.*
loquentis appoſite utar, *ſuperſluum eſt indicem texere, cum ſole clariora*
ſint ejus Opera) honoris cauſſa juſſus a Reverendiſsimo Patre Thoma Maria
Ferrari Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro, inoffenſo pede decurri, & citra
vel minimum orthodoxæ Fidei, & proborum morum detrimentum ſedulo
evolvi, eique optime congruere deprehendi, quod idem Maximus Eccleſiæ
Doctor in Epiſtola ad Florentium de Libro valde prolixo Synodorum S. Hi-
larii protulit: *Noſſi hoc eſſe Chriſtianæ animæ pabulum, ſi in Lege Dei me-* *Epiſt. 6.*
ditetur die, ac nocte. Opus ſane ingens, ac multiplex, in quo continentur
Hiſtorica, Chronologica, Chronographica, Juridica, Ethica, Exegetica,
Aſcetica, Canonica, Polemica, Liturgica, & Dogmatica, una cum variis
lectionibus, emendationibus, Notis, Diſſertationibus, optatiſſimis veterum
Epiſtolarum Decretalium ante Syricium Romanum Pontificem a neotericis
mordicus impetitarum vindiciis, aliorumque mſs. hactenus magna rei Eccle-
ſiaſticæ jactura, cum ſitu, carie, tineis, blattiſque miſere colluctantium edi-
tionibus, cæteriſque cujuſque modi conſcriptionibus, in quibus omnibus ſum-
ma fide, & perſpicuitate, magnoque Eccleſiæ bono, atque Eminentiſsimi
nominis ornamento elucubrandis, Purpuratus Pater quam ſancte adhæſit huic
ſapientiſsimo, ac graviſsimo monito B. Gregorii VII. Pontificis Maximi: *Si*
quas doctrinas, ſive ad Fidei conſuetudinem aſtruendam, ſive ad morum re- *Lib. 3 epiſt. 10. ad Henr. reg.*
ctitudinem pertineant, præter Apoſtolicas ad nos continua ſucceſſione propa- *Lib. De præſcript. cap. 7.*
gatas, diſſeminari quis videat; obſiſtat, dimicet, pro Divina traditione,
ut pro aris, & focis, dicatque cum Tertulliano: Hæ ſunt doctrinæ dæmo-
niorum, prurientes auribus, natæ de ingenio ſapientiæ ſæcularis, quam
Dominus ſtultitiam vocans, ſtulta mundi in confuſionem etiam Philoſophiæ
ipſius elegit. Unde jure merito eruditiſſimus Scriptor profiteri poteſt cum
S. P. Bernardo: *Nihil ſimile habet quod loquor illorum blanditiis, qui di-* *Epiſt. 78.*
cunt bonum malum, & malum bonum, atque ita quemcumque beatificant,
in errorem inducunt; blanda, ſed periculoſa laus, quum laudatur peccator
in deſideriis animæ ſuæ, & iniquus benedicitur..... Quærant ſibi jam in
parvulis Babylonis dulces, ſed truces matres, quibus lac mortis emulgeant,
quos blandis mulceant favoribus, ac flammis nutriant ſempiternis.

Sacris enim Eccleſiaſticarum Synodorum oraculis ſicut olim inſana hære-
ſeon portenta profligata, vitiorum colluvies diſsipata, periculoſæ perſecutio-
num ingruentium procellæ compreſſæ, Myſteriorum aſſerta ſanctitas, propa-
gati ſacræ Hierarchiæ fines, ſervati Eccleſiaſtici Ritus, propugnata Patrum
jura, præſcripta populorum obſequia; ita hac ſæculorum fæce, ex hoc vaſto
Opere, ceu ex inſtructiſsimo armamentario, mille clypei pendent omnis ar-
matura fortium contra recens probabilitatis commentum in dies irrumpens
ad Chriſtianæ pietatis excidium, Catholici nominis dedecus, & interitum *De diſciplina, & habitu Virg.*
Eccleſiaſticæ diſciplinæ, quæ, ut ſcribit S. Cyprianus, *retinaculum Fidei eſt.*
Porro *mos iſte ſemper in Eccleſia viguit* (teſte Vincentio Lirinenſi) *ut quo* *Commonit. 1. cap. 9. Orat. 27.*
quiſque foret religioſior, eo promptius novellis adinventionibus contrairet;
adeo ut S. Gregorius Theologus conſtanter aſſeverare non dubitarit: ἀλλ' οὐδὲ
τῶν κομψῶν τις καὶ ἡδέων ἐγώ, καὶ οἷος κολακείᾳ κλέπτειν τὴν εὔνοιαν, οἵους ὁρῶ πολλοὺς
τῶν νῦν ἱερατεύειν ὑπισχνουμένων, οἳ τὴν ἁπλῆν καὶ ἄτεχνον ἡμῶν εὐσέβειαν, ἔντεχνον πεποιή-
κασι, καὶ πολιτικόν τι καινὸν εἶδος ἀπὸ τῆς ἀγορᾶς εἰς τὰ ἅγια μετενηνεγμένον, καὶ ἀπὸ
τῶν θεάτρων ἐπὶ τὴν τοῖς πολλοῖς ἄδυτον μυσταγωγίαν, ὡς εἶναι δύο σκηνάς, εἰ δεῖ τολμή-
σαντας τοῦτο εἰπεῖν, τοσοῦτον ἀλλήλων διαφερούσας, ὅσον τὴν μὲν πᾶσιν ἀνεῖσθαι, τὴν δὲ τισί,
καὶ τὴν μὲν γελᾶσθαι, τὴν δὲ τιμᾶσθαι. καὶ τὴν μὲν θεατρικήν, τὴν δὲ πνευματικὴν ὀνομά-
ζεσθαι. *Neque facetus quiſpiam, ac jucundus ſum, atque ita comparatus, ut*
hominum blanditiis, & aſſentatione ſurripere queam, quales multos coram
video, qui hoc tempore Sacerdotii munus profiteantur, qui Fidei noſtræ pie-
tatem,

tatem, quæ prius ſimplex, atque artis expers erat, artificioſam reddiderunt, ac novum quoddam politices genus a foro ad Sancta translatæ, & theatris ad Sacrarium vulgi oculis minime inſpectandum; ita ut, ſi audacter hoc dicere oporteat, duæ jam ſcenæ ſint, inter quas hoc dumtaxat interſit, quod illa omnibus pateat, hæc quibuſdam; illa rideatur, hæc in honore ſit; illa theatrica, hæc ſpiritualis nominetur.

Propterea nemo has Synodicas Sanctiones tanquam Lesbiam regulam, vel Lacedæmoniorum, ſeu Athenienſium Leges, aut ſaltem Græciæ Sapientum oracula, pridem abolita, & extincta, autumet; ſed potius antiquam Legum Hiſpanæ Eccleſiæ, & terribilem aciem debellatus error agnoſcat, & Chriſtianus qua late patet Orbis, piiſſimi ac Eminentiſſimi Auctoris zelum ſtudioſe
Orat. 1. æmulatus, eam ordinatam miretur. Cum autem ex Nazianzeni laudati ſententia; τῷ ὄντι γάρ ἀντ μοι φαίνεται τέχνη τις εἶναι τεχνῶν, καὶ ἐπιστήμη ἐπιστημῶν, ἄνθρωπον ἄγειν, τὸ πολυτροπώτατον τῶν ζώων, καὶ ποικιλώτατον. οὐδὲν γὰρ οἶμαι τίμιον ὃ
Orat. 20. μὴ πρὸς ἀρετὴν φέρῃ, μηδὲ ποιῇ βελτίους τοὺς περὶ αὐτὸ σπουδάζοντας. *Ars quædam artium, & ſcientia ſcientiarum ſit hominem regere, animal omnium maxime varium, & multiplex; & nihil magni faciendum ſit, quod ad recte honeſteque vivendum nihil affert, nec ſui ſtudioſos meliores reddit*; iccir-
Loco citato. co horum Voluminum lectores enixe obſecro, *ut luce clarius videant* (ita ſubjungere libet cum Lirinenſi) *beatorum Apoſtolorum beata ſucceſſio, quanta vi ſemper, quanto ſtudio, quanta contentione defenderit ſuſceptæ ſemel Religionis integritatem*. Sicque religioſiſſimis his documentis imbuti, eum S. Stephano Pontifice Maximo etiam in rebus ad Eccleſiaſticam diſciplinam ſpectantibus ex animo conteſtentur, praxique ipſa exſequantur: *Nihil*
Epiſt. ad Orthodoxos. *innovetur, niſi quod traditum eſt*; quandoquidem ex Magni Athanaſii ſuffragio. οὐ γὰρ νῦν Κανόνες καὶ τύποι ταῖς Ἐκκλησίαις ἐδόθησαν, ἀλλ' ἐκ τῶν πατέρων ἡμῶν καλῶς καὶ βεβαίως παρεδόθησαν. *Non nupera, aut novitia res eſt Canonum Eccleſiaſticorum inſtitutio, ſed a primis uſque Patribus per manus tradita eſt, & fundata in Eccleſiis.*

Ex Cœnobio S. Pudentianæ de Urbe IV. Idus Auguſti, anno Chriſtiano MDCXCIV.

Aliud ejuſdem Cenſoris judicium Tomo III. primæ editionis præfixum.

HAud immerito Latinus Pacatus olim de Hiſpania diſertiſſime elocutus eſt in panegyrico ad Theodoſium Auguſtum: *Terris omnibus terra felicior, cui excolendæ, atque adeo ditandæ, impenſius quam cæteris gentibus ſupremus ille rerum fabricator indulſit. . . . . . cui quidem uni quicquid ubique laudatur, aſſurgit; hæc duriſſimos Milites, hæc experientiſſimos Duces, ac facundiſſimos Oratores, hæc clariſſimos Vates parit, hæc Judicum mater, hæc*
Lib. 3. Geograph. *Principum eſt*. Et ſpeciatim Tudertanos Hiſpaniæ Tarraconnenſis populos literis addictiſſimos graphice deſcripſit Strabo: *Hi ſapientia putantur excellere, & literarum ſtudiis utuntur, & memorandæ vetuſtatis volumina habent, poemata, Leges quoque verſibus conſcriptas e ſex annorum millibus &c.* Jure tamen longe potiori Eminentiſſ. ac Reverendiſſ. D. Card. de Aguirre, non tantum Juliobrigæ, Patriæ ſuæ, ac præſtantiſſimæ ejuſdem Tarraconenſis Urbis decus, ſed etiam Vaticanæ Purpuræ, totiuſque Eccleſiæ ornamentum, de Hiſpania Chriſtiana idipſum demonſtrat in *Collectione Maxima Conciliorum omnium Hiſpaniæ, & Novi Orbis*, ubi ſectatus conſultiſſimum S. Syricii Romani Pontificis monitum Himerio Tarraconenſi Antiſtiti propinatum, enixe adhortatur *ad ſequendos Canones, & tuendas Decretales Sanctiones; nam Statuta Apoſtolicæ Sedis, vel Canonum venerabilia definita nulli Sacerdotum*
Epiſt. 5. *Domini ignorare eſt liberum*. Et ut confirmat S. Innocentius I. *Eccleſiaſticorum Canonum norma nulli eſſe debet incognita Sacerdoti, quia neſciri hæc a Pontifice ſatis eſt indecorum, maxime cum a laicis religioſis Viris, & ſciatur, & cuſtodienda eſſe ducatur*. Ibi enim concluditur orthodoxorum dogmatum altitudo, & exculpuntur ſanctiſsimarum vitæ regularum axiomata,
In Flect's mſs. de SS. PP. in innumeris Eccleſiaſticis Synodis aſſerta ab illis cæleſtibus Magiſtris, qui, ut eum S. Maximo loquar, *vitæ ſermonem continent, qui ſplendore ſuo firmamenti lumina vincunt, quorum lucerna non comminuitur, & oleum non abſumitur, & flamma non extinguitur*. Ut enim Magnus Conſtantinus Au-
Apud Socrat. lib. 1. cap. 9. guſtus Eccleſiis ſcribens teſtatus eſt: *Quicquid in Sanctis Epiſcoporum Conciliis geritur, id omne ad divinam referendum eſt voluntatem. Ubi eſt* (ita

ap-

Digitized by Google

appoſite declamat S. Gelaſius Pontifex Maximus) *quod ſcriptum eſt: Terminos Patrum tuorum non tranſgredieris, &, Interroga Patres tuos, & annunciabunt tibi, & ſeniores tuos, & dicent tibi? Quid ergo tendimus ultra definita majorum, aut cur nobis non ſufficit, ſi quid ignorantes diſcere cupiamus, qualiter ab orthodoxis Patribus, & ſenioribus ſingula quæque vel vitanda præcepta ſunt, vel aptata Catholicæ veritati; cur non his probantur eſſe decreta? Numquid aut ſapientiores illis ſumus, aut poterimus firma ſtabilitate conſtare, ſi ea, quæ ab illis conſtituta ſunt, ſubruamus?*

Epiſt. 5. ad Honor. Epiſc. Dalmat.

Opportuniſſimum, immo hac tempeſtate cum Probabilitatis commentum Chriſtianam Ethicam miſerum in modum deformavit, ſumme neceſſarium argumentum ab Eminentiſſ. Authore pro dignitate tractatum, quo ad internecionem uſque confodiuntur nonnulli *contemptores authoritatum veterum* (verba ſunt Hormiſdæ Summi Pontificis) *novarum cupidi quæſtionum, ſolam putantes ſcientiæ rectam viam qualibet conceptam facilitate ſententiam.*

Epiſt. ad Poſſeſſorem.

Qui inſtruunt eos (ita ſubjungit S. P. Bernardus) *a quibus fuerant inſtruendi, aſtruunt non comperta, ſed ſua, deſtruunt ſimplicitatem veritatis, obſtruunt judicii vias, quod quidem interius malum tegunt principia, poſteriora prodant; error namque eſt humanæ mentis, non modo bonum putare malum, & malum bonum, aut verum falſum, & e converſo, ſed certa recipere pro dubiis, dubia pro certis.*

Lib. 1. de Conſider. cap. 9.
Lib. 4. de Conſid. cap. 5.
Epiſt. 81.
Orat. 27.

Neque quiſpiam in præſentiarum audeat objectionem a Nazianzeno ſibimet ipſi præſtructam obtrudere. Ἀλλ᾽ οὐχ οὕτω, φησί, δοκεῖ τοῖς πολλοῖς. *Atqui pleriſque ſecus videtur, inquies.* Sed patet ejus reſponſio: τί δέ μοι διαφέρει ὅτι εἶναι πλείοσιν ὁ λόγος, μᾶλλον δὲ πᾶς. τοῦτο γὰρ ἢ κατέκρινεν, ἢ ἐδικαίωσεν ἢ ἄθλιον πεποίηκεν, ἢ μακάριον· τὸ δὲ δοκεῖν οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς, ὥσπερ οὐδ᾽ ὄναρ ἀλλότριον. *Quid vero mea intereſt, qui rei veritatem magis curo, immo ſolum curo? Hoc enim vel me condemnaverit, vel abſolverit, hoc miſerum, vel beatum reddiderit; quid autem aliis videatur, nihil ad nos; quemadmodum nec alienum ſomnium.* Et alibi: οὐ γὰρ ἐξ ὧν χαριούμεθα σκοποῦμεν μᾶλλον, ἢ ἐξ ὧν ὠφελήσομεν. *Non enim tam hominum gratiam, quam utilitatem ſpectamus.* Rationem luculentiſſimam idem Theologorum Orientalium Princeps ſuperius inſinuaverat: καὶ γὰρ οὐ φαύλως τοῦτό τινες πεφιλοσοφήκασιν .... ὅτι παραπεπήγασι ταῖς ἀρεταῖς αἱ κακίαι, καὶ εἰσί πως ἀγχίθυροι, καὶ ῥᾷστον ἄλλό τι ὄντα ἕτερον νομισθῆναι τοῖς μὴ τὰ τοιαῦτα πεπαιδευμένοις. *Virtutibus finitima, & quodammodo vicina ſunt vitia, nihilque facilius eſt, quam ut ab illis, qui hujuſmodi rerum ſcientiam non tenent, res quædam aliud eſſe judicetur, quam revera ſit, quod proprie illis accidit* (ut veriſsime ſcriptum eſt a Theodoreto) *qui a recta via deflectunt, eo quod trita via non ambulant.*

Orat. 20.

Dialog. 1. Immutab.

Multi enim principio (ut recte adverit S. Serapion Epiſcopus Thmuеos) *& pravo errore cepto in pelagus erroris delapſi, & effuſi ſunt. Ideirco curandum eſt, ut ne minimo quidem errore labi contingat, pulcherrimo animæ propugnaculo ædificato; ne majore capiamur, qui in parvis labitur errore, aliquando in majoribus, & qui non eſt ſeductus a parvis, erit ita contra majora munitus, & tutus, ut ei reſiſti non poſſit.*

Lib. cont. Manich. To. 4. Bibliot. SS. PP.

Regiam tritamque viam ab omni diſcrimine liberam, munitiſsimumque animæ adverſus quoſvis erroros popugnaculum exhibet Purpuratus Doctor in hoc tertio Tomo, de mandato Reverendiſſ. P. Thomæ Mariæ Ferrari Sac. Pal. Apoſt. Magiſtri a me attente perluſtrato, & a cenſorio ſtigmate prorſus immuni reperto; in quo demiratus ſum plurima ſacra venerandæ antiquitatis, pietatis, & diſciplinæ monumenta, ceu æquitatis indeflexas regulas, alia mſs. a blattis, tineis, carie, ſitu, & ab interitu vindicata, in publicam lucem, omniumque conſpectum primo producta, alia variis, fædiſque mendis, ac maculis ſordidata, primævo candori reddita, alia mutila, & lacera, exemplaribus undique conquiſitis, priſtinæ integritati reſtituta, alia juxta exactiorem chronographiam, & coſmographiam caſtigata, alia tanquam ſpuria, & adulterina purgatiſsimo criterio deprehenſa, atque exploſa, pleraque accuratiſsimis Notis, & ſubtiliſsimis Diſſertationibus locupletata, omniaque ita ſuis ponderibus examinata, ut, & ad doctrinam ingenia, & ad virtutem animi ſplendidiſsime informentur, & hac tutiſsima via ad ſalutem cuncti graſſentur. Quamobrem inter reliquos Tomos etiam iſte tertius publica luce digniſsimus, quam primum prodeat, ac in eo Eminentiſſ. Author de tota Eccleſia optime meritus rectiſsime inſcribat, quod Willelmus Malmesburienſis in Prologo ad Librum de Pontif. Angl. præfatus eſt: *Quid utilius, ac dulcius, quam majorum recenſere documenta, ut eorum doctrinam cognoſcas, a quibus acceperis, & rudimenta Fidei, & in*

ei-

citamenta bene vivendi? Romæ ex Monaſterio S. Pudentianæ IV. Idus Octobris, anno Chriſtiano MDCXCIV.

Cenſura alia R. P. Magiſtri Ildephonſi de Mier Tomo IV. præfixa.

JUſſu Reverendiſsimi P. Fr. Mariæ Ferrari S. P. A. Magiſtri, Legi Tomum Quartum *Collectionis Maximæ Conciliorum Hiſpaniæ, & Novi Orbis*, Auctore Eminentiſſ. & Reverendiſſ. D. Cardinale de Aguirre. At cum omnia fere in eo contenta aliis, atque aliis locis, ac temporibus cuſa fuerint, ac publicæ luci commiſſa, Apoſtolica Sede annuente, atque approbante; nihil inveni quod aut bene moratis, aut vere Catholicis officere poſſit; immo omnia apprime neceſſaria, ut mores a recto virtutis tramite exorbitantes iterum reducantur, ac diſciplina Eccleſiaſtica feliciter propagetur. In quo laudanda merito ſe offerunt Eminentiſsimi Collectoris induſtria, ac labor improbus, quibus ea quæ hinc inde diſperſa, ac latitantia, nullius, aut minimi uſus erant, ſed veluti cæca nocte tenebantur; in ordinem digeſsit, ac nobiliſsima, ampliſsimaque editione tanquam in propatulo poſuit. Quare digna cenſeo, immo e re valde Eccleſiaſtica, ut typis mandentur. Romæ 3. Nonas Novembres anno Domini MDCXCIII.

Cenſura alia D. Joannis Mariæ Gabriellii, qui fuit poſtea S. R. E. Cardinalis, præfixa Tomo IV.

EX alta, profundaque ſapientia pronunciavit Epiphanius: Καὶ γὰρ αἱ κατὰ τὸν κόσμον διάλεκτοι ἀνόμοιαι, ἀλλ' ἡ δύναμις τῆς παραδόσεως μία καὶ ἡ αὐτή. καὶ οὔτε
Lib. 1. To. 2. hær. 31. αἱ ἐν Γερμανίαις ἱδρυμέναι Ἐκκλησίαι ἄλλως πεπιστεύκασιν ἢ ἄλλως παραδιδόασιν, οὔτε ἐν ταῖς Ἰβηρίαις, οὔτε ἐν Κελτοῖς, οὔτε κατὰ τὰς ἀνατολὰς, οὔτε ἐν Αἰγύπτῳ, οὔτε ἐν Λιβύῃ, οὔτε αἱ κατὰ μέσα τοῦ κόσμου ἱδρυμέναι. *Tametſi hominum linguæ ſint diſſimiles, eadem tamen traditæ doctrinæ vis eſt ubique; neque aut conſtitutæ in Germania Eccleſiæ credunt aliter, aut ſuos perdocent, aut quæ in Hiſpaniis, ac Galliis, aut ad Orientem, aut in Ægypto, vel Lybia, mediove Orbe ſtabilitæ.* Hoc, quod de inconcuſsis orthodoxæ Fidei dogmatibus protulit S. Doctor, diſerte etiam ipſemet extendit ad illibata Chriſtianorum morum documenta Eccleſiæ deciſionibus, ac Conſtitutionibus definita. Περὶ θεσμῶν δὲ τῆς αὐτῆς ἐν ὀλίγῳ μέν μοι ἔτι πάλιν ἀνάγκη τὸ παραθέσθαι τῶν αὐτῶν θεσμῶν ἀπὸ μέρους τὸ εἶδος, ὅσαπερ φύσει πεφύλα-
Lib. 3. To. 2. ſub fin. κται ἐν αὐτῇ, καὶ φυλάσσεται, τὰ μὲν ἐκ προστάγματος, τὰ δὲ κατὰ ὑποδοχὴν προαιρέσεως, τοῦ Θεοῦ χαίροντος ἐπὶ τῇ ἀρετῇ τῆς αὐτοῦ διδασκαλίας. *Nunc de ejuſdem Eccleſiæ ſanctionibus, ac legibus pauca mihi neceſſe eſt, deque earundem forma aliqua ſaltem ex parte perſequi; quæcumque nimirum proprie olim in ipſa ſervata ſunt, hodieque ſervantur, partim ex præcepto, partim ex inductione animi, Deo ex diſciplinæ ſuæ virtute fructum quendam, voluptatemque capiente. Ad hoc enim Concilia celebrari* (ut Girardo Engoliſmenſi nervoſe exprobravit Arnulphus Le-
To. 2. Spicilegii Lucæ Dacherii xovienſis Epiſcopus) *ſanctorum Patrum ſanxit auctoritas, ut inde virtutum doctrina, malorumque correctio proveniret, & velut exercitus ſui facultate conſpecta, ipſam ſe plenius Eccleſia mater cognoſceret, ut adverſum vitia ſeverius inſurgendo, inſtantium bellorum triumphos poſſet confidentius auſpicari. Sunt enim nonnulli* (ut ſua etiam tempeſtate deplorat Caſsiodorus) *qui putant eſſe*
L. Divin. Inſtitut. c. 11. *laudabile, ſi quid contra antiquos ſapiant, & aliquid novi, unde periti videantur, inveniant.* Hinc ſaltem intelligant neoterici aliqui Scriptores, novarum opinionum in Ethica Chriſtiana opifices, ab una ſe, & recta veritatis orbita deflexiſſe, quando in tot compugnantium, & tum a veritate ſacris Canonibus ſancita, tum a ſe ipſis diſſentientium ſententiarum divortia ſunt delapſi, reclamante S. Julio Pontifice Maximo apud S. Athanaſium: Τὸ γὰρ ἅπαξ συνήθειαν ἰσχυκὸς ἐν τῇ
Apolog. 2. de fuga ſua. Ἐκκλησίᾳ, καὶ ὑπὸ Συνόδων βεβαιωθὲν, οὐκ εὔλογον ὑπὸ ὀλίγων παραλύεσθαι. *Morem enim, qui ſemel in Eccleſia obtinuit, & a Synodis confirmatus eſt, iniquum eſt, a paucis abrogari.* Quam invictum autem ex antiquitate argumentum veritatis eliciatur, & quanto ſemper falſitatis præjudicio laboret novitas, longe præclariſsime demonſtrat Eminentiſs. & Reverendiſs. D. Cardinalis de Aguirre in *Collectione Maxima Conciliorum omnium Hiſpaniæ, & Novi Orbis*, eruditiſsimis Notis, & doctiſsimis Diſſertationibus mirifice illuſtrata, cujus hunc Quartum Tomum injungente Reverendiſsimo Patre Fr. Thoma Maria Ferrari, Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro, accurate, cogitateque perlegi; ipſumque Catholicæ Fidei, & probis moribus adeo conſentaneum ſuſpexi, ut exinde eniteat, in Eccleſiaſticis illis Decretis,

eretis & Dogmatum altitudinem, & ſanctarum vitæ regularum axiomata uno, aut altero contextu verbis pauciſſimis concludi, & hoc brevi compendio ſanam, & ſummam Theologiam tradi, ac humani generis multitudinem ad virtutes, virtutibuſque deſponſam æternæ vitæ ſelicitatem trajici. Propterea digniſſimum hunc Quartum Tomum cenſeo, cujus ſibi lucem typi accerſant, ſapientibus poſthac Viris cumulatiſſime acceſſuram. Quamobrem Eminentiſſimus, ac Religioſiſſimus Auctor eidem pro coronide jure merito apponere poteſt iſtud ex Tertulliano τὸ ἐπιφώνημα: *Fides in regula poſita eſt, habes legem, & ſalutem ex obſervatione legis, exercitatio autem in curioſitate conſiſtit, habens gloriam ſolam de peritiæ ſtudio. Cedat curioſitas Fidei, cedat gloria ſaluti. Certe aut non obſtrepant, aut quieſcant adverſus regulam. Nihil ultra ſcire, omnia ſcire eſt*. Romæ e Cœnobio Sanctæ Pudentianæ, Nonis Novembris, anno a Virginis partu MDCXCIII.

Relatio totius Operis quatuor Tomis primæ editionis comprehenſi a doctiſſimo P. Fr. Michaele a S. Joſeph Ordinis PP. Excalceatorum SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum Superiore Generali, nunc Epiſcopo Accitano, accurate deſcripta in ſua Bibliographia Critica &c. Parte I. pag. 143. & ſeqq. Matriti anno MDCCXL.

AGuirræus, prænomine Joſephus, engnomine vulgo Saens de Aguirre Hiſpanus Lucronenſis, Philoſophus præclariſſimus, magnique nominis Theologus, necnon utriuſque juris peritiſsimus, ex Monacho Benedictino, & Abbate Cœnobii S. Vincentii Salmanticæ, in cujus celeberrima Academia publice docuit, Præſideque Generali totius Hiſpanicæ Congregationis, Cardinalis eſt creatus a Ven. Servo Dei Innocentio XI. die 2. Septembris an. 1686. Fertur Joſephum noſtrum Libro a ſe edito, *De Cathedra S. Petri*, adverſus Declarationem Cleri Gallicani publicatum die 19. Martii anno 1682. Salmanticæ in fol. anno 1683. gratiam, ac ſavorem Pontificis magnopere ſibi conciliaſſe. Nec deſuerunt ea tempeſtate homines, qui (an per invidiam neſcio) Opus hujuſmodi Aguirræi ſœtum eſſe negarunt, & Salmanticenſi alii Doctori attribuerunt. At noſter Scriptor eo animi candore præditus erat, qui non illum ſineret tam enorme plagium adeo conſtanter penes ſe retinere; ſemper enim tuitus eſt tanquam ſuam ſcriptionem illam, quæ Purpuram ipſi promeruit. Quidam etiam e contrario Auctori noſtro ſuppoſuerunt *Tractatum de libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ*, quem compoſuiſſe Antonium Carolum natione Gallum, dignitate Presbyterum, proditur in Hiſtoria Operis Eruditorum anno 1696. pag. 426.

Laudat mox, recenſetque Auctor eruditiſsimus varios memorati Cardinalis Libros, ac deinde de Collectione Conciliorum Hiſpaniæ ab eodem edita ita diſcurrit.

Jam vero cum inſignis Purpuratus Collectionem Conciliorum Hiſpaniæ moliretur, præmiſit prodromum Libellum, qui Salm. prodiit in parvo, anno 1686. ſub hac ſcriptione: *Notitia Conciliorum Hiſpaniæ, atque Novi Orbis, Epiſtolarum Decretalium, & aliorum monumentorum ſacræ antiquitatis ad ipſam ſpectantium magna ex parte hactenus ineditorum*. Synopſin ſecuta eſt magni Operis editio quatuor in ſol. Tomis abſoluta, quorum prior Romæ publici juris factus eſt anno 1693.

Inſignis Collectionis ſpecimen exhibuere in Actis ſuis Literatorum Lipſienſes, eorumque analyſin exſcripſere Anonymi Auctores *Magnæ Bibliothecæ Eccleſiaſticæ*; noſque operæ pretium judicavimus eandem hic ſiſtere. Prius autem obſervamus, quamvis Noſter, rationum, & authoritatum monumentis, ac cujuſvis generis conjecturis undique petitis, Decretales Summorum Pontificum S. Iſidoro Hiſpalenſi Epiſcopo vindicare voluerit, fere nihil apud exteros præſertim Scriptores argumentis illis ſuis aſſequi potuiſſe; ſerme enim nullus poſt illa perpenſa opinionem mutavit ſuam, aut probabilem ſaltim judicavit oppoſitam; quinimo vix unus, aut alter ex iis, qui poſt Noſtrum hanc controverſiam verſarunt, dignatur quidem doctiſsimi Adverſarii argumenta ſibi objicere, eaque quoquo modo diluere. Ipſe vero Eminentiſſimus Author cauſa ſua magna ex parte excidere videtur, cum non invitus ſateatur, Decretales illas, quarum Collectorem facit Doctorem Hiſpalenſem, minime nos habere illibatas, & ſinceras, ſed inſigniter corruptas,

& interpolatas. Unde in Diſſertatione III. Excurſu VI. palam affirmat: *Non quidquid in Epiſtolis habetur, probari debere veluti fœtum germanum Pontificum, quibus adſcribuntur, ſed delectu opus eſſe.* Plus certe aliquid auſus fuerat aſſerere, & exſtanti nunc Collectioni tribuere Severinus Binius; hunc tamen plurimum, nimiumque voluiſſe, Noſter pro certo habet; quo conceſſo, victrix fortaſſe videri poterit præcipua adverſariorum intentio, ſita in hoc, quod nolint fateri, germanas, & genuinas eſſe illas Decretales, dignaſque, quæ tribuantur antiquis Pontificibus, quorum nomina præſeferunt. Delectus autem ille, qui exigitur a noſtro Cardinali, etiam ab adverſariis quodammodo neceſſarius agnoſcitur; ex iis enim, qui Orthodoxi ſunt, quibuſque cordi eſt ſumma quædam Apoſtolici culminis auctoritas, non omnia rejiciunt, quæ in priſcis illis Decretalibus continentur; plura enim agnoſcunt vera, Canonica, & legitima Pontificum poteſtate ſancita; plurima Conciliorum, Patrumque ſententiis roborata. Porro minoris momenti quæſtio eſt, an quiſquam ab initio præfatam Collectionem ſubleſta fide confinxerit, an vero eandem prius rite adornatam, nebulo neſcio quis, violarit, interpolarit, corruperit? Hoc ultimum cum Aguirræus ultro fateatur, quod caput controverſiæ eſt, non multum intereſt, ſi Decretales illæ ſint rejiciendæ, vel quia primitus confictæ, vel quia poſtmodum adulteratæ. Hinc Pagius Junior, qui in *Brev. Pontif.* Tomo I. pag. 12. & ſeq. Decretales Epiſtolas uſque ad Syricium genuinas non eſſe, cum omnibus fere Eruditis (ſic ille ait) multis contendit, omnium pſeudigrapharum inſcriptiones in unoquoque Pontifice ſe allaturum promittit, & de facto affert, ne ſcilicet imperitus lector exiſtimet, omnes omnino Romanorum Pontificum Epiſtolas genuinas non eſſe; cum certum ſit, Epiſtolas S. Cornelii, quæ extant inter Opera S. Cypriani; Epiſtolas Julii I. quæ referuntur a S. Athanaſio Apol. 2. Epiſtolas Liberii, quæ a S. Hilario in Fragmentis recenſentur; Epiſtolam Damaſi ad Illyriei Epiſcopos, quam Theodoritus Lib. 2. *Hiſt. Eccleſ.* Cap. 22. exſcripſit, aliaſque ejuſdem Pontificis Epiſtolas apud S. Hieronymum exſtantes; omnes denique veterum Pontificum Epiſtolas, quæ a SS. Patribus, aut priſcis Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scriptoribus referuntur, genuinos eorumdem Pontificum fœtus eſſe. Unus poſt Aguirræum non infimi ſubſellii Scriptor, P. Jo: Sianda in *Lexico Polem.* ejus ſententiam, ſed ipſo nequidem citato, noviſſime complexus eſt, aſſerens, rationes, quæ genuinas eſſe ſuadent, videtur majoris eſſe ponderis, quia controverſas Decretales Epiſtolas, ut vere genuinas agnoſcunt Eruditi Canonum Collectores, DD. Canonici, & Theologi, imo aliqui Pontifices, nempe Leo Magnus, Nicolaus I. & ante ipſos Gelaſius; iiſdem etiam aliquando utitur S. Thomas de Aquino in ſuis Operibus. Subjungit, nec diffitemur, aliquibus in locis eſſe moderni oribus, & ſuſpectæ fidei manibus alteratas, & vitiatas. Vide quæ dicimus ſub voce, *Decretales*.

Siſtamus jam modo magni Operis ſpecimen ex Actis Eruditorum Lipſiæ, ut paulo ante promiſimus. Sub initium ſtatim ipſi monent in Actis an. *1696.* pag. 120. Eminentiſſimum Authorem, mutata paulo animi ſententia, non omnia illa monumenta Operi ipſi inſeruiſſe, quorum editionem in memorato prodromo pollicitus fuerat. Sed viſum illi fuit, pleraque iſtorum amandare in aliud Opus, tum quod, ut ipſe loquitur, minus opportuna fuerint præſenti inſtituto, tum etiam quod illis capiendis vix quinque ingentia Volumina ſufficere potuiſſent. Rerum quoque ordo ab eo, quem olim animo conceperat, nonnihil immutatus. Cum enim in exhibendis Hiſpaniæ Conciliis ad annum uſque *569.* procedere deberet, ex veteri inſtituto Tomus I. ultra Concilium Elliberitanum ille non progreditur; immo quædam ad illa tempora adhuc pertinentia in Tomum II. differuntur.

Ut vero rectius Tomi hujus I. œconomia pateat, ſciendum, poſt Præfationem, qua Operis rationem reddit, & pernicioſam Probabiliſmi doctrinam, nata ſibi occaſione, impugnat (quam etiam ipſum Sfortiam Pallavicinum, magnum eius quondam defenſorem, relicto authentico retractationis ſuæ teſtimonio Nic. Mar. Pallavicino tandem condemnaſſe, ait) veterem Garſiæ Loaiſæ exhiberi Præfationem, ut & rariſſimam Antonii Auguſtini ad Hieronymum Blancam, *De rebus Cæſarauguſtæ Epiſtolam*, &, *De Conciliis Hiſpaniæ* ineditis Dialogum. Succedunt deinde Gaſparis Quirogæ Cardinalis, & Toletani Archiepiſcopi, *De Conciliis Hiſpaniæ Epiſtolæ*; *Chronologia* porro hactenus inedita Conciliorum Hiſpaniæ uſque ad Hiſpaniam a Saracenis occupatam,

patam, & alia Gotthorum Regum, ſub quibus Concilia illa celebrata fuerunt, ex pluribus Codicibus Conciliorum mſs. & ex inedito D. Iſidori de Gotthis Libro, ac Vulſæ Epiſcopi Chronico, veteribuſque nummis concinnata. Adjicitur iſtis Catalogus Pontificum Romanorum, qui ad medium uſque ſæculum IX. Petri, & alius Præſulum, qui prioribus ſæculis Toletanam Cathedram tenuerunt. Hæc excipit novus Cardinalis ad Concilia Hiſpania Apparatus, quo Præſationis, & Collectionis Iſidorianæ Conciliorum, & Decretalium Epiſtolarum ad Hiſpaniam inprimis ſpectantium prolixum ſatis examen inſtituitur. Quod cum præcipuam fere Tomi hujus partem conſtituat, ei aliquandiu immorari neceſſe eſt.

Abit Apparatus ille in tres partes, in quarum prima IX. Diſſertationibus Præſatio Iſidori in ſuam Canonum, & Conciliorum Collectionem illuſtratur. Cum vero Collectio illa a pluribus Eruditis inſigni illi deceptori Iſidoro Mercatori hodie tribuatur: Hiſpalenſi Iſidoro argumentis, ut ait, eam vindicaturus Author noſter, neminem inter Iſidoros, ſive Græcos, ſive Latinos, de quibus erudite diſſerit, extitiſſe, cui Mercatori dicto *Collectio* hæc tribui poſsit, probare nititur. Quod enim Iſidorum Setubenſem ſub finem ſæculi VIII. Epiſcopum Mercatorem cognominat *Chronicon* Juliani, nullius ponderis eſt; nullam enim eſſe illius Chronici auctoritatem, poſt alios Viros doctos, aliquot argumentis denique evincit. Iſidorum itaque Hiſpalenſem Authorem illius Collectionis eſſe concludit, non quidem totius, ſed ad Concilium uſque Hiſpalenſe; quemadmodum eum nec Epiſtolarum Collectorem eſſe, certum ſit; ſiquidem illas, quæ a Gregorii Succeſſoribus ſunt, alium addidiſſe oporteat; imo nec Præſationem totam ab eo eſſe, ex §. illius 18. pateat. Priorem itaque ſaltem, & potiorem partem ab eo eſſe primum ex Vaticano 830. annorum Cod. Collectionis Iſidorianæ, probat, in quo Iſidori Epiſcopi adſcripto nomine Præſatio invenitur; quæ etiam ad verbum in Iſidori *Etymologiarum*, Lib. 6. Cap. 6. exhibentur, niſi quod §. 1. fuerit omiſſus. Accedere, quod eodem in loco Etymologiarum cum de IV. Conciliis Generalibus locutus eſſet Iſidorus, de reliquis poſtmodum nonnulla addat, eorumque geſta in hoc corpore contineri dicat. Indeque manifeſtum Authori noſtro videtur, collegiſſe Iſidorum omnia Concilia eouſque approbata, quæ certe in eo Volumine exſcribenda curaverit, ut proinde alii ſupervenientes, nova ſola poſt mortem eius celebrata addiderint. Omittimus quæ ex Braulionis de Etymologiis Iſidori loquentis loco pro hac cauſa adducit, levibus enim coniecturis ea niti, ipſe fateri cogitur. Cum autem, inquit Braulio, *ſunt & alia ejus Viri multa Opuſcula &c.* nihil vetare exiſtimat, quo minus ad illa referatur iſta Collectio, præſertim cum, teſte Jo: Grial, Cyprianus Suarez invenerit in ipſa Prænotatione Braulionis, in antiquo quodam Codice hæc verba: *In Canonico quoque, & Civili Jure* permaxima compoſuit Inſtrumenta, quibus Collectionem illam Canonum pariter ac apud Sigebertum per Librum, *De Dogmaticis Eccleſiaſticis*, quem is Iſidoro in Libro, *De Viris Illuſtribus*, tribuit, ſignificari contendit. Præcipue autem inniti videtur Hincmari Remenſis authoritati, qui Cap. 12. Epiſt. 7. expreſſe Hiſpalenſi Iſidoro Collectionem Epiſtolarum Pontificum Romanorum a S. Clemente uſque ad S. Gregorium tribuit. Imo & paulo poſt obitum S. Iſidori, & 200. circiter ante Hincmari ætatem annis, celebres fuiſſe Epiſtolas, hinc patere putat, quod Patres Toletani Concilii X. anno 656. & XVI. anno 693. ad quaſdam earum reſpicere videantur. Reſpondet poſtea doctiſſimorum Criticorum, qui aliter ſentiunt, obiectionibus, quæ ſingulatim exequi, ſine prolixitatis vitio licere non arbitramur.

Secunda partis huius primæ Diſſertatio de Canonum Collectionibus Iſidoriana antiquioribus agitur. Apta hic naſcitur, occaſione Dionyſii Exigui, qui L. Canones Apoſtolorum Collectioni ſuæ inſeruit, de ſententia Iſidori circa illos loquendi opportunitas. Hos enim cum in Præſatione Collectionis, prout ea in vulgatis editionibus habetur, probare videatur Iſidorus, cum tamen alibi eos ad apocrypha rejiciat, exiſtimat Author, ea verba fuiſſe aſſuta ab aliquo interpolatore, ſeu corruptore germanæ Præſationis ab Iſidoro editæ. Prolixius illa materia tractatur tota Diſſertatione III. ubi & de authoritate Canonum illorum Apoſtolicorum, propoſitis, & excuſſis in utramque partem argumentis prolixe, & accurato ſtudio diſceptatur. Diſſertatione IV. occaſione verborum Præſationis Iſidorianæ: *Deinde quarundam Epiſtolarum Decreta Virorum Apoſtolicorum*

Inſeruimus, *ideſt*, *Clementis*, *Anacleti &c.* Epiſtolarum Pontificum Romanorum ad Hiſpanos præſertim ſcriptarum examen inſtituitur. Epiſtolis illis neminem ante annum 860. litem intentaſſe, Author tradit; quin potius in ſumma eas apud omnes fuiſſe veneratione, ita ut Riculphus etiam Moguntinus Epiſcopus eas ab Iſidoro collectas, & ex Hiſpania allatas deſcribi, ac in Germania vulgari, teſte Hincmaro Remenſi in Opuſculo ad Hincmarum Laudunenſem, Cap. 24. Coll. Ep. 7. Cap. 12. curaverit. Imo etiam antequam a Riculpho in Germaniam accerſerentur illæ Epiſtolæ, in Galliis jam notas fuiſſe, ſiquidem præcipuæ illarum, & ob quas potiſſimum impetantur, ſententiæ inveniantur totidem pene verbis inter Capitula Hadriani I. Papæ, Tomo VI. Collectionis Conciliorum Labeanæ, pag. 1828. ab Ingilramno Mediomatricum Epiſcopo in Gallias translata circa annum 785. adeoque biennio ante Riculphi Epiſcopatum. Horum mſ. literis Gallicis Nicolai I. temporibus exaratum, in Bibliotheca Vaticana etiam extare, & ex illis ipſis in Capitularia Regum Francorum pleraque translata fuiſſe; quod argumento denuo ſit, in pretio fuiſſe apud Gallos Decretales illas Epiſtolas. In tranſitu hic quaſi exploditur Petri de Marca error, qui judicia Synodorum Provincialium irreformabilia eſſe contenderit. Sed ut ad rem redeamus, conſtare hae ratione arbitratur Rev. Author ad ſæculi uſque IX. dimidium inconcuſſam ſtetiſſe harum Epiſtolarum authoritatem, donec inclinante eodem ſæculo, Hincmarus Remenſis eam, quod appellationi Rotadi Sueſſionenſis, & Hincmari Laudunenſis ad Pontificem Romanum faverent, ſolicitare tentaverit. Nec illum tamen plane eas rejicere auſum fuiſſe, utpote quas ſuſcipiendas eſſe ad inſtructionem venerabiliter dicat, ſed eas ſolum infra authoritatem ſacrorum Canonum collocaſſe. Iſta vero procella tranſacta, non tantum a Pontificibus ſequentis ævi Leone IX. & Innocentio III. ſed ab omnibus Scriptoribus Eccleſiaſticis, Canonumve Collectoribus, Anſelmo, Ivone, Gratiano, & aliis, qui recenſentur, quamplurimis, Epiſtolas illas Iſidorianæ Collectionis allegatas fuiſſe. Examinantur in ſequentibus Magdaburgenſium, Petri de Marca, Hincmari Remenſis, & aliorum contra has Epiſtolas argumenta, quarum porro ex Capitulis Hadriani I. Papæ, Notiſque ad ea Antonii Auguſtini, quem perperam pro ſua opinione Petrus de Marca, & Philippus Labbe allegaverint, oſtenditur. Quamvis autem authoritatem harum Epiſtolarum tueatur Rev. Author, negare tamen non poteſt, pleraſque earum interpolationibus, aliiſque defectibus miſere eſſe deformatas. In corruptionum illarum Authorem peculiari Capite inquirit, quem neque Iſidorum illum Mercatorem, neque Sctubenſem eſſe, ex Diſſertatione I. manifeſtum putat. Theodiſclo Iſidori Hiſpalenſis Succeſſori ut eas tribuamus, Ildephonſum Toletanum perſuadere poſſe ait, qui alia quoque Anteceſſoris ſui Scripta eum in odium Fidei turpiter corrupiſſe dicat. Verum cum ille locus Ildephonſi in Continuatione ad Chronicon Iſidori quædam minime cohærentia, & falſa contineat; eum ab aliquo ſciolo aſſutum, adeoque parum conjecturæ ei innixæ fidendum eſſe perſuaſum Author habet. Et reliquis quidem omnibus contra illam Ildephonſi narrationem objectionibus, quæ ſuſpectam eam reddunt, forte reſpnnderi poſſe monet; illam autem inſuperabilem videri, quod dicatur Theodiſclus, Chriſtum cum Patre, & Spiritu Sancto non unum verum Deum, ſed adoptivum ſolum ſtatuiſſe; id quod omnino falſum ſit. Nec ullam Theodiſcli ſæculo VII. uſque ad medium VIII. ex inſtituto enarrentur. Ipſam itaque de Theodiſclo narrationem adulatoris cujuſdam Toletanorum Præſulum eſſe aſſumentum, qui XII. ſæculo in exemplar Continuationis S. Ildephonſi ad Chronicon S. Iſidori illud intruſerit. Ignotum autem eſſe interpolatorem harum Epiſtolarum tandem concluditur, & huic Diſſertationi, poſtquam Binii quoque ſuffragia pro illis allata fuiſſent, finis imponitur.

Diſſertatio V. tota Petro de Marca, & Stephano Baluzio opponitur, qui illis Epiſtolis antiquatos fuiſſe ſacros priſcæ Eccleſiæ Canones, & novum jus obtruſum exiſtimant; ille Lib. 3. *De Concordia Sacerdotii*, *& Imperii*, Cap. 5. hic in Præfatione Dialogis Antonii Auguſtini anno 1672. Pariſiis cum Notis ab eo editis præmiſſa. Solicite hic Patribus VIII. & IX. ſæculi ignorantiæ, & negligentiæ labes, qua eos Baluzius præcipue adſperſerat, detergitur, opponunturque ei Patres horum temporum, eruditione non minus, quam zelo pro Eccleſiæ diſciplina conſpicui, Gregorius II. Papa, Beda, Damaſcenus, Andreas Cretenſis, Agobardus, Servatus, Lupus, Ado Viennenſis, Hincmarus Remenſis, & alii, qui longo ordine recenſentur. Deinde & Authori errare videtur Baluzius in eo, quod primum omnium Ingilramnum Metenſem

tenſem Archiepiſcopum contra Divinos Canones jus antiquum convellere auſum fuiſſe dicit, quando pro ſui cauſa agebatur; interpoſita nimirum appellatione ad Hadrianum I. Papam, & oblatis ipſi Capitulis collectis ex novitiis veterum Pontificum Epiſtolis. Multo enim, inquit Noſter, antea Hadrianus, Capitula prædicta tradiderat Carolo Magno, anno ſcilicet 774. quod conſtat ex Tomo VI. Collectionis Labbeanæ Conciliorum, col. 1800. Deinde autem multis poſt annis idem Hadrianus tradidit Capitula Ingilramno anno 785. quando pro ſui negotii cauſa agebatur, ut habetur Tomo citato VI. col. 1828. ut diu adeo ante litem Ingilramni, inductum fuerit jus, Baluzii opinione novum. Omnium enim illorum ſæculorum Pontificum hiſtoriam percurrit, & ſub illis nihil tale commiſſum, quale cum Marca Baluzius objecerit, oſtendit. In ſpecie vero ſub Nicolao I. ex iſtarum Epiſtolarum collectione novum obtruſum jus haud fuiſſe, Diſſertatione VI. tota probare nititur; Nicolaique in cauſa Rotadi, & Hincmarorum procedendi modum, e Cabaſſutio potiſſimum vindicat. Jus enim Epiſcoporum appellandi ad Sedem Apoſtolicam a Synodis Provincialibus, in hiſce Epiſtolis, præcipue vero Melchiadis Papæ, ad Epiſcopos Hiſpaniæ ſtabilitum quod attinet, non novum illud fuiſſe, Author Diſſertatione VII. contendit; utpote quod ipſe alieno licet ab Eccleſia Ramana animo, agnoſcat, iſtudque appellationis forum Occidentalibus Epiſcopis concedat Balſamon in Nota ad Canonem III. Sardicenſem. Orientales vero etiam ad Sedem Romanam appellare ſolitos fuiſſe, ex Montani Floriani, & Blaſti Hiſtoria apud Euſebium, Hiſtoriæ Lib. 5. Cap. 15. & 18. ut & Praxeæ apud Tertullianum Lib. 1. adverſus Praxeam, patere ſibi perſuadet. Prolixi eſſemus nimis, ſi omnia hujus rei exempla, & teſtimonia ab eo allata recenſeremus. Inſiſtit tamen præcipue Canoni IV. Concilii Sardicenſis, quem ſemper Pontifices, qui poſt illud Romanam Sedem tenuerunt, in praxi ſua obſervaſſe, oſtendit. Indeque merito etiam Nicolaum I. contra Hincmarum Remenſem, qui in Rotadi Romam appellantis locum, alium ordinaverat, eum tueri, non vero novum, ut Baluzius putat, jus invehere voluiſſe tradit.

Diſſertatione VIII. materiam ei dedere verba Præfationis Iſidori, quibus Capitulorum Concilii Nicæni numerum vicenario majorem facere videtur, quod cum Eruditorum fere omnium opinioni contrarium ſit, utriuſque partis, tam Iſidori ſcilicet, quam eorum, qui aliter ſentiunt, argumenta proponit. Et Iſidori quædam levia quidem eſſe fatetur, firmiora tamen etiam nonnulla ipſi videntur, quæ confirmat, & nova aliqua illis addit. Inter poſtrema inſuperabile fere eſſe judicat, quod ex Julii I. & Leonis I. Pontificum Romanorum duabus Epiſtolis depromit. In priori enim, quam refert Athanaſius in Apologia 2. Julium meminiſſe Decreti cujuſdam Concilii Nicæni de priori Concilii Actis in poſteriori Concilio examinandis, indeque probare, rite ſuſceptam fuiſſe a Sede Apoſtolica cauſam Athanaſii, poſt judicium Tyriæ Synodi. At nihil eiuſmodi legi inter XX. Canones Nicænos nunc exſtantes; unde alium ab iis Canonem initio Nicææ editum fuiſſe pateat; quod & allegata Leonis Epiſtola, quæ ſcripta ſit ad Theodoſium Juniorem, confirmet; utpote in qua eadem e Nicænis Canonibus allegentur. Equidem reſpondet ad poſteriorem locum Petrus de Marca, nomine Canonum Nicænorum intelligi Sardicenſis; vero obſtare illi exceptioni Epiſtolam Julii, Author monet, quæ plane eundem Canonem citet; & ne effugiis locus ſit, in magna Synodo eum Nicææ ſancitum dicat; quo nomine ſolam Nicænam Synodum, apud veteres vocari, nemo ignorat. Ut taceamus expreſſe a Leone quoque nominari *Canonum Nicææ habitorum Decreta, quæ a totius Mundi Sacerdotibus conſtituta ſint*; quod itidem in Sardicenſem Synodum neutiquam quadrare Authori videtur. Ne autem Julius etiam errare dicatur, pro Sardicenſi Concilio Nicænam allegans, appellationem Athanaſii ad eum, cuius occaſione Epiſtolam illam ſcripſerit, ante Sardicenſem Synodum factam fuiſſe, ex Theodoreti Hiſtoria Eccleſiaſtica, Lib. 2. Cap. 4. aliiſque argumentis oſtenditur. Prætereamus alia antiquitatis teſtimonia, quibus verum numerum Nicænorum Canonum vicenario maiorem fuiſſe nititur (licet ſuppoſititios Canones a Turriano, & Abrahamo Ecchellenſi reliquis ex Arabico adtextos rejiciat) ut & ea, qui de judiciis Provincialium Synodorum contra Petrum de Marca prolixius diſſerit; ad ultimam enim primi hujus Apparatus Partis Diſſertationem pergendum.

In ea de Conciliis Hiſpaniæ, prioribus tribus ſæculis a Jacobi Apoſtoli Diſci-

Diſcipulis congregatis, agere conſtituit. Cum enim nec in Iſidorianæ Collectionis ms. aliquod Eliberitano antiquius Concilium invenerit Garſias Loaiſa, nec in editis ullis Collectionibus tale compareat, & tamen nonnulli eorum, qui poſt annum 1584. Hiſpaniæ res deſcripſerunt, plurima Toleti præſertim, & Hiſpali ante illud celebrata commemorent, operæ pretium viſum fuit, in horum hiſtoriam inquirere. Et primo quidem de Concilio, quod Iliberi ſub Aloto Neronis Judice ſæculo primo coactum Lucius Dexter ait, agitur, ut de alio in Cherronenſi Urbe prope Valentiam eodem ſæculo habito. De illis tamen Conciliis præter Dextri Chronicon, nulla allegari monumenta videmus, quod licet ipſi Reverendiſſimo Authori ſit ſuſpectum, ob Neronianæ tamen perſecutionis in Hiſpaniis tum ſævientis (teſte notiſſimo Hiſpaniæ marmore, Neroni ob Provinciam latronibus, & his, qui novam generi humano ſuperſtitionem inculcabant, purgatam ſacrato) furores, firmandæ Fidei gratia, Concilium fuiſſe coactum, non improbabile illi videtur. Cum vero a Jacobi Diſcipulis Concilia illa celebrata Lucius Dexter addat, illa occaſione ad examinandum Jacobi in Hiſpania adventum delabitur, quem conſtanti Patrum a ſæculo II. ad XIII. traditione ex inſtituto confirmat. Dubitaſſe quidem de illo Jacobi ad Hiſpanos Apoſtolatu ipſum Baronium in Annalibus fatetur (licet antea in Martyrologio eum confirmaſſet) ſed iis præcipue ſeductum, quæ apud Garziam Loaiſam de contentione inter Rodericum Toletanum Archiepiſcopum ab una, & Braccarenſem Tarraconenſem, ac Compoſtellanum Archiepiſcopos ab altera parte in Concilio Lateranenſi Generali anno 1215. celebrato circa Primatum Eccleſiarum Hiſpaniæ, relata vidit, in qua Rodericus illum Jacobi in Hiſpanias adventum negaverit. Verum Baronianum iſtud fundamentum jam evertit, totamque illam concertationem confictam eſſe oſtendit, præter Franciſcum Macedo, Marchio Mondexarenſis Libro anno 1682. Hiſpanico idiomate in lucem edito, *De prædicatione S. Jacobi in Hiſpania*. Nec quidquam poſt Baronium attuliſſe Natalem Alexandrum Eminentiſſimus Author exiſtimat, ad quod in modo laudato Opere reſponſum non fuerit. Repetit tamen interea ejus pariter, ac reliquorum Adverſariorum objectiones præcipuas, & reſponſiones ad illas ſolicite ſubnectit. Quo facto, ad Concilia primorum ſæculorum, de quibus agere cœperat, redit; de quibus tamen cum ex aliis monumentis, quam ſuſpectis, Dextri, Maximi, Helecæ, Luitprandi, Juliani Perez, & Hauberti Hiſpalenſis Chronicis, ipſo agnoſcente, nihil conſtet, non eſt, cur illis ulterius immoremur, quin ad ſecundam potius Apparatus partem tranſeamus.

Hæc tota vindicandis, & illuſtrandis Summorum PP. Iſidorianæ Collectionis ad Hiſpanos Epiſtolis, quas una exhibet, impenditur. Abſolvitur autem Diſſertationibus V. quarum I. quæ X. eſt, numeratis omnibus Apparatus Diſſertationibus, Anteri Papæ ad Bœticæ, & Toletanæ Provinciæ Epiſcopos Literæ contra Criticos modernos, Ferdinandum in primis de Mendoza, qui Lib. 1. in Concil. Eliberit. Cap. 3. eas impugnavit, defenduntur. Cumque in illis translatio Epiſcoporum ab una Sede in aliam ſtabiliatur (unde etiam Emmanuel Schelſtratius argumentum ad impugnandas illas deſumpſit; quod totis novem prioribus ſæculis conceſſam eam haud putet fuiſſe) occaſio inde Authori naſcitur tota Diſſertatione XI. de illa translatione agendi, quam, niſi temere fiat, licitam tum fuiſſe, exemplis ex Auxilio, Nicephoro, Toletanoque Concilio X. XII. & XVI. petitis, ut ex quamplurimis ſæculi VII. Canonibus, & Decretis Romanorum Pontificum confirmare, nititur. Diſſertatione vero XII. de translationibus Epiſcoporum, ambitione, aut avaritia ſuadente factis agit, quas quam tum Anteri Literæ, tum alii quoque Eccleſiæ Canones ſevere prohibeant, fuſe demonſtratur. Idque ex doctrina Romanæ Eccleſiæ de conjugio ſpirituali Epiſcopi cum ſua Eccleſia confirmatur, cauſis indicatis, quæ legitimam translationem reddere queant; & in Diſſertatione ſequenti XIII. Lucii Epiſtola ad Galliæ, & Hiſpaniæ Epiſcopos vindicatur. Difficillimum eſt, quod ei opponitur ex ſubſcriptione argumentum, ad quod tamen ita reſpondet Author, ut cum Chronotaxi tam Baronii, quam Onuphrii Panvinii, & aliorum eam conciliet, ſive ſecundum, ſive tertium Galli, & Voluſiani Conſulatum pro hypotheſium diverſitate in illa intelligens. In Diſſertatione denique XIV. *De Baſilidis & Martialis cauſa*, ex Cypriani Epiſtola ad Felicem Presbyterum, & Lælium Diaconum, primum agit, de qua prolixe Baronii verba allegat; in quo tamen non probat,

bat, quod Felicem Cæſarauguſtæ faciat Epiſcopum, quem Felicem quidem de Cæſarauguſta in allegata Epiſtola Cyprianus vocaverit, non Epiſcopum tamen, ſed Presbyterum dixerit. Manifeſte enim duos Felices a Cypriano diſtingui, quorum ille, quem de Cæſarauguſta dicit, nonniſi eius Urbis Preſbyter fuerit, alter vero Legionenſis forte, vel Aſturicenſis Epiſcopus, propterea quod cum Sabino in Baſilidis, & Martialis locum, quorum ille Legionenſem, hic Aſturicenſem Sedem, antequam condemnarentur, tenuerant, ſubrogatus fuiſſe videatur. Porro Epiſtola Cypriani allegata cum paucis quibuſdam Notis exhibetur, qui Xyſti II. Dionyſii, & Eutychiani ad res Hiſpaniæ pertinentes Epiſtolæ ſubnectuntur, vindicanturque. De poſtrema fatetur, eam, prout nunc iacet, nonniſi difficillime defendi poſſe; ſcriptam tamen ab Eutychiano contra hæreſim Pauli Samoſeteni probabile eſſe putet; tametſi nec id inficiatur, vehementemque ſuſpicionem eſſe, quod interpolata poſtmodum ab ipſo fuerit.

Apparatus denique Pars tertia ea, quæ ordinem in Conciliis Hiſpaniæ ſervandum, Viam item Regiam, & Exhortationem ad Regem, quæ tria in Collectionibus Conciliorum tum mſs. tum excuſis, præmitti ſolent, exhibet, quæ unica, & xv. quidem Diſſertatione a Rev. Authore illuſtrantur.

Apparatu hac ratione finito, Ferdinandi de Mendoza (qui delicatius licet a parentibus, Jo: Hurtado de Mendoza, & Agnete a Ribera, Ducibus *dell'Infantado*, & *de Alcalà* progenitis, eſſet educatus, ad ſummum tamen eruditionis pervenit faſtigium, Diſputationibus, *De pactis*, anno 1586. editis, & ab eo juvene admodum conſcriptis etiam clarius) *de Concilio Illiberritano confirmando ad Clementem VIII.* Libri tres exhibentur integri. Illis præter Garſiæ Loaiſæ in idem Concilium Notas, Biniique, Gabrielis Albaſpinæi, & Emmanuelis Gonzalez Tellez Obſervationes, quæ iam olim typis excuſæ fuerunt, etiam novæ Authoris noſtri adjiciuntur. Finire ſic liceret noſtram de primo hoc Tomo relationem, niſi ex poſtremis ſpecimen aliquod menſæ quaſi ſecundo loco Lectoribus noſtris apponendum eſſe cenſeremus.

Inter Epiſcopos itaque, quorum nomina Illiberritano Concilio præmittuntur, primo ſtatim loco comparent Felix Accitanus, & Sabinus Hiſpalenſis Epiſcopi. Eſſe illos eoſdem cum iis, quorum in paulo ante memorata Epiſtola ſua mentionem fecit Cyprianus, Binii fert ſententia. Verum aliter Authori noſtro videtur. Illos enim in Legionenſi, & Aſturicenſi Epiſcopatibus Baſilidi, & Martiali Libellaticis ſubrogatos fuiſſe. Quomodo autem, inquit, credi poteſt, eoſdem fuiſſe poſtea translatos ad Accitanam, & Hiſpalenſem Eccleſiam? Nec enim illo tempore in Occidentali Eccleſia translationem illam fuiſſe in uſu, nec aliquam illo tempore huiuſmodi translationis deprehendi neceſſitatem; nec probabile eſſe, duos illos Viros, Cypriani ætate, ordinatos Epiſcopos ad annum uſque 303. quo celebratum fuit ex mente ejus hoc Concilium, vitam extendiſſe. Patricium Malacitanum Epiſcopum, cuius nomen inter eos, qui Concilio huic ſubſcripſerunt, etiam extat, eundem cum Patricio celebri Hibernorum Apoſtolo exiſtimantes, miſeratione potius, quam refutatione dignos eſſe monet. Theodiſclum illum, cui tribuitur falſatio Iſidoriani, *De Scriptoribus Eccleſiaſticis*, Libri, & inter alias ea quoque, quæ ad denigrandam Oſii famam, in eo reperitur, nunquam extitiſſe, ſupra Author docuerat; illam igitur de Oſio, ejuſque exitio miſerabili fabulam a Marcellino ſchiſmatico inventam videri putat, poſteaque in Librum Iſidori irrepſiſſe. Id vero prætereundum minime arbitramur, quod Author candide moneat, fraudibus, & falſationibus innumeris ſcatere *Pſeudochronica* illa, Dextro, Maximo, Helecæ, Luitprando, & Juliano Perez a P. Hieronymo Roman de la Higuera, omnium illorum artifice, & totius Eccleſiaſticæ Hiſpaniarum Hiſtoriæ, quantum in ipſo fuerat, corruptore ſuppoſita. Quemadmodum & in Tamayum de Salazar invehitur, qui ex turbidis illis, & fœculentis lacunis figmenta innumera in Martyrologium ſuum Hiſpanum derivaverit; imo qui non contentus aliena venditare commenta, de ſuo plurima adjecerit, & Maximo, aliiſque Viris graviſſimis affinxerit ſcripta, quæ tamen partim ab ipſo, partim ab aliis eius convictoribus in domo Illuſtriſſimi D. Didaci de Arce Reynoſo, abſque ullo ingenio compoſita fuerint. Sed ut ad alia progrediamur, ſubdubitaverat Mendoza in Commentariis ad Canonem Illiberritanum 33. an Paphnutius ille, qui in Concilio Nicæno iis indulſit

uſum

uſum matrimonii, qui nuptias rite contraxerant ante Sacrum Ordinem ſuſceptum, cum eo, qui poſtea in Melitianorum hæreſim lapſus eſt, teſte Epiphanio *Hæreſi 68.* idem ſit? Diverſos exiſtimat Author, quod nihil eorum, quæ de illo Ruffinus, Theodoretus, Sozomenus, & Nicephorus narrant, de hoc ab Epiphanio referatur. In Nota ad Canonem Illiberritanum 34. ubi de cereis in cœmeteriis per diem non incendendis agitur, docte oſtendit, ante ſæculum XI. in Templis cadavera Fidelium non fuiſſe ſepulta, ne ipſorum quidem Regum, & Imperatorum, & de cereorum quoque ad eorum ſepulchra uſu differit. Contra Joannem Morinum, qui Lib. 8. Cap. 23. *De Sacramento Pœnitentiæ*, adductis aliquot Patrum locis, Sacramentum iſtud a Diacono in neceſſitatis caſu adminiſtrari poſſe exiſtimat, oſtendit, loca illa Patrum nihil aliud probare, quam quod abſente Sacerdote, & urgente extrema neceſſitate, ex delegatione Epiſcoporum audiverint lapſorum confeſſiones quandoque Diaconi; non ut illos abſolverent, ſed ut veram eorum contritionem explorarent; qua cognita, in articulo mortis pacem ipſis dare, ac ſubinde Euchariſtiam adminiſtrare potuerint.

Cæterum ſicut diſciplinæ Eccleſiaſticæ Rev. Author eſt ſtudioſiſſimus, cujus reſtaurationem hoc Opere præcipue animo agitaſſe videtur; ita nullus Hierarchiæ gradus eſt, qui ſua paſſim hic non inveniat monita. Duo faltem adhuc, quæ Miſſionarios ſpectant, loca allegare liceat, quorum altero reprehendit eos, qui Quadrageſimalem Orientalium Eccleſiarum improbare ſuſtinent; altero eos, qui nimium faciles ſunt in admittendis ad Baptiſmum infidelibus nondum ſatis inſtructis &c.

Nunc ad Tomum II. progrediamur. Prodiit iſte anno 1694. cuius conſpectum exhibent Acta Lipſiæ anno 1696. pag. 165. In eo quoque primo ſtatim loco Diſſertationes aliquammultæ occurrunt, quarum argumenta indicabimus. Prima Concilii Eliberitani tempora inveſtigantur, circa cuius ætatem inſigniter errare Eminentiſſimo Authori videntur Anglorum nonnulli ad annum Chriſti 1200. & Magdaburgenſes ad annum 700. illud referentes. Tolerabilior eſt ex eius mente Jo: Vaſæi error, qui anno Chriſti 338. & Garſiæ Loaiſæ, qui cum Antonio Auguſtino, & aliis, eodem cum Nicæno Concilio tempore, aut paulo poſt, anno nempe 324. illud celebratum eſſe ſtatuunt. Verum ut alia taceamus, quæ poſtremorum quoque ſententiæ opponit, errare plane illi videntur, quod Eliberitanam Synodum eodem cum Nicæna tempore, vel paulo poſt coactam dicant, & tamen eam ad annum 324. referant, cum anno demum 325. Nicænum Concilium ſit celebratum. Et licet etiam anno 324. Nicænos Patres conveniſſe aliquis largiatur, vix tamen viam iniri poſſe exiſtimat, qua Oſius Nicææ ſimul, ubi Concilio eum Apoſtolicæ Sedis nomine præſediſſe credit, & Iliberi eodem anno præſens ſiſtatur, præcipue cum integrum triennium duraſſe Nicænam Synodum Anonymus apud Lipoman. Tomo VI. Gelaſius Cycicenus, Nicephorus, & Caſſiodorus probabile reddant; & finito illo, Gangras quoque Oſium abiiſſe ad congregatum ibi Concilium conſtet. Rectius itaque antiquiorem Nicæna Eliberritanam Synodum exiſtimat, cujus rei tum alia ei ſuppetunt argumenta, tum id præcipue, quod quamplurimi ejus Canones maniſeſtum reddant, eo, quo illi condebantur tempore, crudelem ethnicorum perſecutionem in Chriſtianos viguiſſe, adeoque Maxentium Tyrannum nondum victum, nec pacem Eccleſiæ, quod anno Chriſti 313. ſeptimique Conſtantini factum denique eſt, redditam fuiſſe. Baluzii inde curruere ipſi videtur ſententia, qui ante Nicænum quidem Concilium, in media tamen Eccleſiæ pace Patres Illiberitanos congregatos fuiſſe putat; parum enim facere ad eam ſtabiliendam id ait, quod in Concilio etiam Valentino, & Arelatenſi II. imo & Ancyrano, pacis temporibus licet celebratis, Canones tamen contra lapſos in perſecutione habeantur. Iſtorum enim Conciliorum Canonibus manifeſte præteriiſſe perſecutionis procellam indicari, adeoque iis, qui lapſi in ea fuerant, pœnitentiæ diſciplinam deſcribi cenſet; cum contra Illiberritani Patres pœnam ſtatuant iis, de quibus, ne perſecutionis tum maxime furentis vi flecterentur, erat metuendum. Conſtare itaque ex hiſce ſibi perſuadet, ante pacem a Conſtantino M. Eccleſiæ redditam, celebratum Illiberi Concilium fuiſſe, eo tamen non contentus, accuratius ejus tempora inveſtiganda credit, quæ poſtquam varias aliorum opiniones adduxiſſet, in annum Chriſti 303. incidiſſe ſtatuit, quo anno, ipſa Dominicæ Paſſionis die, juxta Euſebium, Diocletiani, & Maximiani Edictum

de

de nova perſecutione publicatum fuit; ſequentium omnium perſecutionum nullam ad Hiſpanos pertigiſse exiſtimat. Menſe autem Majo illius anni, hoc eſt, ſimul ac in Hiſpaniis innoteſceret Edictum illud, celebratum Concilium fuiſse, inde colligit, quod anno illo præcipite nimis violenta iam fuerit, adeoque Concilium celebrari vix permiſerit perſecutionis tempeſtas, utpote qua haud paucos, qui ſubſcripſerunt ei, abreptos illo tempore fuiſse, conſtet, cui conjecturæ eo plus tribuit, quod in vetuſto etiam Eccleſiæ Urgellenſis Codice Idibus Maii Illiberitanum Concilium cœpiſse affirmetur. Omittimus quæ poſt iſta contra paradoxam Joannis Morini ſententiam diſputat, qui Lib. 9. *De Pœnitentia*, Cap. 19. Epocham huius Concilii ad dimidium ſæculi III. vel paulo poſt referre auſus eſt; illam enim ex Oſio, aliorumque, qui ei interfuerunt, ætate, abuode, ſi alia argumenta vel maxime deeſſent, confutari poſſe exiſtimat.

In Diſſertatione II. de Conciliis Illiberitano poſterioribus intra, & extra Hiſpaniam præſente Oſio celebratis agit. Præcipua inter illa ſunt Cordubenſe, quod ex Synodico Libello a Labbeo Tomo 2. col. 91. edito nobis innoteſcit; item Arelatenſe, Alexandrinum, Nicænum, Gangrenſe, Sardicenſe, & Sirmienſe poſterius. Præcipue in poſtremo hoc prolixior eſt, utpote ſibi Oſii ob ſubſcriptionem multis valde ſuſpecti cauſam ſibi vidit eſſe perorandam, quam ſuſe examinatis Patrum pro & contra Oſium teſtimoniis viciſſe ſibi plane videtur. In III. Diſſertatione Concilia Hiſpaniæ ante, & poſt Illiberitanum celebrata recenſet, quorum tameo neque apud Iſidorum, neque alibi uſpiam, præterquam in confictis Dextri, Maximi, Luitprandi, Helecæ, & Juliani Perez Chronicis, aliqua extat mentio. Apparate hic iterum de ſtolidis illis Chronicis, eorumque parente Hieronymo Roman de la Higuera agitur. Nec poſſunt non Lectoribus gratiſſimi eſſe ampli Nicolai Antonii de initio, progreſſu, & interitu horum Pſeudo-chronicorum loci, quos ex ineditis ejus chartis integros hoc loco inſeruit. Fuit namque apud Nicolaum Antonium ipſum primum Chronici Dextri exemplar, quo ab initio uſus fuit Higuera, ſed diverſiſſimum illud ab editis erat, utcumque ſcilicet, ut Author noſter loquitur, tolerabile, longeque minus ſabuloſum. Id tamen memoraſſe haud forte pœniteat, affecta reliquiſſe, præter memorata iſta Pſeudo-Chronica, Higueram quamplurima ejuſdem farinæ Opera, quæ lucem nondum aſpexerunt. Talia ſunt fragmenta S. Athanaſii primi Cæſarauguſtani Archiepiſcopi, Iſidori Pacenſis *Epitome temporalis*, & *Additiones Joannis Ægidii Zamorenſis ad Chronicon Juliani*. Imo ne imitatores deſint Higueræ fraude non multum ejus commentis abſimili, circa medium ſæculi XVII. ſub Hauberti Hiſpaleoſis nomine, *Chronicon* quibuſdam obtruſum fuit ab Antonio Zapata, ſeu, quod verum ejus nomen erat, Antonio Lupiano, Catalauno, pulſandis organis in Patria addicto, & qualicumque rerum Hiſpanicarum peritia tincto, qui illud in Bibliotheca S. Dionyſii Pariſienſi jactabat, quod tamen nihil aliud erat, quam *Chronicon Euſebii* cum *Continuatione Hieronymi*, litteris Gotthicis ſcriptum; quam fraudem mature Viri in Hiſpania eruditi, a quibus ſtudioſe tamen iſtud ſuum Chronicon Lupianus occultabat, manifeſtum reddiderunt. Nihilominus Pſeudo-Haubertus invenit, qui multis vægrandibus eum illuſtrandum, tuendumque ſibi ſumeret Voluminibus, Gregorium Argaiz Benedictinum, quem tamen ſimplicitatem ſuam ſatis opere iſto prodidiſſe, nemo facile diffiteatur. Mittimus reliqua, quæ ad Chronicorum iſtorum hiſtoriam ſacientia adducit, quorum tam Propugnatores, quam Adverſarios ſtudioſe recenſet, omnemque plane illis fidem, & authoritatem abjudicat.

Diſſertationi IV. occaſionem ipſi dederunt Melchiadis Papæ ad Hiſpaniæ Epiſcopos Literæ, quas poſtquam ex mſs. quibuſdam denuo correctas una cum Binii Notis exhibuiſſet, prolixam ſatis de fide earum diſceptationem inſtituit. Ordinariis fere illis reſponſionibus eas tuetur, quod, ſiquæ ex Scriptoribus junioribus in iis deprehendi alicui videatur, illa æquo jure ab his ex Melchiadis Epiſtola deſumpta dici queant, quam ab hujus Epiſtolæ Authore ex iſtis, notatio temporis vero, quæ objici ſolet, incerta ſit, & corrupta. Succedunt inde pauciſſima de Concilio Cordubenſi ſub Oſio celebrato, quibus ſubjecit tres Paciani Barcinonenſis ad Sympronianum Novatianum, quibus a Novatianiſmi ſuſpicione abſolvi Illiberitanos Patres, & reliquos Hiſpaniæ eo ævo Epiſcopos exiſtimat, Epiſtolas; ejuſdemque Parænеſin ad Pœnitentiam, quam

quam pariter ac Epiſtolas Notis quibuſdam, & Obſervationibus illuſtrat. Proximum locum iis, quæ ad Concilium Cæſarauguſtanum ſpectant, conceſſit. Illud anno 381. qui fuit Damaſi 15. Gratiani Imperatoris 15. celebratum fuiſſe, duo præcipue ei argumenta perſuadent; primum, quod eo ipſo anno coactum fuerit Concilium Aquileenſe, cui Hiſpania ob Priſcillianum, in cujus cauſa congregabatur Cæſarauguſtæ Synodus maxima tempeſtate jactata, ne quidem per Legatos intereſſe potuit. Alterum, quod circa hæc tempora, teſte Severo Sulpitio, in Hiſpaniam venerint, ibique veneno ſuo Priſcillianum infecerint Gnoſtici, ex Ægypto, delatore Epiphanio, expulſi. Canonem huius Concilii tertium, quo domum afferre Sacram Euchariſtiam Chriſtianis interdicitur, contra Priſcillianiſtas latum ſtatuit. Illi enim accedentes ad Eccleſias, ne detegerentur a Catholicis, accipiebant manibus Euchariſtiam more aliorum, non comedebant tamen, ſed domum, ad ſuperſtitiones ſuas ea abuſuri, aſportabant. Ut corruat adeo J. C. Bulengeri ſententia, qui in Diatriba III. adverſus Caſaubonum propter Judæos, & Saracenos in Hiſpania tum latentes, Canonem illum promulgatum eſſe exiſtimavit. Syricii porro Papæ ad Himerium Tarraconenſem Epiſtolam exhibet, quam tota Diſſertatione V. illuſtrat.

Putat, eam præ omnibus aliis maxime puram ad manus noſtras ideo veniſſe, quod teſte Continuatore Pontificalis Damaſi per univerſum Mundum, ac per omnes Provincias conſtitutum ſuum de omni Eccleſia (quo Epiſtolas ejus, & inter eas hanc ad Himerium vult intelligi) diſperſerit, *ut in omni Archivo Eccleſiæ conſervaretur*. Syricii Epiſtolam excipit Concilium Toletanum I. quod præter Canones varios, Regulam Fidei quoque promulgavit, in qua notari cupit, quod de Spiritu Sancto dicatur, eum a Patre Filioque procedere; hoc enim in nullo præcedentium Symbolorum dictum fuerat, neque in ulla ſequentium Synodorum Generalium, quæ IV. Lateranenſem præceſſerunt, fuit declaratum. Hic quoque obſervatione dignum hic judicat, recte non facere eos, qui condemnatos, in illa Fidei Regula, ſeptimo, & decimotertio loco errores, eoſdem cum Eutychianis poſt hoc Concilium demum ortis eſſe invenientes, eam non integram a PP. Toletanis prolatam eſſe judicant, ſed poſtea illi quædam adjuncta fuiſſe ſtatuunt juſſu Leonis, qui Epiſcopis Hiſpanis injunxerit, ut Regulam ipſam mitterent ad Balconium Epiſcopum Gallæciæ publicandam in Concilio Celenenſi. Debilem enim eſſe hanc conjecturam, ex Exemplaribus Profeſſionum, quibus illi errores tanquam a Priſcilliano propalati in hoc Concilio Toletano I. a Dictinio & Symphoſio abjurantur, maniſeſtum eſſe exiſtimat. In Nota ad Canonem XVII. huius Concilii, quo ne a communione repellatur, qui pro uxore concubinam habet, ſtatuitur, per communionem, non Euchariſtiam, ſed Eccleſiaſticam, & eiuſdem vult intelligi, quam acceptionem vocis illius non infrequentem in Hiſpaniæ Conciliis eſſe monet. Quod ſi tamen quis uſitatiori vocis ſignificationi inhæreat, concubinæ nomine, veram, & legitimam uxorem, ſed ſine dote ductam ſignificari cum Binio ait. De Epiſtola Innocentii, quam velut ad Synodum hanc exaratam exhibet Loaiſa, ita ſentit, ut non ad ipſam Synodum, quæ anno 400. fatentibus omnibus, celebrata ſit (cum Innocentius non ante annum 402. Cathedram Petri occupaverit) ſed ad Epiſcopos, qui ei adfuerant, aliquot annis poſt, ob motas poſt Concilium controverſias, aut ad aliud Concilium Toleti poſtea ſub Pontificatu eius celebratum, ſcriptam fuiſſe dicat. Subſcriptiones huius Concilii occaſionem Diſſertationi VI. dederunt, in qua de Toletanis Præſulibus, eorumque in Hiſpania Primatu, & eius origine fuſe diſſeruit.

Ut autem eo rectius ſequentium Hiſpaniæ Conciliorum percipiatur hiſtoria, inſerit hoc loco Idatii Chronicon, & Faſtos una cum Iſidori Hiſpalenſis Chronico Gotthorum. Concilium inde Braccarenſe ſequitur circa annum 411. celebratum, & Epiſtolæ paulo poſt hoc tempus, nimirum anno 431. ob inſurgentem tunc Neſtorianiſmi hydram exaratæ, quarum prior Vitalis & Conſtantini ad Capreolum Epiſcopum Carthaginenſem, altera Capreoli ad præcedentem eſt reſponſoria. Concilii Hiſpaniæ generalis ann. 447. ſuaſu Leonis Papæ congregati nulla alia extant monumenta, præter Regulam Fidei in Concilio Toletano iam promulgatam, in quam Variorum Notas, & Obſervationes Author exhibet. Epiſtolam Leonis Papæ eo tempore ad Turibium datam, non ad Turibium Sedis Apoſtolicæ Notarium pertinere docet, ſed

Aſtu-

Google

Aſturicenſem Epiſcopum, a quo etiam diſtinguendus ſit, 80. annis eo poſterior Turibius, ab Ildephonſo in Libro, *De Viris Illuſtribus*, memoratus, ut & alius Turibius, qui Alphonſi cognomento *Caſti* Hiſpaniæ Regis temporibus floruit. Quæ inde ſequuntur variæ, tum Hiſpanorum Epiſcoporum, tum Romanorum PP. ad eos Epiſtolæ ad annum uſque 492. a nobis nunc prætermittuntur, necnon Concilium Tarraconenſe, & Gerundenſe cum quinque Hormiſdæ Papæ ad Epiſcopos Hiſpanos Epiſtolis, ad quarum ultimam ſolicite obſervat, Orientalium Epiſcoporum nævos, & errores; ut nempe inde infallibilitas Romanæ Cathedræ adſtruatur, in qua ſola nihil labis oſtendi poſſe, quo eſt in eam Rev. Cardinalis ſtudio, exiſtimat. Concilium Toletanum II. cum Loaiſa anno 527. coactum fuiſſe ſtatuit, indeque Baronium, & Binium, qui ad annum 531. illud referunt, corrigit; in eo autem a Loaiſa quoque abeundum ſibi putat, quod in tempora Joannis II. Papæ, qui tamen anno præcedenti prope Ravennam in exilio obierat, illud incidere ſibi perſuadeat. Non eſt, cur multum immoremur ſequentibus ad Concilium uſque Toletanum III. anno 597. celebratum, Synodis, & Synodicis monumentis; in hoc vero tum notatu digna occurrant oppido multa, inhærere forſan ei aliquantiſper licebit.

Corrigit hic ante omnia errorem, quo omnes præcedentes Concilinrum editiones, ne Labbeana quidem excepta, commaculatæ fuerunt, dum ſub Gelaſio II. celebratum hoc Concilium dicunt; cum manifeſtum ſit, ſub Pelagio II. id factum eſſe, ipſeque Labbeus, & reliqui Editores agnoſcant anno 589. (quo Pelagius II. Romæ ſedit) hoc Concilio fuiſſe inſignem; unde etiam non ipſis, ſed typographis hujus erroris dicam ſcribendam eſſe ſtatuit. Deinde integra Diſſertatione (quæ Diſſertatio huius Voluminis eſt VII.) inquirit, quo ſenſu Canon huius Concilii XI. peccatoribus poſt pœnitentiam lapſis reconciliationem negaverit. Præteriit ſine ulla animadverſione Canonem illum Loaiſa, & ceteri, qui Canones Conciliorum illuſtrarunt, forte difficultate eius perterriti; tantam enim eam eſſe Eminentiſſimus Author agnoſcit, ut ea motus integrum Librum ſcribere aggreſſus ſit, *De diſciplina veteri Ecleſiæ præſertim Hiſpanæ circa pœnitentes in crimina lapſos*. Cum tamen ei poſtremam manum nondum impoſuerit, tantum ſaltem, quantum utcumque dubiis circa illam expediendis ſufficere queat, monendum exiſtimavit. Putat itaque, exponendum eum eſſe de pœnitentia Canonica, & ſolenni, quæ iuxta Conciliorum, & Pontificum Romanorum Decreta iterari non poſſit; ut adeo pari ratione exponendus ſit Toletanus iſte Canon, qua S. Ambroſii locum Lib. 2. *De pœnitentia*, Cap. 20. expoſuit S. Thomas Parte 3. Quæſtione 84. Articulo 10. Tractat hæc ex parte etiam in ſequenti Diſſertatione VIII. in qua ſimul Canonem XII. huius Concilii, præcipientem, ut ſecundum veteres Eccleſiæ leges pœnitentia inſtituatur, illuſtrat, & ample, quæ illa vetus diſciplina fuerit, & quod tam *pœnitentium*, quam *confeſſionariorum*, officium ſit, exponit; ut & in Diſſertatione IX. ubi pœnarum in hoc Concilio ſancitarum rationem uberius expendit, & ex aliis quoque Patribus eam confirmat. Succedunt inde Concilium Narbonenſe anni 589. & Hiſpalenſe I. anni 590. celebrata, variæque Gregorii Magni ad Hiſpanos Epiſtolæ, quarum quintam ad Reccaredum Hiſpaniæ Regem illuſtrans obſervat, hudiernos Hiſpaniæ Monarchas, non modo rectam originem a Reccaredo illo, in quo omnes conſentiant, ducere, ſed etiam a S. Hermenegildo fratre ejus, & filio Leovigildi Regis primogenito. Hunc enim ex Ingunda Sigeberti Regis Francorum filia, Clodocindæ, quam Reccaredus in ſecundo toro habuit, ſorore, filium ſuſcepiſſe, in Aula Conſtantinopolitana poſtmodum educatum, certum ait; ex quo poſt aliquot interjectas generationes prodierint Hiſpaniæ Reges. Id quod ex variis veterum monumentis latius oſtendiſſe dicit Jo. Lucam Cortelium Regium in Hiſpania Conſiliarium in peculiari Diſſertatione, quam nondum publici iuris fecerit. Ceterum a Reccaredo illo *Catholici* quoque Titulum, quo Hiſpaniæ Reges inſignes ſunt, in eos derivatum eſſe affirmat, utpote qui ei in Concilio Toletano III. poſtquam Arianiſmum publice abiuraſſet, ſolemnibus populi acclamationibus datus fuerit.

In Notis ad Concilium Barcinonenſe anni 599. habitum occaſionem ipſi ſubſcriptiones ſuppeditant in Higueram tot falſorum Chronicorum fabrum denuo invehendi. Dum enim in illis Maximi quoque Cæſarauguſtani nomen occurrit, non alia tantum monſtra de Maximo illo conficta ab Higuera eſſe

monet, ſed illud præcipue perſtringit, quod ex Marco celebri eorum temporum Poeta, qui S. Benedicti geſta carmine expoſuit, & Maximo, unum Virum Marcum Maximum procuderit, qui Benedictinus primum Monachus, poſtea Cæſaraugustæ Epiſcopus fuerit. Chronicon Jo: Biclarenſis, quod ex Caniſio hoc loco inſeruit, vitiatum ipſi fuiſſe videtur in omnibus illis, in quibus Hermenegildi famam deprimere, & exoſam reddere, contra vero Leovigildum Arianum Regem, & iuratum orthodoxorum hoſtem commendare conatur. Paſſum enim eſſe ipſum Joannem a Leovigildo crudelem perſecutionem, & decennale exilium conſtare ait, ideoque probabile non eſſe, ab ipſo multum eum fuiſse commendatum. Hermenegildum autem quod attinet, nihil quod ei ſit ignominioſum, haberi in Codicibus huius Chronici a Moraleſio, Mariana, & Baronio, & inter veteres, a Roderico Toletano, & Luca Tudenſi uſurpatis affirmat. Quemadmodum nec Gregorius Turonenſis, Gregorius M. aut alius quiſpiam veterum talia de Hermenegildo, ſed potius contraria omnia prodidiſse deprehendantur. Poſt hoc Chronicon edere primum e Codice Ovetenſi conſtituerat Bulgarani Comitis Epiſtolas hactenus ineditas, ſed eum eas graviſſimis mendis, & depravationibus laborare ſenſiſſet, earum editionem pariter, ac plurimarum aliarum Martini Bracarenſis, Cæſarii Patricii, Siſebuti Regis, Auraſii Epiſcopi, Tarræ Monachi, ex Codicibus Toletanis tranſcriptarum, eademque peſte afflatarum, in aliud tempus, in quo emendatiores prodire poſſent, differendam eſſe iudicavit.

Interea tres Liciniani Carthaginis Spartariæ in Hiſpania Epiſcopi Epiſtolas exhibet, quarum I. ad Gregorium M. de Libro Regularum in Tomo 2. Spicilegii Dacheriani jam extat. II. ad Vincentium Eboſitanum Epiſcopum; & III. ad Epiphanium Diaconum, ab ipſo nunc primum vulgantur. In ſecunda Epiſtola Vincentio Licinianus exprobrat credulitatem, quod Epiſtolas ſub Chriſti nomine factas, & e Cælo, ut impoſtores jactabant, delapſas tam facile recepiſſet. Tertia ad Epiphanium Epiſtola cujuſdam, quem honoris cauſa ſe non nominare ait, explodit errorem, qui Angelos, & animas corporeas ſtatuiſſe videtur; quem poſtquam variis locis Scripturæ confutaſſet, Philoſophicis quoque argumentis impugnare incipit, ex quibus pauciſſima liceat attingere. Cum enim videat, animæ ſpiritualitati id obeſſe præcipue, quod corpore contineatur: *Non ſic*, inquit, *implet corpus, ſicut uter impleri videtur aqua, ut tantum interius ſit, in majori, & cùm corpus movet ipſam per locum, non movetur ipſa in loco*. Paulo poſt: *Dei motionem nec in tempore eſſe, nec in loco, ſpiritus vero rationales non in tempore quidem, in loco tamen eſſe*, ait. Iſtis, & aliis huiuſmodi Auguſtini, & Claudiani Mamerti ſubjiciuntur teſtimonia, quæ ad vincendam cauſam maxime apta Liciniano viſa fuerunt. Sed de iſtis duabus Epiſtolis plus ſatis.

Ad Concilium Toletanum X. anno Chriſti *656*. celebratum Diſſertationem attexuit, quæ x. eſt huius Voluminis, in qua de diſciplina Eccleſiaſtica illorum temporum in Hiſpanicis in primis Eccleſiis agit; qua a ſacris muneribus arcebantur ii, qui poſt Baptiſmum in carnis peccatum lapſi fuerant; quam in rem poſtquam haud paucos Conciliorum huius temporis Canones congeſſiſſet, ſpeciatim Potamii Bracarenſis Epiſcopi caſum examinat, quem ob fornicationis crimen, nemini licet, præterquam ſibi ipſi notum, ſe ipſum Epiſcopatu recte abdicantem, & Concilii Toletani Patribus pœnam per literas ſibi poſcentem, nimis ſevere ab iis habitum haud fuiſſe contendit. Quem diſciplinæ rigorem poſtquam ulterius quamplurimis Gregorii M. locis confirmatum dediſſet, varia, quæ ex Canonibus Conciliorum Hiſpaniæ contra eum proferri poſſent, allegat, allegatiſque reſpondet. Præcipua illarum objectionum ſumitur ex Canone Ilerdenſi V. in quo expreſſe Epiſcopi poteſtati relinquitur, ut Clericos ob hoc crimen pœnitentes, citius, aut tardius miniſterio, quo exciderant, reſtituat; ita tamen ut ad altiores gradus eos non admittat, & iterato lapſu pollutos plane ab Eccleſiæ corpore reſcindat. Verum iſtum Canonem ſolum valere, ubi occultum eſt illud Clerici crimen, reſpondet; primis enim ſaltem ſæculis decem, Clericum fornicationis criminis publice reum, ad ſacras functiones admiſſum fuiſse oſtendit. Laxatum autem iſtum diſciplinæ rigorem ſæculo primum xi. queritur; eoque ortum ex ſuppoſititiis *Callixti IV.* ad Epiſcopos Galliarum, & *Gregorii M. ad Secundinum Epiſtolis*, quibus primum deceptus Samburcardus Wormacienſis Epiſcopus, alios quoque ſui erroris ſequaces invenerit. Quamvis illo quoque tempore Petrus

Damia-

Damianus non deſuerit, qui ſtrenuum priſcæ diſciplinæ aſſertorem ſe ſe oſtenderet; & Anſelmus quoque Cantuarienſis Archiepiſcopus, cuius prolixa ſatis loca huc facientia una repræſentavit, non alios, niſi quorum occulta eſſent crimina, ad ſacram Menſam poſt lapſum in carnis peccatum accedere paſſus fuerit. Et licet in aliis criminibus, quæ Canonum vi, etiam poſt pœnitentiam eorum reos a ſacris muneribus arcent, diſpenſatum nonnunquam ab Eccleſia (puriore) fuerit, nunquam tamen tale quid cum Clerico fornicatore factum eſſe contendit. Quo oſtenſo, Tridentini Concilii circa hanc rem Decreta etiam exponit, & huius rigoris rationem ex dignitate Sacerdotalis muneris, & ſcandalis, niſi Sanctum illud habeatur, exorientibus, reddit. Illorum, quæ Diſſertationem ſequuntur, recenſione ſuperſedemus, ne prolixi nimis ſimus. Id unum monuiſſe adhuc ſuffecerit, in Concilio Toletano XVIII. anno Chriſti 701. celebrato ſecundum hoc Volumen deſinere; cuius Concilii nulla plane ad noſtram ætatem perveniſſet notitia, niſi perditis omnibus aliis monumentis, qualemcumque ejus memoriam Rodericus Toletanus nobis conſervaſſet.

Tomus III. hujus Collectionis Romæ itidem editus anno 1694. Concilia, & monumenta ſacra continet ab anno Chriſti 701. ad annum 1511. In eo primo comparet, ut docent Eruditi Lipſienſes anno 1696. pag. 214. ineditus antea *Canonum, & Conciliorum Index*, quibus Eccleſia præſertim Hiſpanica regebatur ab ineunte ſæculo VI. uſque ad initium VIII. Illum in Præfatione Rev. Author eum ipſum ſibi videri ait, quem ineunte ſæculo VI. ſub *Compendii Sacrorum Canonum* Titulo edidit Ferrandus Diaconus, quamvis auctum eum poſtea eſſe credat, utpote in quo multa Concilia, & Decreta citentur, quæ poſt obitum Ferrandi habita, ſancitaque fuerunt. Exhibentur inde Romanorum Pontificum, Regumque Hiſpaniæ, ſub quibus Concilia Tomo hoc III. & IV. comprehenſa celebrata fuerunt, Catalogi, necnon Opuſcula quædam Virorum illuſtrium, præcedentibus Conciliorum Collectionibus ex parte jam inſerta, vel alibi edita, qualia ſunt Hieronymi, & Iſidori Hiſpalenſis, *De Viris Illuſtribus* Libri, & alia hujus generis. Sunt inter illa quamplurima monumenta ad Monaſteriorum in Hiſpania fundationes expectantia ex Mabillonio, & aliis collecta, ut & Acta quædam Concilii Francfurdienſis in cauſa Felicis, & Elipandi. Ex illis omnibus monumentis nullius ſpeciatim meminiſſe juvat, præterquam Epiſtolæ Evantii contra eos, qui ſanguinem animalium immundum judicant a Caniſio jam editæ. Eum enim Evantium Archidiaconum Toletanum, non Epiſcopum Viennenſem, cujus & Fortunatus meminerit, contra Chriſtophorum Browerum, qui poſterius in Notis ad Fortunati Lib. 3. Epiſtola ad Euphronium affirmaverat, oſtendit. Nihil etiam attinet dicere de Concilio Cordubenſi, ſubnexis ei variis ad fundationes Eccleſiarum, & Monaſteriorum pertinentibus monumentis. Aſt Concilium Ovetenſe ſilentio præterire non licet, utpote cujus Acta ex Toletanæ, & Ovetenſis Eccleſiæ mſs. nunc primum publici iuris fiunt. In quibus tamen nihil notatu dignum valde occurrit, niſi Archidiaconorum ad cogendas Synodos, & extirpandas hæreſes in eo inſtitutorum diſciplinam annotare forte placeat. Brevis narrationis quoque *de Officio Hiſpanæ Eccleſiæ*, Romæ anno 1063. laudato, & confirmato mentionem a nobis injiciendam eſſe putavimus, quod ea alibi extet nuſpiam, quemadmodum & Decretorum quorundam Concilii Legionenſis anno 1012; coacti, ex Toletano, & Mondexarenſi mſs. nunc primum editorum, quæ tamen fere ad politiam potius, quam ad Eccleſiam pertinent. Hiſtoriam quoque Translationis S. Felicis ex Caſtro Billibienſi in Monaſterium S. Æmiliani edit; quam, ut Præfatione conſtat, ſcripſit quidam Grimaldus Monaſterii S. Æmiliani Monachus, hortatu Blaſii, uti videtur, Abbatis. Epiſtolam item Urbani II. P. Romani ad Petrum Oſcenſem Epiſcopum, qua Oſcam Saracenico ereptam caput Jacenſis Eccleſiæ conſtituit. De Concilii Fuſelenſis ævo contra Sandovalium, qui ad annum Chriſti 1138. id retulerat, in Nota ad illud acriter diſputat ad annum circiter 1104. illud rejiciendum eſſe variis argumentis contendens. Synodi Compoſtellanæ anno 1114. celebratæ nullum quoque hodie haberemus monumentum, niſi ex Codice Mondexarenſi ejus Decreta nunc primum nobis ſiſterentur, quæ quidem ex ms. Hiſtoria Compoſtellana Munionis Adephonſiadæ deſumpta fuerunt. Idem de Concilio Ovetenſi anno 1115. coacto dicendum, cuius tres ſaltem fuere ſanctiones, quarum una ad boum oppignorationem, altera ad furta impedienda, tertia ad limi-

limitandum ius aſyli Eccleſiis datum, & alia nonnulla pertinent, quæve non ſubſcriptionibus tantum quamplurimis, ſed nova etiam plane, niſi fallimur, benedictionis, & maledictionis formula muniuntur. Ex memorata paulo ante Munionis Hiſtoria Concilii Palentini quoque anno 1129. celebrati Canones nunc primum protulit, ut & Legionenſis, quod anno 1135. congregatum fuit. Votum porro Jacobi Aragonum Regis de dotanda Eccleſia Valentina, ubi Urbem eam Mauris eripere datum fuerit, ejuſque voti perſolutione ex mſs. illius Eccleſiæ publici iuris facit; ut & privilegium illius Regis, quo Judæis, & Mauris Chriſtianæ Religionis Myſteriis initiari ſine bonorum ſuorum iactura conceditur; cuius generis aliud Privilegium Jacobi II. inferius quoque exhibet. Ex eiuſdem Eccleſiæ Archivis edit etiam Conſtitutiones Synodales Valentinæ Eccleſiæ ab Andrea Epiſcopo Valentino editas, in quibus inter alia de iis, de quorum dubitatur Baptiſmo, iſta promulgatur Conſtitutio: *Si dubitatur, utrum aliquis eſſet baptizatus, aut non, baptizetur; ſed Sacerdos dicat in prolatione verborum ſic: Si es baptizatus, non te baptizo; ſed ſi non es baptizatus, ego te baptizo in Nomine Patris &c.* In eis quoque ne ultra duos Compatres ad levandum puerum de Sacro Fonte admittantur, prohibetur, addita ratione: *quia matrimonia impediuntur*; ut alias nonnullas huius generis Conſtitutiones nunc taceamus. Non multum ab iis diverſæ ſunt *Conſtitutiones Synodales Arnaldi* de Peralta Epiſcopi Valentini ab anno 1216. uſque ad 1273. quæ itidem ex Valentino Archivo nunc primum prodeunt. Mſs. Mondexarenſi habetur Concilium Complutenſe anno 1325. & Toletanum anno 1323. itemque aliud Toletanum anno 1326. Ubi Conſtitutiones in Concilio Tarraconenſi II. factas edit Eminentiſſimus Author, monet, ſibi propoſitum fuiſſe eodem loco Conſtitutiones Metropolis Cæſarauguſtanæ ab anno 1327. uſque ad annum 1495. in unum corpus a D. Alphonſo de Aragonia relatas exhibere, ſed illas periiſſe, altera ſcilicet vice oſcitantia eius, cui Romam proficiſcens, mſs. ſua crediderat, altera maris, & tempeſtatum iniuria; cum denuo ei ex Hiſpania tranſmitterentur. Reliqua, quæ in hoc Volumine habentur inedita, ſunt Privilegium Petri II. Valentiæ; in quo Eccleſiaſticos a vectigalibus eximit, & denique Decretum Alphonſi Aragonum Regis *de non accipiendis Reſcriptis tempore ſchiſmatis graſſantis.* Diſſertationes huic Tomo Eminentiſſimus Author inſeruit nullas, Notas vero paucas ad temporum notationes in una, vel altera Epiſtola, & alia huiuſmodi facientes.

In IV. quoque Tomo, in quo Acta Lipſienſia 1696. pag. 217. nihil notarunt, nullæ Diſſertationes inveniuntur; nuda Conciliorum Acta, quotquot ab Eminentiſſimo Authore inveniri potuere, repræſentantur. Fit autem initium a Concilio Provinciali Hiſpalenſi anno 512. Præſide Didaco Beza illius Urbis Archiepiſcopo celebrato, indeque ad Synodum uſque Limenſem Diœceſanam X. in Peruvia anno 1604. coactam proceditur. Ab iis recenſendis abſtinuere tam Lipſienſes, quam Anonymi *M. Bibliothecæ Eccleſ.* Authores, ne probare viderentur modernæ, uti aiunt, Eccleſiæ Romanæ diſciplinam, quam negare non poterant, vel unius Turibii Limani ſanctitate, ac miraculis inſigniter commendatam.

Hactenus laudatus Epiſcopus de hac Conciliorum Hiſpaniæ Collectione a Cardinali de Aguirre concinnata; quantus vero, & qualis fuerit is Cardinalis, docent nos inrumera pene præſtantiſsimorum Scriptorum elogia, quibus ille citari ſolet, præſertim vero a Gallis. Sed his omiſsis, operæ pretium duxi deſcribere hoc loco Epiſtolam dedicatoriam Edmundi Martene Presbyteri, & Monachi Benedictini e Congregatione S. Mauri, ad ipſum Cardinalem de Aguirre, præfixam Tomo I. egregii Operis, *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, quæ eſt huiuſmodi:

Eminentiſſimo Principi Domino D. Joſepho de Aguirre S. R. E. Cardinali.

Compoſitis tandem funeſtis illis bellorum divortiis, quæ popularium utrimque noſtrorum animos diſſociabant, apertiſque hinc inde ad mutua commercia viis, iam libera, & expedita ad te, Eminentiſsime Princeps, noſtra currit oratio, obſequiorum vel ſera interpres, nec iam quidquam noſtros remoratur affectus, qui dudum ad Eminentiam tuam properare geſtiebant. Doleba-

Digitized by Google

lebamus certe, eum Ordinis noſtri Virum, cuius virtus, & modeſtia etiam exteros demulcet, doctrina univerſam informat Eccleſiam, ſincerus veri amor nullis præiudiciis retinetur, cuius denique Purpuræ honos ad totum Ordinem Benedictinum, adeoque ad nos uſque redundat; dolebamus, inquam, talem tantumque Virum nullo dum publico obſervantiæ noſtræ teſtimonio cultum eſſe, & tamdiu votis noſtris publica illa obſiſtere diſſidia, quæ omne fere litterarum commercium diutius intercepere. Sed iam tandem, ſavente Deo, votis noſtris affulſit optata pax, nobiſque licet publice teſtari, quod pridem animo conceptum retinebamus.

Interim nihil nobis promptius, aut opportunius occurrit, quam Collectio antiquorum Rituum Eccleſiaſticorum, quorum duo priora Volumina, quæ de Sacramentis Eccleſiæ agunt, Eminentiæ tuæ offerre quoddam operæ pretium nobis viſum eſt. Quid enim Religionis cultori, eruditiſsimo Theologo, pietate non minus, quam dignitate Eminentiſsimo Principi convenientius offerri poterat, quam huiuſmodi Opus, in quo gratiæ omnis, totiuſque ſanctitatis ſumma continetur? An vero Sacramentis hæc contineri quiſquam dubitet? At Ritus ſunt Sacramentorum ſateor, non ipſa Sacramentorum Dogmata, quæ his Libris paſsim explicantur. Tuum ſit, Eminentiſsime Domine, Theologica Dogmata penitius ſcrutari, & explicare; Eccleſiæ Decreta, & Canones eruditis illuſtrare Commentariis, moralia præcepta a laxioribus expurgare commentis. Mihi circa inſeriora Eccleſiæ elementa jacenti ſatis fuerit, ea explicare, quæ oculis ſubiecta ſubtiliori, & longius quæſita obſervatione non indigent. Quamquam cum non unius tantum, ſed inſigniorum Eccleſiarum, non unius dumtaxat, ſed omnium pene temporum Ritus, & Cæremonias contineant, haud ſine multo ſtudio, & labore colligi potuere, nec ſine aliquanta, ut ſpero, utilitate in publicam lucem emitti. Eſt etiam Eccleſiæ Ritibus ſua dignitas, ſuaque reverentia, nec parum illi etiam ad Dogmata illuſtranda conducunt. Quippe rudium Fidelium quidam veluti Libri ſunt, in quibus Eccleſiæ Fides quodammodo adumbratur. An non ex Baptiſmi ritibus, & exorciſmis Maximus Doctor Auguſtinus, Catholicam de peccato originali doctrinam non eruit, ac comprobavit? An non alii Eccleſiæ Doctores ex cæremoniis in re Sacra adhiberi ſolitis realem Chriſti Domini in Euchariſtia præſentiam non confirmarunt? Denique quod Summi Eccleſiæ Doctores, Gregorius Magnus, & Ambroſius, quod Iſidorus Hiſpalenſis Antiſtes, aliique commentationibus explicare inſra ſe non reputarunt, tibi haud gratum, acceptumque eſſe non poſſe, perſuaſum habemus. Quamquam non ſoli Eccleſiaſtici ritus his in Libris explicantur, ſed ſubinde Dogmata etiam ipſa, ut ſtudioſus Lector ſacile animadverſurus eſt.

Vides, Eminentiſſime Domine, me in id omnimode conniti, id ſerio agere, ut munus hoc meum, immo totius Congregationis noſtræ, Eminentiæ tuæ approbem. Quamquam id ſruſtra tentaverim, cum tu longe melius, quam ego ipſe, hujus argumenti dignitatem intelligas. Verum patiaris velim, me aliorum cauſa id agere, qui ſorte ritualem hanc collectionem infra tuam dignitatem, inſra meritum tuum eſſe cauſabuntur. At quidquid ſentiant moroſi illi cenſores, mihi ſatis ſuerit, ſi eam benigno vultu, animoque accipias in quoddam grati animi in te noſtri monumentum, quod Ordinem Benedictinum ſic amare, ſic colere pergas, ut te ejus alumnum eſſe ubique profitearis, glorieris apud omnes; ad hæc quod Congregationem noſtram non ſecus ac tuam diligas, & ſovere non deſinas; denique quod litterarios ſodalium noſtrorum labores patrocinio, & ſuffragio tuo digneris, quod magnum eſt, omnibus nobis in litteraria hac palæſtra incentivum. Supereſt, ut Deum Optimum Maximum enixe precemur, quo te diu incolumem ſervet. Quod nobis omnibus in votis eſſe, Eminentiæ tuæ omnium nomine conteſtari poſſum, ac debeo.

Monet citato loco Martene, antequam hanc Epiſtolam mitteret ad ipſum Cardinalem de Aguirre, certiorem factum fuiſſe de ejus obitu: *Verum abſit*, inquit, *ut quem viventem ob merita coluimus, eundem vixdum mortuum honorare deſinamus. Ergo quos vivens ſibi meruit honores,*

Ille habeat ſecum, ſervetque ſepulchro.

RE-

R E I M P R I M A T U R.

Si videbitur Reverendiſs. Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

F. M. de Rubeis Patriarcha Conſtantinopolitanus Viceſgerens.

A P P R O B A T I O N E S.

QUod ſplendide non minus, quam vere illuſtriores omnium gentium Theologi, Eruditique pronunciarunt, quum primum lucem aſpexere magni Cardinalis *Joſephi Saenz de Aguirre* Volumina inſcripta: *Collectio maxima Conciliorum Hiſpaniæ, ac novi Orbis &c.* prodiiſſe ſcilicet Opus ſolidandis Fidei noſtræ, & purioris Ethices principiis, dilucidandis pleriſque vetuſtioris ætatis ſacris uſibus, ritibuſque, amplificandæ Notitiæ Eccleſiaſticorum eventuum, Hiſpanienſium præſertim, aptiſſimum, crebrius procul dubio repetent, ac elatiore voce prædicabunt, ſi tali certe digniſſima elogio Volumina typis iterum permittentur, Terramque percurrent quamplurimis celeberrimi, & de re Chriſtiana, literiſque meritiſſimi *Joſephi Catalani* Presbyteri Oratorii Hieronymiani Urbis *Additionibus* inſigniter aucta, & locupletata. Hoc ego Tibi, Reverendiſſime Pater Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter, ut candide proderem, quid ſentiam de nova, quam ſollicite Docti poſtulant, laudatæ *Collectionis* editione, præcipienti, me de illa ſentire fateor, ac teſtor, ſedulo perpenſis, diſcuſſiſque memorati Viri doctiſſimi *Additionibus*, in quibus omnia reperi non ſolum Catholicorum Dogmatum, morumque optimorum regulis conſonare; ſed etiam iis muniri, atque ornari exquiſitis Obſervationibus, ac ſelectis monumentis, quæ vulgatis tota Collectione ab Auctore Eminentiſſimo, conceſſiſque jam ſapientium, ut ante notatum eſt, judicio in Eccleſiæ ſingulare bonum, & nobiliſſimæ Hiſpanicæ Nationis decus datura eſſe merito videantur & conſpicuum ſupplementum, & magnam lucem, firmitatemque. Datum Romæ poſtridie Kal. Maii an. MDCCLIV.

Petrus Morettus inſignis Baſilicæ S. Mariæ trans Tyberim Canonicus.

BEne, ac ſapienter factum arbitror, ut nova in lucem prodeat editio *Collectionis Conciliorum Hiſpaniæ ac Novi Orbis*, quæ in unum corpus coegit, Notiſque & Diſſertationibus eruditiſſimis illuſtravit Joſephus Cardinalis Saenz de Aguirre. Itaque Joſepho Catalano Viro pluribus aliis Operibus clariſſimo, qui novæ hujus editionis curam ſuſcepit, variiſque etiam ſuis animadverſionibus ditavit, vehementer gratulor, & plaudo; quinetiam illi gratulentur oportet, & plaudant Litteraria Reſpublica univerſa, præcipue vero Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ ſtudioſi homines, & ſanam doctrinam ſuſtinentes Theologi, quam pleno calamo Eminentiſsimus de Aguirre exponit, illuſtrat, atque propugnat. Hæc eſt mea de hoc Opere, quod juſſus a Reverendiſsimo Patre Sacri Palatii Magiſtro libens evolvi, ſententia

Petrus Franciſcus Fogginius Bibliothecæ Vaticanæ Coadiutor.

R E I M P R I M A T U R.

Fr. Joſeph Auguſtinus Orſi Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

IN-

INDEX SUMMARIUS

EORUM, QUÆ CONTINENTUR TOMO PRIMO CONCILIORUM HISPANIÆ JUXTA HANC NOVAM EDITIONEM.

Epiſtola Dedicatoria Joſephi Catalani ad BENEDICTUM XIV. pag. III.
Epiſtola Cardinalis Colloredi de obitu Cardinalis de Aguirre. VI
Elogium Cardinalis de Montibus de eodem Cardinali de Aguirre. VII
Marii Guarnacci elogium de eodem. VIII
Joannis Palatii de eodem elogium. IX
Elogium Joannis Baptiſtæ de Miro Abbatis Caſinenſis de eodem. X
Cenſura Ildephonſi de Mier Congr. S Benedicti Hiſpaniarum Procuratoris Generalis Romæ. XII
Cenſura F. Angeli Juliani Ord. Prædic. Sac. Theol. Magiſtri. XII
Cenſura P. D. Joannis Mariæ Gabriellii Ordinis Ciſterc. poſtea S. R. E. Card. XIII
Aliud ejuſdem Cenſoris judicium. XIV
Cenſura alia M. Ildephonſi de Mier. XVI
Alia Cenſura Joannis Mariæ Gabriellii poſtea Cardinalis. XVI
Relatio totius Operis quatuor Tomis primæ editionis comprehenſi a doctiſsimo P. Fr. Michaele a S. Joſeph Ordinis PP. Exalceatorum SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum Superiore Generali, nunc Epiſcopo Accitano, accurate deſcripta in ſua Bibliographia Critica &c. Parte I. pag. 143. & ſeqq. XVII
Edmundi Martene Epiſtola dedicatoria ad Cardinalem de Aguirre. XIX
Cenſorum judicium de hac ſecunda Conciliorum Hiſpaniæ editione, cura, & ſtudio Joſephi Catalani ordinata, & in ſex Tomos diſtributa. XXXII
Epiſtola Hiſpanice ſcripta ad Carolum II. Hiſpaniæ Regem. 1.
Ratio Operis ad Lectorem pium, & eruditum, ac ſacrorum Canonum, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſtudioſum. 4.
Epiſtola Garſiæ Loaiſæ ad Philippum II. Hiſpaniarum Regum. 11.
Præfatio Illuſtriſſ. Domini Loaiſæ. De Codicibus manuſcriptis, quibus uſus fuit in ſua Collectione, de eorum fide, & antiquitate. 14.
Epiſtola Illuſtriſſ. D. Antonii Auguſtini, Archiepiſcopi Tarraconenſis, Scriptoriſque celeberrimi, ad Hieronymum Blancam, De rebus Cæſarauguſtæ, Epiſcopis, & Conciliis per eos celebratis. 17.
Ejuſdem D. Antonii Auguſtini, De Hiſpaniæ Conciliis non editis, dialogus inter alios viceſimus, ex Libro poſteriore. 19.
Epiſtolo Eminentiſſimi D. Gaſparis Quirogæ, Epiſcopi Cunchenſis, poſtea Cardinalis, & Archiepiſcopi Toletani, ad Gregorium XIII. Pont. Max. gaudentem de Conciliis Hiſpaniæ inventis, & ad ſe miſſis, ac deſiderantem ut quædam alia exquirantur. 20
Clariſſimi Viri Joannis Baptiſtæ Perez, primum convictoris Illuſtriſſ. D. D. Gaſparis Quirogæ, deinde Canonici Toletani, & Epiſcopi Segobricenſis, Epiſtola ad lectorem, De Conciliis Hiſpaniæ. 20.
Chronologio Conciliorum Hiſpanienſium uſque ad Hiſpaniam a Sarracenis occupatam; certo cofirmata ex quatuor vetuſtis Conciliorum Codicibus, cura, & ſtudio clariſſimi Viri Joannis Baptiſtæ Perez. 22.
Chronologio Gotthorum Hiſpaniæ Regum. ſub quibus Concilia habita ſunt, certius quam antehac conſtituta ex pluribus Codicibus Conciliorum mſſ. & ex D. Iſidori Libro de Gothis, atque Vulſæ Epiſcopi Chronico, nondum impreſſis, cum vera multorum nominum orthographia ex numiſmatis reſtituta. 24.
Catalogus antiquus Romanorum Pontificum a S. Petro uſque ad annum DCCLVII. quo tempore interjecto celebrata fuerunt antiqua Hiſpaniæ Concilia. Ex Codice vetuſtiſſimo Bibliothecæ Palatino-Vaticanæ, ſcripto ſub Pontificatu Pauli I. prædicto anno, aut circiter. Ad oram indicamus annos Chriſti, quibus unuſquiſque Pontificum cœpit regere Eccleſiam Romanam, juxta Chronotaxin duplicem; alteram Catalogorum veterum, alteram Eminentiſſ. Cardinalis Baronii. Inſuper ſub aſteriſco * addimus nonnulla monitu digna ad marginem. 26.
Chronologia Toletanorum Præſulum, primæ Chiliadis Chriſtianæ annorum; quorum ratio ex antiquis mſſ. habetur certa, & apud omnes explorata. 30.
Joſephi Saenz Cardinalis de Aguirre Apparatus ad Concilio Hiſpaniæ Pars prima. Sive Examen, aut Scrutinium Hiſtorico-Critico-Chronologicum Præfationis, & Collectionis Iſidorianæ Conciliorum, & Epiſtolarum Decretalium, præſertim ad Hiſpanias ſpectantium; in honorem, ac decus S. Iſidori Archiepiſcopi Hiſpalenſis, ſapientiſſimi, ac celeberrimi. 31.
Præfatio Iſidori in ſuam Collectionem Canonum, & Conciliorum incipientem: *Iſidorus Peccator ſervus Chriſti, conſervo ſuo & parenti Fidei, in Domino ſalutem.* 33.
Diſſertationes Eccleſiaſticæ in Prefationem Iſidori, ad ſuam Conciliorum, & Canonum Collectionem. 35.
Diſſertatio. *Quiſnam fuerit Iſidorus Collector Canonum, Conciliorumque, & quonam tempore vixerit.* 36.
Excurſus I. Præmittitur, & multiplicitce oſtenditur, inter plures Iſidoros, tum Latinos, tum Græcos, neminem *Mercatorem* dictum, cui Collectio Canonum, & Conciliorum tribui poſſit. 36.
Excurſus II. Varii Iſidori apud Hiſpanos ab initio ſeptimi ſæculi uſque ad finem octavi, de quorum ſingulis controverſia eſſe poſſit. Diverſorum Authorum opiniones relatæ, & rejectæ. 37.

Digitized by Google

Excurſus III. Oſtenditur multipliciter, S. Iſidorum Hiſpalenſem fuiſſe Collectionis Auctorem quoad potiſſimam ſui partem; licet alius, ſive Iſidorus, ſive alterius nominis, eam proſecutus fuerit. 39.

Excurſus IV. Confirmatur noſtra ſententia auctoritate Clariſſimorum quorundam Virorum, non modo antiquorum, ſed & recentium. 42.

Excurſus V. Difficultates nonnullæ adverſus ſententiam noſtram, objectæ, & ſolutæ. Ubi plura obſervatu digna. 43.

Diſſertatio II. *De Collectionibus antiquis Conciliorum, & Canonum, cum Iſidoriana collatis.* 46.

Excurſus I. De primis, & antiquiſſimis Canonum, & Conciliorum Collectionibus; ac primum de illa, quæ fere a tempore Concilii Sardicen. facta fuit; tum de illa, quæ Concilium Chalcedonenſe ſequuta eſt. Plura circa utramque obſervantur, præſertim apud Hiſpanos; & de Codice Canonum, quo ii intra Concilia utebantur. 46.

Excurſus II. De aliis poſterioribus Canonum Collectionibus, & præſertim Dionyſii Exigui, Ferrandi Diaconi, Martini Bracarenſis, & Iſidori. Collectiones, Dionyſiana, atque Iſidoriana, in quo conveniant, aut differant. 48.

Excurſus III. Præfatio alia Iſidori ad ſuam Collectionem, eruta ab Archipræſule Marca ex duobus antiquiſſimis mſſ. Monaſterii Rivi-pollenſis in Catalonia, & collata nunc cum alio Biblioth. Vaticanæ; atque in multis diverſa ab ea, quam initio præmiſimus. 50.

Excurſus IV. Notæ in eam Præfationem, quibus explanantur, & confirmantur plura in ſuperioribus tradita circa S. Iſidorum Hiſpalenſem, ejuſque Collectionem a calumniis vindicatam. 50.

Diſſertatio III. *An S. Iſidorus Hiſpalenſis Collectioni ſuæ inſeruerit Canones, qui dicuntur Apoſtolorum; & quotnam ex iis, ac quo jure.* 53.

Excurſus I. Ratione dubitandi præmiſſa, oſtenditur, S. Iſidorum initio Collectionis ſuæ inſeruiſſe Canones Apoſtolis adſcriptos; non tamen iis auctoritatem tribuiſſe, nec verba illius eſſe, quæ modo exſcripſimus, ſed longe alia, quicquid contra velint nonnulli, & olim cenſuerit Hincmarus. 53.

Excurſus II. Cur S Iſidorus, licet in Collectione ſua exſcripſerit Canones Apoſtolis adſcriptos, rejecerit illos ad apocrypha, & intruſa ab hæreticis. Opinio quædam Binii, & aliorum rejecta. 55.

Excurſus III. Jure ne an injuria interpolator, aut corruptor Præfationis S. Iſidori ad ſuam Collectionem, tradiderit opinionem S. Doctori contriam, tribuens auctoritatem omnibus Canonibus nomine Apoſtolorum editis. 57.

Excurſus IV. Cuinam potius aſſentiendum ſit; an S. Iſidoro neganti exploratam auctoritatem Canonibus vulgatis Apoſtolorum nomine; an potius interpolatori aſſerenti? Argumenta præcipua pro unaquaque partium proponuntur, veluti rationes dubitandi. 59.

Excurſus V. Præmittuntur quædam velitationes, & conjecturæ ad dirimendam quæſtionem, præſertim circa Synodum VII. Generalem, ac decreta Hadriani I. Stephani IV. & Joannis VIII. (alias VII.) Præſulum Romanorum, quoad Canones vulgatos Apoſtolorum nomine. 61.

Excurſus VI. Theſes variæ, quibus ſingulatim dirimitur controverſia, juxta ea, quæ in ſuperioribus tradidimus, tam circa mentem S. Iſidori, quam circa auctoritatem Canonum Apoſtolis adſcriptorum. Porro ex octoginta quatuor circumſerri ſolitis, ſolos quinque irrepſiſſe hæreticorum aut corruptorum fraude; reliquos autem omnes authenticos eſſe, & in ſinguiari probatos a Pontificibus Romanis, Conciliis, Patribus, quorum loca indicantur quoad quinquaginta priores. 64.

Excurſus VII. Canones quinqaginta Apoſtolici, juxta verſionem Dionyſio Exiguo adſcriptam (qua & Iſidorus Collector uſus fuiſſe videtur) collati cum antiquiſſimo exemplari ms. Vaticano num. 630. notatis ad oram varietatibus lectionum. 66.

Excurſus VIII. Exhibentur κατὰ πόδας reliqui triginta quatuor Canones Apoſtolici in Iſidoriana Collectione prætermiſſi, juxta verſionem Latinam Gregorii Holoandri e Græco. Porro ex iis ſolos tres ſuſpectos eſſe de errore; reliquos autem omni veneratione dignos. 69.

Diſſertatio IV. *De Epiſtolis veterum Pontificum Romanorum collectis ab Iſidoro, præſertim ad Hiſpanos ſcriptis, an ſint, germanæ, an potius confictæ ab ipſo, vel ſaltem interpolatæ.* 72.

Excurſus I. Hiſtoria, & auctoritas earum Epiſtolarum a tempore S. Iſidori Hiſpalenſis, veri illarum Collectoris, novem ſæculis continuata uſque ad annum circiter 1560. & ſolum ad breve tempus interrupta in Galliis tempore Hincmari Rhemenſis. Hadriani I. Papæ Capitula in eum ſcopum expenſa. Diſcordiæ inter Nicolaum I. & prædictum Hincmarum, atque origio earundem. 72.

Excurſus II. Magdeburgenſium, & aliorum Sectariorum opinio, rejicientium eas Epiſt. veteres Collectionis Iſidorianæ veluti nothas, a pleriſque recentioribus Catholicis recepta, profertur; ejuſque præcipua argumenta examinantur, & parum contra illarum αὐθεντίαν extorquere oſtenduntur. Porro ſi interpolatæ fuerunt, nequaquam id ab Iſidoro factum, ſed a quopiam alio Scriptore. 74.

Excurſus III. Expenditur quoddam aliud argumentum Archipræſulis Marcæ adverſus eaſdem Epiſtolas, & multipliciter ſolvitur. Porro multas Pontificum veterum, tam atiquiorum Syricio, quam poſteriorum, germanas ab omnibus cenſeri, quamvis in nulla veteri Collectione exſtitiſſe inveniantur. 77.

Excurſus IV. Vindicatur auctoritas earundem Epiſtolarum Collectionis Iſidorianæ, argumentis Nicolai I. Papæ ſanctiſſ. & doctiſſ. adverſus Hincmarum Rhemenſem, & alios Gallarum Epiſcopos in cauſſa Rhotadi.

Digitized by Google

di, breviter illuſtratis, & expenſis. Nonnulli Canones explicati, & quædam recentiorum paradoxa rejecta. 80.

Excurſus V. Eadem Epiſtolarum γνησιότης demonſtratur ex Capitulis Hadriani I. Papæ, & Notis eruditiſſimi Antonii Auguſtini in illa; quem perperam pro ſua opinione allegant Marca, & Labbe. Plura alia pro earundem auctoritate obiter prolata. 84.

Excurſus VI. Pleraſque dictarum Epiſtolarum, prout communiter circumferuntur, vehementer ſuſpectas eſſe de interpolatione, & aliis defectibus; non tamen reſpuendas, ſed venerandas, & in auctoritatem recipiendas, cum delectu opportuno. 86.

Excurſus VII. Quiſnam fuerit interpolator, & vitiator Epiſtolarum earundem; an fortaſſe Theodiſclus ſucceſſor S. Iſiduri in Epiſcopatu Hiſpalenſi. Profertur, & expenditur teſtimonium nomine S. Ildephonſi Toletani ea de re a Luca Tudenſi Epiſcopo editum. Verum oſtenditur, illud eſſe, aut ſuppoſititium, aut demum valde ſuſpectum. 88.

Excurſus VIII. Confirmantur quæ in ſuperioribus tradidimus auctoritate, & rationibus Cl. Viri Severini Binii, pugnantis pro eiſdem Epiſtolis, veluti germanis, longe majore extenſione, & minori delectu, quam a nobis præſtitum fuerit. 91.

Diſſertatio V. *An Epiſtolæ veterum Pontificum Iſidorianæ Collectionis introduxerint in Eccleſia Jus novum, antiquis, & ſacris Canonibus contrarium, ob ignorantiam graſſantem octavo, & nono Chriſti ſæculo.* 93.

Excurſus I. Opinio affirmans quorundam recentiorum accurate expenditur, & refellitur. Vindicantur Patres ſæculi octavi a nota ſtupendæ, & miſerabilis ignorantiæ, præſertim ſacrorum Canonum, quam aliqui illis inurere audent. 93.

Excurſus II. Uberior opinionis ejuſdem refutatio quoad Patres, & preſertim Pontifices Romanos ſæculi noni; quorum pietas, & doctrina oſtenditur alieniſſima ab ea ignorantiæ labe, & negligentiæ in ſervandis & tuendis Canonibus ſacris. 96.

Excurſus III. Oſtenditur, cataſtrophen illam Juris Canonici, ortam, ut ajunt, ex ignorantia Epiſcoporum, non habuiſſe locum in continuatione ſæculi noni ſub Leone IV. & Benedicto III. 96.

Diſſertatio VI. *An tempore Nicolai I. Papæ inductum fuerit Jus novum ex Epiſtolis Iſidorianæ Collectionis, ſacris Canonibus contrarium.* 100.

Excurſus I. Qualiter loquantur recentiores aliqui de Nicolao I. Papa, in ordine ad everſionem Juris antiqui, & introductionem novi; quaſi contra illud vetus admiſerit appellationem Epiſcoporum a Synodis Provincialibus ad Apoſt. Sedem. 100.

Excurſus II. Nicolai I. Papæ Sanctiſſimi, & celeberrimi Integritas, juſtitia, præſertim in cauſſis Rothadi, & Hincmari utriuſque, aſſeritur adverſus aliquot recentiores, non digne de illo loquutos. Ubi nonnulla de Hincmaro Rhemenſi, quem aliqui plus juſto reprehendere videntur. 102

Excurſus III. Exſcribitur ad longum narratio hiſtorica rerum S. Nicolai I. Papæ in cauſſis Rhotadi, & utriuſque Hincmari, ex recenti ſcriptore Gallo Joanne Cabaſſutio, quæ eſt prorſus contraria Baluzianæ narrationi. 104.

Diſſertatio VII. *An jus Epiſcoporum ad appellandum Sedem Apoſtolicam, traditum in Epiſtolis Iſidorianæ Collectionis, fuerit reipſa novum, & ſacris Canonibus contrarium. Ubi plura adhuc de Hadriano I. & iterum de Nicolao, Pontificibus Romanis.* 107.

Excurſus I. Occaſio deſumpta a recentioribus ex Epiſtola Melchiadis Papæ ad Epiſcopos Hiſpaniæ, extante in Collectione Iſidoriana; ubi judicia Epiſcoporum dicuntur ſpectare ad Sedem Apoſtolicam. Oſtenditur, id non fuiſſe introductum novo aliquo jure, ſed veteri; utpote conforme antiquiſſimæ traditioni totius Eccleſiæ, ejuſdamque perpetuæ praxi, confirmatæ poſtea in Hadriani I. Papæ Capitulis, ex quibus plura obſervantur. 107.

Excurſus II. Demonſtratur idipſum ex Primatu Apoſtolicæ Sedis in omnes Eccleſias, non Occidentis modo, ſed Orientis; & ex perpetuo uſu appellationum ex iis ad illam, præſertim in gravioribus cauſſis, ſive judiciis Epiſcoporum, confirmato in Concilio Generali Sardicenſi. 109.

Excurſus III. Exſcribitur, & expenditur Canon quartus ejuſdem Concilii Sardicenſis in eundem ſcopum; pluraque ab Iſidoro tradita in ſua Præfatione circa idipſum, variis obſervationibus illuſtrantur; præſertim ex doctrina, & praxi Sanctorum Pontificum Innocentii I. Leonis I. Hilari, & Gregorii Magni. 112.

Excurſus IV. Auctoritas Symmachi Papæ laudati ab Iſidoro, contenta in Synodis Romanis quarta & quinta, celebratis initio ſexti, expenditur in eundem ſcopum reſtitutionis Præſulum expoliatorum, & pro Nicolao I. Papa, adverſus quoſdam recentiores. Unde & illuſtratur plurimum Iſidori Præfatio. 114.

Excurſus V. Idipſum comprobatur ex celebri Decreto Gelaſii I. & ex Epiſtula memorabili Vigili Papæ ad Profuturum Epiſcopum Bracarenſem; itemque ex alia S. Gregorii Magni. 116.

Diſſertatio VIII. *An jure Iſidorus in hac Præfatione dixerit, plura quam viginti Capitula Concilii Nicæni in multis inveniri locis.* 119.

Excurſus I. Eruditorum fere omnium hujus ſæculi opinio, eorumque potiora fundamenta, quibus ſuadetur, Canones Nicænos non fuiſſe plures quam viginti. 119.

Excurſus II. Profertur ſententia Iſidori affirmantis, ejuſque argumenta examinantur; & aliqua quidem levia eſſe oſtenduntur; alia vero majoris momenti urgentur, & confirmantur multipliciter. 120.

Excurſus III. Examinatur quintum argumentum Iſidori, & roboratur multiplici ex capite, Acta Concilii Nicæni a principio grande volumen impleviſſe; quod proin-

 e a de

Digitized by Google

de pluribus longe Canonibus, quam viginti, conſtaret. 113.

Excurſus IV. Argumento alio pene ἀναντιῤῥήτῳ, eruto ex duabus authenticis Epiſtolis Julii I. & Leonis I. Romanorum Pontificum, ſuadetur, Canones Nicænos plures, quam viginti fuiſſe. Exceptiones Recentiorum exploſæ. 126.

Excurſus V. Pluribus aliis veterum teſtimoniis certis, & exploratis comprobatur eadem Iſidori ſententia. Ubi de editione Canonum Nicænorum longe uberiore Turriani, & Ecchellenſis ex Arabico, quam fidem mereatur. 127.

Excurſus VI. Occurritur argumentis Auctorum contrariæ opinionis. Vbi de diſceptatione Patrum Concilii Carthaginenſis VI. cum Zoſimo Papa, ejuſque ſucceſſoribus, circa appellationes, & judicia transmarina. Oſtenditur adverſus Illuſtriſs. Marcam, judicia Synodorum Provincialium nunquam fuiſſe, aut eſſe ſuprema. 130.

Excurſus VII. Exhibentur κατὰ πόδας XX. præcipui Canones Nicæni, prout exſtant in antiquis Codicibus ex interpretatione Iſidori Collectoris. 133.

Joſephi Catalani Additio 136.

Diſſertatio IX. *An tribus primis ſæculis Eræ Chriſtianæ, præſertim poſt obitum S. Jacobi Apoſtoli, a Diſcipulis ejus, vel eorum ſucceſſoribus, celebrata fuerint Concilia aliqua intra Hiſpaniam, prætermiſſa in Collectione Iſidori.* 137.

Excurſus I. De duobus Conciliis, quæ dicuntur celebrata in Hiſpania primo ſæculo ſub perſecutione Neronis, juxta Chronicon Dextro adſcriptum. Porro illam certo affirmari ex columna quadam exſtante in Hiſpania, non autem ex Actis Græco-Latinis S. Photinæ, ut Bivarius, & alii volunt. 137.

Excurſus II. Examinantur eadem Chronici verba circa utrumque id Concilium, veluti celebratum ab Epiſcopis Diſcipulis S. Jacobi. Porro id veroſimile eſſe, cum certus ſit, & omni teſtimoniorum genere comprobatus, ejuſdem Apoſtoli adventus in Hiſpaniam, ac prædicatio, ſicuti & Diſcipulorum. Expenduntur in eum ſcopum loca aliquot Patrum ſecundi, ac tertii ſæculi, veluti S. Juſtini, S. Irenæi, Tertulliani, & S. Hippolyti. 139.

Excurſus III. Examinantur paullo accuratius quædam teſtimonia S. Hieronymi, S. Aprigii, & Venantii Fortunati, ſpectantia ad ſæculum quintum, & ſextum Eræ Chriſtianæ, circa prædicationem S. Jacobi Apoſtoli in Hiſpania. Ubi nonnihil obiter de Beato Presbytero, & Calliſto II. tum de Anaſtaſio Sinaita. 143.

Excurſus IV. Eadem traditio de prædicatione S. Jacobi in Hiſpania confirmatur apertiſſimo S. Iſidori teſtimonio in Libro de ortu & obitu Patrum, cujus γνησιότης comprobatur adverſus recentiores quoſdam. Confirmatio ex Miſſali, & Breviario Hiſpanico, probatis in Concilio IV. Toletano, cui idem Iſidorus præfuit anno DCXXXIII. Teſtimonium aliud luculentiſſimum S. Juliani, immo & omnium Toletanorum Præſulum ejuſdem ſæculi, ac ſequentium. Monumenta quædam eodem ſpectantia ex antiquiſſimo ms. Regii Monaſterii S. Æmiliani. 145.

Excurſus V. Tranſitus ad teſtimonia Patrum & Scriptorum octavi, noni, decimi, & undecimi ſæculi; ex quibus palam habetur continuatio perpetuæ traditionis circa prædicationem S. Jacobi in Hiſpania; non modo intra illam, ſed etiam in Anglia, Germania, & Gallia. Exceptiones quorundam contra opinantium, præſertim Natalis Alexandri, refutatæ. 147.

Excurſus VI. Continuatio ejuſdem traditionis duodecimo, & tertiodecimo ſæculo, teſtimoniis gravium Scriptorum confirmata, præſertim Caliſti II. Papæ. Vrgentur eadem teſtimonia nonnullis conſiderationibus 150.

Excurſus VII. Idipſum ex ſuperabundanti confirmatur traditione alia antiqua de adventu, & apparitione Deiparæ ad B. Jacobum, apud Cæſaraugustam Hiſpaniæ Vrbem; fulcita non ſolum teſtimoniis Pontificum, Regum, Scriptorumque quamplurium, ſed etiam variis monumentis antiquitatis Chriſtianæ, quorum aliqua expenduntur. 152.

Excurſus VIII. Præcipuæ difficultates adverſariorum objectæ, & ſolutæ. Varia Scripturæ loca in ſenſu germano explicata, juxta quæ nihil repugnat prædicationi S. Jacobi in Hiſpania. Porro cum ea optime cohærere, ut Paullus poſtea ibidem prædicaverit. Quod & alia vetera monumenta oſtendunt, 156.

Excurſus IX. Teſtimonia quædam ſanctorum Pontificum Gregorii VII. & Innocentii I. quibus maxime innituntur adverſarii, in ipſorum capita regeruntur; & multis hinc inde obſervatis, oſtenduntur nullatenus contradicere prædicationi S. Jacobi in Hiſpania, 158.

Excurſus X. Inaniter cavillari recentiores illos, qui circa prædicationem S. Jacobi in Hiſpania majorem traditionis antiquitatem deſiderant, quam re ipſa habeat. Porro illam non fuiſſe ortam in Concilio Toletano IV. ſed confirmatam pro ſacris Officiis Eccleſiarum Hiſpaniæ, quamvis forſan ſcripta veterum illam teſtantia a primis ſæculis Eræ Chriſtianæ jam tum periiſſent. 161.

Excurſus XI. Iterum de Conciliis illis primis, & de aliis pluribus, quæ ſecundo, ac tertio ſæculo dicuntur celebrata in Hiſpania. Porro fieri potuiſſe, ut aliqua eorum celebrarentur; de facto autem non conſtare, niſi ex Chronicis ſuſpectæ, aut nullius fidei, editis nomine Dextri, Maximi, Helecæ, Luitprandi, Juliani Perez, & Hauberti Hiſpalenſis. 162.

Joſephi Catalani additio 165.

APPARATVS AD CONCILIA HISPANIÆ
Pars II.

De Epiſtolis veterum RR. Pontificum ad Hiſpanos, in Collectione Iſidori exſtantibus. 169.

Epiſtola S. Anteri Papæ, & Martyris ad Epiſcopos Provinciarum Bæticæ, & Toletanæ.

Re-

Reſpondet conſultationi eorum, licere quidem Epiſcopis tranſitum, ſeu translationem ex una Eccleſia in aliam; non quidem ex avaritia, aut ambitione, & propria voluntate; ſed utilitate quadam, & neceſſitate aliorum, ac judicio potiorum &c. Videtur ſcripta anno ccxxxvii. 169.

Diſſertatio x. *An Epiſtola S. Anteri P. jure plerisque eruditorum ſuſpecta ſit.* 173.

Excurſus i. Difficultates aliquot contra auctoritatem hujus Epiſtolæ objiciuntur, & extricantur. 173.

Excurſus ii. An epigraphe ejuſdem Epiſtolæ ad Epiſcopos Provinciarum Bæticæ, & Toletanæ, illam ſuſpectam reddat. Ubi de diviſione antiqua Provinciarum Hiſpaniæ. 175.

Excurſus iii. An eadem Epiſtola centonibus poſteriorum Scriptorum interpolata fuerit, & proinde auctoritate careat. Occurritur argumento exinde petito, & concluditur, quid tandem de illa cenſendum ſit. 176.

Joſephi Catalani additio 178.

Diſſertatio xi. *De translatione Epiſcoporum ab una Eccleſia in aliam, permiſſa ab Antero Papa ex gravi, & urgente cauſſa; an vere ſolita, aut licita fuerit a priſcis Eccleſiæ temporibus uſque ad tempora Formoſi, & præſertim in Hiſpania.* 179.

Excurſus i. Translationes Epiſcoporum licere quidem, ubi communi utilitate, & neceſſitate urgente, præter ipſorum voluntatem, legitima auctoritate fiunt. Porro, tunc non intervenire mutationem ex parte Epiſcopi, ab Eccleſia prohibitam. 179.

Excurſus ii. Quomodo aliqui recentiorum opinentur, translationes Epiſcoporum, etiam quavis urgente neceſſitate, aut utilitate, non fuiſſe admiſſas ab Eccleſia primis novem ſæculis, uſque ad tempus Formoſi Papæ; & quibus argumentis id oſtendere nitantur. 180.

Excurſus iii. Oppoſita ſententia ab Auxilio Presbytero, Formoſi Papæ defenſore, tradita, ac plurimis exemplis confirmata, refertur, & diverſimode illuſtratur, ac vera oſtenditur. 181.

Excurſus iv. Nicephori Calliſti rationes, & exempla varia, quibus oſtenditur, omnibus fere ſæculis uſque ad tempus Formoſi Papæ, apud Orientales in uſu fuiſſe translationes Epiſcoporum ex cauſſa neceſſitatis vel utilitatis publicæ. Ubi obiter plura correcta, & obſervata adverſus quoſdam Scriptores. 183.

Excurſus V. Idipſum demonſtratur illuſtribus exemplis Hiſpanæ Eccleſiæ in Conciliis Tolet. x. xii. & xvi. adverſus quoſdam recentiores ajentes, Eccleſiam Latinam rigidiſſime abſtinuiſſe a translationibus uſque ad tempus Formoſi Papæ. 185.

Excurſus vi. Stabilitur denuo juſtitia earundem translationum, præſertim in Hiſpania factarum ſæculo ſeptimo, ex ſacris Canonibus, & Decretis Romanorum Pontificum, quorum varia loca illuſtrantur, aut vindicantur. Argumenta opinionis contrariæ objecta Excurſu primo, enervia oſtenduntur, & enodantur. 186.

Diſſertatio xii. *De tranſitionibus Epiſcoporum prohibitis ab Antero Papa, quam contrariæ ſint Canonibus ſacris, ac Decretis Romanorum Præſulum, quam illicitæ, & perniciosæ Eccleſiis.* 189.

Excurſus i. Appetiones, & tranſitiones ambitioſæ quorundam Epiſcoporum ad aliam Eccleſiam, præſertim majorem, aut opulentiorem, improbatæ ab Antero Papa, quam ſevere prohibitæ fuerint juxta ſacros Canones. Plures eorum illuſtrati. 189.

Excurſus ii. Indicantur Canones aliorum Conciliorum, in quibus idipſum traditur; & proferuntur varia diverſorum Pontificum Romanæ Eccleſiæ Decreta, ſevere prohibentia tranſitiones voluntarias. Exhortatio ad DD. Epiſcopos, eruta ex eiſdem Canonibus, & Decretis. 192.

Excurſus iii. Epiſcopum unuquemque jure divino contrahere vinculum ſpiritualis matrimonii cum propria Eccleſia, & fortius quidem, quam matrimonii carnalis; ut proinde non poſſit transferri ad aliam abſque diſpenſatione Summi Romani Pontificis, conceſſa ex cauſſa juſta. Varia Epiſtolarum Decretalium loca expenſa, aut illuſtrata. 194.

Excurſus vi. Explanantur cauſſæ legitimæ ad juſtam translationem Epiſcoporum exactæ, ſive ut Romanus Pontifex diſpenſet cum iis in ſolvendo priori conjugio ſpirituali. Eadem quoque conſideratio proponitur Principibus, & Conſiliariis, ne præſentent quemquam, niſi ex eiſdem cauſſis. Incommoda ex oppoſito ſecuta. 197.

Epiſtola Lucii Papæ primi ad Galliæ, atque Hiſpaniæ Epiſcopos. Ad annum Chriſti cclii. vel circiter. 199.

Diſſertatio xiii. *An Epiſtola hæc S. Lucii germana ſit, an potius ſuppoſititia, prout aliqui eruditorum ſuſpicantur.* 203.

Diſſertatio xiv. *De cauſſa Baſilidis Legionenſis, & Martialis Aſturicenſis, in Hiſpania Epiſcoporum, diſcuſſa hoc anno in Concilio Africano ii. Præſide S. Cypriano ad annum circiter CCLVII.* 206.

Excurſus i. Hiſtoria ejus controverſiæ deſumpta ex Epiſtola S. Cypriani ad Clerum, & plebes in Hiſpania conſiſtentes. Obſervationes nonnullæ circa illam. 206.

Epiſtola S. Cypriani Epiſcopi, & Martyris ad Clerum, & plebes in Hiſpania conſiſtentes, de Baſilide, & Martiale. 208.

Excurſus ii. Notæ uberiores in eandem S. Cypriani Epiſtolam. Porro Baſilidem, & Martialem depoſitos fuiſſe tanquam libellaticos deterioris conditionis, quam alios quoſdam, & reſtitutione indignos. Diſciplina Eccleſiæ veteris circa Epiſcopos reſtituendos. Monita ad Principes, & Conſiliarios eodem ſpectantia. Quis tandem fuerit finis controverſiæ prædictæ. 211.

Joſephi Catalani Additio 213.

Vita S. Xyſti II. Papæ. Additis ad marginem variis lectionibus mſſ. Codicum. 123.

Epiſtola S. Xyſti Papæ II. ad Epiſcopos Hiſpaniæ. 214.

Excurſus iii. Notæ in Epiſtolam S. Xyſti. Porro illam videri ſcriptam occaſione cauſſæ Baſilidis, & Martialis, nondum terminatæ tempore S. Stephani Papæ. Ambos

bos fuiſſe ſuis ſedibus reſtitutos a Xyſto, veluti depoſitos non ſervato juris ordine. Ordinationes aliorum in locum eorum, irritas fuiſſe declaratas. Finem denique totius controverſiæ neſcire adhuc. 216.

Excurſus IV. Criticorum plurium objecta adpræjactæ Epiſtolæ auctoritatem, extricantur. 217.

Vita Dionyſii Papæ ex Libro Pontificali Damaſo Papæ adſcripto. 218.

Epiſtola Dionyſii Papæ ad Severum Epiſcopum Cordubenſem, De Eccleſiis parochianis, ut ſingulæ ſingulis dentur Presbyteris, & ut nullus alterius parochiæ terminos, vel jus invadat. 219.

Notæ Variorum 220.

Joſephi Catalani Additio 220.

Vita S. Eutychiani PP. ex Libro Pontificali ſub nomine Damaſi, cum correctionibus mſſ. Lucæ Holſtenii, ex præſtantiſſimis Italiæ Codicibus. 221.

Epiſtola Eutychiani Papæ ad Joannem, & ad omnes Epiſcopos Bæticæ provinciæ, De fide Incarnationis Domini. 221.

Excurſus V. Notæ in eam Epiſtolam hiſtoricæ, & dogmaticæ. Porro ſcriptam fuiſſe præcipue adverſus hæreſim Paulli Samoſateni Epiſcopi, adhuc graſſantem. Objecta quædam contra illius γνησιότητα enervantur. 224.

APPARATVS AD CONCILIA HISPANIÆ *Pars* III. 226.

De ordine ſervato in celebrandis Conciliis Hiſpaniæ. 226.

Ordo celebrandi Concilium. 227.

Exhortatio ad Principem, alias Via Regia, & quæ illa. 230.

Diſſertatio XV. *De ordine ſervato in Conciliis antiquis Hiſpaniæ, & qualiter in iis ſe haberent Epiſcopi, ac Reges.* 233.

Excurſus I. Notæ in ea ſacra monumenta, ex Concilio IV. Toletano, cui prefuit S. Iſidorus, deſumpta quoad præcipuam ſui partem. Mos antiquus pernoctandi in Eccleſiis, præſertim in vigiliis ſolennitatum. Initium Concilii ſummo mane. Quinam ad illud ingrederentur, & quo ordine, ac ritu. Notarios quoque admiſſos, qui exceptores eſſent, & brevibus notis velociſſime deſignarent omnia ea, quæ dicebantur. 233.

Excurſus II. Reges Hiſpaniarum ſimul cum Optimatibus, ſive illuſtrioribus Viris, ad Concilia admiſſos fuiſſe, ipſorum initio tantum, atque in terram humillime proſtratos, ſecutis precibus Patrum pro iis. Lectiones præviæ Conciliorum præcedentium, & collationes præparatoriæ circa Fidei myſteria, & diſciplinam Eccleſiaſticam. Variæ preces intra triduum. Denúnciatio Concilii, ac dierum Nativitatis, & Paſchæ pro anno ſequenti. 236.

Excurſus III. Notæ in exhortationem ad Principem, ſeu Viam Regiam, qua ille officii ſui ab Epiſcopis hoc loco libere admonetur. Quam turpiter ſe gerant, qui injuſtum Principem lactant, & jura poteſtatis Regiæ ultra fas porrigunt. Porro Reges Hiſpaniæ in coronatione ſua accepiſse ab Epiſcopis unctionem, non qualemcumque, ſed ſolennem, ac Regiam; & quidem primos omnium inter Chriſtianos Principes. 237.

Joſephi Catalani Additio. 238.

Ejuſdem Catalani monitum ad Lectorem 239.

Diſſertatio XVI. *Quonam tempore, & anno celebratum fuerit Concilium Eliberitanum.* Ubi plura ad Chronologiam, & hiſtoriam ſpectantia. 240.

Excurſus I. Quorundam errata, & variorum opiniones, atque in iis D. Loaiſæ, referuntur, & refelluntur. Oſtenditur Concilium Eliberitanum non fuiſse celebratum eodem tempore, quo Nicænum Concilium, nec poſtea. 240.

Excurſus II. Uberius oſtenditur major antiquitas Concilii Eliberitani, quam Nicæni, immo & quam pacis Eccleſiæ a Conſtantino datæ; ut proinde ſaltem ante annum CCCXIII. & fervente adhuc perſecutione, celebratum fuerit. Objectiones quorundam, & in iis Stephani Baluzii, refutantur. 242

Excurſus III. Quo tandem anno coacta fuerit eadem Synodus. Relatis opinionibus aliorum, & præmiſſis pluribus ad Chronologiam perſecutionum variarum poſt initium quarti ſæculi; concluditur, videri celebratam intra menſem Majum anni CCCIII. 246.

Excurſus IV. Opinio exotica, ſive paradoxon Joannis Morini, autumantis, Concilium hoc celebratum fuiſse ante medium tertii ſæculi, & Imperium Decii Auguſti, refertur, & refellitur multipliciter; obſervatis pluribus, ac variis rebus, & monumentis circa chrono-taxin, & Paſſiones Martyrum in Hiſpania intra tertium ſæculum, & ſub initium quarti, paullo poſt hoc Concilium celebratum. 248.

Excurſus V. Oſtenditur adverſus eundem Morinum, nec in media poſteriori parte ejuſdem ſæculi tertii celebratum fuiſse hoc Concilium. Ubi plura ſpectantia ad chrono-taxin, hiſtoriam ſacram, & varias antiquitates Hiſpaniæ. Clauſula totius Diſſertationis. 250.

Aliud Joſephi Catalani monitum. 252.

Diſſertatio XVII. *De Conciliis Eliberitano poſterioribus intra, & extra Hiſpaniam, quibus magnus ille Oſius Epiſcopus Cordubenſis interfuit ſæculo quarto, una cum aliis Hiſpanis Præſulibus.* 253.

Excurſus I. Credibile eſse, magnum illum Oſium nonnulla Concilia poſt Eliberitanum celebraſse intra Hiſpaniam, quamvis Acta eorum non exſtent. Porro Synodum ab eo coactam fuiſse Cordubæ circa medium quarti ſæculi, & in ea damnaſse quos paulo antea Concilium Sardicenſe abdicaverat, reſtituiſse quos ſolverat. Quinam ii fuerint; & quanta inde laus Oſio. 253.

Excurſus II. De Conciliis interjectis Eliberitano & Cordubenſi, quibus Oſius adfuit cum aliis Hiſpaniæ Epiſcopis, tempore Sylveſtri Papæ, & Conſtantini Imperatoris, cui chariſſimus fuit; ac nominatim de Conciliis Arelatenſi, & Alexandrino. Geſta Oſii in utroque. 255

Ex-

Excurſus III. Eundem Oſium interveniſse cum magna nominis celebritate, ac præſediſse, & ſubſcripſiſse ante omnes alios Patres, *Magnæ* Synodo Nicænæ, veluti Legatum Sedis Apſtolicæ juſsu Sylveſtri Papæ, & aſsenſu Conſtantini Auguſti. Plura circa id obſervatu digna. Purro ipſum quoque Oſium adſuiſse Concilio Gangrenſi. 258.

Excurſus IV. Oſium pariter intefuiſse, ac præſediſse Concilio Sardicenſi, & pleroſque illius Canones ſuggeſſiſse, ac dictaſſe. Quanta eorum auctoritatas ſit, & nominatim ſecundi, conformis pluribus aliis Eliberitani Concilii antea ab eodem Oſio celebrati, quorum auctoritas confirmatur, contra Auxilium Scriptorem ſæculi x. & prorſusimmunis a labe Novatianiſmi oſtenditur. Ubi plura ad Hiſtoriam, & Chonologiam ſpectantia. 261.

Excurſus V. Oſium feliciſſimum futurum fuiſse ni jam centenarius circiter Corduba Sirmium profectus eſset, ſive potius adductus vi illata ab Imperatore Conſtantio ibidem Concilium indicente anno CCCLVI. poſterius alio Sirmienſi celebrato CCCLI. impulſu Photini Epiſcopi hæretici. Utri eorum adſuerit Oſius. Porro illum diu ac fortiter reſtitiſse novæ Fidei formulæ ibidem editæ, donec tandem flagellis, & tormentorum machinis excrucitus ſubſcripſit per vim, & io ſpeciem ſolum. 264.

Excurſus VI. Quænam fuerit nova illa Fidei formula, cui Oſius ſubſcripſiſse dicitur coactus in Concilio Sirmienſi. Porro plures alias præceſſiſse diverſorum, & priorem quandam Sirmii editam contra Photinum, anno CCCLI. abſente Oſio. Itaque poſteriorem aliam Sirmienſem anni Chri- CCCLVII. ipſi rribui a S. Hilario, ranquam Arianam. Dubitatur, an reipſa Oſius illi ſubſcripſerit ſciens, & prudens, licet invitus, & tormentis tractus. Illuſtre S. Athanaſii teſtimonium pro illo; ex quo colligitur, Oſium, aut non ſubſcripſiſſe illi formulæ, aut id feciſſe Catholico ſenſu, cujus ea capax erat. 266.

Excurſus VII. Excuſatur denno Oſius ab ea ſubſcriptione formulæ in Concilio Sirmienſi poſteriore anni CCCLVII. comparatione facta cum Liberio Papa, qui eodem tempore ſubſcripſiſſe legitur, & conſenſiſse damnationi S. Athanaſii, citra hæreſim tamen. Porro Oſium ionge minus peccaſſe, nimirum in ſola receptione Urſacii, & Valentis Arianorum ad ſuam communionem. 269.

Excurſus VIII. Perſecutio illata Oſio ab Imperatore Conſtantio, impulſu Arianorum, & reſiſtentia diuturna illius, ac merita inſignia in Eccleſiam, referuntur illuſtri teſtimonio Sancti Athanaſii, Græce ac Latine edito. Notæ aliquot in illud. 271.

Excurſus IX. Quid reſponderit Oſius literis Conſtantii Imperatoris, hortantis, & urgentis, ut Corduba Sirmium proficiſceretur, quo ibidem ſubſcriberet damnationi Athanaſii, & factioni Arianorum. Epiſtola ejuſdem Oſii Græce ac Latine exhibetur. 273.

Excurſus X. Obſervantur nonnulla in præjactam Epiſtolam Oſii ad Conſtantium, Sacerdotali ſpiritu ac libertate plenam; Oſium ſub initium quarti ſæculi tormenta, & vibices pro Chriſti Fide paſſum. Ætas illius & Conſtantii invicem computata. An re ipſa ſecum in Hiſpaniam detulerit Athanaſium. Impudentia Conſtantii æternitatem ſibi tribuentis ab Oſio reprehenſa. 275.

Excurſus XI. Diſſeritur, an Oſius poſt lapſum illum miſerandum in Concilio Sirmienſi ſerio pœnituerit, an potius impœnitens horrendam mortem ſubierit. Veterum teſtimonia ipſius famæ in ſpeciem adverſantia objiciuntur, & urgentur, præſertim Sanctorum Hilarii, & Euſebii Vercellenſis, ac Iſidori Hiſpalenſis, juxta quædam exemplaria mſs. 277.

Excurſus XII. Oſtenditur ex oppoſito illuſtribus S. Athanaſii teſtimoniis, non ſolum mira fortitudo, & libertas Sacerdotalis Oſii adverſus Imperatorem Conſtantium, & reliquos Arianos, pro Catholica Fide, uſque ad plagas, & rotas; ſed etiam pœnitentia poſt lapſum, exſecratio hæreſeos Arianæ, & pia mors apud Sirmium; non autem horrenda apud Cordubam, ut alii fabulantur. 279.

Excurſus XIII. Eadem Oſii reſipiſcentia, & pia mors confirmatur, non modo ſolutione argumentorum, quæ Excurſu x. objecta ſunt, ſed etiam conſiderationibus variis, ac teſtimoniis aliis S. Athanaſii, ac Theodoreti. Auctoritas S. Iſidori objecta examinatur, & oſtenditur, aut ſubdititia, aut nihil probans. Meram fabulam eſſe narrationem illam de horribili morte Oſii apud Cordubam. 281.

Excurſus XIV. Oſtenditur luculentius adhuc ex ſacris monumentis ejuſdem temporis, narrationem illam adverſus Oſium, ne umbram quidem veritatis habere. Inſuper, nullum Hiſpaniæ Epiſcopum conſenſiſse Ario ab exorta ejus hæreſi uſque ad finem, ſub Imperio Valentiniani. 284.

Excurſus XV. Expenditur obſcurus locus S. Auguſtini pro Oſio, & verus ipſius ſenſus oſtenditur ex Actis Concilii I. Arelatenſis in Gallia celebrati; ac concluditur ejuſdem Oſii defenſio, allegatis Scriptoribus, qui illum tuentur, nemine jam ex Catholicis diſcrepante. Monitum ad recentes Ariomanitas. 286.

Diſſertatio XVIII. *De variis Conciliis, quæ dicuntur celebrata in Hiſpania ante, & poſt Eliberitanum, nullatenus contentis in Collectione S. Iſidori Hiſpalenſis. Ubi de Chronicis Dextro, Maximo, Luitprando, Juliano Perez, & Hauberto, adſcriptis, apud quæ indicantur plurima Hiſpaniæ Concilia.* 289.

Excurſus I. Plurima Concilia, tanquam celebrata in Hiſpania, memorata in Chronicis, a centum circiter annis circumferri ſolitis nomine Dextri, Maximi, Helecæ, Luitprandi, ac Juliani Perez, nullatenus indicata a S. Iſidoro, vel quopiam alio Scriptore, uſque ad finem fere præcedentis ſæculi. Eorum pſeudo-chronicorum Auctor, ſive architectus innumerabilium fictio-

fictionum, quiſnam fuerit? 289.

Excurſus II. Ex ſcriptis nondum editis Cl. Viri Nicolai Antonii protexitur brevis narratio, in qua de ortu, progreſsu, & interitu jam imminente eorum pſeudo-chronicorum agit, præſertim Dextri, & promittit uberiorem eorum refutationem. 291.

Excurſus III. Quodnam judicium tulerint de eiſdem Chronicis Viri alii inſignes, pariter & de Chronico Hauberti Hiſpalenſis nomine edito, & obtruſo circa medium hujus ſæculi. Auctoris proteſtatio valde notanda. 293.

Excurſus IV. De Conciliis, quæ juxta Chronicon Dextro adſcriptum dicuntur celebrata in Hiſpania apud Eliberim, & Cheronem prope Valentiam, intra primum ſæculum Eræ Chriſtianæ, a primis Epiſcopis, præſertim S. Jacobi Diſcipulis. Quid in ea parte ſentiendum ſit, etiam ab ipſis Eccleſiis, in quarum honorem ea antiquitatis monumenta, aliaque ſimilia, ex iis Chronicis circumferuntur. 294.

Excurſus V. De variis Conciliis, quæ dicuntur ſecundo, ac tertio ſæculo celebrata in diverſis Hiſpaniæ locis, juxta Chronica illa ſubleſtæ fidei, Dextro, Maximo, Juliano, & Hauberto adſcripta. Refutantur omnia iſta, veluti ἀποβολιμαῖα, aut ſubdititia. 296.

Excurſus VI. De Concilio quodam Toletano, quod juxta Chronicon Dextro adſcriptum dicitur celebratum anno CCCXI. in defenſionem Eliberitani. Oſtenditur illud eſſe ſuppoſititium, & plura ibidem, atque in aliis pſeudo-chronicis narraria veritate aliena, præſertim circa cultum SS. quæ animadverſione, & correctione egeant. Indiculus Chronologicus Conciliorum Hiſpaniæ, quæ primis quatuor ſæculis Eræ Chriſtianæ celebrata dicuntur in novis pſeudo-chronicis. 298

Excurſus VII. Defenſores eorundem pſeudo-chronicorum admonentur, & dedocentur teſtimoniis Virorum graviſſimorum intra, & extra Hiſpaniam, præſertim e Societate Jeſu, qui detexerunt eorum fabuloſam inventionem, commenta, fictiones, parachroniſmos, & abſurditates; ut proinde iis nulla fides adhibenda ſit, neque circa Concilia Hiſpaniæ, neque circa alia innumera paradoxa, niſi aliunde certo aliquo teſtimonio antiquorum, aut veteri, atque recepta traditione confirmentur. 301.

Excurſus VIII. An tempore S. Damaſi habitum fuerit in Hiſpania Concilium aliquod adverſus Arianos, & quale illud fuerit. Ubi plura obſervatu digna ad Hiſtoriam, & Chronologiam Eccleſiaſticam ſpectantia. 304.

Epiſtola Melchiadis Papæ, ad omnes Hiſpaniæ Epiſcopos, noviter correcta juxta antiquiſſima mſſ. De accuſatonibus, & jurgiis, & ut nemo alteri infeſtus ſit. De Baptiſmo, & impoſitione manuum Epiſcoporum; utrum eorum aliud ſine altero ſufficiat, aut majus eſſe videatur. 307.

Notæ Severini Binii. 310.

Diſſertatio XIX. *An Epiſtola hæc nomine S. Melchiadis Papæ inſcripta ad Hiſpanos, ſit germana; & qualiter extricari poſſint criticorum nodi, illam ſuppoſitionis arguentium*. 311.

Epiſtola Liberii Papæ ad Oſium Epiſcopum Cordubenſem, de lapſu Vincentii. Circa annum Chriſti CCCLIII. 315.

Notæ Variorum. 315.

Concilium Cordubenſe Præſide Oſio celebratum anno circiter CCCL. vel juxta alios CCCLA. Ex Synodico apud Labbeum Tomo II. Concil. pag. 91. 315.

Epiſtolæ tres Sancti Paciani Epiſcopi Barcinonenſis ad Sympronianum Novatianum. Prima, *De Catholico nomine*. Secunda, *De literis ejuſdem Semproniani*. Tertia *contra tractatus Novatianorum*. Collatæ modo cum ms. pulcherrimo Sereniſſimæ Suecorum Reginæ, octingentorum circiter annorum antiquitatis, exiſtante nunc in Bibliotheca Vaticana, addita ad marginem varietate lectiunum. 316.

Epiſtola I. Sancti Paciani ad Sympronianum Novatianum, *De Catholico nomine*. 317.

Obſervatio in hanc Epiſtolam 320.

Joſephi Catalani Additio. 320.

Epiſtola II. S. Paciani Epiſcopi Barcilonenſis ad Sympronianum, De ejus literis. 321.

Epiſtola III. Sancti Paciani Epiſcopi Barcilonenſis ad eundem, *Contra tractatus Novatianorum*. 324.

Notæ in hanc Epiſtolam. 336.

Paræneſis ejuſdem S. Paciani, ſive Libellus exhortatorius ad pœnitentiam. 336.

Notæ Cardinalis de Aguirre in Scripta S. Paciani, & ſpeciatim in Epiſtolam primam. 342

Notæ ejuſdem in Epiſtolam ſecundam. 344.

Notæ ejuſdem in Epiſtolam tertiam. 345.

Notæ ejuſdem in Paræneſin, ſive Libellum exhortatorium ad pœnitentiam. 347.

Corollaria quædam opportuna, circa doctrinam veterum Hiſpaniæ Patrum, *De Pœnitentia agenda*. 354.

Joſephi Catalani Additio 355.

Hactenus Index Summarius eorum, quæ hoc I. Tomo continentur juxta noſtram hanc novam editionem. Sequitur mox dedicatoria Epiſtola præſtantiſſimi Cardinalis de Aguirre ad Carolum II. Hiſpaniarum Regem Hiſpanico idiomate exarata, tametſi præfixa latino Operi; ſimilemque Epiſtolam legere eſt itidem Hiſpanice ſcriptam a Clariſſimo Viro Ferdinando Mendoza ad Philippum II. ut ex ſolis hiſce duobus exemplis doctiſſimorum Auctorum intelligas, perperam mihi nonnullos objeciſſe, quod in editione Romana Annalium Italiæ, celeberrimi Ludovici Antonii Muratorii, cum Præfationibus criticis Italice ſcriptis, Dedicatoriam Epiſtolam ad Regnantem Pontificem BENEDICTUM XIV. quam Tomo I. præfixi, Latino idiomate ſcripſerim.

Digitized by Google

A LA MAGESTAD CATHOLICA

DE DON CARLOS SEGUNDO,

REY DE LAS ESPAÑAS, Y NUEVO MUNDO, &c.

SEÑOR.

ENTRE las demas obras magnificas, y verdaderamente Reales, que tomò, por ſu cuenta àquel Gran Monarca, el ſeñor D. Felipe II. Viſabuelo de Vuestra Magestad, ſiempre hà ſido y ſerà aplaudida en el mundo la celeberrima Biblia, que por reſpecto ſuyo ſe llama Regia, interviniendo en la edicion, y ſu contextura el inſigne varon Benito Arias Montano: deſpues, las Obras todas de S. Iſidoro Arçobiſpo de Sevilla, à cuydado de hombres doctiſſimos: y aſſi miſmo los Concilios antiguos de Eſpaña, à diligencia del Doctor Don Garzia de Loayſa, Maeſtro del Sereniſs. Principe D. Felipe III. deſpues Arçobiſpo de Toledo: y finalmente el Concilio Eliberitano y ſu defenſa, compueſta por el muy erudito y celebre ingenio de D. Fernando de Mendoza. En la edicion coſtoſa de dichos libros, no ſolo conſiguiò aquel Prudentiſſimo Monarca mucha gloria para Dios, utilidad para la Yglesia Catholica, y eſpecial luſtre para ſus Reynos; ſino tambien glorioſo nombre para sì: pues haviendoſe dilatado aquellos Volumenes por todo el mundo, y permaneciendo haſta el fin de èl, ſiempre llevan, y llevaràn conſigo, en ſu ſobreſcrito y dedicatorias, el nombre, la magnificencia, y los elogios de tan incomparable Rey, que à ſus expenſas y Catholico zelo, les diò luz y vida.

Ahora, SEÑOR, ſe ofrece occaſion, de que en tiempo de Vuestra Magestad ſalga à luz otra Obra en algun obſequio de Dios, utilidad de la Yglesia Univerſal, y en eſpecial de todos ſus Reynos: que es la Coleccion de todos los Concilios Latinos Nacionales, y Provinciales, que en ellos ſe han celebrado haſta hoy: las Epiſtolas Decretales mas inſignes de los Papas, eſcritas à Eſpaña, deſde el tiempo de la Primitiva Yglesia: y otras memorias antiguas y ſagradas, que con ſingular trabajo y diligencia hè procurado buſcar, y juntar de diferentes Autores, librerias antiguas, archivos, y manuſcritos fideliſſimos, en eſpecial dela Grande Yglesia de Toledo, honor no ſolo de Eſpaña, ſino del Orbe Chriſtiano, y una de las mas precioſas margaritas, que Vuestra Magestad tiene en ſu Real Corona: porque mediante el patrocinio y favor del Cardenal Portocarrero ſu Arçobiſpo, tan zeloſo del ſervicio de Dios, del bien de la Yglesia, y del obſequio de Vuestra Magestad, hallè en la Bibliotheca manuſcrita de aquel auguſto Templo varios monumentos, nunca impreſſos haſta ahora, conque aumentar y enriquecer eſte aſſunto. El Doctor Loaiſa ſolamente ſacò à luz los Concilios de Eſpaña celebrados haſta el año de ſetecientos y doze, con Notas muy doctas ſobre ellos: pero omitiò todos los ſiguientes Concilios, y caſi todas las Epiſtolas Decretales de antes y deſpues; y otras muchas memorias ſagradas de Eſpaña, que acaſo no tuvo dicha de hallar. Pero ſue Dios ſervido de guardar eſſa felicidad haſta el Reynado de Vuestra Magestad: paraque como en la piedad, en la religion, en el temor ſanto de Dios, y zelo del bien de ſu Yglesia, no es inferior à ſus Glorioſos Progenitores; aſſi tambien ſea ſingularmente feliz, por haver ſalido en ſu Reynado a luz publica todos los Canones y Decretos de aquellos Santos y graviſſimos Padres, que fueron Autores de los Concilios de Eſpaña, luz y ornamento de la Yglesia Catholica.

Los Concilios y Epiſtolas Decretales, y otros eſcritos que ſalen en eſta Obra, fueron el deguello de todas las heregias, y errores, que inquietaron la Yglesia en ſus tiempos. El venerable Oſio Obiſpo de Cordova, que con los demas Prelados Eſpañoles ſe hallò en el Concilio Eliberitano cerca de Granada, fue quien deſpues preſidiò en nombre de San Sylveſtre Papa al primer Concilio Univerſal Niceno, y en el condenò las dos capitales y contrarias heregias de Sabelio y Ario, pronunciando el primero contra ellos el Symbolo dela Feè; y deſpues en el Sardicenſe, que fue come apendiz de aquel ſacratiſſimo Concilio. La heregia de los Novacianos, que negavan haver poteſtad en la Yglesia para perdonar peccados, quien mas acremente la confutò, que San Paciano Obiſpo de Barcelona, y deſpues otros Obiſpos de Eſpaña, e ſpecialmente en los Concilios Toletanos? La verdad y realidad del admirable Sacramento de la Euchariſtia (tan ſingularmente venerado de la Caſa Auguſta de Austria, y de Vuestra Magestad con piedad ſin exemplo) fue confirmada en los Concilios Eliberitano, Ceſarauguſtano, y otros muchos deſpues. Los errores de Macedonio, Apolinar, Pri-

ſciliano, Neſtorio, Eutyches, y otros Hereſiarcas antiguos, fueron ſolemnente condenados en los Concilios de Toledo, Sevilla, Braga, y Galicia. En aquellos tambien, antes que en algun otro, fue varias vezes definida la proceſſion del Eſpiritu Santo del Padre y del Hijo juntamente, y pueſta en el Symbolo, contra muchos de los Griegos, que la negavan, y niegan hoy. Haviendo cundido la heregia Ariana en eſſos Reynos, los Padres del Concilio III. de Toledo, y entre ellos S. Leandro Arçobiſpo de la grande Ygleſia y nobiliſſima Ciudad de Sevilla, eſpecial amigo de S. Gregorio el Magno, que entre los demas Obiſpos congregados à la Synodo brillava como el Sol entre las eſtrellas, la extirparon del todo, ayudados del glorioſiſſimo Rey Recaredo, Progenitor de Vuestra Magestad, de ſuerte que nunca deſpues renaciò aquella hydra. Que peſtes de heregias no ſe deſterraron en varios Concilios de Eſpaña, preſidiendo à ellos S. Iſidoro, S. Eugenio, y S. Julian, Arçobiſpos, aquel de Sevilla, y eſtos de Toledo? La blaſphema impiedad de Joviniano, Helvidio, y los Judios, que negavan la perpetua virginidad de MARIA ſantiſſima, quien la hizo ſepultar, ò olvidar, ſino es S. Ildefonſo con ſus celeſtiales eſcritos? El delirio de los Monothelitas condenado en la Synodo Sexta General, fue luego anathematizado en el Conc. XII. de Toledo, precediendo paraello carta de S. Leon II. Papa al miſmo Concilio, y al Arçobiſpo S. Julian, que preſidia en èl. El error de Felix y Elipando, que decian ſer Chriſto hijo adoptivo de Dios, impugnado fue, y confutado por Eterio y Beato en Eſpaña, antes que fueſſe condenado en el Concilio Francofordienſe de Alemania. Dexo à parte otras muchas heregias, que en los ſiguientes ſiglos haſta hoy fueron y ſon anathematizadas por la Yglesia: las quales ſe hallan notadas en eſtos Concilios y monumentos ſagrados, que ſaco à luz. Por ellos ſe verà claramente, que los Sereniſſimos Reyes Godos de Eſpaña, Progenitores de Vuestra Magestad, mas de mil años hà, y primero que algun otro Monarca del Orbe Chriſtiano, fueron ungidos con uncion Regia (de eſta ſola hablo) ſolemnemente al tiempo de recibir la Corona. El elogio de Christianissimo, dieron al miſmo Rey Recaredo los Obiſpos de Eſpaña y Gallia Narbonenſe en un Concilio de Toledo, año DXCVII. y un año deſpues los Obiſpos de Eſpaña Tarraconenſe en el Concilio de Barcelona. El renombre de Catholicos, que es como propria diviſa de Vuestra Magestad, y de ſus glorioſiſſimos Aſcendientes, hà mas de mil y cien años que inconcuſſamente le gozan. Todo eſto conſta clariſſimamente de los Concilios y monumentos que ſaco à luz en eſta Obra, ſin haver coſa alguna en ello, de cuya authoridad ſe pueda dudar: por que todo eſtà fielmente copiado de manuſcritos antiguos y authenticos de las Yglesias y Monaſterios de Eſpaña, y otros archivos fideliſſimos, en quienes nadie hà ſoſpechado dolo alguno. Nada de eſto tiene comercio con los Chronicones recien impreſſos, defendidos de unos, impugnados de otros. Aſſunto tan ſagrado como eſte, no convenia mezclarſe con noticias, cuya verdad, ò exiſtencia anduvieſſe en opiniones. La Colecccion de los ſagrados Canones, Concilios, y Epiſtolas antiguas Decretales delos Papas deſde S. Clemente à Siricio, con otras ſiguientes haſta tiempo de S. Gregorio Magno, hecha por Iſidoro Mercator, como quieren algunos, pero à la verdad por S. Iſidoro Arçobiſpo de Sevilla, como yo examino y mueſtro claramente en eſte primer Tomo; aunque tiene algunas difficultades quanto à la authoridad de dichas Epiſtolas, es digna de toda veneracion: y en la defenſa de ella hè empleado mi mayor eſtudio y deſvelo, aſſi en Eſpaña, como en eſta Corte, quanto permite la ſumma difficultad de eſſa materia, por faltar papeles authenticos de aquellos primeros ſiglos de la antiguedad Chriſtiana: y aſſi en muchas coſas hà ſido preciſo valerme de conjeturas, bien que fundadas en teſtimonios indubitables de otras Epiſtolas Decretales ciertas, y de Concilios, y Padres comunmente recibidos. Pero por quanto la inteligencia de muchas coſas contenidas en dichas Epiſtolas, Concilios, y Eſcritos, es dificil, y neceſſita de examen y declaracion, añadì à ellos varias Diſſertaciones Hiſtoricas y Eccleſiaſticas, con obſervaciones, aſſi agenas, de inſignes varones, como mias. A los principios del año de 1686. eſtampè en Salamanca una Synopſi, ò Compendio de lo que entonzes tenia para imprimir en quatro grandes volumenes. Embiè muchos exemplares del dicho Compendio à diferentes Yglesias, Provincias, y Ciudades de dentro y fuera de Eſpaña, paraque ſi acaſo en ſus archivos, ò librerias, hallaſſen algunos monumentos ſagrados nunca impreſſos, que perteneciesſen al aſſunto de eſta Obra, me los remitieſſen. Embiaronme de muchas partes manuſcritos varios: pero pocos de ellos concernientes al aſſunto: y aſsi me ha parecido reſervarlos para otro, con muchos que yo antes havia juntado, y no pueden caber en eſtos quatro Tomos. Los mas inſignes ſugetos de Eſpaña, que tuvieron noticia de eſte intento mio, y vieron el Compendio, deſſearon mucho la impreſſion de eſta Obra: en particular el Obiſpo Inquiſidor General de eſſos Reynos D. Die-

Digitized by Google

D. Diego Sarmiento de Valladares, varon de tan ſublime talento, y celebre por ſu grande ſabiduria; y el Obiſpo de Siguenza Carbonel, Confeſſor de Vuestra Magestad, Prelado muy docto y exemplariſſimo, que con inſigne opinion de piedad murió ſantamente à cinco de Abril de 1692. Ambos con indecibiles veras deſſearon y ſolicitaron, que yo eſtampaſſe eſta Obra haſta Agoſto del año 1686. diſcurriendo como hallar medios para el gaſto de la edicion. Pero quando ſe tratava de ella, y yo en el rincon de la celda proſeguia con eſſa tan laborioſa tarea, me llegò impenſadamente à Salamanca en 18. de Septiembre del miſmo año de 1686. un correo expreſſo de Roma con las noticias de haver ſido ſervido Innocentio XI. de ſanta memoria (cada dia mas celebre en la Ygleſia haſta hoy por ſus heroicas virtudes, y ſama publica de innumerables prodigios, que ſe refieren hechos à invocacion ſuya, deſde que muriò) de honrar mi pequeñez con el Capelo Cardinalicio: lo qual pareciò coſa de ſueño: por ſer notorio à todos, y mucho mas à mi miſmo, quan ageno eſtava yo, y quan lexos de merecer una Dignidad tan alta. Y conociendolo aſsi, el miſmo dia eſcrivì à Vuestra Magestad, proteſtando mi inſufficiencia, y que ſi fueſſe guſto Suyo, paſſaria oficios còn aquel Santiſſimo Pontifice, a favor de alguno ò otro vaſallo ſuyo de tantos benemeritos, y mucho mexores que yo, paraque fueſſe preferido en eſſe honor, tan improporcionado para mi. Pero Vuestra Magestad fue ſervido de mandarme por medio del Conde de Oropeſa que acceptaſſe, moſtrando en ello ſingular agrado, y ofreciendome en todo ſu Real patrocinio y favor: que hè experimentado continuamente haſta hoy, con indecible benignidad y magnificencia ſuya deſde ſiete años à eſta parte: haviendo procurado ſiempre de la mia correſponder con aquella buena ley, amor, y fieles obſequios que hè podido en todas las dependencias de ſu Real ſervicio, y del bien de eſſa grande Munarquia, que han aqui occurrido, y ſe ofrecen frequentemente. En todo eſte tiempo, las continuas occupaciones que trahe conſigo eſta Dignidad, y aſſiſtencia à tantas Congregaciones ſagradas, me han impedido el ſacar a luz eſta Obra: y ſolo hè tenido lugar de añadir algunas notas, ò obſervaciones, con ocaſion de haver leido a qui paples antiguos, ò libros, de que antes no tenja noticia: porque todo lo principal de ella ſale como yo lo tenia en Eſpaña diſpueſto para la prenſa. Eſpero en Dios que de la impreſſion de ello reſulte algun obſequio ſuyo, y utilidad comun de la Yglesia, en eſpecial de las que pertenecen à todos los dilatados dominios de Vuestra Magestad en uno y otro mundo. Hallaràn en eſtos Concilios, Epiſtolas Decretales, y otros monumentos ſagrados no ſolo una fuerte armeria para defenſa de la Feè Catholica, contra qualeſquiera heregias y errores contrarios à ella; mas tambien para eſtablecer y reſtaurar la diſciplina Eccleſiaſtica, y mirar por la reformacion de coſtumbres, aſsi en el Clero, como en el pueblo: à la qual concurrian antiguamente con indecible piedad aquellos inſignes Reyes de Eſpaña, antes y deſpues de la perdida y reſtauracion de ella, hallandoſe preſentes con ſingulariſſima devocion y humildad à las primeras Actas, ò Preludios de dichos Concilios, y deſpues al fin y publicacion de ellos, recibiendo mil aclamaciones de los Obiſpos y Padres congregados (de quienes los mas inſignes van retratados en la lamina, que precede à eſtos Tomos, y à ſus pies los Hereſiarchas vencidos) y dando ſu Real patrocinio para que ſe obedecieſſe todo lo eſtatuido por ellos. Coſa verdaderamente digna de admiraciones, lo que paſſava en eſto, y que apenas puede leerſe ſin lagrimas de devocion y gozo, viendo la incomparable religion de aquellos fortiſsimos y glorioſsimos Reyes. Finalmente por ella merecieron ſer aclamados publicamente Christianissimos, Catholicos, y Orthodoxos (como conſta de las miſmas Actas) y dilatar por eſpacio de doze ſiglos haſta hoy ſu generacion en tan glorioſa ſerie de Monarcas Progenitores de Vuestra Magestad.

Servirà tambien eſte corto obſequio en mueſtra de gratitud, por el incomparable favor que Vuestra Magestad ſe ha dignado de hazer à la Religion de mi glorioſo Padre S. BENITO, concediendola para ſiempre una Cathedra de Prima de Theologia, y otra de Viſperas, en la inſigne Univerſidad de Salamanca: que no ſolo trahen con ſigo gran honor à nueſtra Orden, ſino tambien mucha ocaſion de aprovechamento en obſervancia, virtud, y letras. Por eſta utilidad eſpiritual, mas que por el decoro de nueſtro Habito, hà ſolicitado con tantas veras el ſobredicho favor: de que permanecerá en noſotros un immortal agradecimiento, con votos del alma, y oraciones continuas, para que Dios guarde muy largos años a Vuestra Magestad Catholica, con la fecundidad deſſeada, y felicidades perpetuas, para bien de ſu Monarquia, y de todo el Orbe Chriſtiano.

Roma a veynte y dos de Abril de mil ſeyſcientos y noventa y tres.

El Cardenal de Aguirre.

RATIO OPERIS

AD LECTOREM PIUM ET ERUDITUM ,

Ac ſacrorum Canonum , & Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſtudioſum .

I. CUM aliquanto tempore laboraſſem in colligendis omnibus Conciliis Hiſpaniæ , ac Novi Orbis , & celebrioribus Epiſtolis Romanorum Pontificum , aliiſque ſacris monumentis ad illam ſpectantibus , partim prælo excuſis , partim nondum editis , compilavi tandem magnam omnium eorum molem . Antequam vero eam publici juris facerem , anno octogeſimo ſexto hujus ſæculi decimi ſeptimi ineunte , prælo edidi Salmanticæ Synopſin ejus vaſti Operis , ſive Epitomen illorum omnium ; eamque distrahendam ubique locorum curavi intra & extra Hiſpaniam . Conſilium quippe erat excitare homines eruditos , & verſatos in iis ſacris monumentis, ut exquirerent in archivis , tabulariis , & chartophylaciis antiquis Eccleſiarum , Monaſteriorum , & Bibliothecarum inſignium , quæcumque eſſent eòdem ſpectantia : ut ſimul cum reliquis a me collectis ederentur , non abſque honorifica uniuſcujuſque illorum laude , & indicio grati animi .

II. Quamvis enim Cl.V & gravis Scriptor D. Garſias Loaiſa , Regius PHILIPPI TERTII Magiſter , & poſtea Archipræſul Toletanus , compilaſſet antiqua totius Hiſpaniæ Concilia , quotquot invenire potuit , celebrata uſque ad initium ſæculi octavi , & nonnulla alia monumenta ejuſdem temporis , reliqua tamen prætermiſit . Juſtum autem videbatur , ut quemadmodum Itali , Galli , Germani , & Angli , omnia Concilia vetera , & nova cujuſpiam momenti apud ipſos celebrata , ſtudioſe colligenda , & ſimul edenda curarunt ; ita & quiſpiam noſtratium iis omnibus , quæ apud Hiſpaniam celebrata ſunt quovis tempore , colligendis , & publica luce donandis incumberet .

III. Porro , præter Concilia Hiſpaniæ antea edita in Collectionibus Surii , Loaiſæ , Binii , Sirmondi , Labbei , & Coſſartii , plura alia nondum prælo expreſſa , aut rariſſima inventu , miniſtravit nobis Magna Eccleſia Toletana , juſſu Eminentiſs. & Reverendiſs. D mei Cardinalis Portocarrero , ipſius Archiepiſcopi , Primatis Hiſpaniarum , curante id imprimis Cl. V. D. Michaele del Olmo , Canonico , ac Bibliothecario Præſtantiſſima quoque Eccleſia Hiſpalenſis , ſicuti & Compoſtellana , Tarraconenſis , Cæſarauguſtana , Valentina , Burgenſis , & Salmanticenſis , plura alia Concilia , aut monumenta ſacra nobis contulerunt . Hiſpalenſia exhibuit nomine Illuſtriſſimi illius Capituli nobiliſſimus D Ludovicus Federichi , Canonicus & Archidiaconus Carmonæ . Tarraconenſia , & Cæſarauguſtana Illuſtriſs. D Ludovicus Exea Talajero ſummus Juſtitiæ Præfectus in Aragonia , ejuſque eruditiſſimus filius D. Joſephus de Exea Archidiaconus major Eccleſiæ Metropolitanæ S MARIÆ del Pilar , ſive de Columna . Valentina Excellentiſſimus Archiepiſcopus , & Prorex D Fr. Joannes de Roccaberti , curante id doctiſſimo viro D. Joſepho de la Torre Orumbella Canonico . Burgenſia exquiſivit literatiſſimus D. Martinus Perez de Segura , Archidiaconus Canonicus , nunc Fidei Quæſitor . Præterea multa alia mſs. miniſtrarunt eruditiſſimi Conſiliarii Regii , D. Petrus Valero , & D Joannes Lucas Corteſius , e pretioſis Bibliothecis ſuis . Contulit etiam non pauca D Joſephus Dormer , Hiſtoriographus Aragoniæ , libris pluribus editis ſatis notus ; ſed longe plura Excellentiſſimus D. D. Gaſpar de Mendoza Ibanez , Marchio Mundexarenſis , Tendillæ Comes ; cujus dono habuimus duo volumina mſs. quæ olim videntur fuiſſe apud Eminentiſs. D. Cardinalem Quirogam Archiepiſcopum Toletanum .

IV. Et ea quidem fere omnia habebamus Salmanticæ parata ad prælum , cum variis Diſſertationibus , & Notis , anno ipſo MDCLXXXVI. ac jam probata a Superioribus : cum glorioſiſſimus Pontifex INNOCENTIUS (occulto judicio Dei , ita volentis , aut permittentis) die ſecunda Septembris exiguitatem noſtram evexit ad hunc inſperatum Hierarchiæ gradum , & ſubinde ad ingentem curarum molem . Ea impediti hactenus , ac nova editione Theologiæ S. Anſelmi Romæ facta , non potuimus tam vaſtum Opus adhuc affectum perficere , aut prælo ſubjicere .

V. Itaque inter tot laborosiſſimas alterius generis occupationes , vix licuit Romæ ſeſennio ſere integro quippiam alicujus momenti adjungere , præter Diſſertationes aliquas , ac Notas in Concilia , & Epiſtolas Decretales veterum Pontificum , ad Hiſpaniam ſpeciatim ſpectantes. Harum vero exemplaria antiquiſſima , adhuc extantia in Bibliotheca Vaticana , licuit videre , & conferre cum aliis recentioribus, præſertim ad tuendam & illuſtrandam Collectionem Iſidorianam , quæ a quibuſdam Iſidoro Mercatori , ab aliis S. Iſidoro Hiſpalenſi tribuitur . In qua re examinanda & dirimenda totum ferè Apparatum hujus primi Voluminis impendimus .

VI. Plurima alia monumenta Hiſpaniæ , ad Eccleſiaſticam præſertim hiſtoriam ac diſciplinam ſpectantia , indicavimus in illa Epitome, ſive Synopſi excuſa anno MDCLXXXVI. tanquam edenda eſſent ſimul cum Conciliis . Illius exemplar quoddam delatum Lipſiam , celebrem Saxoniæ Urbem , anno MDCLXXXVIII inter Acta Literatorum relatum fuit ab illorum Auctoribus, præſertim ab Othone Menchenio . Verum poſtea viſum fuit pleraque eorum monumentorum amandare in aliud Opus : tum quod minus opportuna ſint præſenti inſtituto : tum præterea quod iis adjungendis non ſatis eſſent fortaſſe quinque prægrandia Volumina, & tanta mole deterrerent , aut alienarent animos Lectorum . Itaque ea quaſi παραλειπόμενα , ſeu relicta , loco opportuniori reſervamus , ſeligentes modo pauca , & non aliena a ſcopo hujus Collectionis . Inter iſta vero locum habebunt nonnulla ibidem indicata, & poſt noſtrum in Urbem adventum edita a Cl.V Stephano Baluzio , tum in nova Collectione Conciliorum ab ipſo inchoata, tum

Digitized by Google

tum in Marca Hiſpanica, ubi multa edidit, ex archivis Cataloniæ eruta ab Illuſtriſſimo D. Petro Marca Archipræſule Pariſienſi, quæ e re hujus Operis eſſe videntur.

VII. Ut autem facile, & veluti uno conſpectu, totius Operis ſeries & contextura innoteſcat, obſervandum eſt, Concilia Hiſpaniæ antiqua a nobis recudi, quam fideliter fieri potuit, juxta exemplaria mſs. quibus uſus fuit D. Loaiſa, indicatis ad oram variis lectionibus: in quibus diſcernendis laboravit ipſe plurimum poſt magnum illum Antonium Auguſtinum, religioſiſſimum in ea parte.

VIII. Porro antiquiſſimum illorum omnium exemplarium eſt Lucenſe, quamvis pene detritum ac lacerum vetuſtate nimia, ſine anno, aut nota aliqua temporis, ſcriptum opera cujuſdam Ayſtrulphi, aut Michaelis Dens. Ejus Codicis honorifica mentio eſt in Decreto Gratiani correcto juſſu Gregorii XIII. Papæ. Videtur ille multum præceſſiſſe Toletanos duos ſæculo undecimo ſcriptos, & Vvigilanum S. Æmiliani, atque Hiſpalenſem, qui intra decimum ſcripti fuerunt. Immo cum Eccleſia & Civitas Lucenſis (dicta *Lugo* apud Galleciam) nunquam occupata fuiſſe credatur a Sarracenis; videtur Codex ille perſtitiſſe in ipſa a tempore circiter Concilii Lucenſis celebrati Era DCVII. ideſt anno Chriſti DLXIX. Ac forſan illud ipſum exemplar dictatum fuit, aut ordinatum a Martino Bracarenſi Epiſcopo, qui tunc florebat, & tribus poſt annis interfuit Concilio Bracarenſi II. Nimirum idem Martinus eo tempore elaboravit Collectionem Canonum Orientalium, eamque miſit ad idem Concilium Lucenſe, & Epiſcopum Nitigeſium, qui præerat. Credibile autem eſt, ut qui collegit Canones Orientales, & e Græco in Latinum vertit, ac tradidit Lucenſi Eccleſiæ; pariter eidem traderet Collectionem Latinorum Conciliorum, Canonum, & Epiſtolarum Decretalium, quæ in illo exemplari vetuſtiſſimo Lucenſi habetur. Continet vero Epiſtolas CIII. Decretales. In iis illas veterum Pontificum a Clemente uſque ad Syricium (ac forſan puriores, & ſine aſſumentis aut centonibus poſtea adjectis) non dubito ſcriptas, ſicuti extant in reliquis exemplaribus, quibus D. Loaiſa uſus fuit.

IX. Idipſum ſervandum curavimus circa Præfationem Collectionis Iſidorianæ juxta mſs. Vaticanæ Bibliothecæ; præſertim juxta Codicem 630. optimæ notæ, ſcriptum anno circiter octingenteſimo ſexageſimo, tempore Nicolai Papæ I. in cujus Epiſtolis deſinit. Præfationem vero ipſam, quam recentes Conciliorum editores primo loco ponunt, pariter prætermittendam cenſuimus, & explanandam, ac vindicandam, quantum licuit, ab objectis, quibus plerique Criticorum ſtylum exacuunt contra illam, quaſi ſcriptam a quopiam Iſidoro Mercatore, quem *nebulonem impudentiſſimum* nonnulli appellant: cum tamen, potiori ſaltem ſui parte, ſcripta ſit a S. ISIDORO Archiepiſcopo Hiſpalenſi, vero auctore illius Collectionis Epiſtolarum Decretalium & Conciliorum uſque ad Concilium II. Hiſpalenſe, cui ipſe præfuit anno Epochæ Chriſtianæ DCXIX. Ea occaſione Epiſtolas veterum Pontificum uſque ad Syricium Papam in ea contentas, ſaltem ad Hiſpanos ſcriptas, ex inſtituto tuendas recipimus (licet cum delectu & moderatione) in Apparatu hujus primi voluminis ſatis longo, nec minus laborioſo.

X. Et certe magno animo, aut auſu opus fuit ad eam provinciam adeo difficilem ſuſcipiendam, in qua non modo cum Heterodoxis, ſed & Catholicis eruditioribus decertandum fuit: ut propterea aliqui eorum, etiam amici, ægre tulerint conatum noſtrum ad tuendum cauſſam adeo deſperatam, ut ipſi cenſent. Verum nihil moror frequentius eruditorum judicium, aut fortaſſe præjudicium, adverſus partem nondum auditam. Evolvant, quæſo, patienter Diſſertationes ejus Apparatus: & fortaſſe concedent in noſtram ſententiam, aut ſaltem quæſtionem in medio relinquent. Quod ſi adhuc opinio aut fama noſtra (quantula demum cumque eſt) alicubi periculo, aut temeritatis notæ apud delicatiores quoſdam, aut moroſos exponatur; tolerandum id, aut dandum cenſuimus venerandæ antiquitati, & præjudicio tot ſæculorum circa ea ſacra monumenta, quorum γνησιότητα, ſive αὐθεντίαν, nemo in dubium vocavit uſque ad medium ſæculi præcedentis, quo critice liberior initium habuit circa quævis ſacra monumenta, eo ſucceſſu & licentia plurimorum uſque ad noſtra tempora, ut jam aliqui, vel in Libros a Deo revelatos in utroque Teſtamento, ejuſmodi cenſoriam virgam ferre non metuant. Certe audaciam talem reprimere oportet, ac criticen certis terminis circumſcribere, ne impune vagetur, aut extra orbitam debitæ moderationis proſiliat.

XI. Apparatus itaque totius Operis ſatis vaſti, impenditur in explanationem, ac vindicias, tum Præfationis & Collectionis Iſidorianæ Conciliorum, tum Epiſtolarum ad Hiſpanos, priſcis Pontificibus adſcriptarum, uſque ad finem tertii ſæculi, quæ in ea habentur. In eum ſcopum collimant Diſſertationes quatuordecim Hiſtoricæ, Chronologicæ, & Criticæ, quibus Hierarchiam Eccleſiaſticam, Primatum Sedis Apoſtolicæ, honorem Pontificum octavi & noni ſæculi quodammodo impetitum a nonnullis Catholicis, & ſacrorum Canonum obſervantiam, tum ex teſtimoniis totius antiquitatis Chriſtianæ, tum varia ac multiplici eruditione, ſtabilire, & illuſtrare curavimus. Diſſerimus quoque de primis Hiſpaniæ Conciliis, quæ tribus primis Eræ Chriſtianæ ſæculis celebrata volunt nonnulli ab ipſo fere tempore S. Jacobi: eaque occaſione viſum fuit obiter confirmare ipſius prædicationem in Hiſpania ſelectis quibuſdam obſervationibus, adverſus nuperos illius impugnatores. Deinde prolatis in medium Epiſtolis SS. Pontificum, Anteri, Lucii I. Xyſti II. Dionyſii, & Eutychiani ad Hiſpanos, examinatur illarum γνησιότης aut νοθεία; eximunturque ſcrupuli, ob quos illarum auctoritas apud eruditos nutare ſolet. Denique de ordine ſervato in Conciliis Hiſpaniæ celebrandis, & qualiter in iis ſe haberent Epiſcopi, Presbyteri, ac Diaconi, qualiter etiam Reges initio, ac fine cujuſque Synodi, ſermo eſt.

XII. Hinc tranſitus ſit ad Concilium Eliberitanum, celebre quidem in Eccleſia ab ineunte quarto ſæculo: ſed multo celebrius ab eo tempore, quo impugnatum a multis, non modo Heterodoxis, ſed & Catholicis, divino Vir ingenio & eruditione incomparabili, ac ſubacto judicio, nobiliſſimus juxta ac piiſſimus D. Ferdinandus de Mendoza, tuendum recipit, initio fere Pontificatus Clementis VIII. ad quem libros

tres

tres Commentariorum ea de re direrit. Editi fuerunt juſſu PHILIPPI II. prudentiſſimi ac potentiſſimi Regis; & vix prælo egreſſi admiratione impleverunt, non modo omnes viros Hiſpaniæ doctos, ſed eruditos quoſque Italiæ, ac Galliæ, tam brevi, ac felici omnium exemplarium diſtractione, ut teſte V.Cl Philippo Labbè Tomo I. Collectionis Conciliorum col. 1007. vix aliquod inveniretur, niſi apud rariſſimos quoſdam, veluti theſaurus inæſtimabilis, & auro contra non charus Vide infra ubi & illius verba exſcribimus, & pluribus elogiis proſequimur eoſdem Mendozæ Commentarios, quibus in ſimili materia nihil doctius, terſius, aut eruditius, Sol aſpexit.

XIII. Negari non poteſt, eodem tempore quo Mendoza, graviſſimum Virum D. Garſiam Loaiſam, Regium Philippi II. Magiſtrum, & poſtea Archiepiſcopum Toletanum, in ſua Conciliorum Hiſpaniæ Collectione recudiſſe, ac Notis illuſtraſſe, & defendiſſe Synodum Eliberitanam. Verum parce id, & obiter præſtitit, ſicuti & circa reliqua Concilia: veluti qui omnia prælo edenda receperat unico volumine, & non poterat circa ſingula divagari. Mendoza autem collectis ingenii, doctrinæque viribus; unice incubuit eidem Concilio illuſtrando, ac tuendo, ea ingenii ſubtilitate, eruditione ſacra, ac profana, & criſi adeo exacta (prorſus mira eo tempore) ut omnibus aliis in ea parte longo exceſſu palmam præripuerit, & ſit *velut inter ignes luna minores*.

XIV. Cum jam omnia fere exemplaria ejus Concilii celeberrimi cum Mendozæ Commentariis diſparuiſſent, aut recondita eſſent in pretioſiſſimis quibuſdam Bibliothecis, Cl.V. D. Emmanuel Gonzalez, condiſcipulus noſter Salmanticæ in ſtudio utriuſque Juris, ſub Illuſtriſſimis Præceptoribus D. Martino de Hontiveros, & D. Franciſco Ramos del Manzano, ubique notis, ac poſtea celebris Canonum Profeſſor, & Regius Conſiliarius in ſupremis Senatibus Fidei ac Juſtitiæ, eadem locupletanda curavit Notis laudati Loaiſæ, Severini Binii, Gabrielis Albaſpinæi, & Franciſci Coriolani: quibus præterea proprias addidit longe uberiores: ut proinde ex omnibus iis juſtum volumen conſurgeret, quod luci publicæ dedit Lugduni anno MDCLXV. & ab omnibus doctis hominibus tam intra, quam extra Galliam, cum plauſu receptum fuit, ac laudatum apud Ephemeridas Eruditorum Pariſienſium anni ἀμέσως ſequentis MDCLXVI. Typographorum vero culpa fuit, quod editio illa innumeris erratis deformata prodierit, uti hodie apparet.

XV. Fidelius longe Commentarios Mendozæ expreſſit paullo poſtea Philippus Labbè Tomo I. laudatæ Collectionis Conciliorum anno MDCLXII ſeorſum tamen a Notis Loaiſæ, Binii, & Albaſpinæi; prætermiſſis omnino recentioribus iis D. Emmanuelis Gonzalez; licet omnes eæ ſimul ſeptennio antea Lugduni prodiiſſent. Fortaſſis politiſſimo illi Collectori ſalivam movit, aut faſtidio fuit tam frequens, immo denſa erratorum multitudo, quæ in iis paſſim occurrit vitio Typographorum.

XVI. Nunc autem in Collectione hac curavimus, tam Commentarios Mendozæ, quam omnes prædictorum Notas, & præſertim doctiſſimi Gonzalez (quæ pluribus ejuſmodi nævis ſcatebant, & ob inſignem pietatem, modeſtiam, eruditionemque omnimodam Auctoris, quaſi jure ſuo exigebant accuratiorem editionem) emendatiſſime recudi, & ordine debito collocari poſt unumquemque Canonem. Adjecimus præterea plures noſtras, ſed breves, veluti ſpicas quaſdam a meſſoribus iis relictas, præſertim ad mores corrigendos, & Eccleſiaſticam diſciplinam, quoad fieri poſſit, inſtaurandam. Etenim conditio rerum præſens ea eſt plerumque, & adeo miſeranda, in quolibet fere hominum genere, ut lectis Canonibus hujus Concilii, aliorumque Hiſpaniæ Tomo II. exhibendorum, & conſiderata innocentia vitæ, auſteritate diſciplinæ, rigore pœnitentiæ, ac puritate religionis erga Deum (quæ tunc longe ac late florebant in Chriſtianis omnibus, præſertim Eccleſiaſticis) paſſim ampliſſima ſit lugendi occaſio, & inſtaurandi quodammodo in Lectorum animis ſcintillam aliquam illius ignis, qui tot ſæculis arſit.

XVII. Itaque data, aut accepta occaſione ex Canonibus horum Conciliorum, ſtudemus promovere veterem illam pietatem, quatenus præſens rerum ſtatus ſinit, & antiquos revocare mores, a quibus mirum quantum diſtamus. Curæ quidem eſt in hoc Opere plurima exhibere ad criticem ſacram, Hiſtoriam Eccleſiaſticam, Chronologiam, & eruditionem ſpectantia. Verum potior ratio, & præcipuum ſtudium noſtrum, ſicut & prædictorum Interpretum, fuit confirmare Fidei, ac traditionum Apoſtolicarum dogmata (quæ maxime illuſtrantur Canonibus iſtis) & diſciplinam Eccleſiaſticam, ac doctrinam moribus corrigendis aptiorem tutioremque, jamdiu impetitam novis & laxis opinionum commentis, tueri, & veluti poſtliminio revocare. Utinam Deus piiſſimus, qui nobis, indignis licet, ac peccatorum pondere preſſis, deſiderium hoc aſſiduum concedere dignatur, aliquem illius fructum donet, ad gloriam Nominis ſui, & totius Eccleſiæ utilitatem.

XVIII. Sane non aliter expleremus partes officii noſtri, ſive hujus eximiæ dignitatis, ad quam occulto Dei judicio, aut volentis, aut permittentis, exiguitatem noſtram evexit ſanctæ memoriæ Pontifex, & rerum geſtarum gloria clarus INNOCENTIUS XI. Cum enim Cardinales ex vi muneris ſint intimi Conſiliarii & Coadjutores Romani Pontificis, non in ordine ad bonum regimen, aut reformationem unius provinciæ, aut regni tantum, ſed totius Orbis Chriſtiani; debent omnes pro virili laborare opere, verbo, ac ſcriptis, in eundem ſcopum; ac ſtudium, & curam ſuam, doctrinamque ſalutarem, tutiorem, imitationi Chriſti aptiorem, ſacris Canonibus conformiorem, ac proinde ſeveriorem porrigere, non in unam tantum, vel aliam Eccleſiæ partem, ſed in totam illam, quam longe ac late patet. Ut proinde poſt Apoſtolos, Romanos Pontifices, ac præcipuos, & primarios Eccleſiæ Doctores, in Cardinalibus ſpeciatim locum habeat ſententia illa Chriſti Domini; VOS ESTIS SAL TERRÆ. Quam Chryſoſtomus Homilia XV in Matthæum ita exponit: οὐ γὰρ τῆς Παλαιστίνης διδασκάλους εἶναί φησιν, ἀλλὰ τῆς γῆς ἁπάσης. οὐδὲ ἁπλῶς διδασκάλους, ἀλλὰ καὶ φοβερούς. *Non enim illos Paleſtinæ Doctores eſſe dicit, ſed TOTIUS TERRÆ: nec ſimpliciter Doctores, ſed ſeveros, atque terribiles.* Ut vertit Annianus.

Digitized by Google

XIX. At cur ſeveros? cur terribiles? Subibunt enim odium hominum fere omnium, quibus mollis, & laxa doctrina placet; ſevera autem, & auſterior horrori eſt. Verum timorem hunc ſtatim eximit Chryſoſtomus ipſe ſubdens. Τὸ γὰρ θαυμαστὸν τοῦτό ἐστιν, ὅτι οὐ κολακεύοντες, οὐδὲ θωπεύοντες, ἀλλ' ἐπιστύφοντες, ὥσπερ τὸ ἅλας, οὕτω ποθεινοὶ πᾶσι γεγόνατε. *Hoc eſt enim mirabile omnino, quod non adulantes, neque palpantes, ſed ex adverſo, SALIS INSTAR VRENTES, fere omnibus ſe tamen deſiderabiles reddiderunt.* Quod ipſum contigit non ſolum priſcis illis Cardinalibus, qui in Conciliis (præſente, aut probante Romano Pontifice) ſacros Canones auſteriori diſciplina plenos, & urentes inſtar ſalis, inſtituendos curarunt: ſed etiam poſterioribus, quotquot fere ab ineunte hac ſecunda chiliade annorum Eræ Chriſtianæ floruerunt ſanctitate, ac doctrina,

XX. Exemplo ſint (præter alios) Cardinales ſanctiſſimi, Petrus Damiani, Bonaventura, & Carolus Borromæus. Quiſnam in hac mundi quotidie labantis ſenecta, tenacior fuit Eccleſiaſticæ diſciplinæ, ac ſeveritatis ſacrorum Canonum, quantum ſinebat rerum conditio ſuo ipſorum tempore? Vitæ, res geſtæ, & ſcripta eorum, id abunde teſtantur. Unde Bonaventura in Confeſſionali, Cap. 3. ſimul cum Cardinali Oſtienſi Lib. 5. Titulo, *De pænit. & remiſſionibus*, inquit: *Vix nomen ſacerdotis meretur, qui Canones Pænitentiales ignorat.* Nimirum, illos, quibus acerbiſſimæ pœnæ pro peccatis indicebantur a ſanctis Patribus. Quamvis illæ tot ſæculorum curſu valde exoleverint, nec a quoquam privata auctoritate inſtaurari poſſint, & imponi, quatenus ex ſolo jure Eccleſiaſtico ortæ ſunt. At quamvis pleriſque hominibus ætatis illius initio horrorem, aut odium incuterent, poſtea ſalutem attulerunt, & amorem erga Auctores, ac venerationem reportarunt. Sane qui attentius evolverit Damiani ſcripta, & S. Caroli Concilia Mediolani habita, inveniet ardentiſſimum ſtudium ſacrorum Canonum ſervandorum, & auſterioris diſciplinæ in iis traditæ. Vide infra Lib. 2. Cap. ult.

XXI. Laudandus quoque eſt eodem titulo doctiſſimus Cardinalis Bellarminus: qui variis locis, præſertim in aureo illo Opuſculo, ſive Epiſtola ad Nepotem ſuum Epiſcopum Theanenſem, diſciplinam veterem ſacrorum Canonum, laxitate novarum opinionum extenuatam, atque impetitam, inſtaurare curavit. Verba illius præcipua exhibeo: *Si quis velit in tuto ſalutem ſuam collocare, is omnino debet certam veritatem inquirere, & non reſpicere quid multi hoc tempore dicant, aut faciant. Et ſi rei certitudo non poſſit ad liquidum apparere, debet omnino tutiorem partem ſequi, & nulla ratione, nullius imperio, nulla utilitate temporali propoſita, ad minus tutam partem declinare. Agitur enim de ſumma re, cum de ſalute æterna tractatur: & facillimum eſt, conſcientiam erroneam exemplo aliorum induere, & eo modo, conſcientia non remordente, ad eum locum deſcendere, ubi vermis non moritur, & ignis non extinguitur.*

XXII. Hæc ſcribebat piiſſimus ille Cardinalis ſub initium hujus ſæculi, quando Probabiliſmus nondum radices miſerat. Quid diceret longe poſtea, ubi tot monſtra opinionum adverſus Moralem Chriſtianam, & diſciplinam Eccleſiaſticam, ac Canonicam, eruperunt? quarum quadraginta quinque Alexander VII. jure merito damnavit; ſexaginta quinque Innocentius XI. & duas alias præcipuas peccati Philoſophici, ac præcepti dilectionis divinæ negati, Alexander VIII. ut alias mittam ejuſdem furfuris.

XXIII. Bellarmini veſtigia tandem aliquando preſſit eruditiſſimus Cardinalis Sfortia Pallavicinus, ejuſdem Societatis. Nam licet in decurſu vitæ Probabiliſmo cum pluribus aliis adhæſiſſet, poſtea re maturius conſiderata, & lectis quibuſdam Libris doctiſſimis de eodem argumento, iis ſubſcripſit, & teſtimonium authenticum ſuæ retractationis dedit R. P. Nicolao Mariæ Pallavicino, Examinatori Epiſcoporum, nuper vita functo: quod apud ſe retinet modo Reverendiſſimus P. Thyrſus Gonzalez, Generalis Societatis Jeſu, Primarius olim Theologiæ Profeſſor in Salmanticenſi Academia, eandem fere utriuſque Cardinalis ſententiam ex Inſtituto ſequens, cum Michaele Elizalde, alias Cella-dei, & multis aliis doctis hominibus ejuſdem Inſtituti, quorum ſcripta parantur, ſuo tempore in lucem proditura. Præluxit vero iis non parum olim Mutius Vitelleſcus, Generalis ejuſdem Societatis, in celebri illa Epiſtola ad ſuos ſcripta anno 1617. die 4. Januarii.

XXIV. Verum prolixus eſſem, ſi omnes DD. Cardinales Probabiliſmi illius laxi inimicos, & tutiorum, aut ſaltem palam probabiliorum ſententiarum tenaces, tam factis, quam ſcriptis, jam vita functos, nominare vellem. Inter tam multos eorundem, qui uſque modò ſanctitate, aut doctrina inſigni floruerunt, vix (credo) invenietur aliquis, qui aliter ſenſerit, aut docuerit. Immo & ex iis, qui modo ſuperſtites ſunt, tam intra, quam extra Urbem, præſtanti pietate, & eruditione conſpicuis, ac toti Orbi Chriſtiano notis, quorum judicia, ac ſententiæ mihi frequenter colloquio, ac variis congreſſibus innoteſcunt, nemo eſt (quantum capio) qui tam in theoria, quam in praxi, non cenſeat ſequendam omnino eſſe ſententiam tutiorem, vel ſaltem longe veriorem, ac probabiliorem. Atque in ſacris hiſce Congregationibus quotidie occurrunt innumeræ cauſæ, quarum deciſio ex ſacris Conciliorum Canonibus pendet. Ubi autem variæ Auctorum occurrunt ſententiæ, illa omnino præfertur, quæ, omnibus hinc inde conſideratis, tutior videtur, aut juri, & æquitati conſormior. Lege interea Eminentiſs. ac Reverendiſs. D. Cardinalem Lauræam Tomo IV. in librum III. Sententiarum Diſp XIV. num. 254. & latius Tomo II. Diſp. XI. Art. IV. per totum.

XXV. Nimirum, hic fuit ſemper ſpiritus Eccleſiæ, tam in Pontificibus Romanis, Cardinalibus, & Epiſcopis, quotquot Canones Conciliorum ediderunt, quam in iis, qui pietatis, & doctrinæ laude illos uſque modo imitati ſunt. Unde ab initio fere Pontificatus laudati Alexandri VII. mirum eſt, quo zelo, qua eruditione, & conſtantia, quamplerimi Epiſcopi præſtantiſſimi nominis, partim vita functi, partim ſuperſtites, Probabiliſmum luxuriantem repreſſerint. Quot Concilia ab eo tempore in Gallia contra illum uſque modo celebrata ſunt, unanimi Patrum congregatorum ſuffragio, a Merbeſio, & aliis ex ſcripta? Quot conventus Epiſcoporum, Doctorum clariſſimæ Sorbonæ, ac Pa-

ro-

rochorum Pariſienſium, Rhotomagenſium, aliorumque, ad illum exterminandum, & ad proſcribendam ſamoſam illam Apologiam Caſuiſtarum conſpirarunt?

XXVI. Quibus verbis zelo, & ſeveritate plenis, illam damnaverint, inter plurimos alios Præſules, Eminentiſſimus Cardinalis de Janſon, tunc Dinienſis Epiſcopus, & Illuſtriſſimus Archiepiſcopus Pariſienſis Harlai, tunc Rhutumagenſis, ſatis notum eſt, & ego poſſem hoc loco utriuſque verba ac judicia [illegible] exprimere, ſi neceſſum eſſet. Quot laudes audiuntur Summæ illius Moralis, ſex brevibus Tomis comprehenſæ, & toties recuſæ, hortatu aut juſſu Eminentiſs. DD. Cardinalium, Grimaldi Archiepiſcopi Aquenſis, & de Camus Epiſcopi Gratianopolitani! quamvis mihi hactenus non fuerit otium pervolutandi illam, ſed ſolum partem libandi. In ea vero paſſim fere ex puris ſacrorum Canonum, ac SS. Patrum fontibus theſes morum adverſus Probabiliſtarum commenta proferuntur. Idipſum cernere eſt in Summa Chriſtiana citati Merbeſii, duobus magnis voluminibus comprehenſa, & edita ſub auſpiciis Illuſtriſſimi D. Tellier Archiepiſcopi, ac Ducis Rhemenſis: quæ (ſolum obiter a me lecta) videtur catena fere continua Moralis Chriſtianæ, ex Canonibus Conciliorum, & locis Sancturum Patrum contexta, adverſus laxones quoſlibet. Neminem prodo, neminem numino: generatim loquor de iis, quicumque demum ſint, ſive communi aura fruantur adhuc, ſive jam diem obierint.

XXVII. Sed & laudandus eſt maxime inter Regulares clariſſimus Ordo S. Dominici, qui hortatu laudati Alexandri VII. vexillum extulit adverſus Moralem laxam, per doctiſſimos Alumnos ſuos, Joannem Martinez de Prado, Julium Mercorum, Vincentium Baronium, Vincentium Contenſonem, Pichinardum, Gonetum, alioſque ſimiles, ampliſſimo fructu. Et merito quidem ita ſe geſſit: cum nihil aliud diſcere potuerit ab incomparabili Magiſtro ſuo Doctore Angelico, immo & ab Auguſtino, ac cæteris SS. Patribus, quorum germanam mentem circa Fidem, ac mores, ille divino ingenio, & admiranda claritate explanavit, atque in methodum redegit.

XXVIII. Idem fere dixerim de multis Religionibus, præſertim militantibus ſub Regula ejuſdem S. Auguſtini; S. Franciſci, & Carmelitarum, aliiſque. Multi enim Viri doctiſſimi ex iis, intra, & extra Urbem, in lucubrationibus ſuis, partim ſcriptis, partim editis, ſtudent, ac ſtuduerunt Probabiliſmo frænum imponere, abjecta Regula illa Lesbia, & male fida, qua plerique a fine fere ſæculi præcedentis abducebantur, & feruntur adhuc, *non quo eundum eſt, ſed quo itur*, ut Senecæ verbis utar. Ex ſolo Ordine S. Auguſtini, nunc Romæ habemus Illuſtriſſimos duos Epiſcopos, Ignatium de la Zerda, Aquilanum, & Lambertum le Drou, Porphyrienſem, ac Reverendiſs. M. Henricum de Noris, Bibliothecæ Vaticanæ Præfectum: ut mittam Magiſtrum Franciſcum Fervacques, celebrem olim Profeſſorem Lovanienſem, & Joannem Schvveizerts Doctorem Colonienſem: qui verbo ac ſcriptis refellunt eandem licentiam opinandi. Idipſum accidit pleriſque Patribus, ne dicam omnibus, Præmonſtratenſibus, & Congregationis Oratorii in Gallia, ac Belgio.

XXIX. Id etiam curarunt hoc tempore nonnulli celebres Scriptores, aut Doctores Benedictini: veluti in doctiſſima & obſervantiſſima Congregatione S. Mauri Galliarum Joannes Mabillon, Tractatu, *De ſtudiis Monaſticis*, Parte ſecunda Cap. 7. Gabriel Gerberon toto fere Libro, *De vero Pœnitenti*. In Congregatione Helvetica Illuſtriſs. D. Cæleſtinus Sfondratus Abbas S. Galli, & S. R. I. Princeps, in Diſputatione Juridica, *De lege in præſumptione fundata*, quam edidit Salisburgi anno MDCLXXXI. dum eſſet publicus ſacrorum Canonum in ea Benedictina Academia Profeſſor (quæ communi Doctorum conſenſu Probabiliſmum refellit) pariter illum impugnavit pag. 15. & ſeqq. Sunt & alii plures ejuſdem ſententiæ in diverſis Congregationibus Benedictinis Italiæ, Galliæ, ac Germaniæ. Quantum vero ſtudii collocaverit laudatus Princeps Sfondratus, non modo in Theologia, ſed in ſacris Canonibus, unde doctrina morum ſolida eruitur, ſatis oſtendunt celeberrimi ipſius Libri, qui præ manibus eruditorum omnium ſumma cum laude verſantur.

XXX. Verum longe antea in Congregatione Benedictina Hiſpaniæ non defuit qui doctrinis Caſuiſtarum laxis antidotum pararet. Anno MDCLIII. vivente adhuc Innocentio X. electus fuit Generalis ipſius Reverendiſs. Magiſter D. Bernardus Hontiveros, Primarius Theologiæ Profeſſor in Ovetenſi Academia, Theologus Majeſtatis Catholicæ, ac Conſultor Supremi illius Fidei Senatus, Vir ſpectatiſſimæ pietatis, ac ſublimis doctrinæ. Is ab eo tempore acerrime invehebatur adverſus laxas Caſuiſtarum opiniones, & lectionem quorumdam ex iis vetabat ſubditis ac diſcipulis, inter quos ego numerabar. Poſtea anno MDCLVIII. fuit electus Epiſcopus Eccleſiæ Calagurritanæ, eodem tempore quo præerant, Oxomenſi D. Joannes de Palafox, & Placentinæ D. Ludovicus Creſpi. Tres ii Præſules doctiſſimi pariter, & vitæ exemplariſſimæ ſama ac ſcriptis inſignes, hortatu Eminentiſſimi Cardinalis D. Balthaſſaris de Moſcoſo & Sandoval, Archiepiſcopi Toletani (cujus memoria pariter in benedictione eſt) cœperunt communi conſilio exagitare Probabiliſmum, tunc longe ac late graſſantem. Hontiveros ſpeciatim ſcriptis ſuis ea de re titulum dederat: LACRYMÆ MILITANTIS ECCLESIÆ. Verum anno MDCLXII. initio Novembris, fractus mortificationibus, ſtudiis, ac laboribus, circumſtante ac flente toto clero illius Eccleſiæ, & pauperibus ejulantibus tam pii Patris obitum, immortuus fuit Operi nondum perfecto, quod proinde in lucem edi non potuit. Idem fere acciderat Palafoxio, qui triennio ante ſanctiſſime obierat: id eſt anno MDCLIX. die triceſima Septembris. Unde licet tot Libris antea editis, ſparſim pernicioſas ac laxas quorundam Recentiorum opiniones impugnaſſet, non potuit perficere volumen aliquod ex inſtituto in eundem ſcopum. Denique Epiſcopus Creſpius diſtentus occupationibus variis, & legatione Majeſtatis Catholicæ in Urbem pro cauſa Conceptionis, ſolum potuit edere Diſputationes Morales ſelectas adverſus Caſuiſtas prurientes auribus, & nominatim præcipue adverſus Caramuelem. Obiit vero magna ſanctitatis opinione relicta eodem circiter anno MDCLXIII.

XXXI. Ab iis præſtantiſſimis Epiſcopis, & Scri-

& Scriptoribus variis inſtructus, paucis poſt annis cœpi dubitare de ſecuritate illa, quam nobis plurimi alii pollicebantur in uſu opinionum quarumlibet probabilium. Eo uſque enim communi fere ſenſu, aut præjudicio abductus, in Probabiliſmo, veluti in pulvino, molliter quieſcebam: & plerumque ſtudium meum (ita ingenue fateor) ſitum erat in examinando potius, an aliquid eſſet probabile, quam in veſtigando, an eſſet verum. Detecta enim probabilitate, nullatenus dubitabam me poſſe illud in praxi ſequi, aut aliis conſulere. Unde & in Theologia Florulenta, quam edidi Salmanticæ anno MDCLXVII. Ludo V. præſertim a num. 70. uſque ad 98. tota mihi cura fuit in examinandis conditionibus opinionis ab uno Doctore pio, & docto traditæ adverſus communem aliorum, neceſſariis, ac ſufficientibus, ut illa probabilis cenſeatur. Hoc enim ſemel ſtatuto, non dubitabam, licitum eſſe ipſius uſum, adhuc poſtquam Alexander VII. anno MDCLXVI. damnaverat XLV. propoſitiones, & in iis illam numero viceſimam ſeptimam: *Si Liber ſit alicujus junioris, & moderni, debet opinio cenſeri probabilis, dum non conſtat, rejectam eſſe a Sede Apoſtolica ut improbabilem.* Hanc ipſam theſim per ſe ſpectatam ibidem late impugnavi, ſicuti & nimiam licentiam opinandi circa doctrinam morum: quam in rem memoravi num. 79. ea fere ipſa quæ paullo antea protuli de Illuſtriſſimis Epiſcopis Calagurritano, Oxomenſi, ac Placentino.

XXXII. Nec proceſſi ulterius ad quærendum, an dato quod opinio aliqua ſit probabilis, liceat omnino illem ſequi in praxi, aut aliis conſulere, relicta probabiliore, aut tutiore. De hoc enim nemo tunc Salmanticæ dubitabat. Uſque adeo invaluerat Probabiliſmus ibidem, quamvis paullo antea Megiſter Joannes Martinez de Prado, & Vincentius Baronius, ambo Dominicani, ſcriptis editis impugnaſſent longe ac late Caramuelem, & rejeciſſent uſum opinionis minus probabilis faventis libertati in concurſu probabilioris ſtantis pro præcepto. Nulla enim fere ratio utriuſque laudati Scriptoris habebatur in ea parte, ob multitudinem innumerabilium aliorum liberius ſcribentium: ut poſſent ii dicere cum Poeta: *Obruimur numero.*

XXXIII. Cœpi itaque rem maturius examinare, ab anno circiter MDCLXXI. uſque modo, lectis ac relectis, ultra prædictos, plurimis Auctoribus recentibus, qui hinc, & inde controverſiam hanc graviſſimam profligaruut ex inſtituto. Deprehendi vero ingens periculum ſalutis in ſectando, aut conſulendo aliis Probabiliſmo, ſive uſu cujuſlibet opinionis minus probabilis faventis libertati, in concurſu alterius probabilioris adhærentis præcepto. Idem mihi alte inſedit ubi utraque apparet probabilis æque, aut circiter. Manet enim adhuc res vere dubia, & incertum omnino, an actio, vel omiſſio ſit contraria Legi æternæ, nec ne, quicquid plerique recentiorum diſtinguant inter dubium ſpeculativum, & practicum. Hanc enim diſtinctionem quoad controverſiam præſentem, plurimi alii a triginta circiter annis uſque modo, doctiſſime rejecerunt. In dubiis autem, & ſpectantibus ad æternam ſalutem, eligendam eſſe tutiorem partem, jura clamant, & prudentia, ac lex charitatis Divinæ de propria, & aliorum ſalute, palam dictar.

XXXIV. Certo nemo prudens vitam corporis ita negligit, ut audeat uti cibo, aut pharmaco ſolum probabiliter ſano, quod tamen æque aut magis probabiliter cenſeatur noxium, & exitiale futurum. Quare ne exponat ſe probabili, aut probabiliori periculo mortis, eligit aliud certo innoxium, aut ſalutiferum. Idem fere accidit circa rem familiarem ſervandam, & honores aſſequendos. Cur ergo vita animæ, & ſalus æterna, longe pretioſior, paſſim exponatur probabili periculo opinionum liberiorum? Nec reflexiones aliquæ, ſeu judicia reflexa ad auctoritatem alienam, videntur prodeſſe, aut ſufficere ad formandum judicium moraliter certum, & neceſſarium de uſu licito opinionis benignæ quoad bona animi, potius quam corporis, vel fortunæ, ubi opinio ſeverior æque, aut magis urget. Non enim voluntas habet vim imperandi intellectui, ut judicio reflexo cenſeat verum, aut certum moraliter id, quod directo judicio exiſtimat falſum, aut dubium, aut minus probabile.

XXXV. Quare reflexiones illæ ad ſummum poſſunt habere locum, & prodeſſe, ubi Vir doctus, & prudens, recta intentione placendi Deo, aut ipſum non offendendi, & nullo præjudicio, paſſione, aut utilitate abductus, diligenter inquirit veritatem pro qualitate materiæ, & debitis circumſtantiis, quando concurrunt invicem contrariæ opiniones inter Scriptores Catholicos, doctos, & pios. Si poſt rem examinatam inveniat ſententiam benignam longe ac palam prævalere opinioni auſteriori, tum auctoritate, & numero Patronorum, tum rationibus, & plene reſpondere argumentis contrariis; videtur poſſe formare judicium moraliter certum de illius veritate, & licito uſu, aut nihil curare rigidiorem aliorum opinionem, vel eam reputare ortam ex inani ſcrupulo. Dato enim, aut permiſſo, quod ſententia illa benignior eſſet falſa in re, agens excuſaretur a peccato, ſaltem gravi, ob rectam intentionem, bonam fidem, & ignorantiam venialem ex infirmitate humana. Si autem poſt diligentem inquiſitionem inveniat opinionem auſteriorem æquale pondus habere, aut etiam majus, ac proinde veritatem rei eſſe ſpeculative dubiam; non poterit ulla reflexione formare ſibi judicium moraliter certum de illius veritate, aut uſu licito. Quare abſtinendum erit ab opinione benigniore, & adhærendum tutiori, ſive ſtanti pro præcepto. Et hoc judico conveniens & neceſſarium in omni caſu.

XXXVI. Hæc videtur fuiſſe praxis aſſidua ſanctorum Patrum, Pontificum, ac Theologorum doctrina & pietate inſignium, a tempore naſcentis Eccleſiæ uſque ad finem fere ſæculi præcedentis, quo cœpit reputari ſecurus uſus opinionis benignæ probabilis, in concurſu opinionis auſterioris æque probabilis, aut probabilioris, per reflexiones antiquis ignotas. Sequebantur enim veteres illi, quod intra ſinum Eccleſiæ Catholicæ poſt rem mature examinatam, oratione ac ſtudio competenti, videbatur verum, aut moraliter certum. Et licet ipſi ſancti Patres, aut Doctores celebres, aliter, atque aliter circa varias quæſtiones morum cenſerent, unuſquiſque tamen pius, ac prudens id agebat, vel conſulebat aliis, quod poſt debitum examen judicabat verum, aut ſaltem longe conformius Canonibus ſacris, rationi, & æquitati. Neque enim amplius exigi putabat ab homine mortali, in-

firmo, & ignorantiis obnoxio. Alioqui ſequebatur tutiorem partem. Exempla plurima poſſent hoc loco produci, ni quæſtionem hanc graviſſimam potius excurrendo libandam, quam ex inſtituto dirimendam recepiſſemus.

XXXVII. Et hoc ipſum fere eſt, in quo videntur convenire Scriptores, ac Theologi laudati a num. XX. contra Probabiliſmum differentes. Nominatim vero doctiſſimus, & piiſſimus Cardinalis Bellarminus, verbis exſcriptis num. XXI. aperte id tradit; immo & loquitur ſtrictius quam plerique ex allegatis, ut conſideranti palam erit. Ac certe innocentia vitæ ipſius, candor morum, & profeſſio minime fucata veritatis, quæ fulget in ejus ſcriptis, ſatis denotant, eundem in agendo, & conſulendo non quæſiiſſe probabilia, ſed vera; non dubia, aut morali erroris periculo obnoxia, ſed ſecura, & ſolida. Exeat nunc aliquis recentiorum quorundam, & propterea Bellarminum Janſeniſmi, aut Bajaniſmi arguat. Hanc enim notam ex eodem doctrinæ morum ſeverioris capite inurere auſi ſunt nonnulli plurimis aliis Catholiciſſimis Epiſcopis, Prælatis, Doctoribus, & Scriptoribus, licet nullo fermento hæreſeos, vel doctrinæ erroneæ aſperſis, & palam rejicientibus illas quinque famoſas theſes, ab Innocentio X. & Alexandro VII. fulguritas, atque in iis Illuſtriſſimo Fagnano, quo neminem in ſacris Canonibus doctiorem, aut celebriorem ætas noſtra tulit. Sed calumnia ejuſmodi, dum linguario oribus quorundam injecto coerceri nequit, contemptu, aut riſu exſibilanda erit, juxta illud vetus adverſus convitia injuſta: *SPRETA EXOLESCUNT.*

XXXVIII. Itaque ut eo redeam unde diverteram, tam ipſi Canones Concilii Eliberitani, quam aliorum Hiſpaniæ, hiſce Voluminibus comprehenſi, veterem illam morum doctrinam, & diſciplinam Eccleſiæ auſteriorem tradunt, a qua mirum quantum deſcivimus in hac mundi ſenecta, & pruritu novo opinandi liberius. Nec tamen ideo probo nimium quorundam zelum, aut impetiginem, vel ſeveritatem juſto majorem, qua onera intolerabilia aliis imponunt. Paris enim periculi eſt, plus juſto conſcientias ſtringere, ac dilatare. Et utrobique peccari poteſt ſub ſpecie boni, aut prætextu zeli. Plerique enim recentiorum nimium habenas laxant, ut homines, præſertim fragiles, probabili opinione tuti non peccent, licet actio ex ſe mala ſit. Alii vero nimis ſtringunt, ut avertant ab omni periculo peccandi. Utrobique autem valde erratur. Moderandum id eſt regulis charitatis, & prudentiæ Chriſtianæ, ſervata illa mediocritate, quæ in neutrum extremum declinat. Quod ipſum ſæpe in Notis ad hæc Concilia obſervandum curavimus.

XXXIX. Tam vero in iis, quam in Diſſertationibus exiguam, aut potius nullam rationem habemus monumentorum quorumdam ſubleſtæ fidei, ſive Chronicorum, quæ ſub nomine Dextri, Maximi, Helecæ, Liberati, Luitprandi, Juliani Perez, & Hauberti Hiſpalenſis, a fine circiter præcedentis ſæculi uſque modo venditantur, ingenti plane detrimento, & injuria veritatis, atque Hiſtoriæ rerum Hiſpaniæ. Intra quam multi homines docti ab eo tempore, aut cum eruditiſſimo Mariana, & aliis exteris Scriptoribus rident ea commenta, aut hilem exercent, & ſtylum exacuunt, cum D. Nicolao Antonio, celeberrimo ſcriptore Bibliothecæ Hiſpanæ, quinque juſtis Voluminibus comprehenſæ, quorum tria nondum edita apud me ſunt, & σὺν θεῷ aliquando publicam videbunt lucem. Quin & Cl. V. D. Emmanuel Gonzalez, qui in Commentariis ad Eliberitanum Concilium aliquam iis Chronicis fidem adhibebat, poſtea ab anno circiter MDCLXX. cœpit ea irridere, & contemptui habere, me præſente. Itaque quicquid plurimi minus verſati in Chronologia, Hiſtoria, & Critice, dicant, & vociſerentur in honorem earum farraginum, a male feriatis quorundam capitibus confictarum; nos ea ſolum ſectabimur & trademus, quæ antiquitati, & veritati conformia ſunt, aut omnino apparebunt.

JOSEPHI CATALANI ADDITIO

Poſt Cardinalem de Aguirre conati ſunt multi Probabiliſmum confodere, portentoſiſque Caſuiſtarum opinionibus ſolidas Patrum ſententias, Conciliorum Decreta, atque Oracula Summorum Pontificum opponere: præcipue, ut alios omittam, Fr. Natalis Alexander, & Clariſſimus Franciſcus Genettus Epiſcopus Vaſionenſis. At vero excitata noſtro hocce ævo controverſia de quadrageſimali jejunio diſciplina, quam Sanctiſſimus Dominus noſter BENEDICTUS XIV. Literis ſuis Apoſtolicis egregie explicavit, quum nonnulli Auctores laxas opiniones inducerent, occaſionem inde arripuit Dominicanæ Familiæ alumnus Fr. Daniel Concina ſcribendi Italico Idiomate Hiſtoriam Probabiliſmi, & Rigoriſmi, in duos Tomos diviſam, & Lucæ editam anno MDCCXLIII. in qua fuſe diſſerit de ipſius Probabiliſmi origine, progreſſu, & interitu, ac de Viris eximiis Ordinis Prædicatorum, ac aliorum complurium, & præſertim Societatis Jeſu, qui illum oppugnarunt. Verum cum contra prædictum Concinæ Tractatum non multo poſt, Auctores non pauci inſurrexerint, ac ejus Auctorem lacerarint, Inſignis Theologus laudati Ordinis Prædicatorum Fr. Vincentius Patuzzi, qui non ita pridem eruditiſſimum Opus, *De futuro impiorum ſtatu*, publici juris fecit, Tractatum ipſum, ejuſque Auctorem vindicavit, editis Tridenti anno 1751. Litteris Theologico-moralibus, Num. XVII. Italice ſcriptis, ac duobus Tomis contentis ſub nomine Euſebii Eraniſtæ.

Porro inter alios inſignes Societatis Jeſu Theologos, qui noſtra hac ætate Probabiliſmum impugnarunt, fuit quidem doctiſſimus P. Paulus Gabriel Antoine, cujus Theologia moralis iterum atque iterum edita eſt, etiam Romæ cum Additionibus eruditiſſimi Fratris Philippi Lipperi a Carboniano Ordinis Minorum, quos de Obſervantia appellant. Verum præ cæteris ſaniorem, plenioremque Theologiam Moralem ſcripſit, Chriſtianamque appellavit memoratus F. Daniel Concina, quæ licet ab ejus adverſariis delata fuiſſet ad Summum Pontificem, & a duobus inſignioribus Theologis, altero Clericorum Regularium Theatinorum, Minimorum Ordinis altero diſcuſſa, nihil tamen in ea inventum fuit, quod Chriſtianæ, Catholicæque Doctrinæ officiat, uti conſtat ex ejuſdem Scriptoris Declaratione, in qua, ſi pauca excipias, quibus ſe, ſuamque Theologiam vindicat ab accuſationibus adverſus eandem factis, jam nihil aliud magni momenti legere eſt.

PHI-

Digitized by Google

PHILLIPPO SECUNDO
HISPANIARUM REGI CATHOLICO
GARSIAS LOAISA S. D.

NON poſſum mentis intelligentia, potentiſſime Rex, dilucide conſequi, quid me vehementius rapiat, voluptas, an admiratio, cum inſtitutam a Jeſu Domino noſtro, Eccleſiæ gubernationem aſſidue perpendo; cui ut columnæ, & veritatis firmamento, univerſa hominum ſalus, ac vita beata innititur. Quæ regendi inſtitutio admirabilis, & inſignis originem a Verbo Patris trahit; qui inter mortales mortalis effectus, os ſuum homo, in cœtu hominum, ut de rebus magnis nobis conſuleret, aperuit. Neque ſat illi fuit, verbo humanum genus docere, verum exercitatione ſua difficilius doctrinæ opus implere: ut jugum eſſet ſuavius, & onus levius, & ab hominibus ardentius coleretur. Verum poſt Chriſti Salvatoris obitum, Sanctiſſimis Apoſtolis, Romaniſque Pontificibus, Vicariis Chriſti, & aliis Divis univerſalis Eccleſiæ Patribus, quibus credita eſt Sanguinis Chriſti propagatio, nullum aliud conſilium ad id commodius efficiendum, efficacius viſum eſt, quam Conciliorum uſus, in quibus Spiritus Sancti auctoritas viget, & quod malis, & perverſis moribus eſt labeſactatum, Eccleſiaſticis Inſtitutis mirifice redintegratur, & erigitur. Unde, ut ex Actibus conſtat, tam frequens Apoſtolorum, & Præſulum illius primi, & felicis ævi coadunatio, & Patrum in confirmanda veritate, certa, & repetita ſententia, qua illa prima Eccleſiæ fundamenta ſunt poſita; quæ in excelſum deducta faſtigium, quotidie creſcunt, & augentur. Vita vero Apoſtolis functis, ut primum Summis illis Patribus licuit, perſecutione cedente, & victa patiendo, Concilia acclamata ſunt, nimirum Nicænum, primum Conſtantinopolitanum, Epheſinum, & Chalcedonenſe: quibus pax Eccleſiæ data, victi hæretici, hæreſes profligatæ, & eradicatæ, decor, & pulchritudo, ornamentumque Sponſæ Chriſti eſt allatum. Unde Gregorius Magnus his quatuor Conciliis, tanquam quatuor Evangeliis honorem deferebat, & merito: nam quidquid eſt opis, & divitiarum in domo Dei, quidquid dignitatis ab his fontibus fluxit, & dimanavit; apertaque hæc a Majoribus Divinæ Sapientiæ flumina, poſteris uberem, irrigando, ſegetem attulerunt: totaque Eccleſiaſtica dignitas, functioneſque Chriſti Corporis, a Paullo connumeratæ, ab ipſis in ordinem ampliſſimum rediguntur, legibuſque ſanctiſſimis, creſcente populo Catholico, in officio Chriſtiano continentur. Quamvis hæc, & alia in Conciliorum uſu, & exercitatione ſint magni ponderis, & gloriæ; verum aliud eſt in ipſis excellentius, & ſingularius; quod doctrina Eccleſiæ, quæ in Fide, & moribus verſatur, a Chriſto Domino noſtro, & Apoſtolis accepta, Conciliorum ſerie colligata, ad poſteros continua ſucceſſione derivatur. Quod Divinum conſilium, a Diabolica hæreticorum fraude alienum, neque ipſi conſequi, neque debilitare potuerunt: impedit enim conſilium, & animorum conſenſum hæreſis rationis inimica, ac mentis perſtringit oculos, neque habet ullum cum ordine, & veritate commercium. Eccleſia vero Catholica rationis, & veritatis amica, ordinis, & pacis conciliatrix, depoſita pertinacia, luce Spiritus Sancti perfuſa, ſenſu doctrinæ, & animorum conſenſione edocta, idem ſemper eredit, atque profitetur, neque in tam longis, & extenſis annorum ſpatiis, in quibus ingenia varia, nationes diverſæ, & diſcrepantes, de Fide, & moribus ſtatuendis diſputarunt, ulla potuit varietate lebeſactari ſancta doctrina, aut multitudine confundi, ſed ſemper una eſt, & in mutabilitate ævi, & hominum multitudine, Paulli præcepto erudita: *Semper dicatis unum: non ſint ſchiſmata inter vos*. Neque mirabor enim, cum ſapientia noſtra innitatur uni Deo, uni Magiſtro Chriſto Jeſu, uni Spiritui, & ſenſui; cui Capiti membra Eccleſiæ unita, & revincta, & inter ſe nervis, & fibris charitatis connexa, eundem veritatis ſenſum, & motum habent. Unde Dominus Jeſus per Joannem dicebat: *Non pro eis rogo tantum, ſed & pro eis, qui credituri ſunt per verbum eorum in me: ut omnes unum ſint; ſicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipſi in Nobis unum ſint, ut credat mundus, quia tu me miſiſti*. A quo teſtimonio validum, & efficax argumentum petitur ad Fidem Chriſti non ſolum retinendam, ſed etiam agnoſcendam. Ab unitate enim Patris, & Filii, unitas ſtabilitur membrorum in Fidei doctrina, in ratione Sacramentorum, & eorum uſu, in pace, & concordia Chriſtianæ vitæ, in unitate ſummi Capitis: his enim pietatis, & religionis officiis, mundus ſtudio rerum Divinarum provectus, credit Jeſum Chriſtum eſſe a Patre ad ſalutem, & incolumitatem hominum

minum miſſum. Hæc autem unitas in nulla re excellentius, & admirabilius cernitur, quam in Conciliorum unanimi conſenſione, & doctrinæ unitate. Sic enim dicebant Apoſtoli in Epiſtola, ex ſententia illius magni conſilii, Fratribus Antiochiæ, & Syriæ, & Ciliciæ miſſa: *Placuit nobis collectis in unum*, hoc eſt, in rerum ſacrarum uno ſenſu, in una Fide, & decreto colligatis. Præterea, quid eſt Corpus Chriſti eſſe, niſi ſpeciem, & formam corporis humani imitari? In quo Caput cum membris unicum eſt, & ad omnia vitæ officia aptum, uno ſenſu, & motu omnes corporis functiones exercet; ſic myſticum Chriſti Corpus, dum Capiti Chriſto, & Romano Pontifici apte cohæret, ſpirituales vivæ Fidei actus, ad vitæ beatæ conſecutionem perducit, & dirigit; cujus rei Paulus eſt teſtis, dum inquit: *Multi unum corpus ſumus in Chriſto Jeſu*; enumeratiſque donationibus ſecundum gratiam differentibus, multiplicitatem Sacri muneris, hoc verbo connectit: *Idipſum invicem ſentientes*. Et alibi: *Sicut enim corpus unum eſt, & membra habet multa; omnia autem membra corporis cum ſint multa, unum tamen corpus ſunt: ita & Chriſtus*. Et infra: *Vos autem eſtis corpus Chriſti, & membra de membro. Et quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia, primum Apoſtolos, ſecundo Prophetas, tertio Doctores*. Et ad Corinthios, ab agricolis, & ædificatoribus ſimilitudine accepta, unitatem Eccleſiæ docuit. Nam ager, ſi ſit optime cultus, & diligentia conſitus, humo ſubacta, atque pura, & ratione deſcriptus, atque dimenſus, ordinibuſque diſtinctus, delectationem, ſaturitatemque affert; ſimiliter de ratione ædificiorum dicendum eſt, in qua connexio partium, maximum oblectamentum, & decorem totius ſtructuræ retinet: ſic Patrum ipſe conſenſus, veluti corporis humani, & agri variis arborum ordinibus conſiti, & machinationis magnæ lapidum coagmentatione decoræ ſpeciem præſefert. Id perpendamus in Nicæna Synodo (nam in reliquis ſimilis erit contemplatio, & inveſtigatio) hæc coacta fuit auctoritate Sylveſtri Summi Pontificis, Conſtantino Magno procuratore, & ſuaſore, ad funditus evertendam Arii Presbyteri Alexandrini hæreſim. Cum autem eſſet in ea numerus trecentorum decem & octo Patrum congregatus, ex totius Orbis regionibus; tamen ac ſi eſſet homo unus, doctrinam Apoſtolicam unomet ſenſu, una fide, uno eodemque animo, in unam abeuntes ſententiam amplectuntur: neque ad pervicaciam multitudo, & diſputatio, ſed potius ad ſtabiliendam veritatem profuit. Unde omnes uno ore Arium a fidelium communione ſejungunt, & anathemate feriunt, & impias contra Chriſti Domini Divinitatem introductas opiniones, ut mendaces, & a catholico ſenſu aberrantes, damnant, deteſtantur, & execrantur. Cum vero hi ſancti Patres e vita abiiſſent, non ideo lumen ſanctæ doctrinæ eſt extinctum. Verum rurſus, ſerpente hæreſi Macedoniana, Conſtantinopolitanum primum Concilium eſt actum, Damaſo Hiſpano Pontifice Maximo, & Imperatore Gratiano, & Theodoſio, in quo a centum, & quinquaginta ex toto Orbe Patribus Macedonius Conſtantinopolitanus Epiſcopus de hæreſi in Spiritum Sanctum accuſatus, uno omnium ore, & conſenſione damnatus eſt, Nicænique Concilii Fides iterum confirmata. Similem etiam progreſſum habuit Epheſina Synodus adverſus Neſtorium, a ducentis Patribus edita, qui aliam aſſerebat eſſe perſonam carnis in Chriſto Domino, aliam Deitatis; & Chalcedonenſis ampliori numero Patrum ſexcentorum, & triginta aggregata; ſed non ampliori fide adverſus Eutychen Abbatem, & Dioſcorum Alexandrinum, humanam a Chriſto naturam auferentem; in quibus uterque Cyrillus, & Anaſtaſius, ſapientiæ lumina, magnum Fidei, & eruditionis ſpecimen dederunt. In tanta igitur temporum mutatione, in tam variis hominum congreſſibus, nihil eſt a Majorum inſtituto immutatum, nihil in ſententiis repugnans inventum, ſed potius eſt in illis admirabilis quædam continuatio, ſerieſque ſapientiæ, ut unum ex alio Concilio nexum, & omnia inter ſe apta, colligataque videantur; Fideſque Romana uſque ad hoc tempus Conciliis, & Sanctorum Patrum ſcriptis vallata, & continuata permanſerit. Verum, ut apertius cum hæreticis agam, novatores iſti, quorum appellationes ignobiles, & barbaras, eſt difficile enumerare, qui naviculam Petri hæreſeωn innumerabilium fluctibus vexant, aliquam ſententiam Catholicis oſtendant, continua hominum ſucceſſione ad poſteros per Concilia traductam, ut ex ea ſtabilitatem, & firmitatem ſuæ jactatæ eruditionis liceat, vel tenui conjectura, proſpicere: Arius Presbyter validos habuit ſuæ ſectæ propugnatores; pugnatumque eſt calamo, & lacertis: vivitne, quæſo, aliqua ſcintilla ejus impii conſilii? Quid dicam de Macedonio, Neſtorio, Eutyche, quorum dementia jam ex ſola Patrum impugnatione nobis eſt cognita? De iſtis, & aliis, Michæas ſic vaticinatur: *Conſumentur montes ſubtus eum, & valles ſcindentur ſicut cera a facie ignis, & ſicut aqua, quæ decurrat in præceps*. Et infra adverſus Samariam, quæ typum hæreſeωn omnium gerit, contra omnes invehitur: *Ponam Samariam quaſi acervum*

vum lapidum in agro cum plantatur vinea : & detraham in valle lapides ejus, & fundamenta ejus revelabo , & omnia ſculptilia ejus concidentur , & omnes mercedes ejus comburentur igne , & omnia idola ejus ponam in perditionem , quia de mercedibus meretricis congregata ſunt , & uſque ad mercedem meretricis revertentur. Neque ſolum doctrina eorum ruit , verum & regiones miſere vaſtantur, in quibus cancer ille venenatus ſerpit. Ut Eſaias clamat: *Terra veſtra deſerta, civitates veſtræ ſuccenſæ igni ; regionem veſtram coram vobis alieni devorant , & deſolabitur , ſicut in vaſtitate hoſtili.* Demum hæreticorum ruina, quæ ſemper impendet, demonſtrat , quam conſtans , & firma Gamalielis , Legis Doctoris , honorabilis univerſæ plebi , ſententia fuerit: *Sinite eos*, dicebat (cum in cauſa Apoſtolorum loqueretur) *quoniam ſi eſt ex hominibus conſilium hoc , aut opus , diſſolvetur ; ſi vero ex Deo eſt , non poteritis diſſolvere eos ; ne forte Deo repugnare videamini.* Idem David multo ante prædixit; *Dominus diſſipat conſilia gentium , reprobat autem cogitationes populorum , & reprobat conſilia Principum : conſilium autem Domini in æternum manet : cogitationes cordis ejus in generatione , & generationem.* Ideoque labitur in præceps ſemper hæreſis, nulloque ſulta certo ſtabilimento , fertur ad terram , atque ſerpens multiplici lapſu , & erratico veneno , totum Chriſti Corpus nititur deformare . Poſſunt Hæretici ſectas ſuas monimentis conſignare , eloquenter , & diſerte dicere , armis innocentium hominum ſanguine fuſo, adverſus veritatem dimicare , Decretis Eccleſiæ repugnare , & ea cum pertinacia ſugillare , & animo obſtinato , & obfirmato mortem oppetere , magiſtri nomen ſibi vendicare : verum hæreſes ad hominum perniciem inventas, immutabili Conciliorum ſerie in poſteros prodere , & in perpetuum colligare non poſſunt . Hæc eſt majeſtas , & dignitas Conciliorum , quæ in Œcumenicis , propter Patrum multitudinem , & rerum gravitatem , & Summi Pontificis interpoſitum nomen, primum obtinent locum; deinde in Nationalia , ad extremum in Provincialia hujus exiſtimationis authoritas derivatur. Inter omnia autem Nationum, & Provinciarum conſenſu celebrata , Hiſpanica, hoc eſt, Toletana , Bracarenſia , Hiſpalenſia, & alia ſummam ſemper claritatem retinent. Nam in nulla regione tam frequenti Patrum congreſſu , atque numero, de rebus graviſſimis, ad regimen Eccleſiaſticum ſtabiliendum deliberatum eſt, quam in Conciliis in Hiſpania actis. Quæ cum trunca , & mutila, mendoſaque , non ſine noſtrorum hominum incuria edita circumferrentur , te imperante, potentiſſime Rex , qui nihil , quod ad Eccleſiæ ſplendorem, & ornatum conducat, prætermittendum cenſes, colligenda , & reficienda , vulgandaque curavi. In qua re , etſi ſtudium, & labor maximus ; tamen Natio ipſa ampliſſimum attulit etiam adjumentum : cum nullus Auctor , niſi Hiſpanus, de rebus Hiſpanicis , certum quid in re ita antiquata , ſtatuere poſſet. Neque ſolum Concilia ad fidem Gotthicam reduxi , ſed ea Scholiis , ut potui , illuſtravi, Commentariaque aliqua de noſtris rebus interpoſui , ut intelligentia eſſet facilior , & lectio jucundior . Quæ omnia tuæ Majeſtati Catholicæ dicanda judicavi . Hiſpanica enim, cui debentur, niſi Regi optimo, maximoque Hiſpaniæ ? Res vero religioſæ , cui , niſi omnium ſæculorum religioſiſſimo Principi ? qui nihil gratius habet , quam pietatem cum religione conjungere : qui non potentia, & divitiis ampliſſimis abutitur ; ſed potius datas a Deo cognoſcit , & illi cumulatiſſime in acceptum refert ; qui pro amplificanda Eccleſiæ Fide, & auctoritate Summæ Sedis obfirmanda , acerrimum cum hæreticis bellum continenter gerit ; neque in ampliſſima Regni ſui Ditione ullum patitur vivere impunitum hæreticum . Præterea, ut ex eorum lectione Majeſtas tua intelligat , hoc propagandæ Catholicæ Eccleſiæ ſtudium , eſſe ab avito Regum Hiſpaniæ ſemine procreatum , qui magno animi ardore de extirpandis hæreſibus, de ſanctis moribus inſtituendis , ſemper egerunt ; qua de cauſa magno conatu Concilia Hiſpaniæ Nationalia , & Provincialia frequentarunt . Unde factum Divino conſilio exiſtimo, ut ſub tuo imperio , & tutela , iterum ardor ille Gotthicus reviviſcat ; ut antiquo illo more Hiſpani eruditi , vitam priſcorum hominum imitentur ; multum enim refert ad ſancte , & pie vivendum cognoſcere , quem morem , & diſciplinam a Majoribus acceperimus. Spero, Dei benignitate , & tua cura , & exemplo, & legibus, quibus Regna in officio contines , florens , & beatum Imperium tuum effectum iri. Vale , ex Pardo , Pridie Nonas Decembris MDXC.

PRÆFATIO

ILLUSTRISSIMI DOMINI LOAISÆ

De codicibus Manuſcriptis, quibus uſus fuit in ſua Collectione de eorum fide, & antiquitate.

MULTUM refert, non tantum ad dignitatem, verum etiam ad fidem, & certitudinem hujus Collectionis, ut diligens Lector intelligat, in ea aperte diſtincteque formanda, quibus Codicibus ſum uſus. Nam cum emendatio omnis Auctorum difficilis ſit, inaniſque, ſi nudis conjecturis fiat (in qua re hac ætate ab Scriptoribus audacter peccari animadverto; ita ut magis laboremus lectionum variarum emendationibus, quam Amanuenſium mendis; & frequentius pro veritate abdita mendacium apertum ſubſtituatur) in decretis inſtitutiſque Patrum periculoſius eſſe exiſtimavi, ſi ex proprio ſenſu, ſine auctoritate aliquid adderem, vel jugularem. Unde Codicum mſs. lectionem, etiam cum Gotthiciſmis, ad verbum religioſe ſequutus ſum, ut venerandam illorum temporum antiquitatem, hac ſcrupuloſa obſervantia colerem.

Sunt in Bibliotheca Toletanæ Eccleſiæ, quæ Libris mss. & emendatis (Regiam D. Laurentii ſemper excipio) omnes reliquas Hiſpaniæ antecedit, Conciliorum, & Epiſtolarum Decretalium Codices, litteris Longobardis ſcripti, in pelle pergamena: in quibus nihil ex iis, quæ in omnibus aliis Codicibus cæterarum Bibliothecarum continentur, deſideratur: ita ſunt integri & perfecti.

Prior ſcriptus eſt Era 1072. alter Era 1135. & ex priori exſcriptum judices, ita in omnibus ab illo non diſſentit.

Eſt in Monaſterio Regio D. Laurentii, a Philippo Domino noſtro Rege clementiſſimo ſingulari animi pietate, & Regia magnificentia ædificato, & re ampliſſima ditato, multiſque muneribus aucto, inter cætera admiratione, & cultu digniſſima, quæ in illa Æde continentur, inſignis quædam Bibliotheca, quæ cum perantiquis, & numero Librorum, & ſingularitate certat. Hæc inter alia, quinque Codices Conciliorum, & Epiſtolarum Decretalium mſs. literis Longobardis in pelle pergaminea habet.

Antiquior vocatur Vvigilanius, a Vvigila Monacho ſcriptore: vel Alvedenſis, a loco ubi ſcriptus eſt.

Alveda eſt hodie parvum municipium in tractu Locronienſi, duabus ab urbe Locronio leucis Hiſpanis diſtans: olim habuit inſigne Cœnobium S. Martini, ex inſtituto D. Benedicti a Sanctio Rege, & Toba Regina, Era 962. fundatum, (Chartam ejus erectionis, & dotis a Rege Sanctio factam, legi in Archivo Simancæ, dum Philippus Rex D. N. itineris cauſſa ibi degeret, anno Domini 1592.) poſtea collapſum, & tranſlatum in Eccleſia S. Mariæ Rotundæ, apud Locronium. In quo dum Vvigila Monachus vitam ageret, hunc ſingulari diligentia Librum ſcripſit, Era 1014. anno Chriſti 976. habet Concilia LXI. & Epiſtolas Decretales CI. a Damaſo uſque ad Gregorium primum, & opuſcula alia.

Secundus Codex eſt etiam literis Longobardis ſcriptus: vocatur Hiſpalenſis, eo quod Hiſpali ſcriptus ſit anno Domini 962. Fuit autem ejus Scriptor Velaſcus; continet Concilia LXXI. Epiſtolas Decretales XCIT.

Tertius Codex dicitur Lucenſis, qui omnes Bibliothecæ Regiæ antiquitate ſuperat; ut ex ipſa literarum vetuſtate apparet: nam annus non eſt expreſſus; eſt enim lacer ubique, ſed numero Conciliorum copioſior Vvigilano, & Hiſpalenſi; quamvis foro judicium careat. Scriptus eſt opera Ayſtrulphi, aut Michaelis Deos: habet Concilia LXVI. & Decretales Epiſtolas CIII. hujus Codicis fit inſignis, & frequens mentio in Decreto Gratiani a Gregorio XIII. P.M. emendato. Nam ejus juſſu deſcriptus Romam miſſus, lucem, & veritatem correctoribus attulit.

Sunt alii duo Codices mſs. literis etiam Longobardis, verum recentiores, & non integri: carent anno, & Scriptore, in quibus non omnia continentur, quæ in prioribus.

Eſt & apud me alius Codex pervetuſtus, in pelle membranea ſcriptus literis etiam Gotthicis, eadem Concilia, & Epiſtolas complectens, quæ alii ſuperiores: caret anno, & Scriptore.

Ex iis Codicibus hæc noſtra Concilia excerpta ſunt. Verum multum ad rem conferre exiſtimavi, ſi diverſitates, quæ in illis, præſertim primis, & vetuſtioribus reperiuntur, in unoquoque Concilio diſtincte, & dilucide aſſignem.

1. Concilium Eliberitanum in omnibus primum ponitur, appellaturque Eliberitanum cum E. non cum I. XIX Epiſcoporum. In Vvigilano, Lucenſi, in utroque Toletano, & Hiſpalenſi: Conſtantini temporibus geſtum dicitur. Habent omnes Cod. ſubſcriptiones Epiſcoporum. In Vvigilano dicitur, eodem tempore quo Nicæna Synodus, & in Hiſpalenſi: in utroque Toletano, Era 362.

2. Cæſarauguſtanum primum XII. Epiſcoporum. In Hiſpalenſi non extant ejus ſubſcriptiones, neque Era. In Vvigilano dicitur: Quarto Nonas Octobris; & in Lucenſi ſimiliter, & in utroque Toletano. Ego poſui Eram 418. ex Hiſtoria Sulpicii Severi.

3. Toletanum primum adverſus Priſcillianum, Epiſcoporum XIX. Arcadii, & Honorii temporibus, Era 438. ſub die 7. Idus Septembris, ut in Lucenſi. Verum in Vvigilano Era 435. ſub die 7. Idus Septembris. In Hiſpalenſi non eſt poſita Era, ſed tantum ſub die 7. Iduum Septembrium. In utroque Toletano Era 430. Secutus ſum lectionem veteris Codicis Lucenſis. Habet omnes ſubſcriptiones, & regulam Fidei adverſus Priſcillianiſtas, eiſdem verbis, ut poſuimus.

4. Tarraconenſe Concilium X. Epiſcoporum, habitum Era 554. anno ſexto Theodorici Regis. In Hiſpalenſi dicitur, anno ſexto Theodorici Regis, Conſulatu Petri, octavo Idus Novembris.

5. Gerundenſe Concilium VII. Epiſcoporum, habitum Era 555. anno ſeptimo Theuderici Regis VI. Idus Junias: habet ſubſcriptiones.

6. Toletanum ſecundum Concilium. Tole-

tana

Google

tana Synodus ſecunda viii. Epiſcoporum, habita in civitate Toletana, apud Montanum Epiſcopum, xvi. Kalendas Junias, anno quinto Amalarici Regis, Era 565. In eo conveniunt Hiſpalenſis, Vvigilanus, & Lucenſis, & alter Toletanus. In altero eſt 562. habet ſubſcriptiones viii. Epiſcoporum, & Epiſtolas Montani Epiſcopi ad Palentinos, & aliam ejuſdem ad Turibium; utraque deſideratur in Vvigilano, & Hiſpalenſi; ſunt in Lucenſi, & utroque Toletano.

7. Barcionenſe primum eſt in Codice Hiſpalenſi tantum. Adjeci Eram 578.

8. Ilerdenſe. Sic ſcribitur Ilerdenſe, non Hilerdenſe, octo Epiſcoporum, geſtum Era 584. anno xv. Theodorici Regis, viii. Idus Auguſti: habet in ſubſcriptionibus nomina Epiſcoporum, non Civitatum,

9. Valetanum, ſeu Valentinum Concilium, ſic appellatur indiſtincte in omnibus Codicibus, ſex Epiſcoporum, habitum Era 584. anno xv. Theodorici Regis, ſeu Theuderici ſub die ii. Nonas Decembris. In Vvigilano Era 587. anno xv. Theodorici Regis, pridie Nonas Decembris. Reliqui Cod. in Era conſentiunt. In Lucenſi ſcribitur, anno xv. Theudi: habet ſubſcriptiones.

10. Braccarenſis Synodus prima, octo Epiſcoporum, regnante Domino JESU Chriſto feliciter, currente Era 599. anno tertio Argemiri Regis, & in Hiſpalenſi, & altero Toletano; in aliis, Ariamiri, die Kalendarum Majarum. Lucenſis, & Hiſpalenſis, Era 568.

11. Concilium apud Lucum a Theodemiro Principe habitum Era 607. Hoc Concilium habui ex Archivo Lucenſis Eccleſiæ a D. Joanne Ruizio Epiſcopo Lucenſi meritiſſimo, cujus auctoritate ad id exſcribendum uſus ſum.

12. Bracarenſis Synodus ſecunda xii. Epiſcoporum, regnante Domino noſtro JESU Chriſto, currente Era 610. anno ſecundo Regis Mironis, die Kalendarum Juniarum: ſic habent omnes conſtanter.

Poſt ſubſcriptiones hujus ſecundi Coocilii dicitur ſic in Cod. Hiſpalenſi.

13. Capitula ex Orientalium Synodis, a Martino Epiſcopo ordinata, atque collecta, apud Lucenſe Concilium. Domino beatiſſimo, atque Apoſtolico Sedis honore ſuſcipiendo in Chriſto Fratri Nitigeſio Epiſcopo, vel univerſo Concilio Lucenſis Eccleſiæ Martinus Epiſcopus. Sancti Canones, qui in partibus Orientis &c. In utroque Codice Toletano inſcribitur in titulo: Synodus Lucenſis: quia ibi ordinata, poſtea in Bracarenſi Synodo iterum ad corrigendos mores Clericorum, & Laicorum uſurpata, veluti tertium Concilium fuit habita: atque ita in utroque Toletano in capite marginum foliorum, dicitur tertium Concilium Bracarenſe.

14. Toletanum Concilium tertium. Toletana Synodus tertia lxi. Epiſcoporum, in qua Ariana hæreſis in Hiſpania condemnata eſt. In nomine Domini JESU Chriſti, anno quarto regnante glorioſiſſimo, atque piiſſimo, & Deo feliciſſimo, Domino Reccaredo Rege, die octavo Iduum Majarum in Era 627. Hæc Sancta Synodus habita eſt in Civitatem Regiam Toletanam, ab Epiſcopis totius Hiſpaniæ, & Galliæ, qui infra ſubſcripti. In Lucenſi ponitur Era 627. & in Vvigilano, & in utroque Toletano: quam lectionem, & annum ſequutus ſum, licet in Hiſpalenſi ponatur Era dcxxix.

Eſt in utroque, Toletano, & in Lucenſi Homilia Sancti Leandri Epiſcopi Hiſpalenſis in laudem Eccleſiæ poſt Concilium, & confirmationem Canonum edita. Eſt etiam in Hiſpalenſi, ſed non poſt Concilium, verum alibi. Scribunt Gotthi conſtanter, Reccaredus, non Recharedus: Spania, non Hiſpania: Spalenſis, non Hiſpalenſis.

15. Hiſpalenſe primum, Epiſtola Epiſcoporum de Concilio Spalenſi ad Pegaſum Epiſcopum miſſa, viii. Epiſcoporum. In fine Concilii ſic dicitur: Data ad Sanctitatem veſtram die pridie Nonas Novembris, anno quinto Regni glorioſiſſimi Domini Noſtri Reccaredi Regis Era 628. in utroque Toletano, & in Vvigilano; in Lucenſi vero, Era dcxxii.

16. Cæſarauguſtanum ſecundum anno ſeptimo Reccaredi Regis habet in fine: ſub die Kalendarum Novembrium, anno quo ſupra. Eſt in C. Hiſpalenſi. Habet ſubſcriptiones quatuordecim Epiſcoporum. Non eſt in aliis Cod. Adjeci Eram ex anno Regis ſeptimo, dcxxx. Poſui ex eodem Cod. conſtitutionem Fiſci Barcionenſis; eo quod ſub eiſdem Epiſcopis ſit edita, eodem ſeptimo anno Reccaredi Regis.

17. Toletanum aliud. In nomine Domini Conſtitutio Synodi Epiſcoporum numero xvi. qui convenerunt in Urbem Toletanam, in Eccleſiam Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ſub die ſextodecimo Kalendas Junias, anno feliciter duodecimo, Regno Chriſtianiſſimi, & amatoris Dei glorioſiſſimi Reccaredi Regis, Era dcxxxv. ſic eſt in Hiſpalenſi tantum: in aliis non extat.

18. Oſcenſe Concilium, anno tertiodecimo, Regno Domini noſtri glorioſiſſimi Reccaredi Regis. Eſt tantum in Cod. Hiſpalenſi. Adjeci Eram ex annis Regni Reccaredi.

19. Concilium Barcionenſe, Era dcxxxvii. anno decimo quarto Regis Reccaredi.

20. Toletanum. In nomine Domini JESU Chriſti, Conſtitutio Carthaginenſium Sacerdotum, in Toletana urbe, apud ſanctiſſimum Eccleſiæ ejuſdem Antiſtitem. In fine: Facta Conſtitutio Sacerdotum in Urbe Toletana, ſub die Kal. Novembris, anno Regni primo piiſſimi, atque glorioſiſſimi Gundimari Regis. Era dcxlviii. eſt tantum in Codice Hiſpalenſi.

21. Concilium Tarraconenſe in Egara, unde dicitur Egarenſe, anno tertio Regis Siſebuti. Eſt in Codice Hiſpalenſi. Adjeci Eram ex anno Regis.

22. Hiſpalenſe ſecundum. Secunda Synodus habita in Civitate Spali, ſub die Iduum Novembrium, anno regnante glorioſiſſimo Principe Siſebuto, Era dclvii. In utroque Toletano, anno nono Siſebuti Regis: in Vvigilano, & Lucenſi: Tempore Siſebuti Regis: in Era omnes conſentiunt, & ſubſcriptionibus.

23. Toletanum quartum. Toletana Synodus iv. Geſta Synodalia in Toletanam Urbem apud Concilium lxii. Epiſcoporum Hiſpaniæ, & Galliæ Provinciarum edita, anno tertio, regnante Domino noſtro glorioſiſſimo Principe Siſenando, die Nonas Decembris, Era dclxxi. In uno Toletano, Era dclxx. in altero dclxxi. ſubſcribunt Epiſcopi lxi. ſic lego in Hiſpalenſi; nam notæ Gotthorum mire connectuntur, ut facile exiſtimes vi. pro ii. In excuſis nihil eſt certi.

24. Toletanum quintum. Concilium Tole-

tanum

tanum quintum, Epiſcoporum XX. Era DCLXXIV. anno primo Domini noſtri Chintiliani Regis: ita in Vvigilano: in Lucenſi, Era DCLXIII. in utroque Toletano Era DCLXIV. In Hiſpalenſi XXIV. in aliis XX. quam lectionem probant ſubſcriptiones, quæ viginti ſunt. In alio Toletano ſcribitur, Cinthilani.

25. Toletanum ſextum XLVIII. Epiſcoporum Univerſale, quinto Idus Januarii, anno præfati Principis, & triumphatoris in Chriſto, ſecundo, Era DCLXXVI. In Lucenſi, Era DCLXVI. & in utroque Toletano. Lucenſe continet ſolum quinque ſubſcriptiones Epiſcoporum: in cæteris eſt ut poſuimus.

26. Concilium Toletanum ſeptimum. In nomine Domini, & Salvatoris noſtri Synodale Decretum, in Toletana Urbe XXX. Epiſcoporum Concilio geſtum, anno quinto clementiſſimo Domino noſtro Cintaſvintho Rege regnante, XV. Kalendarum Novembrium, Era DCLXXXIV. Ita habent omnes Codices mſs. in quibus tantum XXVIII. Epiſcopi ſubſcribunt, Vicarii vero undecim.

27. Concilium Toletanum octavum. In nomine Domini Salvatoris noſtri JESU Chriſti, incipiunt geſta Synodalia VIII. quinquaginta duorum Pontificum, in Urbem Regiam celebrata, die XVII. Kalendarum Januariarum, Era DCXCI. anno quinto orthodoxi, atque glorioſi, & vera clementiæ dignitate præcipui Recceſvinthi Regis: ſic ſcriptum eſt in Gotthicis mſs. Lucenſis habet, Era DCXC. & Decretum, & lex Principis, quæ poſt ſubſcriptiones ponuntur, in eo non extant.

28. Concilium Toletanum nonum. In nomine Domini incipit Concilium Toletanum IX. quod actum eſt die Kalendarum Decembrium, anno feliciter ſeptimo, Regno Sereniſſimi, atque clementiſſimi Domini noſtri Recceſvinthi Regis, Era DCXCIII. in Urbe Toletana. In fine dicitur: Interfuerunt huic ſancto Concilio Pontifices numero ſedecim: ita conſentiunt omnes Cod. mſs.

29. Concilium Toletanum decimum. In nomine Domini habita Synodus decima in Toletana Urbe, die Kalend. Decembris anno octavo glorioſi Domini, & religioſiſſimi Recceſvinthi Principis, Era DCXCIV. in fine. Interfuerunt huic ſancto Concilio Pontifices numero XX. Conſentiunt in annis, & Era omnes Cod. mſs. In Vvigilano deſiderantur aliquot ſubſcriptiones, & Cap. 7. quamvis in eo ſint duo Decreta, quæ in Lucenſi non ſunt. Uterque Toletanus & Hiſpalenſis exacte Concilium totum complectuntur.

30. Concilium Emeritenſe. Concilium quod geſtum eſt in Provincia Luſitaniæ, apud Urbem Emeritenſem, quæ caput Epiſcopis noſcitur, XII. Epiſcoporum in unum collectis, die 8. Iduum Novemb. anno octavo decimo ſereniſſimi, & piiſſimi Recceſvinthi Regis, Era DCCIV. Eſt hæc Synodus in utroque Toletano Cod. & Lucenſi, & non in aliis; ubi conſtanter ſcribitur *Emeritenſis*, & *Recceſvinthi*.

31. Concilium Toletanum undecimum. In nomine Domini, incipiunt geſta Synodalia Concilii Toletani undecimi, acta in Urbe Regia, in Toletana Sede, a decem & ſeptem Epiſcopis, anno quarto Regni glorioſi Principis Vvambæ Regis, ſub die ſeptimo Idus Novembris, Era ſeptingenteſima decima tertia. In fine ante ſubſcriptiones: Interfuerunt huic ſancto Concilio Pontifices numero XVII. Conſentiunt omnes Cod. In Vvigilano deſiderantur omnes ſubſcriptiones Abbatum, & Vicariorum.

32. Bracarenſe tertium. In nomine Domini incipit Concilium Bracaranſe tertium, quod factum eſt ſub anno quarto glorioſiſſimi Domini noſtri Vvambanis Regis, Era ſeptingenteſima decima tertia regni ejus. In Vvigilano, & Lucenſi dicitur: Cui interfuerunt Pontifices octo: in utroque Toletano vocatur quartum, eo quod Canones Orientales collecti a Martino Bracarenſi, vocentur tertium Bracarenſe. Similiter in Lucenſi vocatur quartum.

33. Concilium Toletanum duodecimum. In nomine Domini Acta Synodalia Concilii Toletani duodecimi apud Urbem Regiam celebrata, ſub die quinto Iduum Januarii, Era DCCXIX. anno primo orthodoxi, atque ſereniſſimi Domini noſtri Ervigii Regis. In utroque Toletano & Lucenſi dicitur: Quinto Iduum Majarum: verum corrupte pro Januarii, nam infra dicitur: Conſummatum eſt hoc ſanctum Concilium die octavo Kalendarum Februarii, anno Regni feliciter primo ſereniſſimi atque clementiſſimi Domini noſtri Ervigii Regis, Era DCCXIX. ita ut die nono Januarii ſit inceptum, conſummatum vero vigeſimo quinto die, in Converſione B. Paulli. Sic erat in more quam citiſſime extremam manum Conciliis imponere. Nam congregatio multorum, ſi diutius trahatur, aliquid infauſtum ſolet parere: & uſus ipſe frequens Synodorum, rem facilliorem faciebat.

In Lucenſi, & Vvigilano eſt: cui interfuerunt Pontifices XXX.

34. Concilium Toletanum decimum tertium. In nomine Domini incipiunt geſta Synodalia habita in Urbe Toletana, ſub Era DCCXXI. anno regni excellentiſſimi Principis Ervigii IV. pridie Nonas Novembris. In fine: Interfuerunt huic ſancto Concilio Pontifices numero XLVIII. Non eſt in Vvigilano. Conſentiunt reliqui Codices in Era, anno Regni, & numero Epiſcoporum. Habet ſubſcriptiones Epiſcoporum, Abbatum, Vicariorum, Virorum illuſtrium, Ducum, Comitum, Procerum officii Palatini. In lege in confirmatione Concilii edita dicitur: Edita lex in formatione Concilii Toleto, ſub die Idus Novembris Era DCCXXI. anno quoque feliciter quarto Regni gloriæ noſtræ. Conſtanter omnes Cod. mſs. ſcribunt, *Ervigius*, non *Hervigius*.

35. Concilium Toletanum decimum quartum. Geſta Synodalia, quæ acta ſunt a Præſulibus Carthaginis provinciæ, adſiſtentibus etiam Vicariis. Incipiunt Capitula Concilii Toletani XIV. decem & ſeptem Epiſcoporum, anno quinto Ervigii Principis. Extat hoc Concilium tantum in Lucenſi, & utroque Toletano; ſed in illis non eſt Era, ſed tantum dicitur in fine: Peractum Concilium die Dominico, ſub die duodecimo Kalendas Novembris, anno quo ſupra. In aliis eſt: Decembris. Verum appoſui Eram ex anno Regni Principis DCCXXII.

36. Toletanum Concilium decimum quintum. In nomine Domini JESU Chriſti, anno primo ſereniſſimi, & orthodoxi Egicanis Principis, ſub die quinto Idus Majas, Era ſeptingenteſima vigeſima ſexta apud Urbem Toletanam in Eccleſia Prætorienſi Sanctorum Apoſtolorum Petri & Paulli, omnes Spaniæ, Galliæque Pontifices aggregati numero LXI. Sic eſt in Hiſpalenſi.

Digitized by Google

lenſi. Conſentiunt in Era, & numero Pontificum, & Regni anno omnes Cod.mſs.In Vvigilano deficiunt aliquæ ſubſcriptiones Abbatum , & illuſtrium officii Palatini .

37 Concilium Cæſaraugustanum tectium . In nomine Domini incipiunt geſta Synodalia in Urbe Cæſarauguſta ſub die Kalendas Novembris, Era DCCXXIX. anno quarto orthodoxi , atque ſereniſſimi Domini noſtri Egicanis Regis. Sic eſt in Codice Hiſpalenſi,& Vvigilano: in aliis non extat : caret ſubſcriptionibus Epiſcoporum .

38. Concilium Toletanum decimum ſextum. In nomine Domini incipit Synodus Toletana ſextadecima LX. Epiſcopocum , anno ſexto inclyti, & orthodoxi Domini & Principis noſtri Egicanis, ſub die ſexto Nonarum Majarum , Era DCCXXXI. In Lucenſi , & in utroque Toletano eſt integra tota Synodus:in Vvigilano & Hiſpalenſi mutila: in utroque eſt Era DCCXLVI. in aliis , ut poſui .

39. Concilium Toletanum de:imum ſeptimum . In nomine Domini incipit Synodus Toletana XVII. regula ſanctæ Fidei, decurrente Imperii anno religioſiſſimi , ac ſereniſſimi Domini noſtri Egicani Regis VII. ſub die quinto Idus Novembris , Eca DCCXXXII. Eſt ita in utcoque Toletano, & Lucenſi : in aliis nun extat .

40. Concilium Toletanum decimum octavum petendum eſt ex eo quod tradit Rodericus Archiepiſcopus in Hiſtoria Hiſpaniæ . *In margine appoſitus eſt annus* 740.

Ex iis Codicibus multa eduxi Concilia, quæ non extant excuſa ; & quæ edita , ampliora , & auctiora , emendatioraque : quod legenti facile ecit perſpicere .

EX EPISTOLA ILLUSTRISSIMI D. D. ANTONII AUGUSTINI

Archiepiſcopi Tarraconenſis , Scriptoriſque toto Orbe celeberrimi , ad Hieronymum Blancam de rebus Cæſarauguſtæ , Epiſcopis , & Conciliis per eos celebratis .

QUod de laudibus Cæſarauguſtanæ iſtius Urbis, & de veteribus Pontificibus ejuſdem , ſi quid ex antiquis Scriptoribus , aut ex Actis Conciliorum , aut aliunde aliquando collegeram , ad te quam primum mitti deſideras ; pauca quædam his litecis , licet fortaſſe noctuas , quod ajunt , Athenas , & quæ tibi ſunt notiora, perſccipſi . Atque ut omittam , quid C. Plinius de Cæſarauguſtana immuni Colonia , olim Salduba dicta , & de Conventu ampliſſimo ſccipſerit ; Strabo quoque eandem laudat , habereque togatos eives ait , nihil ex veteri Celtiberorum eontumacia , atque ducitia retinentes . His addit Pomponius Mela : *Urbium de mediterraneis in Tarraconenſi clariſſimæ fuerunt Pallantia, & Numantia , nunc eſt Cæſarauguſta* . Vixit autem Mela Tib. Cæſaris, Caligulæ , & Tiberii Claudii temporibus , & in Hiſpania natus eſt . Quod vero ex vecbis Melæ elici nonnemo putat , eaſdem eſſe Numantiam & Cæſarauguſtam , irridendum magis , quam improbandum ; eum Strabo inter eas DCCC. ſtadia collocet . Venio nunc ad laudes ſanctiſſimorum Virorum : laudari enim a laudato viro , ut tu optime in hujuſce Operis initio dixiſti , maximum eſt ; idque cum ſit ob religionis cultum , longe præſtat . Ex his primus eſt Cyprianus Carthaginenſis Martyr. Lib. I. Epiſt. 4. quam cum multis Epiſcopis ſcripſit Felici Presbytero , & plebibus conſiſtentibus ad Legionem , & Aſturicæ . In ea poſtquam Felicis, & Sabini Pontificatuum mentionem ſeciſſet , ait : *utque alius Felix de Cæſarauguſta , Fidei cultor , ac defenſor veritatis , literis ſuis ſignificat* . Proximus huic longo, ſed proximus intervallo , ſit Prudentius , qui in Lib. de Coronis, Eneratin, & ſocios XVII. Martyres , & duos Confeſſores , Cajum, & Clementem laudans , Cæſarauguſtam appellat, plenam domum magnorum Angelorum , eamque præfert cæteris Urbibus, quod tam multis ornetur Corporibus Sanctorum . Ex eadem Vincentium fuiſſe Martyrem tradit , & domum infulatam Sacerdotum Valeriorum , hoc eſt , ejus Urbis Pontificum . Conſtat autem multorum teſtimonio, Valerium Dei Confeſſorem , Epiſcopum fuiſſe Cæſarauguſtanum , ejuſdemque Diaconum Vincentium . Sed & in Concilio Elibecritano Valecium ejuſdem Urbis Epiſcopum ſubſcripſiſſe novimus , anno Chriſti plus minus CCCXXV. ſie duos poſſumus poſt Felicem Epiſcopos Valerios numerare . Ipſa vero Urbs laudatur carminibus quoque duocum Poetarum Chriſtianorum, Pontii Paullini , qui poſtea Nolanus Epiſcopus fuit, & Anſonii Galli . His addamus Concilium Cæſarauguſtanum contra Priſcillianum , ex teſtimonio Sulpicii Severi , Libro poſteriori extcemo Hiſtoriæ Sacræ , anno plus minus CCCXXC. Fuerat paulo ante Concilium Sardicenſe contra Arianos : in quo ſubſcriptum invenimus Caſtum Epiſcopum . Sic enim in veteribus Libcis eſt , non Coſtum , ot in vulgaribus , anno CCCXLVII. ut quidam putant . Poſt hæc invenio cujuſdam Epiſcopi Cæſarauguſtani fieri mentionem , tacito ejus nomine , in Epiſtola quadam Aſcanii Tarraconenſis Archiepiſcopi ad Hilarium Pontificem Maximum , quæ in Concilio Romano eſt relata, anno , ut ex Conſulibus apparet, CDLXV. Sed mox in Concilio Tarraconenſi Vincentius ejuſdem Urbis Epiſeopus ſubſcripſit anno Chriſti DXVI. Non hic eſt Vincentius Arianus Epiſcopus , de quo Iſidorus ſcribit . Ille enim temporibus Mauritii Imperatoris vixit;hic Anaſtaſii , & Juſtini . In veteribus Collectionibus Conciliocum , poſt Tarraconenſe Concilium , Gerundenſe poſitum eſt , habitum anno vertente , in quo ſeptem ex illis Epiſcopis , qui in ſuperiori Synodo fuerant , convenecunt , in his Vincentius non eſt . Poſt Gerundenſe , Cæſarauguſtanum collocarunt . XII. Epiſcopocum nomina ſcripta ſunt ; ſed quibus Eceleſiis præeſſent , ſubticuerunt . Hi Canones ſcripſerunt octo : ex quibus unus eſt a Gratiano relatus: *Ne quis jejunet die Dominica* &c. de Conſecrat. Diſt.3. Hi, qui putant, hoc illud eſſe Concilium, quod Severus contra Priſcillianum habitum dixit ; ſola duorum Epiſcoporum nominis ſimilitudine ducuntur , & loci : namque ille refert Idacium Emeritenſem , & Ithacium incertæ Urbis Epiſcopum , inſenſos Priſcilliano fuiſſe; contra quem , & ſocios Cæſarauguſtana Synodus

habita eſt ; in qua etiam Aquitanos Epiſcopos interfuiſſe ait : & in ea damnati abſentes ſunt ; & contumaces Inſtantius , & Salvianus Epiſcopi , Helpidius , & Priſcillianus laici , qui Damaſum Romanum , & Ambroſium Mediolanenſem interpellarunt, & ab eis fuerunt rejecti. Qui ex Hiſpania Epiſcopi interſuerint , non narrat ; tantum Adyginum ſcribit Cordubenſem ad Idacium retuliſſe Emeritenſem , qui in eos eſt inventus . In Conciliis editis bis Italii nomen ſcriptum eſt ; id murant in Idacium , & Ithacium : quod facile recipi poſſet , ſi cætera convenirent. Nihil enim eſt in hac Synodo , quod cum alia Synodo conſonet , quæ in Aquis-Cælinis contra Priſcillianiſtas habita eſt anno Chriſti ccLxvII. extatque conjuncta cum Toletano primo Concilio . Ea Synodus habita eſt juſſu Leonis Pontificis , ut apparet ex Epiſtola Leonis XCIII. ad Toribium Aſturicenſem ; in qua etiam errores eorumdem Hæreticorum damnantur . Iſidorus in Libro , *De Viris Illuſtribus* , Idacium Lemicæ Urbis Hiſpaniarum appellat , & Urſatium Epiſcopum ejus ſocium , fuiſſeque communione privatos , & in exilium miſſos , quod Priſcillianum accuſaverint coram Maximo Tyranno,& damnatus occidi fieri juſſit . Sed aut in Iſidori Libro, aut in Severi mendoſa ſunt nomina . Proſper Aquitanicus in Chronicis cum Iſidoro facit , qui anno cccxcII. eadem de Ithacio , & Urſatio Epiſcopis ait . In Barcinonenſi Synodo non edita Joannes Cæſarauguſtanus Epiſcopus interſuit anno plus minus DXL. Eundem putamus in Ilerdenſi Concilio cum Sergio Tarraconenſi conveniſſe; ſed non recte in editis Libris Ilerdenſe , & Valentinum ante Gerundenſe edita ſunt , cum fuerit poſterius dicto anno DXL. In Toletano tertio maximo Concilio ſubſcriptio extat Simplicii Epiſcopi Cæſarauguſtani.Id habitum anno IV.Reccaredi Regis, Ch. DXXCIX. Hactenus Gothi hæreſim Arianorum tenuerunt : noſtri tamen Majores Catholicos Pontifices habuerunt, ipſaque Civitas in Catholica religione perſeveravit. Hoc loco referri poteſt , quod S. Gregorius Turonenſis Lib. 3. Cap. 39. Hiſt. Francorum , & Addo Viennenſis ætate ſexta in Chronicis , & Aimoinus Monachus Lib. 2. Cap. 19. & 20. Hiſtoriæ Francorum ſcripſerunt de Urbe Cæſarauguſta a Francorum Regibus obſeſſa Childeberto & Clothario , anno plus minus DXXXII. quæ obſeſſio ſoluta eſt , data ab Epiſcopo Stola B. Vincentii Martyris , quæ Pariſiis in Eccleſia eidem dicata poſita eſt . Sigebertus Gemblacenſis hæc anno DXLII. refert . Inter Joannem , & Simplicium , infelicem illum Vincentium Epiſcopum collocemus Arianum , adverſus quem Severus Malacitanus Antiſtes edidit libellum , ut Iſidorus ait in Libro , *De Viris Illuſtribus* . Tempore Leovigildi Regis prævaricaſſe teſtatur Rodericus Toletanus Lib. 2. Cap. 14. Poſt Concilium Toletanum, aliud Cæſarauguſtæ Concilium habitum eſt anno VII. ejuſdem Reccaredi Regis in quo ſubſcribunt Artemius Tarraconenſis , & alii XII. Epiſcopi , in quibus Simplicius eſt : nomina Urbium ſingularum omiſſa ſunt : tres Canones ediderunt contra Arianos . Anno proximo Oſcenſis Synodus habita eſt , tamen in ea Simplicium interfuiſſe , nobis incertum eſt . Sed in Barcinonenſi anno XIV. ejuſdem Regis habita, Maximus Cæſarauguſtanus Epiſcopus ſubſcripſit . De Maximo Iſidorus in extremo Lib. *De Viris Illuſtribus*, hæc refert: *Multa verſu, proſaque componere dicitur , quæ necdum legi .* Iſidorum Hiſpalenſem & Maximum invenio ſubſcripſiſſe Toletano Concilio non edito,quod anno primo Gundemari Regis habitum eſt anno Chriſti DCX. Eundem Maximum in Egarenſi Concilio cum Euſebio Tarraconen. anno tertio Siſebuti Regis , hoc eſt , anno DCXIV. fuiſſe , vetus Liber oſtendit , in quo non edita Concilia , quæ retulimus , Cæſarauguſtanum , Oſcenſe , Barcinonenſe , Toletanum , & Egarenſe conſcripta ſunt. Poſt Maximum , Joannem , Braulionis fratrem, ſediſſe annis XII. B. Ildephonſus in Libro , *De Viris Illuſtribus*, teſtis eſt , temporibus Siſebuti Regis , & Svinthilani . Patrem eum olim Monachorum appellat , & Virum in Sacris literis eruditum , hilarem , & munificum ; de Eccleſiaſticis Officiis quædam eleganter , & ſono , & oratione ſcripſiſſe refert , & de Paſchali ſolemnitate . Joanni ſucceſſiſſe Braulionem teſtatur , qui XX. annos Epiſcopus fuit temporibus Siſenandi, Chintilæ , Tulcani , & Childaſvinti Regum . Ad hunc Iſidorus Librum Etymologiarum extremo ſuæ vitæ tempore miſit, qui in ejus vita fateretur ſe eum librum in viginti libros diviſiſſe: extantque initio ejuſdem voluminis Epiſtolæ Iſidori ad Braulionem , & Braulionis ad Iſidorum . Vitam quoque B. Æmiliani Monachi idem ſcripſit , quod præter Ildephonſum , aſſerit Oſualdus in Martyrologio Prid. Id. Nov. Alia quoque ſcripſiſſe eundem , Ildephonſus ait . Ejus ſubſcriptio extat in quarta & quinta Synodo Toletana, quod etiam Rodericus Toletanus Lib. 2. Cap. 19. refert , eumque illuſtrem appellat his verbis : *Huic Synodo quintæ Braulio Cæſarauguſtanus Epiſcopus præ cæteris illuſtris effulſit , atque piam doctrinam Chriſtianis mentibus decenter infudit: cujus & Opuſcula nunc uſque Eccleſia veneratur . Hujus eloquentiam Roma Urbium mater , ac domina per Epiſtolare alloquium eſt mirata* . Eſt etiam in Toletano Concilio ſexto ejus nomen adſcriptum , quod habitum eſt anno ſecundo Chintili Regis, anno Chriſti DCXXXVIII. At in ſeptimo non interſuiſſe crediderim , tum quia in quibuſdam non editis ſubſcriptionibus ejus nomen non ſit , tum quia apud Rodericum legatur , in eodem Concilio fuiſſe deſideratum a Patribus Librum Moralium S. Gregorii. Unde Princeps , ſacro Concilio , inquit , approbante , Tajonem Cæſarauguſtanum Epiſcopum , religione , & literatura præſtantem , & ſollicitum Scripturarum, ad Romanum Pontificem pro Libris Moralium navigio deſtinavi : nota eſt Hiſtoria , quo pacto ſomnio admonitus fuerit loci, in quo hi Libri conſervarentur , quo enarrato Pontifici , Tajo extitit , inquit , Romæ glorioſus , quo antea deſpicabilis habebatur , & reperto, & accepto Libro, in Hiſpaniam eſt reverſus , & tam Romæ , quam in Hiſpaniis habitus eſt venerandus . Idem Lib. 3. Cap. 15. inter Sanctos Pontifices laudat Leandri , Iſidori , Helladii &c. atque Tajonis Cæſarauguſtani claram doctrinam. Mendoſe autem Talonis , pro Tajonis , editum eſt , apud Ildephonſum : poſt Braulionem de Eugenio poſteriore , Toletano Antiſtite agitur : qui cum Eccleſiæ Regiæ Clericus eſſet egregius, vita Monachi delectatus eſt . Qui ſagaci , inquit, fuga Urbem Cæſaraug. petens , illic Martyrum Sepulchris inhæſit , ibique ſtud a ſapientiæ , & propoſitum Monachi decenter incoluit . Tajo au-

Digitized by Google

autem ſubſcripſit in Actis Toletani VIII. Concilii, ut in omnibus libris ſcriptum eſt. Item in Actis Toletani IX. licet omiſſum ſit in editis. Habitum autem eſt anno VI. Receſvinthi Regis, Chriſti DCLV. ceteris Toletanis editis nullus Epiſcopus Cæſarauguſtanus interſuit. Ex veteribus libris Toletano XIII. anno IV. Ervigii Regis, Chriſti DCXXCIII. ſubſcripſit Fredevaldus Abbas, agens vicem Balderedi Cæſarauguſtani Epiſcopi. Toletano XV. anno I. Egicani Regis, Chriſti DCXXCVIII. idem Balderedus interfuit. Mox anno quarto ejuſdem Regis Cæſarauguſtanum tertium, ſive quartum Concilium habitum eſt: nomina Epiſcoporum deſiderantur. Sed idem Balderedus erat Epiſcopus, quia idem ſubſcripſit Toletano XVI. Concilio, quod habitum eſt anno VI. ejuſdem Regis. Hæc habui, quæ de Epiſcopis, & Conciliis Cæſarauguſtanis ſcriberem, quorum memoria extat apud me, ante cladem illam Arabum, & Sarracenorum irruptione illatam. Tu his alia addes, maximiſque ornamentis, & rerum, & verborum illuſtrabis. Cura, ut valeas. Tarracone, Kal. Febr. MDLXXIV.

EJUSDEM D. ANTONII AUGUSTINI

De Hiſpaniæ Conciliis non editis, Dialogus inter alios XX. ex Libro poſteriore.

Interloquuntur A. B. C. ex quibus A. denotat Antonium Auguſtinum, B. Franciſcum Edoardum, C. Martinum Auguſtinum.

C. QUænam ſunt ea quæ dixiſti non edita Hiſpaniæ Concilia.

A. Septem Toletana Concilia, duo Cæſarauguſtana, duo Barcinonenſia, Emeritenſe, Oſcenſe, Egarenſe, & cum his conjungitur ex Gallia, Narbonenſe.

C. Præclara quidem nomina, & noſtris æqualibus, ac præceptoribus inaudita; nec ſat ſcio an Gratianus his unquam uſus fuerit, uno excepto Emeritenſe, quo illum mutato nomine inveniri dicebas uſum. Toletana autem, quæ Gratianus ſæpe refert, Concilia, & ex Cæſarauguſtano quædam, omnia fere in editis voluminibus extant.

A. Qua ratione Emeritenſe vidit, & quædam Toletana non edita, potuit etiam cetera legere. Sed age, videamus Capita quædam ex his Toletanis accepta. Cauſſa XXVI. Quæſt. V. Caput illud, cujus initium: *Quicunque Sacerdotum*, ex Toletano Concilio ſumi Gratianus fatetur; in editis Conciliis non invenies; ſed in his, quæ dixi non edita, inventum eſt, ex duobus Capitibus duorum Conciliorum ſumptum. Initium enim ejus Capitis eſt ex Concilio Toletano XII. Cap. 7. Poſterior pars, cujus initium: *Plerique etiam*, eſt ex Toletano XVII. Cap. 5. Sed multa in utroque Capite relicta ſunt ſtudioſis viris legenda. Pro illis: *cauſa doloris cujuslibet*, illic eſt: *cauſæ cujuslibet doloris, vel amaritudinis*. Pro, *altare veſtibus ſacris*, eſt: *altare divinum veſtibus ſacratis*. Pro voce: *accinxerit*, eſt *accingi*, aut, ut in alio libro eſt, *accingiſſe*: ſed ſcribendum eſt, *accinxiſſe*. Pro illis: *& extingui præceperit*, plura ſunt: *vel extingui præceperit, aut quodcumque lugubritatis in templo Dei induxerit, atque, quod pejus eſt, occaſionem nutrierit, unde templis Domini aut officia conſueta deſint, aut oblatio ſingularis ſacrificii videatur in aliquo defraudari*. Pro illis: *loci ſui dignitate &c.* illic eſt: *ignobilitati perpetuæ mancipatas, juxta ſuperiorem ſententiam Domini, & loci ſui dignitate &c.* Pro illis: *plerique etiam Sacerdotum ſauciati &c.* multa ſunt alia prætermiſſa: Pro illis: *ipſum offertur ſacrificium mortis incurrat periculum*, illic eſt: *idipſum offertur ſacrificium ipſius ſacroſancti libaminis interventu, mortis, ac perditionis incurrat periculum; & quod cunctis datum eſt in ſalutis remedium, illis hoc perverſo inſtinctu, quibuſdam eſſe expetunt in interitum*. Pro illis: *ergaſtulo relegentur*, plenius illic eſt, *ergaſtulo relegati, excepto ſupremo vitæ curriculo, cunctis vitæ ſuæ diebus ſacræ communionis eis denegetur perceptio, quia Domino ſe crediderunt fraudulento delibaſſe ſtudio*.

B. Multo meliora ſunt hæc, in quibus & exilii, & excommunicationis pœna eſt, quam illa, quæ exilium tantum continebant.

A. Ex Toletano XVI. Cap. 5. illa ſunt, quæ Gratianus refert poſt aliud Emeritenſis Concilii Caput. Omittuntur autem multa exordii verba, ut in ſuperioribus. Et in extremo Capite, poſt verbum *perſolvere*, additur: *nec populi ſacerdotali jure occurrere, ſed nec rebus &c.* Poſt verbum, *parvipenderit*, hæc adduntur: *ut quippiam exinde temerandam crediderit*. In fine ſunt hæc verba non ſatis integra poſt verbum *multari*: *ita nempe, ut poſtquam ab hoc excommunicationis interdicto ad ordinis ſui ſanctiones modis omnibus ſtudeat adimplere*.

B. In libro Michaelis Thomaſii legi cujuſdam docti Viri ſcripturam, poſt vocem *interdicto, liber fuerit, ad ordinis ſui remeaverit locum, cunctas hujus Canonis ſanctiones, modis omnibus &c.*

A. Magna libertate is Interpres utebatur. Ex Cap. VII. ejuſdem Concilii Gratianus ſumpſit extremum Caput Diſtinctionis XIIX. quod falſo Contius refert ex Toletano III. Cap. XVIII. Varietas non magna eſt, his exceptis: pro illis verbis: *pleniſſime omnia referet &c.* illic eſt: *publice omnia reſerata, de his quæ eodem anno in Concilio acta, vel definita extiterint pleniſſime notiores efficiantur*. Et poſt alia: *Quod ſi quiſpiam ea parvipendenda crediderit, aut contemnenda delegerit, aut contra hæc inobedientia tumidus, ſuſurratione plenus, invidia incenſus, & laceratione perfunctus, necnon potius earundem definitionum extiterit fautor benevolus, ſententia excommunicationis duorum menſium curriculo perſiſtet uſquequaque multatus*. Hæc ſunt apud Gratianum aperte ex his Conciliis ſumpta. Sed quia incidi in verba quædam Auguſtini apud Gratianum relata, quæ in Toletano Concilio XVII. Cap IV. Cypriani eſſe dicuntur, de his videndum cenſeo. Auguſtini verba ſunt: *Fruſtra*, inquit, *quidam, qui ratione convincuntur, conſuetudinem nobis objiciunt &c.* In eo Concilio eſt: *Itemque præcellentiſſimus Doctor, & invictiſſimus Martyr Cypria-*

prianus proſequens ait: Fruſtra qui ratione vincuntur, conſuetudinem nobis opponunt &c. Ivo Auguſtino eadem adſcripſit. Utrumque exiſtimo eiſdem fuiſſe verbis uſum, & Cyprianum, & Auguſtinum, atque in illo verbo, *inquit*, ad Cyprianum reſpexiſſe. Cypriani verba ſunt in Epiſtola ad Jubajanum: *Proinde fruſtra quidam, qui ratione vincuntur, conſuetudinem nobis opponunt &c.* Et Auguſtinus, Lib. IV. de Baptiſmo contra Donatiſtas Cap V. *Proinde*, inquit, *fruſtra quidam, qui ratione vincuntur, conſuetudinem nobis objiciunt &c.*

C. Non igitur ſcribi debuit, *fruſtra*, inquit, *quidam*; ſed, *proinde, inquit, fruſtra quidam*: neque *convincuntur*, ſed *vincuntur*. Cur autem *objiciunt* habet Auguſtinus, *opponunt* Cyprianus?

A. Memoria fortaſſe lapſus eſt, & ſententiæ ejuſdem verbum protulit. Ideo retinendum arbitror.

EPISTOLA ILLUSTRISSIMI D. D. GASPARIS QUIROGA

Epiſcopi Conchenſis, poſtea Cardinalis, & Archiepiſcopi Toletani, atque Inquiſitoris Generalis Hiſpaniarum,

AD GREGORIUM XIII. PONTIFICEM MAXIMUM,

Gaudentem de Conciliis Hiſpaniæ inventis, & ad ſe miſſis, ac deſiderantem, ut quædam alia exquirantur.

GRATA Sanctitati Veſtræ fuiſſe ea Concilia, quæ ex vetuſtis Codicibus deſcripta ad Beatitudinem Veſtram anno ſuperiori miſi, ex iis literis intellexi, quas ad me Illuſtriſs. Cardinalis Vaſtavillanus Sanctitatis Veſtræ mandato ſcripſit. Quantam vero id mihi voluptatem attulerit, non puto pluribus verbis a me commemorandum. Illud affirmare poſſum, pro mea perpetua erga Sanctitatem Veſtram obſervantia, & devotione, nihil me libentius potuiſſe audire, quam præſtitum a me Sanctitati Veſtræ qualecumque pro mea tenuitate obſequium, benigno accipi animo. Cum vero poſtea cognoverim, jubere Sanctitatem Veſtram, ut aliquot præterea Concilia Hiſpanienſia, quorum in eo, quem miſi Libro, fiebat mentio, deſcribenda quoque ex Regia Bibliotheca curarem; feci id quam potui diligenter, & ſtudioſè. Neque illa modo Concilia, quæ a me petebantur, ſed & alia Hiſpanienſia, quæ hactenus naniſci potui, nondum typis mandata, ſimul mitto; ratus Sanctitati Veſtræ, quæ tanto antiquitatis Eccleſiaſticæ illuſtrandæ ſtudio ducitur, non ingratam fore acceſſionem. In his Codicibus deſcribendis, & cum vetuſtis Codicibus comparandis, non minus, quam anno ſuperiori, diligentem, &, ut puto, fidelem operam præſtitit Joannes Baptiſta Perezius, qui in mea eſt fide, & clientela, dignus, meo judicio, ea Sanctitatis Veſtræ liberalitate, quam in ſe expertus gratiſſimo prædicat animo. De mea vero, & meorum opera, nihil eſt, quod Beatitudini Veſtræ de novo offeram, cui jamdiu me, meaque omnia, debeo, & ſponte devovi. Illud tantum a Beatitudine Veſtra ſupplex peto, ut hoc meum erga ſe ſtudium, & devotionem benigne, clementerque accipiat, atque Apoſtolica benedictione proſequatur. Deus Opt. Max. Sanctitatem Veſtram Eccleſiæ ſuæ Catholicæ, quam diutiſſime, feliciſſimeque præeſſe velit. Madriti Idibus Novembris 1576.

Sanctitatis Veſtræ

Humillimus Servus G. Epiſcopus Conchenſis.

CLARISSIMI VIRI JOANNIS BAPTISTÆ PEREZ,

Primum Convictoris Illuſtriſs. D. Gaſparis Quirogæ, deinde Canonici Toletani, & Epiſcopi Segobricenſis,

Epiſtola ad Lectorem, De Conciliis Hiſpaniæ.

QUOD ſuperiore anno feci in iis Conciliis, quæ juſſu Reverendiſſimi Mæcenatis mei Gaſparis Quirogæ Epiſcopi Conchenſis, & Generalis per Hiſpaniam Inquiſitoris, ex vetuſtis Codicibus deſcripſi ad SS. D. N. mittenda: idem mihi puto hoc Libro faciendum, ut horum quoque, quæ nunc mittuntur, rationem lectoribus reddam. Priore quidem, qui miſſus eſt, Libro, ſex tantum Concilia Hiſpanienſia nondum impreſſa deſcripſeram, nempe Emeritenſe, & Toletana quinque ſuperiora a XIII. ad XVII. atque in cæteris, vel fragmenta addita, vel loca multa ex Codicibus mſs. emendata. Hoc autem poſteriore Libro novem Concilia vetera Hiſpanienſia continentur ſub Regibus Gotthorum habita ante Sarracenorum irruptionem, magna ex parte deſcripta ex vetuſto Codice Concilio-

rum

rum Gotthico, qui olim in S. Æmiliani Monaſterio fuit, nunc autem in Regiam S. Laurentii Bibliothecam eſt translatus. Nonnulla ex his Conciliis, fateor, puſilla ſunt, & brevicula, ſed propter temporum Hiſtoriam, & Eccleſiaſticam diſciplinam, magno in pretio habenda, hoc præſertim tempore, quo Doctores Catholici, & Eccleſiæ Dogmata, & mores, tam ſtudioſi ea antiquitatis fontibus repetunt. His adjunaimus & quædam alia Concilia Hiſpanienſia Sarracenorum incurſione poſteriora, bonam partem ex Eccleſia Toletana deſcripta, quod ad idem genus pertinebant, ac nunc maxime Toletana Concilia audiebamus. De ſingulis autem Conciliis, vel certe illorum aliquibus, non puto eſſe inutile pauca præfari.

Toletanum ſub Gundemaro Rege non modo extat in hoc Codice S. Æmiliani, ſed etiam in aliis Libris Alveldenſi, & Sarraceno ejuſdem Bibliothecæ Regiæ. Hoc Concilium magni fit a noſtris, præſertim ab iis, qui Eccleſiæ Toletanæ Primatum hoc Concilio ſtabilitum putant. Ego vero ſic exiſtimo, alia quidem argumenta pro eo Primatu merito afferri poſſe, ut Caput primum, & ſeatum Concilii Toletani XII. & præſertim aliquorum Pontificum reſcripta Hiſpaniæ excidio, & Toleto ea Mauris recepto poſteriora, quorum plura eacmpla legi; ſed hoc Concilio, quod in manibus eſt, nihil minus, quam ea res agitur. Concilii enim Summa hæc eſt: Hiſpania Gotthorum tempore in ſea erat Provincias diviſa, quod partim ea Iſidori Libro xiv. Etymologiarum, & Sexto Ruffo, atque Aurelio Victore colligitur; ſed præſertim ea ipſis Conciliis eo tempore habitis, & ex Epiſcoporum diviſione ſub Rege Vvamba facta, quæ etiam nunc extat. In ſingulis Provinciis ſinguli erant Metropolitani, in Bætica Hiſpalenſis, in Luſitania Emeritenſis, in Gallæcia Bracarenſis, in Tarraconenſi ipſe Metropolitanus Tarraconenſis. Toletanus vero in Provincia Carthaginenſi, cujus pars erat regio Carpentana. Narbonenſis denique in Gallia Gotthica. Sic enim Narbonenſis Provincia appellabatur, & quia noſtratibus Gotthis ſuberat, ad Hiſpanienſia Concilia ſolebat convenire. Cum itaque nonnulli Epiſcopi Provinciæ Carthaginenſis ſe obedientiæ Metropolitani Toletani paulatim ſubducerent, id tantum hoc Concilio præcipitur, ut ſicut ceteræ Provinciæ Hiſpaniæ ſingulos agnoſcunt Metropolitanos, ita Provincia Carthaginenſis Toletanum agnoſcat Metropolitanum, ſive Primatem (nam pro eodem utrumque nomen uſurpat) Toletanus enim, inquit, eſt Metropolitanus totius Provinciæ Carthaginenſis, non modo regionis Carpentanæ: quod aliqui decepti ſubſcriptione Euphemii Toletani Archiepiſcopi in Concilio Toletano exiſtimant, quamquam & hic illud admonendus eſt lector, ſubſcriptionem Euphemii, quæ hoc loco ex Concilio tertio Toletano citatur, depravatam ibi eſse in impreſſis. Legitur enim *Euphemius pro Capitaneis*, cum ex veteribus Libris ſit reponendum, *Euphemius provinciæ Carpentanæ*. Ut vero ad hoc Concilium redeam, cum ad eandem Synodum pertineat, & Regis Decretum, & Epiſcoporum conſtitutio, bipartita tantum Epiſcoporum eſt ſubſcriptio. Id hoc Concilium factum puto, quod priore loco ſubſcribunt aliarum Provinciarum, tum Metropolitani, tum minores Epiſcopi, a quibus communi conſenſu definitum fuit, Toletanum debere præeſse toti Provinciæ Carthaginenſi. Poſteriore vero loco ſubſcribunt Epiſcopi tantum Provinciæ Carthaginenſis, qui obedientiam Toletano ſpondent, atque, ut iidem loquuntur, honorificentiam dignitatis deferre huic Eccleſiæ pollicentur. In cujus rei confirmationem ibidem mox producuntur tres Libelli, ac poſtulationes, vel jam olim factæ, vel paulo poſt id Concilium oblatæ a Presbyteris, ut apparet, Menteſanis, qui petunt Æmiliam, ſive Æmilianem electum a ſe Epiſcopum Menteſanum, a Metropolitano Toletano conſecrari. Nam pertinuiſſe iſtos Epiſcopos poſterioris ſubſcriptionis ad Provinciam Carthaginenſem Toletano ſubjectam, facile cognoſcit quivis ex Conciliis Toletanis V. IX. & XI. quæ non fuerunt Nationalia ex multis Metropolitanis congregata, ut multa alia Toletana; ſed mera Provincialia ea ſolis Epiſcopis Toletano ſubjectis. Illud tantum addam, dici ibidem hanc Synodum habitam apud Sanctiſſimum Eccleſiæ Antiſtitem, cujus quoniam neque nomen hoc loco proditur, neque ipſe Concilio ſubſcribit (fortaſſe quod de ejus dignitate ageretur) ſi quis tamen ſcire cupiat, ſciat eſſe Auraſium. Is enim Eccleſiæ Toletanæ præfuit temporibus Vvitterici, & Gundemari Regum, & exordiis Siſebuti, quod ſcriptum reliquit D. Ildephonſus Archiepiſcopus Toletanus Libello, *De Viris Illuſtribus*, nondum typis publicato. Illud porro mihi magis eſt dubium, cur hoc Concilium Toletanum ſub Gundemaro, & alterum Toletanum anno XII. Reccaredi, hic etiam a nobis deſcriptum, non ſunt relata in numerum cæterorum Toletanorum, cum ex ordine temporum Quartum, & Quintum inſcribi debuiſſent, qui numerus ſequentibus Conciliis conſtanter tribui ſolet; neque vero additum noſtra ætate numerum Conciliis Toletanis affirmare quiſquam poteſt, cum Gotthos eodem numero uſos ex Cap. ix. Concilii XIII. Toletani diſcamus, ubi quod nobis eſt XII. plane etiam vocatur duodecimum. Neque rurſus ignorata fuiſſe hæc duo Concilia a poſterioribus Gotthis in tam recenti memoria ſit veriſimile. Itaque mihi nondum cauſa liquet, niſi forte horum duorum brevitas, & exiguitas impedivit, quominus in majorum Conciliorum numerum referrentur.

Cæſarauguſtana Concilia duo inſcripta a nobis ſunt nomine Secundi, & Tertii ex ordine alterius primi vulgo impreſſi, ea quibus etiam Tertium in Libro eſt Alveldenſi, & nullas habet inſcriptiones; in Secundo vero ſubſcribunt Epiſcopi ſine nomine ſuorum Epiſcopatuum; ſed quarum tantum Eccleſiarum plerique fuerint, cognoſces ex Concilio Barcinonenſi ſecundo ſeptem poſt annis celebrato.

Barcino, & Oſca notiores Urbes ſunt, quam exponi debeant. Egara fortaſſe quibuſdam erit obſcurior. Fuit autem Egara Oppidum Hiſpaniæ Tarraconenſis, Gotthorum tempore Epiſcopo inſignitum, qui Tarraconenſi Metropolitano ſuberat, cujus Epiſcopatus Barcinonenſi, & Gerundenſi conterminus erat, ut apparet ex ea Epiſcopatuum diviſione, quæ ſub Rege Vvamba Toleti facta, in veteribus Hiſpaniæ Codicibus extat. Hujus Epiſcopatus no-

Digitized by Google

nomen propter loci ignorantiam , varie eſt in Libris Conciliorum impreſſis depravatum , in quibus legitur Agragenſis ſecundo Concilio Toletano, & Gerabricenſis III. Toletano, ubi conſtanter legitur in mſs. Egarenſis Eccleſiæ nomen, quin illud integrum ſit relictum in duobus Conciliis impreſſis , Tarraconenſi ſcilicet , & III. Toletano ; quin & apud Ptolomæum hujus Oppidi mentionem fieri puto , ubi *Erga* ſcribitur, & in quibuſdam exemplaribus *Eraga* , vitiato utrobique nomine ex ſyllabarum metatheſi pro *Egara* . Porro illud etiam in hoc Concilio Egarenſi admonendum, ſubſcribere quidem Epiſcopos ſine nominibus Eccleſiarum , ſed multorum Eccleſias poſſe intelligi ex Concilio Toletano ſub Gundemaro , quod quadriennio ante fuerat habitum .

Narbonenſe Concilium ex eodem Codice S. Æmiliani deſcripſimus , & his Hiſpanienſibus addidimus , quod ibi quoque inter Hiſpanienſia erat ſitum . Nam Gotthorum tempore , ut diximus , Narbonenſis Gallia ad Hiſpaniam pertinuit , una ex ſex Hiſpaniæ Provinciis numerata , & Narbonenſis Metropolitanus cum Epiſcopis ſibi ſubditis Conciliis Toletanis intererat, & ſubſcribebat .

Legem illam Chintilæ Regis , quam quorundam ſermonibus acceperamus Concilium Toletanum ſub Chintila exiſtimatum ; ex ipſo Codice agnuvimus , nullum Concilium nuvum eſſe, ſed confirmationem tantum quinti Concilii Toletani ſub Chintila habiti , quæ tamen in uno tantum S. Æmiliani Libro eſt inventa .

Concilium autem Toletanum decimum octavum ſub Vvittiaa Rege, cujus Rodericus Archieoiſcopus Toletanus in Hiſtoria meminit , diligenter a nobis quæſitum , nuſquam repertum eſt , præter aliquot verſuum ſummam , quæ pene cum Roderici verbis conſentit . Neque vero magni momenti Concilium fuiſſe illud puto, cum Alphonſus III. Ovetenſis Rex , vel illius potius juſſu Chronico edito Sebaſtianus Salmantieen. Epiſcopus , ante ſeptingentos annos ſcriptum reliquerit , Vvittizam improbum Regem Concilia diſſolviſſe , Canones Eccleſiaſticos obſeraſſe , omnemque religionis ordinem depravaſſe , permiſſo etiam Presbyteris conjugio ; quod ſcelus, ut idem Auctor ait , Sarracenico bello Deus eſt ultus .

Hæc quidem de ſingulis Conciliis dicta ſunt . De omnibus autem in genere illud admonendum , bona nos ſide hæc Concilia ex ipſo vetuſto Libro deſcripſiſſe, relictis etiam ejus ætatis ſolœciſmis , & barbariſmis . Neque vero minora linguæ Latinæ vitia preſeferunt in his Codicibus vetuſtiſſimis, reliqua Concilia Hiſpanienſia , quæ jam diu feruntur impreſſa ; ſed illa vel Typographi , vel Viri docti , qui publicarunt , expolire plerumque mutatione unius literæ , vel ſyllabæ voluerunt , & id quidem merito , ne levis grammaticæ ſyntaxeos perverſio delicatis lectoribus incuteret horrorem. Nos integra omnia reliquimus .

Ad extremum , quoniam non modo Concilia hic a nobis deſcripta , ſed cætera Hiſpanienſia extant, tam in Libris manuſcriptis , quam impreſſis , præpoſtero ſæpe ordine collocata , viſum eſt ſemel omnium Hiſpaniæ Conciliorum , quæ ad Sarracenorum uſque ingreſſum fuerunt , Chronologiam deſcribere . Quæ, ni fallor , certo a nobis conſtituta tum ex Gotthicis Conciliorum Codicibus, tum ex temporibus Regum Gotthorum inter ſe comparatis, multorum recentiorum Auctorum errata convincent , qui impreſſis Libris uſi , hujuſmodi Concilia non ſuo loco diſpoſuerunt . Quin etiam ut Conciliorum maxima concordia cum Regum temporibus appareret (nam eſt ſemper verum vero conſonum) addidimus Catalogum Regum Gotthorum a duobus Auctoribus acceptum , qui ipſorum Gotthorum tempore vixerunt . Nam priores Reges uſque ad Svinthilanem nobis ſcriptos reliquit Iſidorus Libello , *De Gotthis* , *Suevis* , *& Vvandalis* , nondum typis mandato . Poſteriores ſumpſimus ex Vulſæ Epiſcopi perbrevi , ſed aureo Chronico , quod in quodam Libro Bibliothecæ Regiæ, & aliis vetuſtis extat . De cujus in ſcribendo fide nihil eſt , quod dubitemus , cum & tempora ab illo notata tam exacte cum Conciliis quadrent , & poſteriorum Regum menſes , & dies ita minutatim definiat , ut vixiſſe ſub Hiſpaniæ excidium videatur .

CONCILIORUM HISPANIENSIUM CHRONOLOGIA

Uſque ad Hiſpaniam a Sarracenis occupatam , certo confirmata ex quatuor vetuſtis Conciliorum Codicibus .

Cura & ſtudio Clariſſimi Viri

J O A N N I S B A P T I S T Æ P E R E Z .

ELiberritanum (ita ſcribunt Gotthi , non Eliberitanum,neque Eliberinum)habitum eodem tempore , quo Nicænum , ut dicitur in omnibus Codicibus mſs. Nicænum autem fuit ſub Conſtantino , Era 362. ut dicitur in iiſdem Codicibus .

Cæſarauguſtanum primum non habet adſcriptum tempus , neque in impreſſis , neque mſs. Ego tamen puto , habitum circa annum Chriſti 380. quod conjicio ex nominibus Epiſcoporum ſubſcribentium comparatis cum hiſtoria Sulpicii Severi , ubi agit de Priſcilliano .

Toletanum primum temporibus Arcadii , & Honorii , Conſule Stilicone . Ita in omnibus mſs. & in duobus additur Era 438. (ideſt Chriſti 400.) Sed cum Stilico bis Conſul fuerit, circa annum Chriſti 400. & 405. Ego potius ſecundo Conſulatu habitum puto,ut conſtet Epiſtola Innocentii Papæ ad Synodum Toletanam , qui in primo Conſulatu nondum erat Pontifex .

Aquicælinenſe , vel Cælinenſe habitum Aquis-Cæliniis in Gallæcia , ut in ipſo dicitur . Fertur impreſſum conjunctum cum primo Toletano . Eſt autem congregatum juſſu Leonis Papæ , ut conſtat ex ipſius Epiſtola ad Turibium Epiſcopum Aſturicenſem data Coſs. Callipio , & Ardabure , ideſt anno Chriſti 447.

Tarraconenſe habitum anno ſexto Theode-

rici

rici, Conſulatu Patri Era 554. ut dicitur in quatuor Codicibus mſs. qui annus tam ex Era, quam anno Regis, & ipſo Conſulatu, eſt an. Chr.516.

Gerundenſe anno ſeptimo Theoderici, Conſule Agapeto Era 555. ut dicitur in omnibus mſs. A. Chr. 517.

Toletanum ſecundum anno quinto Amalarici, Era 565. ut dicitur in quatuor Codicibus mſs. A. Chr. 527.

Barcinonenſe primum nondum impreſſum, quod extat in ſolo Codice S. Æmiliani, & licet annum non habeat, tamen hoc loco pono, quia iidem Epiſcopi ſubſcribunt hic, & in Ilerdenſi. A. Chr. 540.

Toletanum quoddam ſub Theude, quod non extat, ejus meminit D. Iſidorus Libro, *De Gotthis*.

Ilerdenſe Era 584. ut dicitur in quatuor Codicibus mſs. & anno 15. Theuderici Regis, licet legendum putem Theudis, quemadmodum in Valentino, & ut conveniat Era. A. Chr.546.

Valletanum (ita vocant in his Codicibus, non Valentinum) habitum Era 584. ut dicitur in quatuor Codicibus, & anno 15. Theudis, ut dicitur in Codice veteri Lucenſi, & ita convenit Era, nam in reliquis falſo legitur Theuderici. A. Chr. 546

Bracarenſe primum (Bracara enim ſcribendum eſt: ſic in lapidibus, & Libris, non Braccara, neque Brachara) habitum in Gallæcia anno 3. Argemiri Regis Svevorum Era 599. ut dicitur in tribus Codicibus mſs. licet in alio dicatur Era OLXXXXVIII. A. Chr. 561.

Bracarenſe ſecundum, in quod etiam convenerunt Epiſcopi Lucenſis Concilii, ut ibidem dicitur, habitum anno ſecundo Regis Mironis, nempe Svevorum, Era 610. ut dicitur in quatuor Codd. non Ariamiri, ut in impreſſis.

Toletanum tertium (omnium Hiſpanienſium celeberrimum, quod in eo gens Gotthorum, abjurata hæreſi Ariana, ad Catholicam Fidem eſt converſa) habitum anno quarto Reccaredi Regis, Era 727. ita in quatuor Codicibus mſs. A. Chr. 589.

Narbonenſe anno IV. Reccaredi Regis, meminit habiti jam Concilii Toletani tertii. Hoc nondum impreſſum a nobis mittitur deſcriptum ex Codice S. Æmiliani. Computatur inter Hiſpanienſia, quia tum Narbona Gothis Hiſpaniæ Regibus ſuberat, & Narbonenſis Metropolitanus eum ſuis Epiſcopis ſubſcribebat Conciliis Hſpanienſibus. Era 627. A. Chr. 589.

Hiſpalenſe primum anno quinto Reccaredi, Era 628. ita dicitur in quatuor Codicibus. Extat impreſſum. A. Chr. 590.

Cæſarauguſtanum (ex ordine ſecundum) anno VII. Reccaredi Regis, ut dicitur in Codice S. Æmiliani, ubi tantum extat nondum impreſſum, & licet non habeat Eram additam, ſed ea facile ex anno VII. Reccaredi reponitur. Era 630. A. Chr. 592.

Toletanum nondum impreſſum, extat in Codice S. Æmiliani, habitum anno XII. Reccaredi. Eram non addit. Era 635. A. Chr. 597.

Oſcenſe nondum impreſſum, extat in eodem ſolo Codice S. Æmiliani, habitum anno XIII. Reccaredi, ut ubi dicitur. Eram nos ex anno Reccaredi addimus. Era 636. A. Chr.698.

Barcinonenſe ſecundum nondum impreſſum, eſt in eodem Codice S. Æmiliani, ubi dicitur habitum anno XIV. Reccaredi. Era 637. Chriſti 499.

Toletanum nondum impreſſum anno primo Gundemari, Era 648. ut dicitur io Codice Sancti Æmiliani, quod in aliis quoque reperitur. Hæc duo Toletana non ſunt relata in numerum aliorum Toletanorum. Era 648. A. Chr. 610.

Egarenſe anno III. Siſebuti, ut dicitur in Codice S. Æmiliani, ubi ſolum extat. Eram non addit, ſed ex anno colligitur. Era 652. A. Chr.614.

Hiſpalenſe ſecundum, extat impreſſum, habitum ſub Siſebuto, Era 652. ut dicitur in omnibus mſs. A. Chr. 619.

Toletanum quartum: extat impreſſum cum cæteris Toletanis uſque ad XII. habitum eſt hoc anno tertio Siſenandi, Era 671. ita in quatuor Codicibus. A. Chr. 613.

Toletanum quintum anno primo Chintilæ ſive Chintilanis, Era 674. ut dicitur in tribus Codicibus, nam quartus eſt hic mendoſus. An. Chr. 636.

Toletanum ſextum anno II. Chintilanis, Era 676. ut dicitur in tribus Codicibus mſs. nam Codex Lucenſis eſt hic mendoſus. Eſt autem habitum 7. Idus Januarias, ac forte propterea ſecundus, non tertius annus Chintilanis hic vocatur, cum tamen inter utriuſque Concilii Eras non annus, ſed biennium interſit. Era 676. An. Chr. 638.

Toletanum ſeptimum Era 684. Chindaſvinthi Regis anno quinto. Ita in quatuor Codicibus mſs. non anno ſexto, ut in impreſſis. A.Chr.646.

Toletanum octavum anno quinto Receſvinthi, Era 691. ut dicitur in tribus Codicibus mſs. A. Chr. 653.

Toletanum nonum anno VII. Receeſvinthi Regis, ut dicitur in quatuor Codd. & Era 693. ut dicitur in tribus. A. Chr. 655.

Toletanum X. anno VIII. Recceſvinthi, Era 694. ita in quatuor Codicibus. A. Chr. 656.

Emeritenſe anno 18. Recceſvinthi, Era 704. ut dicitur in Codice Lucenſi, nam hoc Concilium deeſt in cæteris tribus Codicibus, neque adhuc fertur impreſſum, citatur tamen a Gratiano, 10. Q. 3. C. *Priſcis*: & eſt etiam in altero Libro Lorienſi. A. Chr. 666.

Toletanum undecimum anno quarto Vvambæ, ſive Vvambanis, Era 713. ut dicitur in quatuor mſs. A. Chr. 675.

Bracarenſe tertium anno IV. Vvambanis, Era 713. ut dicitur in tribus Codicibus mſs. nam in quarto deeſt. Extat impreſſum. A. Chr. 675.

Toletanum XII. anno primo Ervigii Regis, Era 719. quinto Idus Januarii, ita in duobus mſs. Hoc Concilium vocatur duodecimum Toletanum ſequenti Concilio XIII. Cap. IX. Ann. Chr. 681.

Toletanum XIII. anno quarto Ervigii Regis, Era 721. ut dicitur in tribus Codicibus. Hujus Concilii in impreſſis tantum extat principium, ſed in aliquibus mſs. & præſertim in Codice Lucenſi, eſt integrum cum ſequentibus Toletanis XIV. XV. XVI. & XVII. A. Chr. 683.

Toletanum XIV. anno quinto Ervigii, ut dicitur in Codice Lucenſi, nam in reliquis tribus deeſt: non habet Eram adſcriptam, ſed ex anno V. Ervigii cognoſcetur, *nempe* 722. A. Chr. 684.

Tolelanum XV. anno primo Egicanis, Era 726. ita in duobus Codicibus, ubi extat. A.Chr. 688.

Cæ-

Cæſarauguſtanum, nempe tertium ex ordine, habitum anno IV. Egicanis Regis, Era 729. ut dicitur in duobus Codicibus S. Æmiliani & Alveldenſi, ubi extat. A. Chr. 691.

Toletanum XVI. anno ſexto Egicanis, Era 731. ut dicitur in Codice Lucenſi. A. Chr. 693.

Toletanum XVII. anno ſeptimo Egicanis, Era 732. ita in Codice Lucenſi, nam deeſt in cæteris tribus. A. Chr. 694

Toletanum XVIII. anno primo Vvittizæ, non eſtat, ſed eo anno habitum dicitur in vetuſto Libro Toletano, ejus quoque meminit Rodericus Archiepiſcopus Toletanus. Era 740. A. Chr. 702.

Sarraceni Gotthos vincunt, & biennio totam Hiſpaniam ſuo imperio ſubdunt. Era 750. A. Chr. 712.

GHRONOLOGIA GOTTHORUM HISPANIÆ REGUM

Certius quam antehac conſtituta ex pluribus Codicibus Conciliorum mſs. & ex D. Iſidori Lib. de Gotthis, atque Vulſæ Epiſcopi Chronico, nondum impreſſis, cum vera multorum nominum orthographia ex numiſmatis reſtituta.

Athanaticus (cum quo etiam Iridigarnus) cœpit anno quinto Valentis Imp. Era 407. regnat annos XIII. *ex Iſidoro.* Anno Chr. 369.

Alaricus (cum quo etiam Radagaiſus) anno quarto Theodoſii, Era 420. regnat annos XXVIII. *ex Iſidoro*. A. Chr. 382.

Athaulphus anno XVII. Arcadii, & Honorii, & VI. Theodoſii Junioris, Era 449. regnavit annos VI. *ex Iſidoro*. A Chr. 411.

Segericus anno XXII. Honorii, & Arcadii, Era 454. mox a ſuis interfectus, *ex Iſidoro*. A. Chr. 416.

Vvallia eodem anno ſuccedit, regnavit annos III. *ex Iſidoro, & Vulſa*, non annos XXII. ut vult Sigebertus. Era 454. A Chr. 416.

Theuderedus anno nono Theodoſii junioris, Era 457. regnat annos XXXIII. obiit in prælio Catalaunico Era 490. Theodericus vocatur D. Auguſtino, & Sigeberto, *ex Iſidoro*. Anno Chr. 419.

Tiriſmundus anno primo Marciani Imp. Era 490. regnavit annum unum, *ex Iſidoro*, licet es Sigeberto, & Jornande anno tertio. Anno Chr. 452.

Theudericus anno ſecundo Marciani Imp. Era 491. regnat annos XIII. Ita a Gotthis vocatur, qui a noſtris Theodericus. A. Ch. 453.

Euricus anno VIII. Leonis Imp. Era 504. regnat annos XVII. *ex Iſidoro*, licet in Gregorio Turonen. XVIII. & in Sigeberto XIX. Anno Chr. 466.

Alaricus anno X. Zenonis, Era 521. regnat annos XXIII. *ex Iſidoro*, & ita Concilium Agathenſe eſt anno XXII. Alarici, Conſule Meſſala, & in mſ. additur Era 544. A C. 483.

Geſaleicus anno XVII. Anaſtaſii, Era 544. regnat annos IV. Alii vocant Geſalaricum, & Procopius Gaſelicum. A. Chr. 506.

Theudericus, ita vocatur in Libris Gotthicis, regnat pro nepote Alarico in Hiſpania annos XV. cum ipſe eſſet Italiæ Rex, cœpit anno XXI. Anaſtaſii, Era 549. *ex Iſidoro*. Et cœpiſſe quidem iſta Era, confirmatur ea Concilio Tarraconenſi anno VI. Theuderici, Era 554. Conſulatu Petri, & ex Concilio Gerundenſe anno VII. Theuderici, Era 555. Coſ. Agapeto. Anno Chr. 511.

Amalaricus anno I. Juſtiniani Imperatoris, Era 564. regnavit annos V. *ex Iſidoro*, ſed cum Concilium Toletanum ſecundum in omnibus Codicibus dicatur habitum anno V. Amalarici, Era 565. neceſſe eſt cœpiſſe Era 561. Itaque Iſidorus numerat a morte avi Theuderici, qui obiit Era 564. ideſt Chriſti 526. Nos ab anno, quo Hiſpaniam tradidit Nepoti A Chr. 523. vel 526.

Theudis (ita in mſs. non Theudius) cœpit anno VII. Juſtiniani, Era 569. regnat annos XVII. menſes V. *ex Iſidoro*. Et confirmantur ejus anni ex Concilio Valentino habito Era 584. anno XV. Theudis, ut dicitur in Codice veteri Lucenſi, non Theuderici, ut in impreſſis, & ex Ilerdenſi habito Era 584. anno XV. Theuderici, ubi emendandum erit Theudis in Libris tam impreſſis, quam mſs. A. Chr. 531.

Theudiſculus cœpit anno XXII. Juſtiniani, Era 586. regnat annum unum, *ex Iſidoro*, ſed Vulſa Epiſcopus dat illi annum unum, menſes quinque, dies XIII. A. Chr. 548.

Agila (ita in mſs. non Aguila) anno XXIII. Juſtiniani, Era 587. regnat annos quinque, *ex Iſidoro*. Vulſa dat annos quinque, menſes tres. A. Chr. 549.

Athanagildus anno Juſtiniani XXIX. Era 592. regnat annos XIV. *ex Iſidoro*. Vulſa autem dat annos XV. menſes ſex. Interregnum quinque menſium, *ex Iſidoro*. A. Chr. 554.

Liuva (ita ſcribitur in nummis, non Luiba, neque Liuba) cœpit anno ſecundo Juſtini minoris, Era 605. regnat unum annum ſolus, & duos alios cum Fratre Liuvigildo, *ex Iſidoro, Vulſa, & Joanne Biclarenſe*. A. Chr. 567.

Liuvigildus (ita ſcribitur in Codicibus Gotthicis) non Leovigildus, neque Leonegildus. Cœpit anno tertio Juſtini minoris, Era 606. regnat ann. XVIII. *ex Iſidoro, & Vulſa*. A. C. 568.

Hic Martyrem fecit filium ſuum S. Ermenegildum (ita enim ſcribitur in nummis, non Ermegildus) anno XVII. regni ſui, ut ait Joannes Biclarenſis.

Reccaredus (duplici enim cc. ſcribitur in nummis, & Libris veteribus) cœpit anno III. Mauricii, Era 624. regnavit annos XV. *ex Iſidoro*. Vulſa ait annos XV. menſem I. dies X. Hic Arianam hæreſim es Hiſpania depulit. Ejus anni etiam confirmantur ea Conciliis, nempe tertio Toletano, Era 627. anno regni IV. & primo Hiſpalenſi, Era 628. anno Reccaredi V. & Barcinonenſe anno XIV. Reccaredi. A. C. 586.

Liuva (non Luiba) anno XVIII. Mauricii, Era 639. regnat annos duos, *ex Iſidoro*. A. Chr. 601.

Vvittericus (ita in nummis, & Codicibus, non Victericus) cœpit anno XX. Mauricii, Era 641. regnat annos VI. *ex Iſidoro*, Vulſa ait annos VI. menſes X. A. Chr. 603.

Gundemarus (ita enim in nummis, & Libris vetuſtis, non Gundemirus) anno VI. Phocatis Imp.

Imp. Era 648. regnavit annos duos, *ex Iſidoro.* Vulſa Epiſcopus ait annum I. menſes X. dies XIII. Confirmatur id etiam ex Concilio quodam Toletano nondum impreſſo, habito anno primo Gundemari, Era 648. A. Chr. 610.

Siſebutus anno II. Heraclii, Era 650. A. Chr. 612. regnat annos VIII. menſes VI. *ex Iſidoro*. Vulſa addit dies 16. Itaque Iſidorus 6. Lib. Etymol. Cap. 38. ait quintum annum Heraclii eſſe quartum Siſebuti, & Concilium Hiſpalenſe II. habitum Era 657. ſub Siſebuto. Anno autem quinto Siſebuti Mahometes in Romanos conſpirat, ut ait Rodericus Archiepiſcopus Toletanus.

Reccaredus II. paucos dies regnat. *Iſidorus Hiſpalen.* Alter Iſidorus Pacenſis dat illi tres menſes. Vulſa quatuor annos. Forte legendum, menſes, ut conſtet ſupputatio tota Erarum D. Iſidori, qui in ipſa ætate vixit. Era 659. A. Chr. 621.

Svinthila, vel Svintila (utroque enim modo ſcribitur in nummis, non autem Cintila) cœpit anno X. Heraclii, Era 659. ut ait D. Iſidorus, qui ſuam Gotthorum Hiſtoriam finit anno V. Svinthilæ. Itaque ſequentium Regum annos a Conciliis, & Vulſa Epiſcopo accepimus. Regnat Svinthila ex auctoritate Vulſæ, annos X. Hic Regno erutus, excommunicatur in Concilio IV. Toletano.

Siſenandus (ita ſcribitur in Libris vetuſtis, non Siſnandus) regnat annos tres, menſes XI. dies XVI. *ex Vulſa*. Cœpiſſe autem regnare Era 669. cognoſcitur ex Concilio IV. Toletano habito Era 671. anno III. Siſenandi. A. Ch. 631.

Chintila (ita in nummis, non Cintila) regnat annos tres, menſes octo, dies novem, ut ait Vulſa. Initium autem Regni ipſius cognoſcitur ex Concilio V. Toletano, habito Era 674. anno primo Chintilæ. D. Iſidorus Epiſcopus Hiſpalenſis floruit a primo Reccaredo ad Siſenandum, ut ait de illo B. Ildephonſus. Mortuus eſt autem anno primo Chintilæ, ut colligo ex Braulione, & ſubſcriptione VI. Concilii Toletani. A. Chr. 636.

Tulga (ita in Libris veteribus, non Tulcas) regnat annos duos, menſes quatuor, ut ait Vulſa. Era 678. A. Chr. 640.

Chindaſvintus (ita ſcribitur in lapide Emeritenſi, & Chindaſvinthus in vett. Libris, non autem Cindaſvindus, ut vulgo) cœpit Era 680. ut cognoſcitur ex Concilio Toletano VII. Era 684. anno V. Ghindaſvinthi. Vulſa ait regnaſſe ſolum annos ſex, menſes octo, dies XI. & cum filio Recceſvintho annos III. menſes VIII. dies XI. & obiiſse Kalen. Octobris, Era 691. ex quo videtur Chindaſvinthus cœpiſse regnare V. Kal. Junii Era 680. & filium ſibi collegam aſsumpſiſſe II. Kal. Maii, Era 687. A. Chr. 642.

Recceſvinthus (ita ex Libris, & nummis, non Recceſvindus) regnaſſe annos XXIII. menſes VI. dies II. ait Vulſa, & obiiſſe Kal. Septembris Era 710. qui fuerit annus Incarnationis 672. Era 687. A. Chr. 646.

Ejus etiam anni confirmantur ex Concilio VIII. Toletano Era 691. anno V. Recceſvinthi, & IX. X. Toletano, atque Emeritenſi. A. Chr. 646.

Vvamba (in nummis, & Libris Gotthicis, non Bamba) cœpit regnare Kalendis Septembris Era 710. & regnavit annos octo, menſem unum, dies XIV. uſque ad prid. Idus Octobris Era 718. quo die ſe Regno abdicavit, *ex Vulſa*. Itaque Concilium Toletanum Era 713. dicitur habitum anno IV. Vvambæ. Vixit autem Vvamba poſtea in Monaſterio annos VII. menſes tres, ut ait Rex Adephonſus III. Ovetenſium in Chronica. A. Chr. 672.

Ervigius (ita ſcribitur in nummis, & Libris veteribus, non Eringius) cœpit regnare abdicante Vvamba, pridie Idus Octobris Era 718. & ipſe quoque Regnum depoſuit XVII. Kal. Septembris, Era 715. cum regnaſſet annos VII. dies XXV. *Hæc Vulſa*. Licet ex illa ſupputatione potius videatur regnaſse annos ſex, menſes decem; ejus anni etiam confirmantur ex Concilio XII. Toletano, habito Era 719. quinto Idus Januarii anno I. Ervigii, & XIII. Concilio Toletano Era 721. anno quarto Ervigii A. C. 680.

Egica (ita in nummis, & Libris, non Egipſa) electus XVII. Kalendas Septembris Era 725. unctus autem VIII. Kalendas Decembris eodem anno. Hæc Vulſa Epiſcopus. Regnavit autem annos XV. nempe decem ſolus, & quinque cum filio Vvittiza, ut ait Adephonſus III. Rex. Ejus anni confirmantur ex Conciliis XV. XVI. & XVII. Toletanis. B. Julianus Archiepiſcopus Toletanus moritur anno tertio Egicæ, ut ait illius ſucceſſor Felix. A. Chr. 687.

Vvittiza (ita in nummis, non Vitiza) cum antea cum patre regnaſſet annos quinque, ſolus regnum tenet Era 739. per decem annos. Hæc Adelphonſus Rex III. Vulſa ait unctum XVII. Kalendas Decemb. Era DCCXXXVIII. ſed apparet legendum DCCXXXIX. A. Chr. 701.

Rudericus (ita ſcribitur in nummis, & omnibus veteribus Libris, non Rudericus) cœpit regnare Era 749. ut ait Rex Adephonſus III. & alia vetuſta monumenta (non Era 747. aut 751.) & annum unum regnavit ex omnium auctoritate, quo a Sarracenis victo, & occiſo Era 750. Hiſpania in Sarracenorum venit poteſtatem. A. Chr. 711.

De nominibus horum Regum (ne quis miretur) illud in Conciliis, & Hiſtoriis eſt obſervandum, quæ in *a* deſinunt, ut Vvamba, Egica, Tulga, facere in obliquis caſibus Vvambanis, & Vvambanem, & eodem modo in cæteris.

Reges Gotthorum ſolitos creari, non hæreditaria generis ſucceſſione, ſed Epiſcoporum, & Regni Procerum electione, cognoſcis ex Conciliis Toletanis IV. Cap. 74. & V. Cap. 3. & VIII. Cap. 10. aut certe conſentiente Rege vivo, poterant iidem Optimates ſucceſſorem deſignare, ut VI. Tolet. Cap. 17. & XII. Toletan. Cap. 1.

Quæ Rex bona poſſet liberis, & hæredibus relinquere, vide VIII. Concii. Tolet. ad finem in lege Recceſvinthi Regis.

Eligebantur autem Reges ex Gotthica nobilitate. VI. Tolet. Cap. 17.

Et Leges Regni ſe jurabant ſervaturos. VI. Tolet. Cap. 3. & VIII. Tolet. Cap. 10.

Moxque ab Archiepiſcopo Toletano ungebantur. Tolet. XII. Cap. 1.

Viciſſim quoque Epiſcopos nominari ſolitos a Regibus Gotthis, teſtantur XII. Concilium Toletanum Cap. 6. & D. Braulionis Epiſcopi Cæſarauguſtani, atque D. Iſidori Hiſpalenſis Epiſtolæ, ipſius Iſidori Etymologiis præpoſitæ.

CATALOGUS ANTIQUUS ROMANORUM PONTIFICUM

A SANCTO PETRO

Uſque ad Annum DCCLVII.

Qua tempore interjecto celebrata fuerunt antiqua Hiſpaniæ Concilia.

Ex Codice vetuſtiſſimo Bibliothecæ Palatino-Vaticanæ ſcripto ſub Pontificatu Paulli I. prædicto anno, aut circiter.

*Ad oram indicamus annos Chriſti, quibus unuſquiſque Pontificum cœpit regere Eccleſiam Romanam, juxta Chronotaxim duplicem, alteram Catalogorum veterum, alteram Eminentiſs. Cardinalis Baronii. Inſuper ſub aſteriſco * addimus nonnulla monita digna.*

SAnctus Petros Apoſtolus, & Princeps Apoſtolorum, Antiochenus, filius Joannis, Provinciæ Galilææ, Vico Bethſaida, frater Andreæ, primum ſedit Cathedram Epiſcopatus in Antiochia an. 6. & in Romam ingreſſus ſub Nerone Cæſare, ibique ſedit annis 25. m. 2. d. 4. Hic ſcripſit duas Epiſtolas, quæ Canonicæ nominantur, & Evangelium Marci, & ordinavit Epiſcopos tres, Linum, & Cletum, & Clementem, & Presbyteros decem, & Diaconos octo. Catal. vet. 50. Baron. 45.

Linus Natione Italus, Regionis Thuſciæ, patre Herculano; ſedit annis 11. m. 3. d. 11. Hic ordinavit Epiſcopos xv. Presbyteros xviii. cat. vet. 65. Baron. 69.

Cletus Natione Romanus, de Regione Vico Patritii, patre Æmiliano, ſedit annis 12. m. 1. d. 11. Hic ex Beati Petri præcepto xxv. Presbyteros ordinavit in Roma. Alia manu: *Sub Veſpaſiano, & Tito Imperatore*. cat. vet. 67. Baron. 80.

Clemens Natione Romanus de Regione Cælio Monte, ea patre Fauſtino, ſedit annis 9. m. 2. d. 10 Hic ordinavit Epiſcopos 15. Presbyteros 10. Diaconos 2. Alia manu: *Sub Domitiano, & Nerva, & Trajano Imperatore*. cat. vet. 71. Baron. 93.

* *Alii Codices præponant Clementem Cleto.*

Anacletus Natione Græcus, de Athenis, ex patre Antiocho, ſedit annis 9. m. 2. d. 10. Hic ordinavit Epiſcopos 6. Presbyteros 5. Diaconos 3. Alia manu: *Sub Trajano Imperatore*. cat. vet. 83. Baron. 103.

Evariſtus Natione Græcus, ea patre Judæo nomine Juda, de civitate Bethlem, ſedit annis 9. m. 10. d. 2. Hic ordinavit Epiſcopos 5. Presbyteros 6. Diaconos 2. Alia manu: *Sub Trajano Imperatore*. cat. vet. 95. Baron. 108.

Alexander Natione Romanus, ea patre Alexandro de Regione Caput Tauri, ſedit annis 10. m. 6. d. 2. Hic conſtituit aquam ſpatſionis cum ſale benedici. Hic ordinavit Epiſcopos 5. Presbyteros 6. Diaconos 2. Alia manu: *Sub Trajano Imperatore, & ſub Ælio Hadriano Imperatore*. cat. vet. 108. Baron. 121.

Xyſtus Natione Romanus, ex patre Paſtore, de Regione Violata, ſedit annis 10. m. 2. d. 1. Hic conſtituit, ut miniſteria ſacrata non tangerentur niſi a Miniſtris. Hic ordinavit Epiſcopos 4. Presbyteros 11. Diaconos 4. Alia manu: *Sub Hadriano Imperatore*. cat. vet. 117. Baron. 132.

Teleſphorus Natione Græcus ea Anacorita, ſedit annis 21. m. 3. Hic conſtituit, ut ſeptem hebdomadas ante Paſcha jejunium celebraretur, & in Natale Domini in nocte, ut Miſſæ celebrarentur, & *Gloria in excelſis Deo* caneretur. Hic ordinavit Presbyteros 12. Diaconos 8. Alia manu: *Sub Antonino Pio Imperatore*. cat. vet. 127. Baron. 142.

Yginus Natione Græcus ea Philoſopho de Athenis, cujus genealogiam non inveni, ſedit annis 4. m. 3. d. 4. Hic Clerum compoſuit, & diſtribuit gradus Eccleſiaſticos. Hic ordinavit Epiſcopos 6. Presbyteros 15. Diaconos 5. Alia manu: *Sub Antonino Pio Imperatore*. catal. vet. 138. Baron. 154.

Pius Natione Italus ea patre Ruffino, frater Paſtoris, de civitate Aquilæ, ſedit annis 18. m. 4. d. 3. Hic Angelo monente præcepit Paſcha die Dominico celebrari. Hic ordinavit Epiſcopos 12. Presbyteros 19. Diaconos 21. Alia manu: *Sub Antonino Pio Imp.* cat. vet. 154.

Anicetus Natione Syrus, ea patre Joanne, de Vico Umiſa, ſedit annis 10. m. 4. d. 3. Hic conſtituit, ut Clericus comam non nutriret. Hic ordinavit Epiſcopos 9. Presbyteros 17. Diaconos 4 cat. vet. 150.

* *Anicetum præponant Pio cat. Bar. & alii.*

Soter Natione Campanus, ex patre Concordio, de civitate Fundis, ſedit annos 9. m. 6. dies 12. Hic conſtituit, ut nulla Monacha pallam ſacratam tangeret, nec incenſum poneret in S. Eccleſiam. Hic ordinavit Epiſcopos 11. Presbyteros 8. Diaconos 9. cat. vet. 162. Bar. 175.

Eleuter Natione Græcus ea patre Abundio, de Oppido Nicopoli, ſedit annos 15. menſes 3. dies 2. Hic conſtituit, ut nulla eſca a Chriſtianis repudiaretur, quæ rationabilis, humanaque eſſet Hic ordinavit Epiſcopos 15. Presbyteros 12. Diaconos 8. cat. vet. 171. Bar. 179.

Victor Natione Afer a patre Felice, ſedit annos 10. menſes 2. dies 10. Hic conſtituit, ut Paſcha die Dominico celebraretur, ſicut & Pius. Hic ordinavit Epiſcopos 12. Presbyteros 4. Diaconos 7. cat. vet. 186. Baron. 194.

Zephirinus Natione Romanus, ea patre Abundio, ſedit annos 8. menſes 7. dies 10. Hic ordinavit Epiſcopos 13. Presbyteros 4. Diaconos 7. cat. vet. 198. Baron. 203.

Calliſtus Natione Romanus, ea patre Domitio, ea Regione Ravenantium, ſedit annos 6. menſes 2. dies 10. Hic ordinavit Epiſcopos 8. Preſ-

Digitized by Google

Presbyteros 16. Diaconos 3. & alia manu : *Sub Marco Aurelio Imperatore* . cat. vet. 217. Baroo. 221.

Urbanus Natione Romanus, ex patre Pontiano, ſedit annos 4. menſes 10. dies 11. Hic ordinavit Epiſcopos 8. Presbyteros 6 Diaconos 5. & alia manu : *Sub Aurelio Alexandro Imp.* cat. vet. 222. Baron. 226.

Antherus Natione Græcus, ex patre Romulo, ſedit annos 12. menſem 1. dies 12. Hic geſta Martyrum diligenter exquiſivit ; hic ordinavit Epiſcopum 1. & alia manu : *Sub Maximino Imp.* cat. vet. 235. Baron. 237.

Pontianus Natione Romanus, ex patre Calpurnio, ſedit annos 9. menſes 5. dies 2. Hic ordinavit Epiſcopos 6. Diaconos 5. & alia manu *Sub Moximino Imp.* cat. vet. 231. Bar. 233.

* *Eadem varietas eſt de Anthero & Pontiano.*

Fabianus Natione Romanus ex patre Fabio, ſedit annos 14. menſes 11. dies 11. Hic ordinavit Epiſcopos 11. Presbyteros 21. Diaconos 7. & alia manu : *Sub Gordiano , & Philippo , & Decio Imperatore* . cat. vet. 236. Bar. 238.

Cornelius Natione Romanus, ex patre Caſtino, ſedit annos 2. menſes 2. dies 2. Hic levavit Corpora Apoſtolorum Petri & Paulli de Catacumbis. Hic ordinavit Epiſcopos 7. Presbyteros 4. Diaconos 4. & alia manu : *Sub Decio Imp. & Gallo , & Voluſiano Imp.* cat.vet. 251. Baron. 254.

Lucius Natione Romanus, ex patre Porphyrio, ſedit annos 3. menſes 3. dies 3. Hic præcepit, ut duo Presbyteri, & tres Diaconi Epiſcopum in omni loco non dеſererent. Hic ordinavit Epiſcopos 7. Presbyteros 4. Diaconos 4. & alia manu : *Sub Valeriano , & Gallieno Imper.* cat. vet. 252. Bar. 255.

Stephanus Natione Romanus, ex patre Jobio, ſedit annos 7. menſes 5. dies 2. Hic conſtituit Sacerdotes, & Levitas, ut veſtes ſacratas in uſu quotidiano non uti, niſi in Eccleſia tantum. Hic ordinavit Epiſcopos 3. Presbyteros 6. Diaconos 5. & alia manu : *Sub Valeriano , & Gallieno Imper.* cat. vet. 255. Bar. 257.

Xyſtus * II. Natione Græcus ex Philoſopho, ſedit annum 1. m. 10. dies 23. Hic ordinavit Epiſcopos 3. Presbyteros 4. Diaconos 7. & alia manu : *Sub Valeriano & Gallieno Imperatore.* cat. vet. 257. Bar. 260.

Dionyſius ex Monacho, cujus generationem non potuimus reperire, ſedit annos 6. menſes 2. dies 4. Hic Presbyteris Eccleſias dedit, & Parochias, & Diœceſes conſtituit. Hic ordinavit Epiſcopos 8. Presbyteros 12. Diaconos 6. & alia manu : *Sub Valeriano , & Gallieno Imp.* cat. vet. 259. Bar. 261.

Felix Natione Romanus, ex patre Conſtantio, ſedit ann. 4. m. 3. d. 25. Hic conſtituit ſupra memorias Martyrum Miſſas celebrari. Hic ordinavit Epiſcopos 5. Presbyteros 8. Diaconos 5. & alia manu : *Sub Claudio , & Aureliano Imp.* cat. vet. 270. Bar. 272.

Eutitanus * *Eutychianus* Natione Thuſcus, ex patre Marino, de civitate Lunis, ſedit annum 1. menſem 1. diem 1. Hic conſtituit, ut fruges ſuper Altare, ſavæ, & uvæ benedici. Hic ordinavit Epiſcopos 9. Presbyteros 14. Diaconos 5. & alia manu : *Sub Aureliano Imper.* cat. vet. 275. Bar. 275.

Cajus Natione Dalmata, ex genere Diocletiani, ex patre Gagio, ſedit annos 11. menſes 4. dies 12. Hic ordines Eccleſiaſticos diſpoſuit. Hic ordinavit Epiſcopos 5. Presbyteros 26. Diaconos 8. cat. vet. 283. idem.

Marcellinus Natione Romanus, ex patre Projecto, ſedit annos 9. menſes 4. dies 6. Hic ordinavit Epiſcopos 5. Presbyteros 4. Diaconos 2. cat. vet. 296. idem.

Marcellus Natione Romanus, ex patre Benedicto, de Regione Vialata, ſedit annos 5. menſes 7. dies 21. Hic conſtituit Titulos in Urbe Roma propter Baptiſmum, & Pœnitentiam. Hic ordinavit Presbyteros 12. Diaconos 2. cat. vet. 308. Bar. 304.

Euſebius Natione Græcus, ex medico, ſedit annos 2. m. 1. d. 3. Hujus temporibus inventa eſt Crux Domini noſtri Jeſu Chriſti, & Judas baptizatus eſt. Hic ordinavit Epiſcopos 14. Presbyteros 14. Diaconos 3. cat. vet. 310. Bar. 309.

Mathiadis * *Melchiades*, Natione Afer, ſedit annos 4. Hic conſtituit, ut nulla ratione die Dominico, aut 5. feria jejuniis quis de fidelibus ageret. Hic ordinavit Epiſcopos 12. Presbyteros 7. Diaconos 5. catal. vet. 310. Baron. 311.

Sylveſter Natione Romanus, ex patre Ruffino, ſedit annos 23. m. 10. d. 11. Hic congregavit Epiſcopos 318. & expoſuerunt Fidem Catholicam, & Chriſma ab Epiſcopo confici, & baptizatum confirmari. Hic Dalmaticas præcepit indui. Hic Sacrificium totum in lineum pannum involvi. Hic ordinavit Epiſcopos 65. Presbyteros 42. Diaconos 26. cat. vet. 314. idem.

Marcus Natione Romanus, ex patre Priſco, ſedit annos 2. m. 8. d. 21. Hic conſtituit, ut Epiſcopus civitatis, qui Hoſtiam conſecrat, Pallium uteretur. Hic ordinavit Epiſcopos 27. Presbyteros 25. Diaconos 6. cat. vet. 336. idem.

Julius Natione Romanus, ex patre Ruſtico, ſedit annos 15. m. 2. dies 6. Hic conſtituit, ut nullus Clericus cauſſam in publico ageret, niſi in Eccleſia. Hic ordinavit Epiſcopos 9. Presbyteros 27. Diaconos 4. cat. vet. 337. Bar. 346.

Liberius Natione Romanus, ex patre Auguſtino, ſedit annos 6. m. 3. dies 4. Hic ordinavit Epiſcopos 19. Presbyteros 18. Diaconos 5. cat. vet. 352. idem.

Felix *II. Natione Romanus, ex patre Anaſtaſio, ſedit annum 1. m. 3. d. 2. Hic ordinavit Epiſcopos 19. Presbyteros 21. Diaconos 5. cat. vet. 355. idem.

Damaſus Natione Spanus, ex patre Antonio, ſedit annos 18. m. 3. d. 11. Hic accuſatus invidioſe de adulterio, purgatus eſt a 44. Epiſcopis. Hic conſtituit, ut Pſalmi die noctuque in Eccleſia canerentur. Hic ordinavit Epiſcopos 62. Presbyteros 31. Diaconos 11. cat. vet. 366. Baron. 367.

Syritius Natione Romanus ex patre Tiburtio, ſedit annos 15. Hic ordinavit Epiſcopos 32. Presbyteros 31. Diaconos 16. Hic præcepit Pœnitentibus in ultimum Viaticum non negare. cat. vet. 385. idem.

Anaſtaſius Natione Romanus, ex patre Maximo, ſedit annos 3. dies 10 Hic conſtituit, ut quando Evangelium recitatur, Sacerdotes non ſe erigerent, ſed curvi ſtarent. Hic ordinavit Epiſcopos 11. Presbyteros 8. Diaconos 5. cat. vet. 398. idem.

Innocentius Natione Albanenſe, ex patre Innocentio, ſedit annos 15. m. 2. d. 21. Hic con-

ſtituit, ut qui natus fuerit de Chriſtiana, denuo naſci per baptiſmum. Hic conſtituit, Sabbatho jejunare, quia Dominus Sabbatho in Sepulchro jacuit, & Diſcipuli Sabbatho jacuerunt. Hic ordinavit Epiſcopos 54. Presbyteros 30. Diaconos 11. cat. vet. 402. idem.

Zoſimus Natione Græcus, ex patre Ebramio, ſedit ann. 1. menſes 3. d. 11. Hic multa conſtituit in Eccleſia. Hic ordinavit Epiſcopos 8. Presbyteros 10. Diaconos 3. cat. vet. 417. id.

Bonafacius Natione Romanus, ex patre Jocondio Presbytero, ſedit ann. 3. m. 8. d. 7. Hic conſtituit, ut nulla mulier, aut Monacha pallam ſacratam lavaret, aut incenſum in Eccleſia poneret, niſi Miniſter. Hic ordinavit Epiſcopos 36. Presbyteros 13. Diaconos 3. catal. vet. 418. idem.

Cæleſtinus Natione Romanus, ex patre Priſco, ſedit annos 8. m. 10. d. 18. Hic conſtituit, ut Antiphona ante Sacrificium caneretur, quod ante non fiebat, niſi tantum Epiſtola B. Pauli recitabatur, & Sanctum Evangelium. Hic ordinavit Epiſcopos 46. Presbyteros 32. Diaconos 12. cat. vet. 423. idem.

Xyſtus * III. Natione Romanus, ex patre Xyſto, ſedit annos 8. menſes 19. Hic incriminavit poſt annum, & menſibus octo a quodam Baſſo, & cum 57. Epiſcopis purgavit ſe, & Baſſus eſt damnatus. Hic ordinavit Epiſcopos 52. Presbyteros 28. Diaconos 12. cat. vet. 432. idem.

Leo natus Thuſcus, ex patre Quintiano, ſedit annos 21. m. 1. dies 13. Hic congregavit Epiſcopos mille ducentos, qui expoſuerunt Fidem Catholicam, duas naturas uno in Chriſto, Deum, & hominem. Hic ordinavit Epiſcopos 185. Presbyteros 81. Diaconos 31. catal. vetus 440. idem.

Hilarius Natione Sardus, ex patre Criſpino, ſedit annos 6. m. 3. dies 10. Hic ſpargit Epiſtolas de Fide Catholica per Orbem Orientalem, & confirmavit tres Synodos, Nicænam, Epheſinam, & Chalcedonenſem. Hic ordinavit Epiſcopos 25. Diaconos 5. cat. vet. 461. idem.

Simplicianus Natione Tiburtinus, ex patre Caſtino, ſedit annos 15. m. 1. d. 8. Hic conſtituit, ut ad S. Petrum, & S. Paulum, Sanctumque Laurentium Presbyteri manerent propter pœnitentes, & baptiſmum. Hic ordinavit Epiſcopos 37. Presbyteros 58. Diaconos 11. cat. vet. 467. idem.

Felix * III. Natione Romanus, ex patre Felice Presbytero de Titulo Faſciola, ſedit annos 8. m. 11. dies 19. Hic ordinavit Epiſcopos 31. Presbyteros 18. Diaconos 5. cat. vet. 483. idem.

Gelaſius Natione Afer, ex patre Valerio, ſedit annos 4. m. 8. d. 19. Hic liberavit a periculo famis civitatem Romæ. Hic fecit Tractatus, & Hymnos, ſicut B. Ambroſius. Hic ordinavit Epiſcopos 67. Presbyteros 32. Diaconos 2. cat. vet. 492. idem.

Anaſtaſius Natione Romanus, ex patre Petro, de Regione quinta Caput Tauri, ſedit ann. 1. menſ. 11. d. 24. Hic ordinavit Epiſcopos 16. Presbyteros 13. cat. vet. 496. idem.

Symmachus Natione Sardus, ex patre Fortunato, ſedit annos 11. menſ. 7. dies 27. Hic, & Laurentius ſub intentione uno die ordinati ſunt, Symmachus in Lateranis, Laurentius in Eccleſia B. Mariæ; & Symmachus confirmatus eſt in Sede ſecundum judicium Theoderici Regis, & Simmachus poſtea incriminatus, cum 115. Epiſcopis ſe purgavit. Hic conſtituit, ut omni die & Natalitiis Sanctorum *Gloria in excelſis Deo* caneretur. Hic ordinavit Epiſcopos 117. Presbyteros 92. Diaconos 16. cat. vet. 498. idem.

Hormiſda Natione Campanus, ex patre Juſto, de civitate Friſinone, ſedit ano. 9. dies 14. Hic conſtituit Clerum, & Pſalmis erudivit. Hic ordinavit Epiſcopos 55. Presbyteros 21. cat. vet. 514. idem.

Joannes Natione Thuſcus, ex Patre Conſtantio, ſedit annos 2. m. 8. d. 16. Hic in cuſtodia afflictus moriens. Hic ordinavit Epiſcopos 15. cat. vet. 523. idem.

Felix * IV. Natione Somnum, ex patre Caſtorio, ſedit annos 4. m. 2. d. 13. Ipſe ordinatus eſt in quietem. Hic ordinavit Epiſcopos 19. Presbyteros 55. Diaconos 4. cat. vet. 526. idem.

Bonifacius * II. Natione Romanus, ex patre Sigiboldo, ſedit annos 2. dies 26. Hic, & Dioſcorus ſub intentione ordinati ſunt, ſed Dioſcorus eodem tempore defunctus, Bonifacius Sedem tenuit. cat. vet. 530. idem.

Mercurius, qui & Joannes * II. Natione Romanus, ex patre Projecto, de Cælio monte, ſedit annos 2. menſes 4. dies 4 Hic ordinavit Epiſcopos 21. Presbyteros 15. catal. vet. 532. Bar. 531.

Agapitus Natione Romanus, ex patre Gordiano Presbytero, ſedit menſes 11. dies 19. Hic ordinavit Epiſcopos 11. Diaconos 4. catal. vet. 535. idem.

Silverius Natione Campanus, ex patre Hormiſda, Epiſcopus Romæ, ſedit annum 1. menſ. 5. dies 11. Hic ordinavit Epiſcopos 71. Presbyteros 46. Diaconos 16. cat. vet. 536. idem.

* *Vigilius omittitur in eo Codice. Præfuit ab anno 537.*

Pelagius Natione Romanus, ex patre Joanne Vicariano, ſedit annos 11. menſes 10. dies 18. Hic eſt ordinatus a duobus Epiſcopis, & uno Presbytero. Hic ordinavit Epiſcopos 49. Presbyteros 26. Diaconos 9. cat. vet. 556. Bar. 555.

Joannes * III. Natione Romanus, ex patre Anaſtaſio, ſedit annos 12. menſ. 11. d. 26. Hic amavit, & reſtauravit Cœmeteria Sanctorum Martyrum, & conſtituit per ſingulas Dominicas oblationes, & luminaria ibidem agere. Hic ordinavit Epiſcopos 61. Presbyteros 26. Diaconos 13. cat. vet. 561. Bar. 559.

Benedictus Natione Romanus, de patre Bonifacio, ſedit annos 4. menſem 1. dies 28. Hic ordinavit Epiſcopos 21. Presbyteros 15. Diaconos 3. cat. vet. 575. Bar. 573.

Pelagius * II. Natione Romanus, de patre Ungildo, ſedit annos 10. menſes 2. dies 10. Hodem tempore tantæ pluviæ fuerunt, ut omnes dicerent, quia aquæ diluvii ſuperinundarent, & talis cladis, qualis a ſæculo nullus meminit fuiſſe. Hic ordinavit Epiſcopos 48. Presbyteros 28. Diaconos 8. cat. vet. 579. Bar. 577.

Gregorius Natione Romanus, de patre Gordiano, ſedit annos 13. menſes 6. dies 10. Hic expoſuit Homilias 40. & Moralia Job, & ſuper Ezechielem, Paſtoralemque, & Dialogos & multa alia fecit. Hic augmentavit in Canone, *dieſque noſtros*, uſque in finem Miſſæ, Angloſque convertit ad Dominum noſtrum. Hic fecit ut Miſſa ſuper Corpus B. Petri caneretur. Hic ordinavit Epiſcopos 62. Presbyteros 39. Diaconos 5.

nos 5. catai. vet. 590. Baron ibidem.

Sabianus, * *Sabinianus*, Natione Thuſcus de civitate Blera, de patre Bono, ſedit annum 1. menſes 5. dies 8. Hic addidit luminaria in Eccleſia B. Petri. Hic ordinavit Epiſcopos 26. cat. vet. 604. idem.

Bonifacius * III. Natione Romanus, de patre Joanne, ſedit menſes 8. dies 28. Hic ordinavit Epiſcopos 21. cat. vet. 607. Bar. 606.

Bonifacius * IV. Natione Marſorum de civitate Valeria, ex patre Joanne Medico, ſedit annos 6. menſes 8. dies 13. Hic ordinavit Epiſcopos 35. Diaconos 8. cat. vet 608. Bar. 607.

Deuſdedit Natione Romanus, ex patre Stephano Subdiacono, ſedit annos 3. dies 33. Hic dilexit Clerum multum. Hic ordinavit Epiſcopos 29. Presbyteros 19. Diaconos 5. catal. vet. 616 Bar. 614.

Bonifacius * V. Natione Campanus de civitate Neapoii, ex patre Joanne, ſedit annos 5. Hic conſtituit, ut nullus traheretur de Eccleſia. Hic ordinavit Epiſcopos 28. Presbyteros 25. Diaconos 4. cat. vet. 620. Bar. 617.

Honoroſius, * *Honorius*, Natione Campanus, ex patre Petronio Conſule, ſedit annos 12. menſes 11. dies 18. Hujus temporibus levata eſt trabes in Eccleſia B. Petri. Hic ordinavit Epiſcopos 88. Presbyteros 13. Diaconos 11. cat. vet. 626. idem.

Severinus Natione Romanus, ex patre Abieno, ſedit menſes 2. dies 4. Hic ordinavit Epiſcopos 4. cat. vet. 640. Bar. 639.

Joannes * IV. Natione Dalmatica, ea patre Venantio, ſedit annum 1. menſes 9. dies 18. Hic per omnem Dalmaticam, & Iſtriam multas pecunias miſit ad redemptionem captivorum, qui prædati erant. Hic ordinavit Epiſcopos 4. cat. vet. 640. Bar. 639.

Martinus de civitate Tudertina Provinciæ Thuſciæ, ſedit annos 6. menſem 1. dies 26. Hic congregavit Synodum Epiſcopos 105. & condemnavit Cyrum Alexandrinum, & Sergium, Pyrrhum, & Paullum Patriarcham Conſtantinopolitanum, qui contra immaculatam Fidem novitates in nocte reſumpſerunt, & Sextum, Synodum conſcribens, confirmavit Epiſcopum 1. Hic ordinavit Epiſcopos 28. Presbyteros 11. cat. vet. 649. idem.

* *Alii præponunt Martino Theodorum.*

Theodorus Natione Græcus, ex patre Theodoro Epiſcopo de civitate Hieruſalem, ſedit annos 6. menſes 5. dies 18. Hic ordinavit Epiſcopos 46. Presbyteros 21. Diaconos 4. cat. vet. 642. Bar. 641.

Eugenius Natione Romanus, ex patre Ruffino, ſedit annos 2. menſes 9. dies 24. Hic ordinavit Epiſcopos 21. cat. vet. 654. idem.

Vitalianus Natione Signenſis Provinciæ Campaniæ, ex patre Anaſtaſio, ſedit annos 14. menſes 6. Hic regulam Eccleſiaſticam, atque vigorem, ut mos erat, omnino conſervavit. Hic ordinavit Epiſcopos 27. Presbyteros 22. Diaconum 1. cat. vet. 657. Bar. 655.

Adeodatus Natione Romanus ex Monachis de patre Cobiano, ſedit annos 4. menſes 2. dies 5. Hic ordinavit Epiſcopos 47. Presbyteros 14. Diaconos 2. cat. vet. 672. Bar. 669.

Donus Natione Romanus, ex patre Mauricino, ſedit ann. 1. m. 5. d. 10. Hic ordinavit Epiſcopos 6. Presbyteros 10. Diaconos 5. cat. vet. 677. Bar. 676.

Agatho Natione Siculus, ſedit annos 2. menſes 6. dies 4. Hic ordinavit Epiſcopos 18. Presbyteros 9. Diaconos 3. cat. vet. 679. Bar: 677.

Leo Junior * II. Natione Sicula, de patre Paullo, ſedit menſes 10. dies 17. Hic conſtitutum fecit, ut qui ordinatus fuerit Archiepiſcopus ab archivo Eccleſiæ nulla conſuetudine pro uſu Pallii, aut diverſi officii Eccleſiæ perſolvere debeat. Hic ordinavit Epiſcopos 21. Presbyteros 9. Diaconos 3. Cat. vet. 682. Bar. 683.

Benedictus Junior * II. Natione Romanus, ſedit menſes 10. dies 12. Hic ordinavit Epiſcopos 12. cat. vet. 685. Bar. 684.

Joannes * V. Natione Syrus de Provincia Antiochia, ex patre Cyriano, ſedit annum 1. dies 9. Hic ordinavit Epiſcopos 13. cat. vet. 686. Bar. 685.

* *Conon hoc loco ponitur in aliis mſs.*

Sergius Natione Syrus Antiochiæ Regionis, ortus ea patre Tyberio in Parmomo Siciliæ. Hic ſtatuit, ut tempore Dominici Corporis *Agnus Dei* a Clero & populo decantaretur. Hic conſtituit, ut diebus Annunciationis Domini, & Sanctæ Mariæ, & S. Simeonis, quod Hypapanti Græce dicitur, Litaniæ exeant. Hic ordinavit Epiſcopos 97. Presbyteros 18. Diaconos 4. Sedit annos 13. menſes 7. dies 23. cat. 687. Bar. 687.

Joannes * VI. Natione Græcus, ſedit annos 3. menſes 2. dies 12. Hic ordinavit Epiſcopos 15. Presbyteros 9. Diaconos 2. cat. 702. Bar. 701.

Joannes * VII. Natione Græcus, de patre Platone, ſedit annos 2. menſes 6. dies 17. Hic ordinavit Epiſcopos 19. cat. vet. 795 idem.

Siſinnius Natione Syrus, de patre Joanne, ſedit annos 7. dies 15. Hic ordinavit Epiſcopos 64. Presbyteros 10. Diaconos 2. cat. vet. 707. Bar. 708.

Conſtantinus Natione Syrus, de patre Joanne, ſedit annos 7. dies 15. Hic ordinavit Epiſcopos 64. Presbyteros 10. Diaconos 2. cat. vet. 708. idem.

Gregorius * II. Natione Romanus, ex patre Marcello, ſedit annos 6. menſes 9. dies 11. Hic conſtituit, ut in quadrageſimalis 5. feria jejunium, atque Miſſarum celebrationes fierent, quod ante non agebatur. Hic ordinavit Epiſcopos 150 Presbyteros 25. Diaconos 4. cat. vet. 715. Bar. 714.

Gregorius * III. Natione Syrus, ex patre Joanne, ſedit annos 10. menſes 8. dies 25. Hic conſtituit Græca, Latinaque lingua eruditos pſalmos omnes per ordinem memoriter retinens, & in eorum ſenſibus ſubtiliſſima exitatione limatus. Hic ordinavit Epiſcopos 80. Presbyteros 24. Diaconos 4. cat. vet. 731. idem.

Zacharias Natione Græcus, ex patre Polychrono, ſedit annos 10. menſes 3. dies 14 Hic ordinavit Epiſcopos 85. Presbyteros 30. Diaconos 5. cat. vet. 741. idem.

* *Hoc loci omittitur Stephanus alius, qui vixit 4. dies.*

Stephanus Natione Romanus, ex patre Conſtantino, ſedit annos 5. dies 24. Hic ordinavit Epiſcopos 15. Presbyteros 2. Diaconos 2. cat. vet. 752. idem.

Hoc loco deſinit prædictus Catalogus, ſtatimque adjungitur Paullus ſimplici vocabulo, ſicuti & Adrianus, Leo, Stephanus Paſchalis, ſine anno, die, patria, aut vitæ tempore. Unde facile colligitur, ſuperiorem Catalogum abſolutum fuiſſe anno circiter 758. poſt mortem

Ste-

Digitized by Google

Stephani Papæ , nimiram , Tertii hujus nominis , qui communiter Secundus dicitur . Nam alius Stephanus immediatus ejus deceſsor, cum quatuor, aut quinque ſolum dies poſt electionem vixerit , non numeratur in ſerie Pontificum .

Porro juxta utramque Chronotaxin exſcriptam,poterit Lector in progreſſu hujus Operis facile conjicere , quonam Pontifice , quoto anno a Chriſti Nativitate , celebratum fuerit unamquodque Concilium , aut data ſit qualibet Epiſtola Decretalis ad Hiſpanos , & quando denique ſcriptum fuerit quodvis monumentum antiquum eorum , quæ luci publicæ damus Si qui autem Latinitatis defectu . occurrerint Lectori in eo Catalogo , cogitet quæſo , nos nequaquam illius correctores , ſed dumtaxat exſcriptores fuiſſe . Quod ipſum dictum eſto pro aliis veteribus monumentis in hoc Opere exhibendis , quæ vel leviter mutare, aut corrigere , religioni duximus .

CHRONOLOGIA TOLETANORUM PRÆSULUM

Primæ Chiliadis Chriſtianæ annorum , quorum ratio ex antiquis mſs. habetur certa , & apud omnes explorata .

SAnctus Eugenius Martyr , primus . Era Cæſ. 106. An. Chr. 68.

Melantius , qui interſuit Concilio Eliberritano , & in eo ſubſcripſit . Era Cæſ. 351. A. Chr. 313.

Pelagius . *Hinc numerat S. Ildephonſus , & Catalogus ms. S. Æmiliani , forſan ut initium ducant a pace Conſtantini .* Era Cæſ. 351. A. Chr. 325.

Patruinus , qui primum Toletanum Concilium congregavit , & in eo ſubſcribit , Priſcillianam hæreſim pullulantem evertit . Era Cæſ. 434. A. Chr. 396.

Turibius .

Quintius .

Vincentius .

Pauſatus .

Natalis .

Olympius .

Audentius , *de quo Gennadius . Eorum ſeptem Præſulam tempus neſcitur ; nec facile apparetquomodo tam anguſto tempore coerceantur.*

Aiturius. S. Ildephonſus ejus Vitam ſcribit in Catalogo illuſtrium Virorum . *Reperit Compluti Reliquias SS Juſti , & Paſtoris . Ejus Corpus Oveti quieſcit,& dies natalitius ibidem celebrari dicitur ſub nomine S. Serrani .* Era Cæſ. 443. A. Chr. 405.

Iſicius .

Martinus , vel Majorinus .

Caſtinus .

Campejus .

Sinticio .

Praumaticus , vel Palmatius .

Petrus primus .

Celſus .

Montanus. Secunda Synodus Toletana ſub Montano eſt habita : ſcripſitque duas Epiſtolas, alteram ad Fratres territorii Palentini , alteram ad Toribium . S. Ildephonſus ejus Vitam literis mandavit . Era Cæſ. 565. A. Chr. 527.

Julianus primus .

Bacanda .

Petrus Secundus .

Euphimius . Interſuit Sancto Tertio Concilio Toletano , Era Cæſ. 637. A. Chr. 589. & de eo fit mentio in Decreto Gundemari .

Exuperius .

Adelphius . Subſcripſit in Toletano ſub Reccaredo Era 635. A. Chr. 593.

Gonantius a S.Ildephonſo non enumeratur inter Præſules Toletanos; forte quia parum præfuit ; inquit enim , poſt Adelphium , Toletanæ Sedis Auralium adeptum eſſe locum .

Auraſius . S. Ildephonſus ſcribit in Catalogo, Cathedram tenuiſſe poſt Adelphium . Era Cæſ. 641. A. Chr. 603.

S. Helladius obiit 18. Februarii ; de eo Ildephonſus ſcribit in Catalogo .

Præfuit annis 18. Era Cæſ. 653. A. Chr. 615.

Juſtus . Quarta Synodus Toletana fuit ſub Juſto habita , in eaque ſubſcribit ; de eo Ildephonſus ſcribit in Catalogo . Era Cæſ. 671. A. Chr. 633.

Eugenius . Secunda , Quinta , Sexta , & Septima Synodus Toletana ſub Eugenio fuerunt collectæ ; in eis ſubſcribit ; de eo Ildephonſus in Catalogo . Era Cæſ. 674. A. Chr. 636.

S. Eugenius III. obiit 13. Novembris, anno 658. interfuit Octavo , Nono , & Decimo Conciliis Toletanis , Era 691. Era Cæſ. 685. A. Chr. 647.

S.Ildephonſus obiit 23. Januarii, anno 667. cujus Vitam Cixila Præſul Toletanus ſcripſit . *Præfuit ann.*8. *m.* 2. Era Cæſ.697. A. Chr 659.

Quiricius. Interfuit undecimo Concilio Toletano , Era 713. & in eo ſubſcribit. S.Ildephonſus ejus Vitam ſcribit in Catalogo *Ita D Loaiſa . At quomodo potuit D. Ildephonſus ſcribere Vitam Quiricii ſucceſſoris ſui in Sede Toletana? nimirum , Quiricius octodecim annis ſupervixit Ildephonſo . Itaque non ab hoc , ſed quopiam ipſius continuatore ſcripta fuit Vita Quiricii.* Era Cæſ. 706. A. Chr. 668.

S. Julianus II. obiit ſexto Martii, anno 690. interfuit Duodecimo, & Decimotertio , Decimoquatto , & Decimoquinto , Conciliis Toletanis, & in eis ſubſcribit , Era 719. De eo Felix ſcribit in Catalogo . Era Cæſ. 723. A. Chr. 685.

Siſibertus , qui adverſus Egicanem Regem conſpirationem fecit , pro qua merito a dignitatis ordine amotus fuit in Concilio Toletano decimo ſexto ; pro eo Felix ſuffectus eſt , Era 731. Era Cæſ. 729. A. Chr. 691.

Felix . Decimoſexto Concilio Toletano Interfuit, in eoque ſubſcribit,Era 731. A. Chr.693.

Gundericus . Era Cæſ. 738. A. Chr. 700.

Oppas, intruſus. Era Cæſ. 752. A.Chr.714.

Sinderedus . Romam fugiens ſubſcripſit in Concilio Romano I. tempore Gregorii II. Papæ, celebrato A. Chr. 721.

Urbanus poſt Sinderedum Cathedram Toletanam tenuit ; obiit anno 737. Toletum a Sarracenis occupatur , fueruntque in captivitate Præſules Toletani , qui ſequuntur , uſque ad Joannem . Era Cæſ. 757. A. Chr. 719.

Sunifredus . Era Cæſ. 778. Anno Chriſti 740.

Con-

Concordius. Era Cæſ. 798. A. Chr. 760.

Cixilanus. *Scripſit vitam S. Ildephonſi. Extat Epiſtola Hadriani I. Papæ ad eum.* Era Cæſ. 813. A. Chr. 775.

Elipandus. Hæreſi infectus in Concilio Francofordienſi condemnatur, ut refert Joannes Aurelienſis in libro *De cultu imaginum.* Era Cæſ. 822. A. Chr. 784.

Gumeſindus. Era Cæſ. 858. A. Chr. 820.

Vviſtremirus, *de quo S. Eulogius in Chronico.* Era Cæſ. 888. A. Chr. 850.

Sanctus Eulogius electus, Martyr. Era Cæſ. 807. A. Chr. 859.

Bonitus.

Joannes, obiit Era Cæſ. 964. A. Chr. 926.

Paſchalis.

Hoc loco deſunt alii Præſules, & finiunt Catalogi Veteres mſſ. Aliqui juxta Chronica a centum circiter annis circumferri ſolita, addunt alios Archiepiſcopos Toletanos.

Alphonſus VI. victis Sarracenis, Toletum expugnat, anno 1085. die 23. Martii, & Bernardum Monachum S. Benedicti in Sede Toletana collocat.

JOSEPHI SAENZ CARDINALIS DE AGUIRRE

APPARATUS AD CONCILIA HISPANIÆ:

PARS PRIMA

Sive Examen, aut Scrutinium Hiſtorico-Critico-Chronologicum, Præfationis, & Collectionis Iſidorianæ Conciliorum, & Epiſtolarum Decretalium, præſertim ad Hiſpanias ſpectantium.

IN HONOREM AC DECUS S. ISIDORI ARCHIEPISCOPI HISPALENSIS Doctoris ſapientiſſimi, ac celeberrimi.

IN Collectionibus Conciliorum hactenus prælo expreſſis, frequenter exhibetur ſubinitium Præfatio quædam, hiſce verbis initium Præfatio quædam, hiſce verbis incipiens: ISIDORUS PECCATOR SERVUS CHRISTI, &c. aut hiſce: ISIDORUS MERCATOR SERVUS CHRISTI. In manuſcriptis vero Codicibus adhuc major varietas eſt. Nam quidam eorum alterutro ex iis modis incipiunt: quidam vero, tum Præfationem, tum Collectionem, in ipſa epigraphe antiquiſſima nominatim adſcribunt S. ISIDORO Archiepiſcopo Hiſpalenſi. Id, præter plura alia exemplaria vetera, oſtendit palam Codex Vaticanus, num. 630. *optimæ notæ, ſcriptus anno circiter octingenteſimo ſexageſimo, tempore Nicolai I. Papæ, in cujus Epiſtolis deſinit. Nimirum hiſce verbis inchoatur: INCIPIT PRÆFATIO SANCTI ISIDORI EPISCOPI LIBRI HUJUS. Et ſane S. Iſidorum Epiſcopum ibi nominatum, non fuiſſe alium, quam Hiſpalenſem, videtur omnino certum, & demonſtrabitur paullo poſtea Differt. I. Idipſum cenſuit Hincmarus Archipræſul Rhemenſis, Gallorum ſui ævi doctiſſimus, tempore memorati Nicolai I. & longe poſtea ſub finem undecimi ſæculi, aut initium duodecimi, Ivo Carnotenſis Epiſcopus, aliique plures Scriptores magni nominis eo loco allegandi: ubi & fundamenta varia pro ea ſententia urgebimus, quæ fortaſſis ἀνατίῤῥητα, ſeu inexpugnabilia cenſeri poſſint.*

Quemadmodum vero pleraque exemplaria Collectionum, tum manuſcripta, tum excuſa, initium ab Iſidori Præfatione ducunt: ita & nobis viſum eſt ab ipſa Collectionem hanc exordiri: utpote ſcripta ab Epiſcopo celeberrimo Hiſpaniarum, Doctore inſigni, & Collectore omnium Conciliorum ad illas ſpectantium, uſque ad Hiſpalenſe II. cui ipſe præfuit anno Chriſti, juxta frequentem Chronotaxin, DCXIX. Cumque idem teſtetur, ſe pariter collegiſſe Epiſtolas Pontificum Romanorum a S. Clemente uſque ad S. Gregorium Magnum (nimirum quaſcumque ex iis invenire potuit: neque enim omnes exhibuit) ampliſſimam occaſionem præbuit eruditis quibuslibet ad differendum de auctoritate earum Epiſtolarum, quæ adſcribuntur communiter eidem S. Clementi, & aliis ipſius ſucceſſoribus uſque ad Siricium Papam, qui regere Eccleſiam cœpit anno circiter CCCLXXXV. In qua re mirum eſt, quantum ingenia exacuerint ab anno circiter MDLX. uſque modo, Critici quique, & Antiquarii, non ſolum Heterodoxi, ſed & Catholici; inquirentes in eas Veterum Pontificum Epiſtolas uſque ad apices fere. Plerique eorum ſubdititias, ſpurias, intruſaſve, aut ſaltem vitiatas, & interpolatas arbitrantur ab Iſidoro quopiam, quem dicunt Mercatorem, ſub finem ſæculi octavi, aut initium noni. Neque enim, vel Sectarii, ſive homines a Romana communione alieni, audent eam notam inurere ſanctiſſimo Doctori Iſidoro Hiſpalenſi: utpote qui a mille centum annis circiter uſque modo, vivens & mortuus, toti Orbi Chriſtiano ob inſignem Sanctitatem cum excellenti ſapientia, & varia, atque exquiſita eruditione conjunctam, ſummæ venerationi fuit eſt & erit.

Verum cum nonnulli eorundem recentiorum tertio quoque verbo invehantur in Iſidorum Collectorem, quem Mercatorem appellant, & conviciorum plauſtris onerent, veluti nebulonem, aut veteratorem quendam, propter Epiſtolas præditlas; placuit rem hanc penitius examinare, & oſtendere, verum Collectorem earum, ſicuti & Conciliorum, fuiſſe S. Iſidorum Hiſpalenſem, quem iidem Scriptores venerantur, & immunem ab omni ejuſmodi nota profitentur. Tum præterea viſum, inquirere in eaſdem Epiſtolas, quæ ad Hiſpanias ſpectant, an forte omnino ſuppoſitæ, an ſolum ſuſpectæ, an dumtaxat interpolatæ fuerint centonibus aſſutis: an potius ſinceræ, ac germanæ. Idipſum circa reliquas Epiſtolas a Clemente ad Siricium, quamvis non ſpectantes ad Hiſpanias, examinabimus, licet curſim ſolum: quoniam id non ſpectat directo ad ſcopum hujus Operis,

ſed

ſed ex conſequenti tantum, ob connexionem, & ſimilitudinem omnium fere illarum. Vide infra Diſſert. IV. & ſeqq.

Circa Concilia a tempore ipſo S. Iſidori extantia in ea Collectione, ſive intra Hiſpaniam celebrata, ſive alibi terrarum, nulla eſt, aut fuit umquam ſuppoſitionis umbra. Fideliter enim exſcripta inveniuntur Concilia ubique celebrata uſque ad Hiſpalenſe II. cujus idem S. Doctor non modo Præſes, ſed veluti ingenium, ac lingua fuit. Reliqua vero Concilia poſteriora, ſicuti & Epiſtolæ Pontificum ſequentium, acceſſere poſtea Collectioni Iſidorianæ, ſeu Codici Canonum legi ſolito publice in Conciliis ipſis Hiſpaniæ coram Patribus, congregatis, antequam ad ſanciendas Leges, ſive Decreta quælibet deveniretur. Similis acceſſio Conciliorum Toletanorum facta fuit poſt tempus Iſidori in Codice Palatino Bibliothecæ Vaticanæ nunc extante num. 575. *qui incipit a Conciliis Toletanis, & in decimo ſeptimo eorum deſinit, ſeſqui-ſæculo poſt obitum Iſidori celebrato. Quod ſi vero etiam circa quaſdam Epiſtolas Pontificum Siricio poſteriorum ſcriptas ad Hiſpanos aliqua ſuſpicio prudens occurrerit, veritatem rei quantum licuerit, in apertum proferemus.*

Primo autem omnium oportet Præfationem Iſidori Collectoris Conciliorum exhibere, prout communiter edita invenitur, notatis ad eram varietatibus exemplarium. Deinde Diſſert. II. Excurſu tertio proferemus majorem adhuc illius varietatem juxta exemplaria quædam antiquiſſima, quorum pars ab Illuſtriſſimo Archipræſule Marca, pars a nobis viſa, & obſervata fuit. Juxta omnium earum fidem, inſtituimus Diſſertationes hujus Apparatus, ſive Examen iſtud Præfationis, & Collectionis Iſidorianæ. An vero plura alia Concilia in Hiſpaniis celebrata fuerint, quam in ea ſint, uſque ad tempus S. Doctoris, conſtabit ex Diſſertationibus variis huic Apparatui adjungendis.

Spero autem, tractationem hanc non ſolum ceſſuram in aliquam utilitatem publicam, ſed & in qualemcumque honorem ſanctiſſimi Præſulis ISIDORI, ejuſque Magnæ Eccleſiæ, & Illuſtriſſimi, ac multis nominibus Venerabilis Capituli: intra cujus Dignitates, & Canonicos, duplici eo titulo mihi locum, & honorem dederunt duo Magni Pontifices, INNOCENTIUS XI. & XII. quorum ille ante, & poſt fata inſigni ſanctitatis opinione celebris fuit, & eſt: hic vero veſtigia premens benefactoris ſui, quotidie præcellentiſſimæ pietatis manifeſta ſigna profert: atque in tot calamitatibus Orbis Chriſtiani nulla habita ratione carnis, aut ſanguinis, pacem, concordiam juſtitiam, felicitatem, ac ſalutem æternam omnium ſubditorum exoptat, totoque conatu obtinere nititur.

S. ILDEPHONSUS ARCHIEPISCOPUS TOLETANUS

Libro de Viris illuſtribus.

Sanctus Iſidorus poſt Leandrum Hiſpalenſis Sedis Provinciæ Cathedram tenuit: Vir decore ſimul, & ingenio pollens. Illam tantæ jucunditatis affluentem copiam in eloquendo promeruit, ut ubertas admiranda dicendi ex ea in ſtuporem verteret audientes. Scripſit Opera eximia, & non pauca &c. Claruit temporibus Reccaredi, Gundemari, Siſebuti, Svinthilani, Siſenandi, Regum; annis ferme quadraginta tenens Pontificatus honorem, inſignemque doctrinæ ſanctæ gloriam, pariterque decorem.

CONCILIUM TOLETANUM OCTAVUM.

Noſtri quoque ſæculi Doctor egregius, Eccleſiæ Catholicæ noviſſimum decus, præcedentibus ætate poſtremus, doctrinæ comparatione non infimus, &, quod majus eſt, in ſæculorum fine doctiſſimus, atque cum reverentia nominandus Iſidorus &c.

JOSEPHI CATALANI ADDITIO.

De admirandis S. Iſidori Hiſpalenſis Epiſcopi laudibus plura habent Lucas Tudenſis in Cinthilano, & S. Ildephonſus Archiepiſcopus Toletanus. Sed & iſte ſcripta illius exacte recenſet, quæ ferme omnia adhuc extant. De ipſo Iſidoro Joannes Trithemius in Libro, *De Scriptoribus Eccleſiaſticis*, ita ſcribit: *Iſidorus junior Epiſcopus Hiſpalenſis poſt Leandrum, Vir in Divinis Scripturis, & in ſecularibus litteris nulli ſuo tempore ſecundus, ingenio ſubtilis, ſenſu clarus, eloquio compoſitus, carmine excellens, & proſa, non minus ſanctitate, quam doctrina inſignis effulſit. Hic dicitur junior ad differentiam ſenioris Epiſcopi Cordubenſis, vel alterius etiam, qui eum præceſſit, Hiſpalenſis Epiſcopus. Scripſit autem iſte Iſidorus junior multa præclara Opuſcula, de quibus dumtaxat reperi ſubjecta.* Recenſet mox ipſa Opuſcula, & deinde concludit: *Alia quoque multa ſcripſit, quæ ad notitiam meam non venerunt. Claruit ſub Heraclona Imperatore, filio Heraclii anno Domini 630. temporibus Siſebuti Regis Gotthorum in Hiſpania, & ob ſanctiſſimam vitam, & converſationem ſuam, Catalogo Sanctorum inſertus eſt. Cujus Feſtum celebratur* 18. *Kalen. Februarii* Hactenus Trithemius. Cæterum S. Iſidori Epiſcopi Hiſpalenſis Natalis memoratur die 4. Aprilis in mſs. Codicibus Martyrologii Adonis, ut teſtatur ejuſdem Martyrologii illuſtrator eruditiſſimus Dominicus Georgius ad prædictam diem. Putavit Sollerius, ab Uſuardo primum inter Martyrologicos Faſtos Iſidorum fuiſſe cooptatum, ac de eo didiciſſe, dum in Hiſpanias ad prucurandas S. Vincentii Reliquias fuit miſſus. Eodem teſte Georgio, ſilent de Iſidoro alia vetuſta Martyrologia. Plura de eo habet Baronius, itemque Bollandiani ad diem 4. Aprilis ex Luca Tudenſi, & Nicolao Antonio, Lib. v. *Bibliothecæ veteris Hiſpanæ*, Cap. III. in Breviario Romano colitur etiam prædicta die 4. Aprilis ſub ritu duplici, in ejuſque lectionibus plura ſcitu digna habentur, præſertim vero illud, nempe S. Braulionem non modo Gregorio Magno Iſidorum comparaſſe, ſed & erudiendæ Hiſpaniæ loco Jacobo Apoſtoli cælitus datum eſſe cenſuiſſe.

PRÆ-

P R Æ F A T I O a I S I D O R I

In ſuam Collectionem Canonum, & Conciliorum.

ISIDORUS b PECCATOR SERVUS CHRISTI,

Conſervo ſuo, & Parenti Fidei, in Domino c *ſalutem.*

COMPELLOR a multis, tam Epiſcopis, quam reliquis ſervis Chriſti, d Canonum ſententias colligere, & in e unum volumen redigere, & de multis unum facere. Sed hoc oppido conturbat, quod diverſæ interpretationes varias ſententias f faciunt, & licet unus ſit ſenſus, diverſæ tamen ſunt ſententiæ, & aliæ longiores, aliæ breviores. Ea vero Concilia, quæ Græco ſunt edita ſtylo, amplius quam tripliciter, aut quadrupliciter interpretata, atque conſcripta reperimus. Quod ſi veritas eſt quærenda e pluribus, Græcorum ſequamur ſtylum, eorumque imitemur g editiones, atque exemplaria h quot codices. Nobis tamen videtur, cum in i noſtro diſcrepaverint k ſermone, ut unitas, & veritas ab Ipſis quærenda ſit, quorum lingua edita eſſe noſcuntur. Quod & nos fecimus: & ſicut a veris eorum reperimus magiſtris, in volumine, cui hæc proponitur præfatiuncula, inſerere curavimus.

2. Canon l autem Græce, Latine regula nuncupatur: regula autem dicta, quod recte ducit, nec aliquando m aliorſum trahit. Alii dixerunt regulam dictam, vel quod regat, vel quod normam recte vivendi præbeat, ſive quod diſtortum pravumque n corrigat. Synodum autem dicunt ex Græco interpretari comitatum, vel cœtum. Concilii vero nomen tractum et more Romano. o * Tempore enim, quo cauſſa agebatur, conveniebant omnes in unum, communique intentione tractabant. Unde & Concilium a communi intentione dictum, quaſi conſilium, & conſilium quaſi conſidium, D. in L. literam tranſeunte. Vel Concilium dictum ex communi intentione, eo quod in unum omnes dirigant mentia obtutum: cilia enim oculorum ſunt. Unde & qui ſibimet diſſentiunt, non agunt Concilium, qui non ſentiunt unum. Cœtus vero, conventus eſt, vel congregatio, a cocundo, ideſt conveniendo in unum. Unde & conventus eſt nuncupatus, quod omnes ibi conveniant; & ſicut conventus, & cœtus, ſic Concilium dictum a ſocietate multorum in unum.

3. In principio vero voluminis hujus, qualiter * Concilium apud nos celebretur, poſuimus: ut qui noſtrum ordinem ſequi voluerint, ſciant qualiter hoc agere debeant, p quod juſto canoni, eoque ac ſapientiſſimo conſilio judicaverint.

a In Cod. Vatic. 630. Incipit Præfatio S. Iſidori Epiſcopi.
b In eodem Cod. MERCATOR. Verum manu, ut apparet, recentiori: præſertim cum ibidem adſcribatur S. Iſidoro Epiſcopo.
c Ibid. Lectori conſervo ſuo, & parenti in Domino Fidei ſalutem.
d Ibid. Dei.
e Uno volumine.
f Faciant.
g Dictiones.
h Sin minus ipſi dicant, atque exponant, quibus tot ſunt exemplaria, quot Codices.
i Romano dicre.
k Diſcrepuerint.
l Vide lib. 7. Etymol. S. Iſidori, cap. 16. & apud Grat. Diſt. 15. cap. 1.
m Retrorſum.
n Quid.
o Hæc aliquanto aliter habeatur in Cod. Vat.
** Hæc abſunt Codice Juſtelli. Totus vero cõtextus hujus §. plane oſtendit ſtylum, & methodum S. Iſid. Hiſp. In altera præfatione apud Codd. Rivipoll. & Vatic. prædictum, totus hic §. habetur circa illius finem.*
** Loquitur de ordine celebrãdi Concilium, ut infra.*
p Qui aliter hoc agere melius eligerint, faciant.

4. Denique propter eorum auctoritatem, cæteris Conciliis præpoſuimus Canones, qui dicuntur Apoſtolorum (licet a quibuſdam apocryphi dicantur) quoniam plures eos recipiunt, & Sancti Patres eorum ſententias Synodali auctoritate roboraverunt, & inter Canonicas poſuerunt conſtitutiones. *

5. Deinde quarundam Epiſtolarum decreta q Virorum Apoſtolicorum inſeruimus, ideſt, Clementis, & Anacleti, Evariſti, & cœterorum Apoſtolicorum, quas potuimus hactenus reperire Epiſtolas, uſque ad Sylveſtrum Papam. *

6. Poſtmodum vero Nicænam Synodum conſtituimus, propter auctoritatem ejuſdem magni Concilii. Deinceps diverſa Concilia Græcorum, & Latinorum, ſive quæ antea, ſeu quæ poſtmodum facta ſunt, ſub ordine numerorum, ac temporum Capitulis ſuis diſtincta, ſub hujus voluminis aſpectu locavimus; ſubjicientes etiam reliqua decreta Præſulum Romanorum uſque ad *S. Gregorium, & quaſdam Epiſtolas ipſius, in quibus pro culmine Sedis Apoſtolicæ non impar Conciliorum extat auctoritas; quatenus Eccleſiaſtici Ordinis diſciplina in unum a nobis coacta, atque digeſta, & Sancti Præſules paternis inſtituantur regulis, & obedientes Eccleſiæ miniſterio, vel populi ſpiritualibus imbuantur exemplis, & non malorum hominum pravitatibus decipiantur.

7. Multi enim pravitate & cupiditate depreſſi, accuſantes Sacerdotes, oppreſſerunt. Ideo ſancti Patres leges r conſtituerunt, quas ſanctos Canones appellaverunt. Multi ergo iccirco alios accuſant, ut ſe per illos excuſent, aut eorum bonis ditentur,

8. Plerique vero boni Chriſtiani propterea tacent, & portant aliorum peccata, quæ noverunt, quia documenta ſæpe deſeruntur, quibus ea, quæ ipſi ſciunt, Judicibus Eccleſiaſticis probare non poſſunt; quoniam licet vera ſint quædam, non tamen Judicibus credenda ſunt, niſi quæ certis indiciis demonſtrantur, niſi quæ manifeſto ſ indicio convincuntur, niſi quæ judiciario ordine publicantur.

9. Nullus enim, qui ſuis eſt rebus ſpoliatus, aut a ſede propria vi, aut terrore pulſus, antequam omnia ſibi ablata t ei legibus reſtituantur, & ipſe pacifice diu ſuis fruatur honoribus, ſedique propriæ regulariter reſtitutus,

** Hoc de ſuo poſuit Interpolator. Vide infra Diſſer. III. ubi cõſtabit longe aliã fuiſſe Iſid. ſententiam circa Canones Apoſt.*
q Deeſt in Vat.
** Teſtatur Iſidorus eas Epiſtolas veterum PP. a ſe conquiſitas. Vide infra Diſſert. IV.*
** Hinc conſtat, Collectionem Iſidori non fuiſſe progreſſã ultra Epiſtolas S. Greg. I. & Conc. Hiſpal. II. Vide infra Diſſert. I. & III.*
r Compoſuerunt. Vide Diſſ. V. VI. & VII. ubi examinatur doctrina hiſce paragraphi 6. 7. 8. 9. & 10. tradita.
ſ Judicio.
t Appellata.

ejus multo tempore libere potiatur honore, juxta canonicam accuſari, vocari, judicari, aut damnari inſtitutionem *a* poteſt. Unde & Eccleſiaſtica hiſtoria ab Euſebio Cæſarienſi Epiſcopo confecta, de muliere quadam, quæ pro caſtitate a marito accuſabatur, ait: *Præceptum, vel* b *interdictum eſt ab Imperatore lege lata, ut primo permitteretur ei rem familiarem libere diutius ordinare, tum deinde reſpondere objectis*. Hæc omnes leges tam Eccleſiaſticæ, quam & vulgares, publicæque, præcipiunt.

a non.

b Indictum.

10. Horum verò *c* concinnantiæ, ſi omnia ponerentur, ante deficeret dies quam horum *d* ſingula *e* explicarem, & nimis prolixa fieret Epiſtola. Ex pluribus tamen aliqua hic ad provocationem aliorum inſerere judicavimus. Ait namque Sanctus Leo Romanæ Eccleſiæ Antiſtes in Epiſtola Chalcedonenſi Concilio miſſa 7. cujus initium eſt: Leo Epiſcopus Synodo Chalcedonenſi: *Optaveram vero quidem dilectiſſimi*, & reliqua: in qua inter cætera ſic teſtatur, dicens: * *Quia vero non ignoramus, per pravas æmulationes multarum Eccleſiarum ſtatum fuiſſe turbatum, plurimoſque Fratres injuſte ſedibus ſuis pulſos, & in* f *exilia deportatos*, g *his primitus vulneribus adhibeatur medicina juſtitiæ; ne quiſquam ita careat propriis, ut alter utatur alienis. Quem ita errorem omnes relinquant, ut nemini quidem perire honor debeat, ſed prioribus Epiſcopis cum omni privilegio ſuo jus proprium reformetur*.

c Concinnantia.
d Similia.
e Deeſt in Vat.

** Vide infra in Notis.*

f Exilio.
g Atque in locum ſuperſtitum alios ſubſtitutos. Cod. Vat.

11. Eadem & antiqui Apoſtolici, qui fuerunt ante Synodum Nicænam, ſanxerunt. Eadem Synodus, quæ habita eſt in Lariſſa *h* ſub Valeriano, loquitur. Eadem plurimæ Romanæ Synodi teſtantur. Eadem Papa Symmachus, & cæteri Sancti Patres ſanxerunt. Quorum ſtatuta, prolixitatem vitantes, hic inſerere diſtulimus. Si quis autem hæc plenius ſcire, & legere voluerit, ſuis in Auctoribus invenire, & legere pleniter poterit. Nobis vero hæc in præfatiuncula iſta *i* ſufficiant. Et ſicut militi ex multis armis illa ſufficiunt, quæ ferre congruenter ſuper ſe poterit; ſic nobis de multis ſententiis una, aut duæ, vel quantum tunc temporis neceſſe fuerit, ſufficiunt: quoniam ſicut cum uno telo, aut duobus, inimicum vincimus *k*. Si enim de mulieribus, & ſæcularibus hominibus hæc conſtituta ſunt; multo magis Eccleſiaſticis viris & Sacerdotibus ſunt conceſſa. Hæc eadem vero, & Eccleſiaſtica jura jubent, & ſæculi leges præcipiunt. Similiter accuſatores, & accuſationes, quas ſæculi leges prohibent, Canonica funditus repellit auctoritas.

h Laiſſa Vat. Lampſaco ſub Valentiniano.

i Deeſt in Vat.

k Vat. ſic eſt una, aut duabus ſententiis auctoritate plenis, æmulū ſuperamus. De his iſta quotquot fere agunt de Conciliis, & nos ſæpe in Defenſione Cathedræ S. Petri.

12. Synodorum vero congregandarum auctoritas Apoſtolicæ Sedi privata commiſſa eſt poteſtate; nec ullam Synodum ratam eſſe legimus, quæ ejus non fuerit auctoritate congregata, vel fulta. Hæc Canonica teſtatur auctoritas, hæc hiſtoria Eccleſiaſtica roborat, hæc ſancti Patres confirmant.

13. Scire autem vos octoginta Epiſcopos, qui hoc opus me incipere, & perficere coegiſtis, & cunctos reliquos Domini Sacerdotes oportet, quod plura quam illa viginti capitula, quæ apud nos habentur, * Nicænæ Synodi reperimus, & in decretis Julii Papæ ſeptuaginta *l* capitula ejuſdem Synodi eſſe debere legimus. Quam Epiſtolam in ſuo ordine inter cætera decreta Apoſtolicorum poſuimus, hæc ſcrutantibus, & cunctis noſſe volentibus *m* rimanda.

** Vide Diſt. VIII. tota, ubi explanantur ea, quæ Iſidorus tradit hiſce §.§. 12. 13. 14. 15. 16. & 17.*
l Vat. Lxxx
m Rimanda.

14. Nam quod plura quam viginti capitula ſint Nicæni Concilii, in multis invenitur locis. Legitur enim in Conſtantinopolitano Concilio ita: *Manifeſtum eſt, quod illa, quæ ſunt per unamquamque Provinciam, ipſius Provinciæ Synodus diſpenſet, ſicut Nicæno conſtat decretum eſſe Concilio.*

15. Legitur & in Epiſtola Innocentii Papæ, Victricio Rothomagenſi Epiſcopo directa, ita: *Si quæ cauſſæ vel contentiones inter Clericos, & Laicos, vel inter Clericos, tam majoris ordinis, quam etiam inferioris, fuerint exortæ, placuit, ut ſecundum Synodum Nicænam, congregatis omnibus ejuſdem Provinciæ Epiſcopis, judicium terminetur*, & reliqua.

16. Sanctæ etiam memoriæ Theophilus Alexandrinus Epiſcopus, ſuis in Epiſtolis meminit, in Concilio Nicæno ſtatutum eſſe, ut ab VIII. Idus Martii, uſque in diem Nonarum Aprilis, diebus ſcilicet 28. qualiſcumque Luna nata fuerit, in quolibet medio ſpatio *n* perhibet facere initium primi menſis, XIV. *o* vero a XII. Kal. Aprilis *p uſque* in XVIII. Kal. Maji, ſolerter inquiri, & ſi etiam die Sabbathorum inciderit, conſequenti die Dominico, ideſt, Luna 15. Paſcha celebrare conſcripſit: * & ſi die Dominico Luna * 13. ejuſdem menſis, ideſt, primi menſis, ideſt, primi menſis, evenerit, ipſa hebdomada tranſmiſſa, *q* in alterum diem Dominicum Paſcha ſine dubio celebrare conſcripſit.

n Ita ex Ms. Juſtelli. In Vatic. autem prohibet.
o Mat.
p Ad XIV.
** Hæc verba, & ſi die &c. ſunt ad marginem Codicis Vaticani 630.*
** 14. ex Cod. Juſtelli aliiſque.*
q Ad.

His, & aliis quampluribus exemplis patet, plura eſſe quam viginti Nicæni Concilii capitula, & veram eſſe prædictam Julii Papæ Epiſtolam.

17 Nobis autem quidam e conſortio Fratrum noſtrorum Orientales, teſtati ſunt, ſe vidiſſe Concilium Nicænum habens potiorem quatuor Euangeliorum magnitudinem, continens in ſe Seſſiones Epiſcoporum, & introductiones, judiciaque querimoniarum, atque definitiones, & conſtitutiones, necnon & ſubſcriptiones eorum.

18. Ad cujus ſimilitudinem magnum Chalcedonenſe Concilium conſcrip-

Digitized by Google

ſcriptum eſſe confirmaverunt, & demum alia Conſtantinopoli *a* condita: unum videlicet ſub Juſtiniano Imperatore contra Dei impugnatores, Origenem, Didymum, & Euagrium; & aliud temporibus Agathonis Papæ,* & Conſtantini Imperatoris, contra Macarium Epiſcopum, & Stephanum ejus diſcipulum, ac reliquos Epiſcopos, qui pro frumento zizania in Eccleſia ſeminaverunt, vinum miſcuerunt aquæ, & proximo potum dederunt, *b* everſione turbida, & tanquam lupi agni ſimulabant mendacium, & veritas ut mendacium refutabatur.

a Edita.

** Hæc verba non ſunt S. Iſidori, ut poſt vitâ functi anno 636 cum Synodus VI. ſub Agathone coacta fuerit multò poſtea, anno 680.*

b Everſionem turbidam.

19. Noſſe etiam oportet (licet cætera non infirmentur) quatuor eſſe principalia Concilia, &c. *Vide paullo infra*.

20. Primo quidem ordo, ut prædictum eſt, de * celebrando Concilio inſertus habetur, & poſtmodum Canonum Apoſtolorum, ac primorum Apoſtolicorum (ideſt a Sancto Clemente uſque ad Sanctum Sylveſtrum) decretorum, ac diverſorum Conciliorum breviarium interpolatur ſequens ordinem ſuum.

**Ex Concil. IV. Tolet.*

HACTENUS in editione Labbeana. In Cod autem memorato 630 Bibliothecæ Vaticanæ, ſcripto tempore Nicolai I hæc habentur, poſt verba illa, * ut mendacium refutabatur. *

21 Noſſe etiam oportet (licet cætera non infirmentur) quatuor eſſe principalia Concilia, ex quibus pleniſſimam Fidei doctrinam tenent Eccleſiæ, tam de Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Divinitate, quam de prædicti Filii, & Salvatoris noſtri Incarnatione.

22. Prior harum Nicæna Synodus eſt CCCXVIII. Epiſcoporum ſub Conſtantino Auguſto peracta, in qua Arianæ perfidiæ blaſphemiæ condemnatæ, quia inæqualitatem Sanctæ Trinitatis Arius aſſerebat, conſubſtantialem Deo Patri, Dei Filium eadem Sancta Synodus per Symbolum definivit.

23. Secunda Synodus CL. Patrum, ſub Theodoſio ſeniore Conſtantinopoli congregata, quæ Macedonium, Sanctum Spiritum Deum eſſe negantem, condemnans, conſubſtantialem Patri, ac Filio eundem Paracletum demonſtravit, dans latius Symboli formam, quam tota Græcia, & Latinitas in Eccleſiis prædicat.

24. Tertia Synodus eſt Epheſina I. CC. Epiſcoporum ſub juniore Theodoſio Auguſto edita, quæ Neſtorium duas Perſonas in Chriſto aſſerentem, juſto anathemate condemnavit, oſtendens, manere in duabus naturis unam Domini Noſtri Jeſu Chriſti Perſonam.

25. Quarta eſt Synodus Chalcedonenſis DCXXX. Sacerdotum ſub Marciano Principe habita, in qua Eutychen Conſtantinopolitanum Abbatem, Verbi Dei, & Carnis unam naturam pronunciantem, & ejus defenſorem Dioſcorum, quondam Alexandrinum Epiſcopum, & ipſum rurſum Neſtorium cum reliquis hæreticis una Patrum ſententia prædamnavit; prædicans eadem Synodus Chriſtum Deum ſic natum de Virgine, ut in una ſubſtantia divina, & humana confiteantur naturæ.

26. Hæ ſunt, ut prædiximus, quatuor principales, & venerabiles Synodi Fidem Catholicam complectentes: ſed & ſi quæ ſunt Concilia, quæ Sancti Patres Spiritu Dei pleni ſanxerunt, poſt illorum quatuor auctoritatem omni manent ſtabilita vigore.

27. Primus quidem ordo, ut prædictum eſt, de celebrando Concilio, inſertus habetur, & poſtmodum Canonum Apoſtolorum, ac primorum Apoſtolicorum, ideſt, a Sancto Clemente uſque ad Sanctum Sylveſtrum, decretorum, atque diverſorum Conciliorum breviarium * interpolatur, ſequens ordinem ſuum.

** Intermittitur.*

DISSERTATIONES ECCLESIASTICÆ

In Præfationem Iſidori ad ſuam Conciliorum, & Canonum Collectionem.

ISidori Præfatio, a nullo hactenus Hiſpano, vel extero Scriptore (ni fallor) explanata, & illius fama ab innumeris fere impetita, non modo Heterodoxis, ſed etiam Catholicis, & eruditis hominibus, eget plane interprete, ac defenſore aliquo. Quapropter viſum eam exponere, conferre juxta varia manuſcripta, & prælo edita exemplaria, ac quodammodo vindicare aliquot Diſſertationibus opportunis, quæ facem præferant pluribus Conciliis, Epiſtolis Decretalibus Romanorum Pontificum, & aliis ſacris, ac veteribus monumentis, in hac nov-antiqua Collectione edendis, quæ ad Hiſpaniam ſpectant. Scio, me in hoc Tractatu ſuſcipere difficilem provinciam, periculi atque aleæ plenam; nec dubito pleriſque hypercriticis primo aſpectu viſura paradoxa aut abſurda, quæcumque reciplo quodammodo tuenda, & vindicanda. At ſi præjudicium deponant, & nudo veritatis amore ingrediantur ad retractandas controverſias ſequentes, fortaſſe mecum ſentient, ſaltem parte aliqua, & nonnihil remittent de intentione, & præfidentia illa, qua contrariis placitis adhærent. Quod ſi vero adhuc plura reponant, forte non deerit, intra, aut extra Hiſpaniam, qui hiſce lucubrationibus, & vindiciis colophonem addat, eandemque cauſſam confirmet uberiore patrocinio.

DISSERTATIO PRIMA

Quiſnam fuerit Iſidorus Collector Canonum, Conciliorumque, & quonam tempore vixerit.

Oportet controverſiam hanc præmittere aliis gravioribus poſtea ſecuturis. Plerique enim Recentiorum arbitrati, Iſidorum Collectorem fuiſſe obſcurum aliquem hominem, aut nullius pretii, in illum congerunt plena conviciorum plauſtra. Alii e contrario exiſtimantes, fuiſſe Virum magnæ auctoritatis, & doctrinæ, ac fortaſſe non alium, quam Sanctum Iſidorum Hiſpalenſem, religioni ducunt quidquam proferre, quod illius famæ vel leviter adverſetur.

EXCURSUS I.

Præmittitur, & multipliciter oſtenditur, inter plures Iſidoros, tum Latinos, tum Græcos, neminem Mercatorem dictum, cui Collectio Canonum, & Conciliorum tribui poſſit.

II. PRÆFATIO ISIDORI] Quamvis omnia exemplaria manuſcripta, & edita conveniant in nomine Iſidori, non tamen in appellatione *Mercatoris*. Ut enim obſervat Illuſtriſs. Marca Lib. 3. *De Concordia Sacerdotii, & Imperii*, licet aliqui ducti nonnullis Codicibus manuſcriptis, Iſidorum hunc *Mercatorem* appellaverint; in aliis pluribus, & melioris notæ, non *Mercator*, ſed *Peccator* dicitur. Nimirum piis etiam, & doctis hominibus ſolemne fuit ſe Peccatores, non voce ſolum, ſed ſcripto denominare: eoque Titulo multi Epiſcopi inveniuntur ſubſcripſiſſe variis Conciliis: veluti Turonenſi I. & II. Pariſienſi III. & Matiſconenſi I. Græcis quoque Epiſcopis in more fuit, ut ſe ἁμαρτωλοὺς, ideſt, *peccatores* vocarent; ut patet vel ex uno Concilio Quini-Sexto, in quo fere continuata ſerie ſubſcribunt quinque Epiſcopi, ſe ἁμαρτωλοὺς appellantes; & ex Synodo VII. Generali, ideſt, Nicæna II. ubi ſex alii Epiſcopi eam ſibi appellationem tribuunt. Quare nihil mirum, ſi idem fecerit Iſidorus Collector, qui opinione fere omnium Epiſcopus fuit.

III. Unde in Pannormia, Ivoni Carnotenſi adſcripta, ſive Pannomia, prout legi vult Antonius Auguſtinus, & apud Gratianum, ut habetur Decreti Diſt. 16. in Notis ad Caput 4. non legitur: *Iſidorus Mercator ſervus Chriſti*; ſed ſolum: *Iſidorus ſervus Chriſti*. Quin nec apud Veteres, quotquot unquam ad celebranda Concilia inveniuntur acceſſiſſe, vel inter Eccleſiæ Patres numerantur, invenitur quiſquam Iſidorus appellatione *Mercator*: uti ex noviſſimis, & uberrimis editionibus, Labbeana Conciliorum, & Aniſſoniana veterum Patrum, earumque accuratiſſimis indicibus, diligenter a nobis evolutis, conſtat ſatis, nec facile erit in ullo authentico illorum temporum ſcripto uſque ad finem præcedentis chiliadis Chriſtianæ annorum detegere mentionem factam alicujus Iſidori, cognomento Mercatoris. Idipſum dictum eſto de omnibus illis, ſive antiquis, ſive recentibus, quotquot hactenus edidere Libros de Scriptoribus Eccleſiaſticis, vel eorum lucubrationes primo in lucem eruendas curarunt, præſertim hoc politiſſimo ſæculo: veluti Bellarmino, Sirmondo, Labbè, Oudino, Gerardo Joanne Voſſio, D'Acherio, Mabillone, Baluzio, & aliis ſimilibus. Nemo enim illorum hactenus legitur inveniſſe Librum aliquem, aut Codicem de rebus ſacris ſcriptum a quopiam Iſidoro, quem authentice conſtet ſuo ævo appellatum fuiſſe Mercatorem.

IV. Quare cenſendum, eam appellationem ex incuria, ſive errore aliquorum irrepſiſſe in quædam exemplaria, contra fidem aliorum. Verum quidem eſt, in Codice mſ. Vatic. n. 630. qui fuit olim Joannis Epiſcopi Attrebatenſis, & continet Iſidori Collectionem ſcriptam tempore Nicolai I. Papæ, id eſt, circa annum Chriſti 860. Iſidorum ipſum Epiſcopum initio literis majuſculis appellari Mercatorem. Sed enim verbum MERCATOR, mihi curioſius ſcrutanti in ipſo exemplari viſum fuit adſcititium, & intruſum recentiori manu, quamvis nonnullis retro Sæculis. Id autem certum eſt, initio ejuſdem Codicis, literis majoribus tribui eam Collectionem nominatim S. ISIDORO EPISCOPO. Porro Archipræſul Marca Lib. 3. *De Concordia Sacerdotii, & Imperii*, Cap. 5. ait: *Etſi fateamur, in quibuſdam Codicibus eam lectionem extare*, nimirum, ut dicatur MERCATOR, *in pleriſque tamen, & melioris notæ Libris, Compilator iſte ISIDORUS PECCATOR dicitur: unde emanavit vitio Amanuenſium MERCATORIS dictio*. Nec ideo nego fuiſſe inter Patres, qui *Mercator* appellaretur. Scimus enim fuiſſe Marium Mercatorem Diſcipulum S. Auguſtini, ejuſque defenſorem, cujus duplex Commonitorium paucis retro annis in Biblioth. Vaticana inventum, & mox editum eſt; & alterum ex iis a nobis Commentario explanatum Tomo III. Theologiæ S. Anſelmi Diſp. CXIII. præter plura alia illius Opuſcula, quæ edidit, & Notis illuſtravit Gabriel Gerberon M. B. Congregationis S. Mauri, & eodem fere tempore uberius juſto Volumine Garnerius, ac tandem breviori forma D. Baluzius. Itaque hoc loco ſolum negamus, fuiſſe inter veteres Patres, & Scriptores, qui *Iſidorus Mercator* diceretur, quamvis ea appellatio invaluerit apud pleroſque recentiores; illos præſertim, qui Epiſtolas Pontificum Decretales, ut ajunt, ab Iſidoro collectas rejiciunt, veluti nothas, aut ſuppoſititias, de quibus infra Diſſ. IV.

V. Nimirum ſi convertamus oculos ad monumenta omnia Antiquitatis Chriſtianæ, quotquot hactenus nobis videre licuit, plures in iis memorantur Iſidori, quorum tamen nemo *Mercator* dictus fuit. Occurrit imprimis intra Hiſpaniam Iſidorus ille, quem Flavius Dexter [verus, aut fictus] ad annum Chriſti CCCLXXXIV. appellat *Seniorem*, & *Cordubenſem*; teſtaturque ſcripſiſſe Chronicon a primo Conſulatu

Theo-

Theodoſii uſque ad ſua tempora, & Epiſcopum non fuiſſe.

VI. Alter quoque, juxta eundem Dextrum, fuit Iſidorus, & Cordubenſis Epiſcopus, poſt Higinium, & Gregorium, appellatus *Junior* (nimirum, relate ad præcedentem ut contendit Biavarius ibidem Num. 8.) quem ait ſcripſiſſe Libros Allegoriarum extantes inter Opera S. Iſidori Hiſpalenſis, & Chronicon ab anno CCCLXXX. ad Oroſium, & elegantiſſima Commentaria in quatuor Libros Regum, atque in Evang. Lucæ. Ita ille ad annos CCCLXXXVIII. & CDXXIII. & CDXXX. Itaque neuter ex iis Iſidoris Mercator dictus fuit, ſed alter *Senior*, & alter *Junior*: atque ambo quidem duobus ſaltem ſæculis antiquiores S. Iſidoro Hiſpalenſi, & multo magis Iſidoro Collectore, ſi hic fuit alius ab illo, ut plerique cenſent. Sed enim quæcunque fere in Dextro illo habentur (idemque eſt de Maximo Cæſarauguſtano, Luitprando, Juliano Perez, Liberato Diacono, Auberto Hiſpalenſi, & aliis ſimilibus a centum circiter annis uſque modo in lucem emiſſis) nullam fidem apud eruditiores Hiſpanos, aut exteros impetrare potuerunt, niſi aliunde conſtent teſtimoniis certis ejuſdem temporis, aut paullo poſterioris. Quapropter ſuſpecti videntur ambo ii Scriptores, Iſidori nomine, & Cordubenſes, apud Dextrum. Etenim nullius Iſidori Cordubenſis meminere diligentiſſimi Nomenclatores veteres Scriptorum Eccleſiaſticorum. Non Hieronymus, aut Gennadius. Non Iſidorus Hiſpalenſis ex Hiſpanis. Non ex aliis poſterioribus Honorius Auguſtodunenſis. Solus Sigebertus Gemblacenſis Scriptor ſæculi duodecimi, Libro de Script. Eccl. Cap. 51. dixit: *Iſidorus Cordubenſis Epiſcopus ſcripſit ad Oroſium Libros quatuor in Libros Regum*. Incertum, quo fundamento id ſcripſerit, quod poſtea Trithemius, Sixtus Senenſis, Poſſevinus, Geſnerus, & ex Hiſpanis Vaſæus, Mariana, aliique, ſine ullo rei examine, mutuarunt. Certum autem eſt, neminem ipſi tribuiſſe appellationem Mercatoris.

VII. Præter eos Iſidoros Cordubenſes, occurrunt alii extra Hiſpaniam, quorum nullus unquam Mercator appellatus fuit: atque imprimis inter ſupſcriptiones quaſdam Concilii Nicæni, quas in charta Niliaca apud ſe habuit Joannes Sambucus Conſiliarius, & Hiſtoricus Cæſareus, & in ipſo originali ſe legiſſe anno 1583. teſtatus eſt Schraderius, extabat una Iſidori Epiſcopi hiſce verbis: Ἰσίδωρος ἐλέει Θεῦ ἐπίσκοπος τῆς Ρυγίνων ματροπόλεως τῆς Φρυγῶν Πατακίων ὁρ. ὑπ. ideſt, *Iſidorus miſeratione Dei Epiſcopus Ruginorum Metropoleos, quæ eſt apud Phrygas Pataciorum, definiens ſubſcripſi*. Deinde legitur alius Iſidorus Epiſcopus Surrenſis, alias Cyrenſis, in Concilio Conſtantinopolitano I. ſub Damaſo Papa anno CCCLXXXI. Inſuper Iſidorus Peluſiota, qui floruit, & ſcripſit circa annum CDXXXI. Ulterius Iſidorus Sethrætarum Epiſcopus, aut Sethrætenſis, in Concilio Oecumenico Chalcedonenſi anno CDLI. ubi ſubſcripſiſſe legitur cuidam libello.

VIII. Præterea quidam Iſidorus Zoorenſis Epiſcopus interfuiſſe legitur Concilio Hieroſolymitano anno DXVIII. Alius quoque Iſidorus Presbyter ſubſcripſit libello, cujus mentio eſt in Concilio Conſtantinopolitano, anno DXXXVI. Deinde in Concilio VI. Oecumenico, nimirum Conſtantinopolitano III. ſub S. Agathone Papa, leguntur duo Iſidori Epiſcopi, alter Rhodienſis, alter Abydienſis. Uberior adhuc Iſidororum Epiſcoporum copia fuit in Concilio Quini-Sexto anno DCXCII. nimirum quatuor Iſidori ibidem leguntur variarum Eccleſiarum Antiſtites: videlicet, Anazarbenſis, Edeſſenenſis, Gordoſervorenſis, & Samienſis.

IX. Occurrit denique alius Iſidorus Hegumenus Latrenſis in Concilio VII. Oecumenico, ideſt, Nicæno II. anno DCCLXXXVII. Porro ii omnes, ut ajebam, exteri fuerunt, & ſaltem plerique Græci, quorum nemo apud ſuos dictus fuit ἔμπορος, vel παλιγκάπηλος, aut a Latinis *Mercator*. Deinde nullus unquam ſomniavit, quemquam ex iis fuiſſe Iſidorum Collectorem, de quo inquirimus. Hunc enim Latinum fuiſſe, patet ex ipſa præfatione; immo & Hiſpanum, vel ſaltem in Hiſpania ſcribentem, patet ex verbis illis Præfationis num. 3. *Qualiter Concilium apud nos celebretur, poſuimus*. Nimirum apud Hiſpanos, juxta ordinem illum celebrandi Concilium, qui præſcribitur in Concilio IV. Toletano. Mitto alios Iſidoros, de quibus ne apparens quidem dubitandi ratio eſſe poteſt, qualem eſſe patet Iſidorum, Characenum dictum, utpote Græcum, & Ptolemæi æqualem, a Luciano in Macrobiis memoratum, & non ſemel ab eruditiſſimo Gerardo Joanne Voſſio, præſertim Lib. 4. de Hiſtoricis Græcis, Cap. 10.

EXCURSUS II.

Varii Iſidori apud Hiſpanos ab initio ſeptimi ſæculi, uſque ad finem octavi, de quorum ſingulis controverſia eſſe poſſit. Diverſorum opiniones relatæ, & rejectæ.

X. REdeamus itaque ad Iſidoros, qui in Hiſpania floruerunt ab initio ſeptimi ſæculi, uſque ad initium noni, nam certum apud omnes, exploratumque eſt, Collectionem Iſidorianam intra id ſpatium duorum ſæculorum factam fuiſſe; non vero antea, aut poſtea. Occurrit vero primo loco S. Iſidorus Archiepiſcopus Hiſpalenſis, & Eccleſiæ clariſſimus Doctor, qui ſæculo ſeptimo floruit, & inſigni ſanctitatis opinione diem clauſit extremum anno DCXXXVI. ut teſtatur Redemptus Diaconus in ejus Vita. Dies obitus fuit quarta Aprilis, non autem decima quarta, uti habetur in Collectione Regio-Portuenſi Lectionum Euchariſticarum, fortaſſe ob lapſum typographi. Deceſſit enim feria quinta poſt Paſcha, quod eo anno biſſeſtili 636. literis Dominicalibus G.F. conſtat incidiſſe in 31. Martii, ac proinde feria quinta ſequens fuit dies 4. Aprilis. Sed hæc obiter. Iſidorus porro interfuit decreto Gundemari Regis anno DCX. & Concilio Hiſpalenſi II. ſub Siſebuto Rege anno DCXIX. & tandem Toletano IV anno DCXXXIII. Legitur quoque apud Loaiſam pag. 451. *Epiſtola Beati Iſidori Junioris Epiſcopi*, ad Laudeſredum Epiſcopum Cordubenſem, ab illo eruta ex Codice Vvigilano, ſive Albeldenſi, quem ex antiquiſſima Bibliotheca Regii Monaſterii Sancti Æmiliani Philippus II. tranſtulit ad Scoriale.

II. Deinde alius Iſidorus Epiſcopus Aſturicenſis multo poſtea, ideſt, anno DCLXXV. interfuit Concilio Bracarenſi III. Præterea Iſido-

dorus Setabitanus Epiſcopus legitur interfuiſſe Concilio Toletano duodecimo, anno DCLXXXI. & poſtea quintodecimo, anno DCLXXXVIII. ac tandem decimoſexto, anno DCXCIII.

XII. Occurrit inſuper dubitatio circa Iſidorum Epiſcopum Pacenſem, qui Chronicon Regum Gotthorum, & Sarracenorum in Hiſpania texuit uſque ad annum DCCLIV. primo editum a noſtro Sandovalio Epiſcopo Pampilonenſi: cujus exemplar nobis videre licuit manuſcriptum in Eccleſiæ Toletanæ Bibliotheca, & cum eo conferre, ac corrigere illud aliud editum a Sandovalio. Denique alius Iſidorus iis omnibus poſterior, Epiſcopus Setubenſis, & cognomento *Mercator* legitur apud Chronicon Juliani (verum, aut ſuppoſititium) qui ſcripſerit circa finem ſæculi octavi, & initium noni. De iis itaque omnibus ambigi jure poteſt, quiſnam fuerit prædictæ Collectionis Auctor.

XIII. Imprimis aliqui hoc ſæculo in Hiſpania cenſuerunt, Collectionem Canonum Iſidorianam auctorem habuiſſe Iſidorum Epiſcopum Setubenſem, qui cognomento MERCATOR dictus fuerit, & ope cujuſdam Monachi uſus, id opus evulgaverit circa finem ſæculi octavi, ac tandem humana poſuerit anno 805. Ita Cl. Vir D. Laurentius Ramirez de Prado in Notis ad Chronicon Juliani Toletani id teſtantis ad prædictum annum. Sequuntur idem placitum quotquot apud noſtrates id Chronicon germanum volunt; perinde ac Dextri, Maximi, & Luitprandi. Nec ſequuntur modo, ſed invehuntur acriter adverſus omnes fere Scriptores exteros, & pleroſque Hiſpanos ſolide eruditos, qui ea omnia Chronica, aut ſuſpecta habent, aut prorſus rejiciunt, veluti ſuppoſititia, & notha, prout modo a centum circiter annis circumferuntur.

XIV. Verum mittamus modo eam controverſiam, circa quam tot Recentiores invicem decertantes acri contentione ſtylum exacuunt. Certe nemo prudens, & eruditus, ac veritatis amans eſſe poteſt, cui innumera novitatum portenta, paradoxa, abſurda, & nodi propemodum inextricabiles, occurrentes circa ea Chronica, ac præſertim circa illud, quod nomine Juliani Toletani vulgatum legitur, vim non inferant magnam, ſaltem ad dubitandum de eorum auctoritate. Vide num. 37.

XV. Miſſis itaque iis, aliunde difficile apparet illud placitum D. Laurentii Ramirez. Imprimis enim nullus ſæculi octavi, aut noni Scriptor, Hiſpanus, aut exterus, meminiſſe invenitur alicujus Iſidori cognomento Mercatoris. Nec in Chronicis Germanis, & exploratis apud Hiſpanos, Iſidori Pacenſis ab anno 611. uſque ad 754. vel Alphonſi III. Regis Legionis cognomento Magni, ab anno 672 uſque ad 866. ullum ejus Iſidori veſtigium extat. Idem dictum eſto de poſterioribus Chronicis Sampiri Aſturicenſis, & Pelagii Ovetenſis, quorum exemplaria apud nos extant, ex mſſ. Eccleſiæ Toletanæ, & Sandovalii, σὺν Θεῷ forſan in lucem proferenda. Nec vero credibile eſt, Virum, & Epiſcopum tantæ auctoritatis apud Hiſpanos, qui rogatu octoginta Epiſcoporum, & plurium aliorum Sacerdotum, Collectionem Canonum aggreſſus fuit, ab iis Scriptoribus prætermiſſum. Qui aliorum doctorum hominum minoris notæ in ſuis Chronicis meminerunt, & elogia texuerunt, quamvis obiter, & tranſitu quodam; quomodo putandum, μηδὲ γρῦ de Iſidoro illo dixiſſe?

XVI. Obſtat deinde, quod circa finem ſæculi octavi, & initium noni, difficillimum ſit, aut etiam ἀδύνατον, in Hiſpania extitiſſe ſimul octoginta Epiſcopos, uti vere extabant, cum Auctor ejus Collectionis id opus in ſe recepit. Nam ab anno 713. aut circiter, quo Sarraceni Hiſpaniam occupaverunt, Epiſcopi plerique, aut fere omnes, cum populis ſuis confugerunt ad montana Aſturiarum, & poſt eorum obitum intra viginti, aut triginta annos, longe pauciores Epiſcopi intra anguſtas Hiſpanorum fugientium metas fuiſſe, cenſendi ſunt. Neque enim in brevi Aſturiarum circuitu locus eſſe potuit tot Epiſcopatibus. Unde adhuc longe poſtea circa annum 873. cum jam Reges Hiſpani recuperaſſent Legionem, & partem Gallæciæ, tempore Alphonſi III cognomento Magni, & celebraretur Concilium Nationale ad erigendam in Metropolim Eccleſiam Ovetenſem, ſoli decem Epiſcopi intervenerunt, ut ſuo loco oſtendemus ex Actis authenticis ejuſdem Concilii. Quomodo ergo centum circiter retro annis, nimirum circa finem ſæculi octavi, & initium noni, credendi ſunt fuiſſe octoginta Epiſcopi in Hiſpanis Eccleſiis, tunc anguſtiori longe ſpatio contractis?

XVII. Erit forte qui velit, eam Collectionem factam ab Iſidoro Pacenſi Epiſcopo ſupramemorato, qui breve illud Chronicon Regum Gotthorum, & Sarracenorum ſcripſit ab anno 611. uſque ad 754. Sed enim id nullo ſolido fundamento nititur. In rebus enim adeo antiquis, quidquid aſſeritur abſque teſtimonio veteri, & gravi, jure contemnitur, ut ſcite ait doctiſſimus Cardinalis Baronius. Nullum autem vetus, vel grave teſtimonium invenitur, quo ea Collectio prædicto Iſidoro tribuatur. Deinde argumentum nuper objectum primæ opinioni, pariter urget contra hanc exiſtimationem. Nam anno ſeptingeſimo quinquageſimo quarto, in quo Iſidorus Pacenſis perfecit ſuum Chronicon, jam fluxerant quadraginta anni ab irruptione Sarracenorum in Hiſpaniam. Eo autem tempore pauci admodum Epiſcopi erant in Eccleſiis illius, nec ullo modo octoginta, qualiter tempore Collectionis Iſidorianæ.

XVIII. Alii vero, præſertim exteri, quotquot veterum Pontificum Epiſtolas in ea Collectione extantes refellunt, veluti ſpurias, & ſub finem octavi ſæculi, aut initium noni excogitatas, dumtaxat illas tribuunt Iſidoro Mercatori, quem nec Epiſcopum, nec Virum gravem, ac doctum cenſent, ſed potius obſcurum hominem. Imo & Baluzius in Præfatione ad Dialogos Antonii Auguſtini illum appellat *impudentiſſimum nebulonem*, quo convicio fortaſſis non auderet notare quempiam ex Sectariis vicinis. Non ſic Hincmarus Rhemenſis ſæculo nono ſcribens, quamvis earum Epiſtolarum auctoritatem elevare conaretur. Nunquam enim in earum Collectorem ſimili œſtro concitatus fuit, ſed modeſte, ac ſobrie de illo locutus invenitur, qualiter decebat Virum gravem, ac Scriptorem alicujus nominis. Porro Blondellus, quo nemo prolixius in veteris ejus Collectionis Epiſtolas inquiſivit, ſingularem opinionem tuetur in Prolegomenis pſeudo-Iſidori. Cenſet enim Collectorem non fuiſſe S. Iſidorum, neque ullum

Digitized by Google

ullum alium Hiſpalenſem Epiſcopum, imo nec Hiſpanum hominem, ſed Germano-Francum, vel Franco-Gallum: qualem ſuſpicatur, aut Benedictum Levitam, aut Iſidorum quemdam S. Eulogii Martyris fratrem, qui ea Hiſpania fugiens Maurorum perſecutionem, venerit in Germaniam, & inibi mercatorem agens, diſſeminaverit eam Collectionem. Sed enim ea Blondelli cogitatio eſt prorſus voluntaria, præſertim cum Riculphus Moguntinus, qui, teſte Hincmaro, primus in Germaniam invexit Collectionem illam, fuerit ſexaginta annis antiquior S. Eulogio Cordubenſi, nec ullum Iſidorum fratrem habuiſſe legatur.

XIX. Labbeus autem Tomo I. Conciliorum col. 28. §. *Mirum eſt*, dubius eſſe videtur, an Iſidorus Mercator, an Peccator, illius Collectionis Auctor extiterit, quam prodiiſſe cenſet anno circiter Chriſtianæ Epochæ octingentemo, ſive potius, ut ait in Diſſert. Hiſtorica de Scriptoribus Eccl. Tomo 1. pag. 648. anno ſeptingenteſimo octogeſimo. Sed certe is Iſidorus eſt omnino commentitius, ut evincunt plane argumenta paulo ante propoſita, ſi aſſeratur diſtinctus ab Hiſpalenſi, & duobus pene ſæculis eo poſterior. Nullum enim veſtigium extat apud Veteres ejus Iſidori. Accedit & aliud argumentum ineluctabile, quod vetera, & puriora exemplaria Collectionis Iſidorianæ, quorum duo extantia in Bibliotheca Vaticana, & aliud in Dominicana S. Mariæ ſuper Minervam (ubi tamen modo non invenitur) viſa ab eruditiſſimis Viris circa tempus Gregorii XIII. non progrediuntur, ut ipſi teſtatum reliquerunt, ultra Concilium Hiſpalenſe II. celebratum anno 619. Præſide S. Iſidoro Hiſpalenſi, & exhibitis ejus Actis finiuntur. Idipſum videre eſt in alio Codice Vaticano antiquo, continente Epiſtolas Romanorum Pontificum a S. Petro uſque ad Gregorium I. dumtaxat, e quo exſcriptus fuit anno 1483. Index quidam eorumdem Pontificum, nuperrime editus a D. Schelſtrate in Appendice ad Opus Chronologicum Antiquitatis Eccleſiaſticæ, pag. 597. Si autem ab alio Iſidoro longe poſteriore facta fuiſſet præcipua illa Collectio, non finiretur ibi; ſed contineret plurima alia Concilia temporibus ſequentibus celebrata. Itaque videtur manifeſtum, neminem alium Iſidorum, præter Hiſpalenſem, qui id Concilium celebravit anno 619. fuiſſe auctorem illius Collectionis uſque ad annum prædictum. Quod ſtatim uberius confirmare pergo.

EXCURSUS III.

Oſtenditur multipliciter, S. Iſidorum Hiſpalenſem fuiſſe verum Auctorem ejus Collectionis, & Præfationis, quoad priorem, & potiſſimam ſui partem; licet alius, ſive Iſidorus, ſive alterius nominis eam proſequutus fuerit.

XX. QVamvis facile ſit aliorum opiniones jam memoratas explodere, difficile tamen eſt ullam aliam proferre, & ſtabilire. Si qua tamen eligenda ſit, illa ſolum videtur, quæ Collectionem Canonum, & Conciliorum Iſidori nomine evulgatam adſcribit præcipue Iſidoro Archiep. Hiſpalenſi. Nimirum, is cenſendus collegiſſe Canones, Concilia, & Epiſtolas Decretales Pontificum Romanorum, quotquot invenire potuit uſque ad ſuum tempus, nimirum uſque ad annum Chriſti 619. in quo ipſe cum pluribus aliis Epiſcopis celebravit Concilium Hiſpalenſe, cui & præfuit. Illud enim eſt ultimum Concilium, quod legitur in veteribus exemplaribus Collectionis Iſidorianæ num. 19. memoratis, licet S. Doctor pluribus poſtea annis vixerit uſque ad 636. Immo & in hac Præfatione teſtatur num 5. ſe ſolum collegiſſe Epiſtolas RR. Pontificum uſque ad S. Gregorium, qui obiit anno 604. Idipſum conſtat ex Codicibus antiquiſſimis, præſertim Lucenſi, & Vvigilano, ſive Æmilianenſi, quibus D. Loaiſa uſus eſt. Poſteriora autem Concilia, Canones, & Epiſtolæ, uſque ad tempus Zachariæ Pontificis, nimirum, uſque ad medium fere ſæculi octavi, proculdubio addita fuerunt eidem Collectioni in quibusdam exemplaribus ab alio quopiam, ſive a pluribus aliis progreſſu temporis, prout fieri ſolebat in Codice Canonum, quo Eccleſia Hiſpana utebatur, ut ſuo loco oſtendemus.

XXI. Et quidem non totam illam Collectionem factam fuiſſe ab Iſidoro Hiſpalenſi cum additionibus indicatis in Præfatione, & extantibus apud varia exemplaria Collectionis Iſidorianæ (exceptis Codicibus nuper memoratis) patet ex ipſa Præfatione, in qua allegatur Concilium Conſtantinopolitanum celebratum ſub Agathone Papa anno DCLXXX. Ideſt, quadraginta quatuor annis poſt obitum ejuſdem Iſidori. Patet ſimiliter ex Epiſtolis in ea Collectione contentis Gregorii III. & Zachariæ Pontificum Romanorum, quorum prior pervenit uſque ad annum DCCXLI. poſterior uſque ad DCCLI. Quod argumento ineluctabili eſt, alium quempiam Iſidoro Hiſpalenſi longè poſteriorem, immo & fortaſſe nonnullos alios, poſt ejus obitum curaſſe, ut Collectioni jam editæ recentiora Concilia, & Epiſtolæ poſteriores Romanorum Præſulum adjicerentur in aliquibus exemplaribus. Nam in Iſidoriano autographo Epiſtolæ non ultra Gregorianas progrediebantur: ut paullo ante monuimus ex Præfatione hac, & teſtatur Hincmarus Epiſt. 7. c. 12. Sic fieri videmus utroque hoc ſeculo, nam poſt priores Conciliorum editiones, prodiere, & prodeunt aliæ longè auctiores, non modo veteribus monumentis, quæ adhuc latebant in Bibliothecis, & Codicibus manuſcriptis, ſed etiam Conciliis noviter celebratis, & Epiſtolis recentibus Pontificum Romanorum; idque retento adhuc præcedentium Collectorum nomine.

XXII. Similiter nec totam Præfationem, in qua exponenda verſamur, fuiſſe ſcriptam ab Iſidoro Hiſpalenſi, manifeſtum eſt ex §. 18. illius, ubi diſerte memoratur Concilium Conſtantinopolitanum ſub Agathone Papa coactum tot annis poſt obitum ejuſdem Iſidori, qui, teſte Redempto Diacono in ejus Vita, finem vivendi fecit anno 636. Itaque extra controverſiam eſſe debet, poſteriorem partem, tam ejus Præfationis, quam Collectionis, quæ ex Hiſpania a Riculpho Moguntino Præſule delata dicitur in Germaniam, & regiones finitimas, additam fuiſſe ab aliquo, vel aliquibus, longe poſt obitum S. Iſidori Hiſpalenſis, ſi verè jam tunc eæ additiones factæ fuerant, & non potius extra Hiſpaniam ſucceſſu temporis factæ ſunt.

XXIII.

Digitized by Google

XXIII. Jam vero priorem, & præcipuam, tam Collectionis, quam Præfationis partem, nimirum uſque ad annum DCXIX. ab eodem S. Doctore laboratam fuiſſe, videtur certum. Quod enim Præfationem attinet, prior, & potior illius pars ad literam habetur in antiquiſſimo exemplari Collectionis Iſidorianæ, extante modo in Bibliotheca Vaticana, ſcripto octingentis triginta circiter retro annis, tempore Nicolai I. Papæ, in quo deſinit. Eſt inter mss. 630. Porro in eo diligeoter a me viſo, & obſervato, ita habetur initio literis grandioribus: *INCIPIT PRAEFATIO SANCTI ISIDORI EPISCOPI*. Eadem prior pars κατὰ πόδας extat apud ipſum Iſidorum Lib. ſexto Etymologiarum Cap decimo ſexto, cui epigraphe: *De Canonibus Conciliorum*; excepto quod non incipit a §. 1. *Compellor a multis*; ſed a 11. cui Initium: *Canon autem Græce, &c.* Et certe ipſe ſtylus ejus §. & quorundam aliorum Præſationis, plane denotant auctorem Iſidorum Hiſpalenſem, cui ſpeciatim nominum etymologia curæ fuit.

XXIV. Deinde ibidem non longe a fine Capitis, Iſidorus ipſe poſt memorata ſigillatim, & in compendium redacta quatuor prima Concilia Generalia, Nicænum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum, & Chalcedonenſe, ſubdit: *Quatuor hæ ſunt Synodi principales, Fidei doctrinam pleniſſime prædicantes. Sed & ſi qua ſunt Concilia, quæ ſancti Patres Spiritu Dei pleni ſanxerunt, poſt illorum quatuor auctoritatem, omni manent ſtabilita vigore: QUORUM GESTA IN HOC CORPORE CONDITA CONTINENTUR.* Manifeſtum ergo habemus ex verbis Iſidori, ipſum collegiſſe omnia Concilia eouſque approbata: quæ certe in eo *corpore* (magno ſcilicet aliquo volumine) exſcribenda curavit; ut proinde alii ſupervenientes ſolum addiderint nova quædam Concilia celebrata poſt obitum Iſidori, & ſimiliter Epiſtolas poſteriorum Pontificum.

XXV. Credibile etiam admodum eſt, initio ejuſdem Collectionis præfixum fuiſſe ab ipſo Iſidoro §. 1. Præſationis, *Compellor a multis*. Nam quis alius, rogo, in Hiſpania Iſidorus fuit, præter Hiſpalenſem, tantæ auctoritatis, & opinionis adeo celebris, ut octoginta Hiſpaniæ Epiſcopi illum iteratis precibus compellerent ad eam Collectionem elaborandam? Nemo certe fuit, nec invenietur, aut conjici prudenter poterit. Aut quis alius, ſive Iſidorus dictus, ſive alterius nominis, eſſet tam impudens, ut ſplendidiſſime mentiretur in re adeo publica, & omnibus nota, qualis erat inſtantia illa octoginta Epiſcoporum, & aliorum ſervorum Chriſti, ad eam Collectionem edendam? Quare primus §. Præſationis, ſicuti, & ſecundus, & plures alii, procul dubio ſcripti fuerunt initio Collectionis ab Iſidoro Hiſpalenſi; quamvis alii ex poſterioribus adjecti fuerint ab alio quopiam, ſive interpolatore, ſive additore. Quod præſertim certiſſimum eſt quoad verba, in quibus mentio eſt Canonum Apoſtolorum. Ea namque eſſe longe alia, immo & contraria verbis S. Iſidori in ſua Præſatione, juxta puriora exemplaria, conſtabit ex tota ſere Diſſertatione tertia.

XXVI. Unde obiter refutatum manet argumentum Baronii, & aliorum Iſidoro Hiſpalenſi abjudicantium Collectionem hanc, quod veteres Scriptores, qui catalogum Operis ipſius texuerunt, non inveniantur illam memoraſſe. Reſutatum, inquam, manet, tum ex teſtimonio ejuſdem Iſidori, tum ex verbis prioribus Præſationis, quæ mox expendimus.

XXVII. Præterea rejici fortaſſis ab aliquo poſſet ex iis ipſis Scriptoribus, qui pro eo paſcito allegantur, atque imprimis ex S. Braulione in Prænutatione ad Libros Iſidori, ubi ait: *Etymologiarum Codicem nimia magnitudine diſtinctum ab eo titulis, non libris* (ſcripſit) *quem quia rogatu meo fecit, quamvis imperfectum ipſe reliquerit, ego in viginti Libros diviſi*. At ſi in corpure illo, ſeu volumine, ſolum eſſent ii Libri Etymologiarum, profocto Codex non eſſet *nimiæ magnitudinis*, ſed ſummum mediocris, ut ad ſenſum patet. Cenſeri itaque debet, in eo volumine nimiæ magnitudinis ante ipſum Opus Etymologiarum (quod S. Doctor morte præoccupatus non perfecit) extitiſſe Collectionem Canonum, & Conciliorum, juxta teſtimonium illud ejuſdem Iſidori ſupra expenſum: *Quorum geſta* (nimirum Conciliorum) *IN HOC CORPORE CONTINENTUR* Fortaſſis, inquam, ſic argumentari poſſet quiſpiam pro noſtra ſententia. At re vera nihil evinceret, nam verba illa, QUORUM GESTA, &c. intempeſtive eo loco poſita fuerunt ab exſcriptoribus: ut optime notavit Alvar Gomaz de Caſtro in Notis ad id Caput Etymologiarum, editis a Grialio, licet ſuppreſſo Auctoris illius nomine. Quod ipſum recte obſervavit Archipræſul Marca in Diſſert. de veteribus Canonum Collectionibus Cap. 2 §. 4. Aliunde vero, ut ipſe teſtatur, ea verba habentur in Præfatione ejuſdem Iſidori ad Collectionem Canonum, in duobus exemplaribus antiquiſſimis etiamnum extantibus in Monaſterio Rivipollenſi Cataloniæ. Ibidem enim opportune, & veluti proprio loco dicitur: QUORUM (nempe Conciliorum) GESTA IN HOC CORPORE CONTINENTUR. Ita etiam habetur in Codice illo inſigni a nobis viſo, & extante in Bibliotheca Vaticana, ſupra numero 23. allegato, qui fuit olim Joannis Epiſcopi Attrebatenſis, (ut ibidem initio dicitur) ſcripto, non Gothicis, aut Longobardicis, ſed Gallicis literis, quales erant in uſu ſæculo nono apud Gallos: ut palam erit conſerenti laudatum Codicem cum ſcripturis ejuſdem noni ſæculi, (quo ille ſcriptus fuit) extantibus apud Mabillonem lib. quinto de Re Diplomatica, præſertim Tabulis LIV. LV. LVII. Vix enim unum ovum alteri ſimilius eſt, ut nos accurate deprehendimus. Inſuper in Præfatione hac Iſidoriana, juxta quælibet exemplaria, tam mss. quam prælo expreſſa, dicitur: *Deinceps diverſorum Conciliorum Græcorum, ac Latinorum, ſive quæ antea, ſive quæ poſtmodum acta ſunt, ſub ordine numerorum, ac temporum capitulis ſuis diſtincta, SUB HUJUS VOLUMINIS ASPECTU LOCAVIMUS*, &c. Quare ex verbis iis ſuo loco poſitis, eruitur firma noſtræ ſententiæ probatio. Vide inſra Diſſert. II. ubi Præſationem ipſam eorum mss. exſcribemus, & Notis illuſtrare conabimur.

XXVIII. Progreditur S. Braulio, & indicatis nominatim lucubrationibus ab Iſidoro editis, ſubdit: *Sunt & alia ejus Viri multa Opuſcula, & in Eccleſia Dei multo cum ornamento inſcripta*. At quid vetat inter ea computari, aut intelligi debere illam Collectionem? Præſertim, cum teſte Joanne Grial, Cyprianus Sua-

rez

Digitized by Google

rea Societatis Jeſu, unus ex iis, qui editionem Operum Iſidori correctiſſimam curarunt, invenerint in ipſa Prænotatione Brauliunis apud veterem Codicem verba hæc, quæ in aliis deſiderantur: *In Canonico quoque, & Civili Jure permaxima compoſuit inſtrumenta*. At quænam, amabo, ea in Jure Canonico *permaxima inſtrumenta* ſunt, niſi fuerit Collectio Canonum, & Conciliorum, eaque implens volumen juſtum? Quid etiam, ſi eadem Collectio intelligatur per Librum *Eccleſiaſticorum Dogmatum*, quem Sigebertus Gemblacenſis, ſexcentis retro annis ſcribens, eidem Iſidoro tribuit Libro de Viris Illuſtribus? Nimirum Canones Conciliorum, & definitiones Sedis Apoſtolicæ in Epiſtolis Pontificum Decretalibus, vere ſunt Eccleſiaſtica dogmata. Quod vero nec apud eos Scriptores, nec apud S. Ildephonſum, qui etiam ſcripta Iſidori refert, adeo clare inveniatur mentio facta ejus Collectionis, fortaſſe ideo eſt, quia præcipua eorum cura fuit adſcribere Iſidoro lucubrationes illas, quas ſuo ſtudio compoſuit, elaboravitve: non autem Collectionem, in qua nihil de ſuo præſtitit, ſed ſolum laborem, aut curam exquirendi, & in unum volumen conjungendi Epiſtolas Romanorum Pontificum, Canones, & Concilia, uſque ad ſuum tempus celebrata. Accedit, S. Ildephonſum prætermiſiſſe aliquot ſcripta Iſidori, atque in iis Chronicon, & Hiſtoriam Suevorum, ac Vvandalorum: quæ tamen duo, germana illius ſcripta ſunt. Denique nonnulla ab Ildephonſo prætermiſſa fuerunt, quæ tamen a Braulione memorantur. Quod ipſum fere contigit aliis indubitatis Auctoribus certorum Operum: veluti Euſebio Cæſarienſi circa quatuor Libros Vitæ Conſtantini Magni, nullatenus memoratos ab Hieronymo; & ſimiliter Acacio circa Vitam ejuſdem Euſebii; ut alia innumera exempla prætermittam. Vide Voſſium Lib. 2. de Hiſtoricis Græcis, Cap 17. pag. 248. & 249 atque alibi ſæpe. Itaque ex iis Scriptoribus, nequidem argumentum inficiale, quod in Scholis negativum dicitur, & enerve eſt, erui poteſt contra noſtram ſententiam.

XXIX. Ulterius idipſum confirmatur teſtimonio Hincmari Archiep. Rhemenſis, doctiſſimi Gallorum omnium ſuo tempore: qui ſcribens poſt duo ſæcula, & aliquot annos ab obitu Iſidori Hiſpalenſis, illi tribuit prædictam Collectionem. Etenim in Opuſculo adverſus alium Hincmarum nepotem ſuum, Cap. 24. ait: *De Libro collectarum Epiſtolarum* (nec ſolum Concilioru m) *ab Iſidoro, quem de Hiſpania allatum Riculphus Epiſcopus Moguntinus in hujuſmodi, ſicut, & in Capitulis Regiis ſtudioſus obtinuit, & iſtas regiones ex illo repleri fecit, &c.* Vides Collectionem Epiſtolarum (de quibus, & propter quas, tot lites, & quæſtioſtiones ſæculo nono excitatæ fuerunt in Gallia, ac nunc vexantur inter eruditos) adſcriptam Iſidoro, & ex Hiſpania delatam in Germaniam, ſubindeque diſperſam in regiones finitimas. At cuinam alteri Iſidoro, quam Hiſpalenſi? Neque enim alterius Iſidori mentio ulla notabilis erat, vel invenitur eo ſæculo nono, quam Archiepiſcopi Hiſpalenſis, tum ſuo ævo, tum vicinis ſæculis celeberrimi.

XXX. Nimirum in Concilio VIII. Toletano celebrato anno Chriſti DCLIII. cujus Acta ubique terrarum apud Latinos jam pervulgata erant tempore Hincmari, hoc Iſidori elogium legebatur Cap. 2. *Noſtri quoque ſæculi Doctor egregius, Eccleſiæ Catholicæ noviſſimum decus, præcedentibus ætate poſtremus, doctrinæ comparatione non infimus, (& quod majus eſt) in ſæculorum fine doctiſſimus, atque cum reverentia nominandus Iſidorus, &c.* Ipſe itaque eſt, cui Hincmarus, ſicut & reliqui omnes ſæculo nono, Collectionem illam adſcribebant.

XXXI. Verum quid opus conjecturis, ubi idem Hincmarus eam Epiſtolarum veterum Pontificum Collectionem nominatim Iſidoro Hiſpalenſi tribuit? Nimirum Epiſt. 7. Cap. 12. ait: *Scriptum namque eſt in quodam ſermone ſive exceptoris nomine, de geſtis Sylveſtri excepto, quem Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus collegit cum Epiſtolis Romanæ Sedis Pontificum a S. Clemente uſque ad B. Gregorium.* Nec audiendus Chriſtophorus Juſtellus in Præfatione de veteri Codice Canonum ad Lectorem pag. 22. ubi allegatis eiſdem Hincmari verbis, ſubdit: *Perperam Hincmarus hanc Collectionem Epiſtolarum Pontificum Romanorum a Clemente ad B. Gregorium Iſidoro Hiſpalenſi Epiſcopo tribuit, quæ omnino tribuenda eſt Iſidara Mercatori.* Et certe Hincmarus duobus poſt Iſidorum ſæculis ſcribens in media Gallia Hiſpanis vicina, melius ſcire potuit, quiſnam eſſet verus illius Collectionis Auctor, quam Scriptores quilibet poſt mille, & eo amplius annos divinationibus ſuis conjicere poſſunt.

XXXII. Immo, & paullo poſt obitum S. Iſidori (qui contigit anno 636.) ac ducentis circiter annis antequam Hincmarus ſcriberet Lucubrationes ſuas, videntur celebres fuiſſe Epiſtolæ veterum Pontificum, præſertim illa S. Anteri Papæ ad Hiſpanos, & aliæ ſimiles circa licitam translationem Epiſcoporum de una Eccleſia in aliam, ubi intervenit neceſſitas, & utilitas publica. Nam Patres Concilii Toletani X. anno 656. & XVI. anno 693. fecerunt quatuor ſimiles translationes CANONICE, ut ipſi ajunt, id eſt, juxta Canonem, ſive regulam ſibi præſcriptam ab Apoſtolica Sede in iis Epiſtolis. Quapropter earum Collectio, ſine ullo fundamento tribuitur cuipiam Iſidoro Mercatori, ſeu Peccatori, centum, aut pluribus annis poſt celebrata ea Concilia nato. Supereſt itaque, ut ea Collectio a S. Iſidoro Hiſpalenſi facta fuerit.

XXXIII. Præterea, Epiſcopi iidem Hiſpani in predictis Conciliis, dum teſtantur, ſe eas translationes feciſſe CANONICE, videntur ob oculos habuiſſe Epiſtolam primam Pelagii II. Papæ ad Benignum Archiepiſcopum ea de re, ſcriptam anno 581. (id eſt, plurimis annis ante prædicta Concilia, cum S. Iſidorus eſſet adhuc puer) quæ eſt fere deſumpta ex Epiſtolis veterum Pontificum, præſertim S. Anteri Papæ ad Epiſcopos Hiſpaniæ, ut oſtendemus infra Diſſert. XI. Hinc autem palam evincitur, Collectionem earum Epiſtolarum fuiſſe factam duobus ſaltem ſæculis ante id tempus Iſidori illius Mercatoris, & ſæculo integro ante tempus Iſidori Epiſcopi Setabitani, ſive Setubenſis, qui certe anno 693. Concilio XVI. Toletano interfuit. Reliquum itaque eſt, ut Collectio prædicta Conciliorum, & Epiſtolarum a S. Iſidoro Hiſpalenſi facta fuerit.

XXXIV. Vereor autem, ne forte quidam alteri Iſidoro id Opus adjudicent, cum ob exe-

erationem, & Vatinianum odium in illas Epiſtolas veteribus Pontificibus adſcriptas; tum præaerea ut earum Collectorem atrociter inſectentur. Quod de Magdeburgenſibus Centuriatoribus, Davide Blondello, Samuele Mareſio, aliiſque manifeſtis Sectariis, mirandum non eſſet: juratis, nimirum, Romanæ Eccleſiæ hoſtibus. Mirari vero ſubit de Viris Catholicis, & eruditiſſimis, qui Collectorem illum non verentur appellare *nebulonem impudentiſſimum*. Et, ut monui num. 10. diſcere potuiſsent moderationem ab Hincmaro Rhemenſi; qui ubique reverenter de illo loquitur, & in Opuſculo ſupra allegato LV. Capitulorum, Capite 25. loquens de Epiſtolis illis veterum Pontificum ab Iſidoro collectis, inquit: *Illas Epiſtolas Sanctorum, & Apoſtolicorum Virorum, diverſis temporibus pro diverſorum conſultatione, ſicut & Gelaſius dicit, a Sede Apoſtolica datas, & per eoſdem Domini Sacerdotes, qui & Angeli ſecundum Scripturam appellantur, ordinatas, CUM BEATO GELASIO APOSTOLICO VIRO VENERABILITER SUSCIPIENDAS DICO.* Et ſane in Codice Vaticano antiquiſſimo ſupra laudato num. 23. & 28. extant duæ illæ Epiſtolæ Pelagii II. Papæ ad Benignum Archiepiſcopum, pagina 284. & ſeqq. a nobis lectæ, & pariter collectæ a S. Iſidoro Hiſpalenſi, cum aliis antiquiorum Pontificum: ut ipſe in hac Præfatione teſtatur.

EXCURSUS IV.

Confirmatur noſtra ſententia auctoritate clariſſimorum quorundam Virorum, non modo antiquorum, ſed & recentium.

XXXV. HActenus ſententiam præjactam confirmare licuerit argumentis e domeſtica penu depromptis. Ne tamen ſolus inter Recentiores illam tueri videar, paucos aliquot, qui inſtar multorum ſint, allegare placet. Primus eſt, (præter Hincmarum ſupra allegatum, Ivonem Carnotenſem Lib. 2. Decreti Tit. 11. Cap. 22. Gratianum in Can. 1. Diſt. 15.) Innocentius in Hiſtoria de Ivone Carnotenſi, Genebrardus in Chronico ad annum 618. Ambroſius Morales Lib. duodecimo Hiſt. Hiſpanicæ Cap. vigeſimo primo pagina 127. ſed præcipue ſummus Vir Antonius Auguſtinus, quo nemo verius, vel accuratius in evolvendis vel conferendis Canonum Collectionibus laboravit. Is igitur in Epiſtola nuncupatoria Antiquarum Collectionum ad Gregorium XIII. Pont. Max. poſt laudatos nominatim Græcos illos, Latinoſque Patres, qui primis quinque Eccleſiæ ſæculis feliciter laborarunt in edendis, & illuſtrandis Canonibus ſacris, tum in Epiſtolis, tum in Conciliis, tum in aliis lucubrationibus; mox ſtylum convertit ad Collectionem Canonum Iſidorianam, dicens: *Verum enim vero neſcio, quomodo, barbarorum tyrannide omnes bonas diſciplinas vexante, vix nobis in tantis tenebris aliquot ſingulari pietate Viri faces præluxerunt, ſacraſque res, atque hæc ipſa jura, ſi minus diſerte, non tamen ineptiſſime tractarunt. Illud certe his poſteri oribus Viris debemus, quod eorum opera factum eſt, ut multæ ſuperiorum lucubrationes non perierint IMPRIMIS LAUDANDI SUNT ISIDORI HISPANI DUO, QUI ET PONTIFICUM ROMANORUM EPISTOLAS ET OMNIUM CONCILIORUM DECRETA COLLEGERUNT.* Ubi palam duobus Iſidoris Hiſpanis tribuit eam Collectionem Epiſtolarum Pontificiarum, Conciliorumque; immo & ex eo capite referendam utrique gratiam, & honorem cenſet; quoniam amborum diligentiæ debemus, ne multæ veterum lucubrationes perierint.

XXXVI. Ita celebrat eximius ille Præſul Iſidorum utrumque, quem, ſive unum, ſive duplicem, ſub pſeudo-Iſidori appellatione infamare non verentur aliqui. Dum autem *Iſidoros Hiſpanos duos* legis, intellige primo, ac potiori loco Hiſpalenſem. De hoc enim palam loquitur, & paucis poſt verſibus nominatim illum exprimit, dum addit, Photium Iſidoro Hiſpalenſi poſteriorem fuiſſe. Quod certe extra rem eſſet, niſi antea inter Iſidoros duos Hiſpanos Collectores Hiſpalenſem comprehendiſſet.

XXXVII. Quod autem duos fuiſſe vult nomine Iſidoros, & ambos Collectionis ejus Auctores, nihil moror, dum exploratum habeamus, præcipuum illorum fuiſſe Hiſpalenſem. Nemo enim alius ejus nominis ante illum invenitur, qui id Opus tentaverit, aut inchoaverit. Si autem aliquis poſt illum ejuſdem Collectionis, ſicut & Præfationis, in qua exponenda verſamur, continuator aſſeratur nomine Iſidorus; fortaſſe fuerit ille Epiſcopus Setabitanus, qui interfuit Conciliis Toletanis, xiii. anno 681. & xv. anno 688. & xvi. anno 693 atque ipſorum Actis ſubſcripſit. Nimirum potuit ille in additamento hujus Præfationis allegare Concilium vi. Generale celebratum antea ſub Agathone Papa anno 680. quod citare non valuit Iſidorus Hiſpalenſis quadraginta quatuor retro annis vita functus. Fortaſſe, inquam, continuatio prior ejus Operis eſt tribuenda Iſidoro Setabitano, uſque ad ſinem fere ſæculi ſeptimi, in quo florebat; non autem ultra, ſive uſque ad tempus Zachariæ Papæ, cujus Epiſtolæ, circa medium fere ſæculi octavi ſequentis ſcriptæ, ab alio quopiam additæ fuerunt. Quod vero pſeudo-Julianus (ita Bollandus, ejuſque Continuatures, & plurimi alii illum appellant) certo tribuit Opus illud prædicto Iſidoro Setabitano; computandum, ut pleraque alia, inter merces multo deteriores, quam exiſtimentur Iſidorianæ a pleriſque eruditis. Neque enim ulla nobis ratio eſt earum narrationum, obtruſarum imperitis, aut leviter tinctis ſtudio Hiſtoriæ, Chronologiæ, & Critices ſeverioris, non abſque enormi veritatis, & Hiſpanæ antiquitatis injuria. Vide n. ſeq.

XXXVIII. Antonio Auguſtino ſubſcribere videtur doctiſſimus Cardinalis Bellarminus Tomo 1. Lib. ſecundo de Romano Pontifice Cap. 14. ubi ait: *Iſidorus, qui ducentis annis eſt antiquior Carolo* (Magno) *in Proœmio ſui Collectanei ſacrorum Canonum* (nimirum in hac ipſa Præfatione) *dicit, ſe ex conſilio octoginta Epiſcoporum collegiſſe Canones ex Epiſtolis Clementis, Anacleti, Evariſti, & cæterorum Romanorum Pontificum.* Conſtat vero, nullum Iſidorum duobus ſæculis anteriorem Carolo Magno fuiſſe præter Hiſpalenſem, a quo ea Collectio facta fuerit. Neque quiſquam hactenus invenitur cujuſpiam Iſidori Collectoris adeo antiqui meminiſſe. Iſidoro itaque Hiſpalenſi Bellarminus palam eam Collectionem Canonum, & vete-

Digitized by Google

vaterum Epiſtolarum tribuit. Quod ipſum cenſet eruditiſſimus Marca Lib. 3. de Concordia Cap. 5. Ibi enim loquens de Chronico illo nomine Juliani Toletani edito a Clariſs. V. D. Laurentio Ramirez, in quo tribuitur Collectio cuidam Iſidoro Epiſcopo Setabitano, inquit: *Verum quia Chronicum illud apud eruditos Viros ſuſpicione non caret, ſatius eſt Hincmari teſtimonio hærere, qui non Mercatori Setubenſi Epiſcopo, ſed Iſidoro Hiſpalenſi, ætate ſua Collectionem tributam fuiſſe teſtatur*. Vide ſupra num. 13. & 14. ac præterea num. 32. & 33. ubi oſtenſum fuit, Iſidorum Setabitanum, ſive Setubenſem Epiſcopum, interfuiſſe Concilio Toletano XVI. anno 693. Collectionem verò illam Epiſtolarum veterum Pontificùm jam fuiſſe vulgatam in Hiſpania, ſaltem anno 656. tempore Concilii x. Toletani, quo Iſidorus Setabitanus vir poterat pubertatis annos attingere.

XXXIX. Sed & longe ante utrumque laudatum Scriptorem, videtur fuiſſe in eadem ſententia Joannes Trithemius Abbas, Vir plurimæ lectionis: qui loquens de Iſidoro Hiſpalenſi teſtatur, Librum DECRETORUM ab eo fuiſse conſcriptum. Nimirum, teſte Hincmaro in ſuperioribus allegato, Collectio Canonum ab Iſidoro facta, fuit delata a Riculpho Archipræſule Moguntino ex Hiſpania in Germaniam, in qua, & finitimis regionibus ſubinde pervulgata eſt. Quare fieri potuit, ut tempore Abbatis Trithemii, qui florebat in Germania anno 1500. & in evolvendis Bibliothecis, ac veteribus mſs. impenſe laboravit, eſtaret aliquod vetus eſemplar illius Collectionis, cui poſtea addita fuiſſet epigraphe illa: LIBER DECRETORUM. Scilicet Canones, tum a Sede Apoſtolica, tum e Conciliis editi, Decreta quædem ſacra ſunt. Hincmarus autem in Opuſculo Cap. 24. *Librum Collectarum Epiſtolarum ab Iſidoro*, appellavit, denominatione ſumpta potius ab Epiſtolis Romenorum Pontificum, quæ in ea Collectione habebantur, quam a Canonibus, licet hi etiam in illa eſſent.

XL. Accedit illuſtre, & certum teſtimonium illius Viri abs dubio gravis, & docti, qui compoſuit Præfationem JurisCanonici correcti, & editi juſſu Gregorii XIII. Papæ. Ait enim ibidem non longe ab initio: *Inter privatos Collectores, qui multo plura tangerere ſtuduerunt, perantiquus eſt Iſidorus, cujus Collectio protenditur a Canonibus Apoſtolorum uſque ad Concilium Hiſpalenſe ſecundum: habeturque in duobus Codicibus Vaticanæ Bibliothecæ, & uno Monaſterii Dominicani S. Mariæ ſuper Minervam. Extat autem in antiquioribus quidem purior; in recentioribus autem, multis aliis Conciliis, ſcriptiſque admiſta. Iſidorum hunc Hincmarus Archiep. Rhemenſis in Libro de Synodis, celeberrimum illum Hiſpalenſem fuiſſe affirmat*. Quod teſtimonium videtur decretorium, cum ex illo conſtet, eſemplaria antiqua, & puriora illius Collectionis, ſolum pervenire uſque ad Concilium Hiſpalenſe ſecundum, quod certe celebratum fuit Hiſpali, anno 619. Præſide ipſo S. Iſidoro. Eidem S. Doctori nominatim adſcribitur Codex Juris Canonici, eſtens in Monaſterio Neapolitano S. Auguſtini in Carbonaria, quo uſi fuerunt illius Correctores tempore Gregorii XIII. Denique celeberrimus Codex Vaticanus 630. a nobis attente lectus, & ſupra num. 27. memoratus, qui octingentis triginta circiter retro annis ſcriptus fuit, palam in ipſo titulo Collectionis, & Præfationis exhibet nomen S. ISIDORI EPISCOPI: nec ullus alius Codex ea de re antiquior in tota Bibliotheca extare creditur, unde oppoſitum colligi poſſit.

EXCURSUS V.

Difficultates nonnullæ adverſus ſententiam noſtram objectæ, & ſolutæ. Ubi plura obſervatu digna.

XLI. Objiciunt eruditi Recentiores plerique, veluti Baronius, Marca, Labbe, Baluzius, aliique laudati apud Ephemeridas Pariſienſes (quibus ſubſcribit V. Cl. Mabillon de Re Diplomatica Lib. 3. num. 14.) indignum videri, ut S. Iſidoro Hiſpalenſi adſcribatur ea Collectio, in que obtruduntur plurimæ Epiſtolæ ſuppoſititiæ, & ſpuriæ, nomine veterum Romanæ Eccleſiæ Pontificum a Clemente I. uſque ad Silveſtrum. Neque enim cenſendum, Præſulem adeo eruditum, & eximie pium, id facinus aggreſſurum. Quare illas adſcribunt alteri Iſidoro, quem Mercatorem, ſeu Peccatorem appellant.

XLII. Huic ergumento, quod iis Auctoribus videtur *ἀναντίῤῥητον*, & aliis cum eo illigatis, occurremus late Diſsert. IV. & aliis locis. Nunc autem breviter dicendum, Epiſtolas illes, ſaltem quoad præcipua capite (quidquid ſit de centonibus, & parachroniſmis poſtea aſsutis ab aliquo ſciolo, ac temeterio homine) longe antiquiores fuiſse Iſidoro Hiſpalenſi, & honorifice habitas multis ſæculis ante tempus illius. Nam illarum generatim mentio eſt apud S. Geleſium I. Papam in Concilio Romano LXX. Epiſcoporum, celebrato anno 494. ubi probat, & toti Eccleſiæ commendat, *Decretales Epiſtolas, quas beatiſſimi Papæ diverſis temporibus ab Urbe Romana, pro diverſorum Patrum conſultatione dederunt, venerabiliter recipiendas*. Quibus verbis generatim comprehenduntur omnes, aut fera omnes illæ, quæ veteribus Pontificibus quatuor primorum ſæculorum Eræ Chriſtianæ adſcribuntur. Ideoque nec Hincmarus quidem Rhemenſis, qui primus illis litem intentavit, auſus fuit venerationem iis negare; ut videbimus infra num. 48. Verum & ante tempus Gelaſii, in Concilio Vaſenſi, quod habitum fuit ſub Leone I. Papa anno 442. dicitur Canone 6. *Ex Epiſtola S. Clementis utilia quæque præſenti tempore Eccleſiis neceſſaria, ſunt honorifice proferenda, & cum reverentia ab omnibus Fidelibus, ac præcipue Clericis, percipienda*. Deinde exſcribitur teſtimonium aliquanto longius ex illa Epiſtola. Atqui ea ipſa eſt, quæ habetur in Collectione Iſidori, prima ordine, inſcripta *ad Jacobum fratrem Domini*, ubi columna ſesta eadem verba extant, licet quædam alia obrepſerint, vitio, aut temeritate exſcriptorum. Quomodo ergo illa fingi potuerunt pluribus poſtea ſæculis? Hunc nodum, alioſque a nobis in decurſu proponendos, ſpeciatim Diſsert. IV. & VII. ſolvant ii, qui adeo præfidenter illas Epiſtolas priſcis Pontificibus adſcriptas, Iſidoro Mercatori tribuunt pluribus ſæculis, antequam ille naſceretur, ſi forte unquam in rerum natura extitit.

XLIII. Deinde Ruffinus, qui antiquior adhuc fuit Concilio Vaſenſi (utpote ſcribens circa ann. 400.) in Præfatione ed Recognitiones Clementis a ſe converſas ex Græco, meminit ejuſdem Clementis Epiſtolæ ad Jacobum, & teſtatur, ſe illam e Græco Latine reddidiſse. Eam autem verſionem eſſe germanum Ruffini opus, teſtatur Gennadius Maſſilienſis, qui lebente illo ſæculo quinto ſcripſit, Libro de Viris Illuſtribus, ubi de Ruffino ſermonem habet. Qua igitur veritatis ſpecie dici poterit, Iſidorum, ſeu Mercatorem, ſeu Peccatorem, tot poſtea ſæculis fuiſse primum ertificem ejus Epiſtolæ? Neque ideo exiſtimet aliquis, me exploratem fidem habere iis Epiſtolis Clementis, prout hodie extant (ſic enim negari non poteſt, eſse quibuſdam locis interpoletas, ac plane vitiatas) ſed ſolum prout initio ſcriptæ fuerunt, & modo extant quoad maximam ſui partem.

XLIV. De Anacleto, Everiſto, Alexandro, Pio, aliiſque Sanctis Pontificibus Romenis uſque ad Siricium, videbimus loco indicato, & ſæpe alibi in Opere hoc præcipuo Conciliorum Hiſpaniæ, nullo ſundamento tribui Iſidoro Mercetori, tanquam ipſius figmenta: cum longe antea ſcriptæ fuiſsent, & doctrina in iis tredita, præſertim circe ſupremam auctoritatem Sedis Apoſtolicæ in omnes graviores cauſsas, & judicie Epiſcoporum (ob quem potiſſimum a quibuſdam impetuntur, & νοθείας arguuntur) habeetur in aliis entiquorum Pontificum, & Conciliorum exploratis teſtimoniis, ſuo loco proferendis, Diſsert. VII. præſertim Præterea, quod in iis ſæpe traditur, ad Sedem Apoſtolicem ſpectare, ut controverſias Fidei, & morum ultimo judicio definiat, & Concilia congreget, ac confirmet (in quo etiam plerique eorum Recentiorum offendunt) habetur totidem pene verbis in aliis indubitetis Conciliorum, & Pontificum veterum teſtimoniis, ac nominatim in Epiſtolis Synodelibus Concilii II. Romeni celebrati ſub S. Damaſo Papa enno 369. ut in ipſis legere eſt, tum apud Theodoretum Lib. 2. Hiſtoriæ, Cep. 22. tum apud Sozomenum Lib. 6. C. 27. tum denique Tom. II. Collectionis Conciliorum Labbeenæ col. 890. & 892. tam Græce, quam Latine. Vide plurima in hanc rem decretoria infra Diſſert. IV. & VII.

XLV. Cum itaque illæ Epiſtolæ tot entea ſæculis ſcriptæ fuiſſent, & in veneratione apud Orthodoxos eſſent, ac nominetim apud quædam Concilia Toletana, ut ſuo loco oſtendemus, uno aut etiam duobus fere ſæculis ante tempus, quo ajunt, ſcripſiſſe Iſidorum Mercatorem; Jure Iſidorus Hiſpalenſis illas ſuæ Collectioni inſeruit, nullo verbo addito, aut detracto, ſed prout eas ſcriptas invenit. Quapropter ſi interpoletæ fuerunt, & centonibus cumulatæ; certe id non ab Iſidoro Hiſpelenſi, ſed a quopiam aliquo incerti nominis factum eſt, ſive ante, ſive poſtea. An vero vitiatæ ſint a quodam Theodiſclo Archiepiſcopo Hiſpalenſi, Iſidori Succeſſore indigniſſimo, & ſcriptorum ipſius corruptore; conſtabit Diſſert. IV. ex teſtimonio S. Ildephonſi, ſi illud ſit germanum, & non aſſutum ab aliquo ſciolo, ut exiſtimo, & ibidem oſtendam Excurſu VII.

XLVI. Objicit II. Archipræſul Merca poſt Baronium, & elios, in Epiſtolis iis nomine veterum Pontificum evulgatis intra Collectionem illem, occurere ſordes verborum, quæ nullo modo tribui poſſunt Iſidoro Hiſpalenſi: *Qui, & ſi in Originum Libris*, ait Marca, *aliquando lapſus fuerit, variæ tamen, ac reconditæ lectionis ſpecimen præbet, unde antiquariorum ſtudia maxime juvantur*. Putandum itaque, illas prodiiſse artifice alio Iſidoro, longe inferioris notæ, qui barbariſmis, *craſſiſque ſolœcis*, addit Labbè, texuerit farraginem illam.

XLVII. At hoc telum *imbelle ſine ictu* eſt, & ea nuper dictis hebetatur omnino. Nam quamvis Iſidorus Hiſpalenſis fuerit adeo doctus, & multæ lectionis antiquorum, potuit ac debuit fideliter exſcribere, aut exſcribi facere Epiſtolas, quas invenit priſcis Pontificibus adſcriptas; nec corrigere in iis quidquid extebat horridum, aut alienum a nitore ſtyli. Id enim potius eſſet corrumpere, quam corrigere authentica illa, & veneranda Chriſtianæ entiquitatis monumenta. Nec mirum, quod in iis eſſent tot ſordes: tum quia multæ illarum in tam longo tempore potuerunt irrepere vitio librariorum, aut exſcriptorum: tum præterea, quia veteres illi, & ſancti Pontifices, imitatione quadam ſacrarum literarum, documenta ſelutaria tradere curarunt communi, ſive vulgari ſtylo, potius accommodeto ſimpliciteti Chriſtienæ, & utilitati omnium, etiem rudium, quam exacto ad canones Priſcieni, vel Ciceronis, de quo uberior redibit ſermo infra Diſſert. IV. a num. 18.

XLVIII. Objicies III. In Epiſtolis illius Collectionis occurrunt ſæpe parachroniſmi, & alia errata manifeſta Conſulum, ſub quibus datæ dicuntur, ac nonnunquam ἀσύστατα aliquot, ſive pugnantia invicem: ut proinde *nulla arte, nulla ceruſſa, aut purpuriſſo*, inquit Labbe, *fucari poſſint*. Si autem lectæ fuiſſent eb Iſidoro Hiſpelenſi, quo præditus erat ingenio, & eruditione, noteret plenè ejuſmodi defectus, indignaſque cenſeret, quæ in uſum Eccleſiæ colligerentur. Non ergo Iſidorus Hiſpalenſis illas legiſſe, multo autem minus collegiſſe putaudus eſt.

XLIX. Reſp. parachroniſmos illos, & errata Conſulum, ſi quæ ſunt prorſus inſanabilie, fortaſse irrepſiſse poſt tempus Iſidori in exemplerie pleraque, aut negligentia exſcribentium, aut audacia alicujus ſcioli: idemque dico de contradictionibus, ſi quæ inveniuntur. Et certe ſimilia occurrunt in plurimis inſtrumentis veteribus, quibus tamen nemo propterea auctoritatem negat, nec ipſi adverſarii, præſertim ubi e ſua re eſse intelligunt. Emendent enim libere, & ſubſtituunt verba, ennos, & Conſules. Pleni ſunt innumeri recentiorum eruditorum libri ejuſmodi correctionibus circa pleraque inſtrumenta, privilegia, donationes, & ſcripturas antiquas, etiam illas, quarum auctorites alioqui explorata habetur. Cur ergo idipſum non faciunt circa Epiſtolas illas longe entiquiores, quæ tot ſæculorum decurſu potuerunt facilius vitiari? Certe in Concilio III. Toleteno Nationali LXII. Epiſcoporum, & in iis S. Leendri, Viri doctiſſimi, celebrato anno 589. tot ii Patres, & Eccleſiæ columnæ adverſus hæreſim Arianam, eo uſque graſsantem in Hiſpania, dixerunt Cep. 1. *Maneant in ſuo robore Conciliorum omnium conſtituta, ſimul & Synodicæ SS. Præſulum Romanorum Epiſtolæ*. Nimirum, illæ ipſæ, quas triginte annis poſtea, aut peullo pluribus, collegit plenius, ſive auxit S. Iſidorus, ejuſdem Leandri germanus fra-

ter.

ter. Itaque Patres graviſſimæ ejus Synodi, dum probarunt eas Epiſtolas, videntur habuiſſe puriora illarum exemplaria, abſque parachroniſmis, & aſſumentis multo poſtea adjectis.

L. Verum ſinamus, pleraque ſaltem ex iis erratis jam extitiſſe in exemplaribus earum Epiſtolarum tempore Iſidori Hiſpalenſis, nec poſtea a quopiam ſciolo, aut falſario, depravatas fuiſſe. Sinamus, inquam, ita deformes inventas, & Collectioni inſertas fuiſſe a S. Doctore. Fortaſſe illum rebus gravioribus diſtentum fugere parachroniſmi illi, & contradictiones. Quod ſi vero ipſi occurriſſe ponantur, ſanctiſſimus Præſul religioni duceret illas exſcribere, niſi prout extabant. Certe ejuſmodi errata, & incohærentiæ duobus poſtea ſæculis occurrerunt Hincmaro Rhemenſi. Nam in Opuſculo ad Hincmarum Laudunenſem nepotem ſuum Cap. 24. ait: *De ſententiis, quæ dicuntur ex Græcis, & Latinis Canonibus, & Synodis Romanis, atque Decretis Præſulum, ac Ducum Romanorum, collecta ab Hadriano Papa, & Engelramno Metenſium Epiſcopo datæ, quando pro ſui negotii cauſſa agebatur, QUAM DISSONÆ INTER SE HABEANTUR, QUI LEGIT, SATIS INTELLIGIT: & quam diverſæ a ſacris Canonibus, & quam diſcrepantes in quibuſdam ab Eccleſiaſticis judiciis habeantur.* Decreta autem Romanorum Præſulum collecta ab Hadriano Papa, ſunt eadem, quæ inveniebantur in Epiſtolis illis Collectionis Iſidorianæ, ut notum eſt. At nihilominus Hincmarus ipſe eam Collectionem Epiſtolarum adſcripſit ἀναμφισβητήτως Iſidoro Hiſpalenſi. Poſſent itaque Recentiores idipſum facere, non obſtantibus iis contradictionibus, ſi quæ revera inveniuntur, aut dato quod in illis ſint ſententiæ aliquæ diverſæ a Canonibus ſacris. Dato, inquam, nam id nondum eſt exploratum, & Diſſert. VII. examinabitur, ubi oſtendemus, doctrinam præcipuam in iis traditam conſonare, tum Canonibus ſacris, tum Decretis Romanorum Pontificum antiquiorum Iſidoro. Denique ipſe, uti erat religioſus erga monumenta Antiquitatis Chriſtianæ, noluit illa vel minimum immutare.

LI. Vellem autem, ut quemadmodum Recentiores laudant Hincmarum, dum elevat quodammodo authoritatem earum Epiſtolarum, ſic etiam imitarentur illius moderationem in loquendo. Nam quamvis citato Capite 24. quaſdam in iis incohærentias notaſſet, poſtea Cap. 25. preſſus urgente auctoritate Concilii Romani ſub Gelaſio I. Papa ſupra laudati, inquit ad nepotem ſuum: *Tu hac diſcretione, ut præmiſi ex verbis Gelaſii, utere ad inſtructionem illis Epiſtolis, quas beatiſſimi Papæ diverſis temporibus ab Urbe Romana pro diverſorum Patrum conſolatione* (lege, *conſultatione*, ut ſupra) *dederunt, legendas venerabiliter: & ſerva ſacra Concilia, quæ Sedes Apoſtolica, & omnis ſequitur Eccleſia, inviolabiliter.* Ubi licet fruſtra diſtinguat Hincmarus inter auctoritatem earum Epiſtolarum, & Conciliorum, nec videatur integre, & exacte parere Decreto Gelaſii, laudandus tamen eſt, quod ad illas *legendas venerabiliter* hortetur. Quin & poſt lites illas cum Nicolao I. Papa, videtur Hincmarus ipſe tempore Joannis VIII. recepiſſe Epiſtolas illas, velut authenticas: nam Flodoardus in Hiſtoria Eccleſiæ Rhemenſis ait de illo: *Hincmarus ſcribit Apologiam pro ſe contra eos, qui calumniati ſunt illum apud Joannem Papam, qui Synodum Trecis habuit: aſſerens, ſe Decretales Epiſtolas Romanorum Pontificum venerabiliter ſuſcipere, atque tenere, cum calumniarentur inimici, has eum nolle ad auctoritatem recipere.* At e contrario ii Recentiores exſibilandas volunt, & riſui habent, præſertim vero David Blondellus, profeſſione Calvinianus, Auctor pſeudo-Iſidori anno 1628. editi, qui atrocibus verbis illas proſcindit; cum tamen ex inſtituto oſtendere conetur, verba, quibus contextæ ſunt, decerpta fuiſſe ex ſententiis, & verbis Legum, Canonumque antiquorum, ac Sanctorum Patrum, qui poſtea floruere quarto, & quinto ſæculo. Dato enim, quod ita res ſe habeat, & non potius Scriptores ii fruſta plura ex antiquioribus Epiſtolis delibaverint, cur propterea illæ ſpernendæ eſſent? Veritates enim Catholicæ, & lucubrationes ex iis contextæ abſque errore ullo, laudandæ profecto ſunt, ubicumque inveniantur, & a nullo ſpernendæ. Unde is Auctor jure notatur ab Archipræſule Marca, veluti atroci ſtylo inſectatus ea ſacra monumenta, quæ venerari debuiſſet, a quocumque demum collecta fuerint,

LII. Quia vero, ut ſupra monui nu. 21. & ſeqq. manifeſtum eſt, tam Collectionem Iſidorianam, quam Præfationem, additas fuiſſe poſt obitum Sancti Iſidori Hiſpalenſis; ſupereſt, ut omnia Concilia, Epiſtolæque omnes, aut fere omnes, Pontificum antiquiorum Iſidoro, fuerint collecta ab ipſo: reliqua vero ab alio, aliiſve pluribus ſucceſſu temporis: uti ſemper factum fuit, & nunc fieri videmus, ubi recentes & auctiores Conciliorum editiones prodeunt.

LIII. Major difficultas eſſe poteſt, quomodo hæc Præfatio ſcripta fuerit ab Iſidoro Hiſpalenſi quantum ad id, quod in ea paullo poſt initium legitur circa Canones Apoſtolorum nomine editos. Ibidem enim eos probare videtur veluti authenticos. At vero in exemplari illo Collectionis Iſidori, quod ex Codice Bibliothecæ Toletanæ deſcriptum, & Romam miſſum fuit, memoraturque apud Gratianum Diſt. 16. Cap. 1. longe alia ſententia circa illos tradebatur, & plane contraria. Igitur hæc Præfatio non fuit ſcripta quoad eam partem ab Iſidoro Hiſpalenſi.

LIV. Reſpondeo ex dicendis, & probandis Diſſert. III. concedendo totum id. Itaque, ſicuti certum eſt, Præfationem, in qua verſamur, a quodam alio poſt tempus S. Iſidori interpolatam, & additam fuiſſe quoad plura, quæ longe poſt obitum S. Doctoris contigerunt, & in ea memorantur: ita & certum eſſe debet, vice verborum, & ſententiæ ipſius negantis auctoritatem Canonibus Apoſtolorum nomine vulgatis, prout eo tempore circumferebantur in Hiſpania, ſubſtituta fuiſſe poſtea ab interpolatore, ſeu potius corruptore, quoad eam partem, alia omnino verba, & opinionem contrariam. Sed de iis accuratius loco indicato.

DIS-

DISSERTATIO SECUNDA

De Collectionibus antiquis Conciliorum, & Canonum, cum Iſidoriana collatis.

Immorandum eſſet nimium huic materiæ, ſi ex inſtituto, & exacte tractandam illam in me reciperem, propter varia diverſorum placita. Verum ſatius viſum potiora ejus capita delibare, & ſummatim perſtringere, quæ obſervare potui, tam ex veterum lectione, quam ſcriptis Recentiorum eruditione Eccleclesiaſtica præcellentium. Non eſt autem mentis noſtræ diſſerere de omnibus Conciliorum, & Canonum Collectionibus; ſed dumtaxat de antiquis, & præcipuis, quæ præceſſerunt Iſidorianam, anno circiter trigeſimo ſupra ſexcenteſimum elaboratam; & de acceſſionibus eidem factis uſque ad finem ejuſdem ſæculi ſeptimi, aut initium octavi.

EXCURSUS I.

De primis, & antiquiſſimis Canonum, & Conciliorum Collectionibus: ac primum de illa, quæ fere a tempore Concilii Sardicenſis facta fuit: tum de illa, quæ Concilium Chalcedonenſe ſequuta eſt. Plura circa utramque obſervantur, præſertim apud Hiſpanos: & de Codice Canonum, quo ii intra Concilia utebantur.

II. MIſſa nunc Collectione Canonum Apoſtolorum, memorata ab Iſidoro in Præfatione, uſque ad Diſſertationem ſequentem, præmittendum eſt, Eccleſiam Catholicam a primis ſæculis uſam fuiſſe quibuſdam Canonibus, & Regulis, aut Decretis, ſive ſcripto, ſive viva voce traditis ab Apoſtolis, & Succeſſoribus immediatis illorum, circa diſciplinam Eccleſiaſticam; ut omnes Chriſtiani cujuslibet conditionis, juxta proprium cujuſque ſtatum, & inſtitutum, ad præſcriptum illorum, doctrinam, & mores ſuos exigere deberent. Id enim certo colligi videtur, non modo ex monumentis veterum Pontificum Romanorum, & Eccleſiæ Patrum, quotquot extare inveniuntur; ſed etiam ex ſanctitate inſigni, doctrina cæleſti, & dextro regimine Apoſtolorum, ac Diſcipulorum eorumdem, primorumque Pontificum, quibus Eccleſia fuit a Deo commiſſa. Neque enim aliter viderentur illius utilitatis ſatis conſuluiſſe. Unde in Præfatione illa, quæ habetur ante editionem Corporis Juris Canonici correctam juſsu Pii IV. & V. ac Gregorii XIII. initium eſt: *In Eccleſia Romana, omnium Eccleſiarum magiſtra, ſolitos eſſe aſſervari Conciliorum Canones, Pontificum Decreta, ac cæteris Eccleſiis communicari, plane compertum eſt.* Quapropter adhuc ſub media tyrannorum perſecutione, cum religio, pietas, & zelus diſciplinæ Eccleſiaſticæ ferventiſſimus eſset apud Præſules Romanos; dubitare non licet, eandem iis curam alte inſedisſe cuſtodiendi, & evulgandi Decreta Sedis Apoſtolicæ, & regulas ab Apoſtolis, & eorum Succeſſoribus traditas circa doctrinam, & reformationem morum ad præſcriptum perfectionis Chriſtianæ.

III. Verum tranſactis tribus primis ſæculis Eræ Chriſtianæ, oportuit, ut Eccleſia Catholica, ceſsante infidelium perſecutione, optatam pacem adepta, celebraret aliquod Generale Concilium Epiſcoporum, & in eo præſcriberet certos Canones ſtabiliendæ, & firmandæ diſciplinæ Eccleſiaſticæ imprimis utiles; quod antea non licuerat ob tyrannorum ſævitiam. Unde S. Iſidorus Lib 6. Etymologiarum, Cap. 16. ait: *Canones autem Generalium Conciliorum a temporibus Conſtantini cœperunt. In præcedentibus namque annis perſecutione fervente, docendarum plebium minime dabatur facultas. Inde Chriſtianitas in diverſas hæreſes eſt ſciſſa, quia non erat licentia Epiſcopis in unum convenire, niſi tempore ſupradicti Imperatoris. Ipſe enim dedit facultatem Chriſtianis libere congregari.*

IV. Unde ſicuti eo ipſo quarto ſæculo poſt celebratum Concilium Nicænum, primum, & maximum ex Oecumenicis, anno 325. & poſtea Sardicenſe, veluti appendicem ipſius, anno 347. curæ fuit Sancto Athanaſio in Oriente, & Sancto Hilario Pictavienſi in Occidente, collectio Conciliorum, ut eruditiſſimi Viri obſervarunt: ita etiam iis curæ fuiſſe collectionem Cononum, cenſeri debet. Immo cum Canones in iis Conciliis editi fuiſſent, fieri non potuit, ut Concilia ab iis SS. Doctoribus in unum colligerentur, quin etiam eorundem Canones. Idque in more poſitum fuiſſe, teſtatur Socrates Lib. 1. Hiſtoriæ Cap. 5. agens de Concilio Nicæno, ut Synodorum Acta, & Decreta in Commentarios referrentur. Quare, & ſubdit, Sabinum Macedonianorum apud Heracleam Thraciæ Epiſcopum in unum Codicem redegiſſe varia Concilia, quamvis iniquo eſſet animo erga celeberrimum illud Nicænum.

V. Hinc conſtat, aliquem fuiſse Codicem primum & antiquiſſimum eorumdem Canonum, quo Eccleſia uteretur, tum in Oriente, tum in Occidente, poſt medium ejuſdem quarti ſæculi. Appellatur autem in Concilio Chalcedonenſi Act. IV. & XI. & XIII. *βιβλίον κανόνων*, *Liber Canonum*. An vero extent exemplaria aliqua ejus Codicis, & quænam in ſingulari ea ſint, anceps quæſtio eſt inter politiores Antiquarios hujus ſæculi vexata. Cardinales doctiſſimi Baronius, & Perronius, duo hujus ſæculi lumina, non invenientes vetera inſtrumenta, ex quorum teſtimonio aliquid certi decernerent, quæſtionem in medio reliquerunt.

VI. Verum poſtea, a principio fere hujus ſæculi, extitit Codex antiquiſſimus in Bibliotheca Chriſtophori Juſtelli, nongentis retro, ut minimum, annis ſcriptus: cujus inventionis, mutilationis, & editionis hiſtoriam refert eruditiſſimus Baluzius, veluti *αὐτόπτης*, in Præfatio-

rione ad Opuſcula nuper edita Archipræſulis Marcæ §. IX. & ſeqq.

VII. Porro in eo Codice ſcripti erant ſoli Canones Nicæni, quoniam Juſtellus ipſe profeſſione Calvinianus, cum adhuc juvenis eſſet, aut quiſpiam alius ejuſdem Inſtituti, abſciderat cultro, ut creditum fuit, & fas eſt ſuſpicari, folia, in quibus ſcripti erant Canones Sardicenſes, continuatis numeris, poſt Nicænos: fortaſſe ne ex illis aliquid contra ipſius ſectam præſcriberetur. Verum ad finem Codicis inventa ſolummodo ſunt duo folia ejuſdem characteris, in quibus initium ducebatur a Canone Sardicenſi XIV. una cum ſeqq. uſque ad XIX. Indeque, & ex aliis manifeſtis indiciis, conſtitit palam, in eo Codice fuiſſe a principio ſimul, ac ſolum Canones Nicænos, & Sardicenſes.

VIII. Neque enim in ea Collectione apud Occidentem locus aliquis erat Canonibus Ancyranis, Neo-cæſarienſibus, Antiochenis, aut Laodicenſibus, qui in Oriente conditi fuerunt, uſque ad medium quinti ſæculi; ideſt, ad Concilium Oecumenicum Chalcedonenſe, in cujus primo Canone additum fuit robur, & auctoritas regulis Patrum, ut per univerſam Eccleſiam vigerent. Etenim ante id tempus Eccleſia in Occidente non iis Canonibus, ſed Nicænis regebatur: uti fidem facit, qui ab initio fere ejus quinti ſæculi Eccleſiam regebat, Innocentius I. in Epiſtola ad Clerum Conſtantinopolitanum, quæ inter cæteras ejuſdem Pontificis numero vigeſima nona extat in Collectione Labbeana Tomo II. & Græce deſumpta fuit ex Nicephoro Lib. 13. Cap. ac Sozomeno Lib. 8. Cap. 26. iis præſertim verbis: *ἄτι ϰ̓ περὶ τῆς τῶν κανόνων παραφυλακῆς τύποις δεῖν ἕπεσθε γράφομεν, ὅστινες ἐν Νικαίᾳ εἰσὶν ὡρισμένοι*, &c. *Canonibus porro obſequendam eſſe ſcribimus, qui Nicææ ſunt decreti: quos ſolos conſectari decet Eccleſiam Catholicam, & juxta eos judicare. Si in aliis a quopiam proferuntur, a Canonibus Nicænis diſſonantes, & hæreticos auctores referentes; ii a Catholicis Epiſcopis rejiciuntur.* Nomine autem Canonum Nicænorum eo loco intelligi Sardicenſes, veluti illorum appendices, plerique exiſtimant.

IX. Itaque Archipræſul Marca, videns in eo Codice extantes ſolos Canones Nicænos, Sardicenſeſque poſteriores, nam tredecim priores, ut diximus, a Juſtello, vel quopiam alio heterodoxo, ablati fuerant, & conſiderans illius antiquitatem, cenſuit, eam fuiſſe antiquiſſimam Collectionem omnium, quibus Eccleſia uſa fuit. Eaque occaſione aggreſſus eſt tractationem quandam ea de re, & in Epiſtola ad Petrum Poſſinum ſcripta 3. Kalendas Januarias anno 1660. dixit: *Abſolvere inſtitui Diſſertationes meas de veteribus Canonum Collectionibus: Opus hactenus intentatum noſtris ingeniis, atque etiam exteris*. Sed enim poſtea rem affectam reliquiſſe invenitur, ut doctis quibuſque, & eruditis hominibus contingere ſolet, qui plures lucubrationes inchoatas relinquunt, nec extremam omnibus manum adhibere poſſunt. Quare editæ nuper a Baluzio circa id argumentum, imperfectæ ſunt, uti & nonnullæ aliæ in eodem Tomo Pariſiis edito anno 1687.

X. Idipſum cenſuerat antea Juſtellus ipſe, penes quem erat prædictus Codex. Nam cum Jacobus Leſchaſſerius in Conſultatione de controverſia inter Paullum V. Pontificem, & Rempublicam Venetam, præſcripſiſſet formam antiquiſſimæ Collectionis Canonum, qua Eccleſia univerſa olim uſa fuit, Juſtellus ad eum ſcripſit anno 1610. *Cum accuratius modum quærerem, quo ille vetus Eccleſiæ primitivæ Codex reſtitui, & in lucem revocari poſſet, tu mihi, veluti Theſeus alter, in explicando hoc labyrintho viam aperuiſti, & hucuſque reſtitutionis rationem antea incompertam indicaſti, quam & ipſam tuis verbis deſcriptam huic Operi adjunxi. Illud ergo vetuſtiſſimum Eccleſiæ Chriſtianæ monumentum nunc primum a nobis priſtinæ integritati reſtitutum, & ab interitu vindicatum, ne diutius diſperiret, publico dari curavi.* Sed certe, ut fideliter ſe gereret, debuit integrum Codicem exſcribere, nec truncare ab eo Canones Sardicenſes. Idipſum intelligi debet de Henrico Juſtello Chriſtophori filio, pariter Calviniano, qui ſimul cum Gulielmo Voello, Theologo Pariſienſi, ſtuduit colligere varios Codices Eccleſiaſticorum Canonum olim editorum a Chriſtophoro, & illis addere quoſdam nondum editos. Nam fragmenta illa Canonum Sardicenſium repoſuit poſt Nicænos, nunquam faſſus, priores illorum a Codice abſciſſos fuiſſe.

XI Cæterum ejuſmodi Codicem non eſſe primum illum, quo ſolo tota Eccleſia olim utebatur ad obſervationem diſciplinæ, cenſuerunt poſtea plures alii, & recenter Paſchaſius Queſnel in Appendice ad Opera S. Leonis Magni Diſſert. 12. ubi ſe antiquiſſimum Eccleſiæ Romanæ Codicem edere affirmat, numquam hactenus editum. Diſſertationi enim hanc epigraphen adhibet: *De Codice Canonum Eccleſiæ Romanæ, omnium, qui huc uſque prodierunt, antiquiſſimo, nunc primum in lucem edito*. Deinde Capiti primo hunc Titulum præfigit: *Romanam Eccleſiam ſuum olim Codicem habuiſſe ante Dionyſii Exigui Abbatis Collectionem, nec eum huc uſque emerſiſſe e tenebris*. Poſtea Titulus Capitis 2. ait: *Priſcum illum Codicem, eum ipſum eſſe, quem publici juris facimus*. Si autem in hoc non fallitur Queſnelius, neceſſum eſt, ut Codex jam antea editus a Juſtello, non fuerit primus, & antiquiſſimus, quo uſa fuit univerſa Eccleſia.

XII. Quidquid ſit de ea quæſtione, id certum eſt, novam aliam factam fuiſſe circa medium quinti ſæculi, auctoritate Sancti Leonis Papæ, cognomento Magni. Nam cum Canones Orientalium Synodorum, qui in Oriente vigebant, lecti fuiſſent in Concilio Oecumenico Chalcedonenſi, & Vicarii Sedis Apoſtolicæ eos Romam detuliſſent ad Sanctum Leonem; ipſe eorum Collectionem fieri juſſit, quæ deinceps ſola in Occidente obſervari cœpit, & viguit ſexaginta, & amplius annis.

XIII. Porrò ejus Collectionis duo exemplaria manuſcripta invenit Archipræſul Marca in Monaſterio Benedictino Rivi-Pollenſi apud Cataloniam, circa medium hujus ſæculi, ſicuti, & plurima alia monumenta vetera in variis Archivis, & Chartophylaciis ejus regionis, quorum varia exemplaria, ſchedas, & excerpta in Gallias ſecum detulit. Audiamus vero ab ipſo, qualia ea eſſent, & quid continerent, ac quo ordine: *Priorem illam*, nimirum Collectionem factam juſſu S. Leonis, *HACTENUS IGNOTAM*,

TAM, ex Codicibus duobus manuſcriptis Monaſterii Rivi-Pollenſis in Cutalonia, favente Numine, erutam, hic explicamus: quæ majoris ponderis apud nos eſſe debet, quod ea uſi ſint Gallicani Epiſcopi uſque ad tempora Hadriani Pontificis, & Caroli Magni, & una cum Gallicanis Canonibus ab Eccleſia Hiſpanica uſurpata fuerit uſque ad Sarracenorum adventum, quemadmodum etiam in Africa. Ejus autem Collectionis hæc eſt methodus: Incipiunt Canones Nicæni, ſequuntur Ancyrani, Neocæſarienſes, & Gangrenſes. Deinde Sardicenſes Canones. Poſtea Antiocheni, & Laodiceni. Subjunguntur ſtatim viginti ſeptem Canones Concilii Chalcedonenſis. Deinde Carthaginenſes.

XIV. Hæc itaque eſt Collectio a tempore Concilii Chalcedonenſis, quod an. Chr. CDLI. celebratum eſt, recepta in Eccleſia, non ſolum Gallicana, & Hiſpana, ut Marca ait, ſed etiam Romana: ſiquidem quinquaginta tribus poſt illam annis, nimirum an. 504. Symmachus Papa in Concilio IV. Romano citat duos Canones Gangrenſes ex verſione antiqua, quæ in hac Collectione habetur; & præterea *Apoſtolica auctoritate eos Canones conditos* ait: quoniam licet in Synodo Provinciali editi fuiſſent, acceſſit poſtea auctoritas S. Leonis Papæ, qua probati, & recepti fuerunt in Occidente. Nam quod conjicit Baronius, ideo dici probatos a Sede Apoſtolica, quod Hoſius Epiſcopus Cordubenſis illius nomine præfuerit Synodo Gangrenſi, difficultate non caret: quoniam ſi hoc ita eſſet, Hoſius inter Epiſcopos ibidem congregatos memoraretur primo loco, velut Vicarius Apoſtolicæ Sedis. Conſtat vero, in ea memorari quidem, ſed permiſſum aliis Epiſcopis, immo inter ultimos. Verius itaque eſt, propterea Symmachum Papam dixiſſe, Canones illos Gangrenſes fuiſſe *Apoſtolica auctoritate conditos*, quia Leonis Papæ juſſu in Codicem Canonum relati ſunt: quod perinde fuit, ac ſi Sedes Apoſtolica illos initio condidiſſet.

XV. Ut ut ſit, certum apparet, Eccleſiam Hiſpanicam exemplo cæterarum Occidentalium, uſam fuiſſe diu veteri illo Codice Canonum, qui auctoritate Concilii Generalis Chalcedonenſis Canone primo confirmatus fuit, & quo ipſa Romana Eccleſia utebatur. Id patet ex quibuſdam Hiſpaniæ Conciliis, in quibus ejus Codicis nominatim mentio fit: ut ante nos obſervavit Archipræſul Marca in Diſſert. de Primatu Lugdunenſi §. VIII. quæ edita extat Tomo x. Collectionis Labbeanæ col. 519. & ſeqq. Nam in Concilio Bracarenſi I. (alias II.) celebrato anno 560. poſt Capitula ſeptemdecim contra hæreſim Priſcilliani edita, ſubditur: *Ut inſtituta ſanctorum Patrum, recenſitis antiquis Canonibus, innoteſcant... Omnes Epiſcopi dixerunt: Placet quod dictum eſt, & congrua res eſt, ut quibus fortaſſe per incuriam abolita ſunt Eccleſiaſtica conſtituta, audiant ſanctorum Canonum regulam, & obſervent. RELECTI EX CODICE CORAM CONCILIO TAM GENERALIUM SYNODORUM CANONES, QUAM LOCALIUM.* Nimirum, Canon primus Chalcedonenſis Concilii is eſt: τοὺς παρὰ τῶν ἁγίων πατέρων καθ' ἑκάστην σύνοδον ἄχρι τοῦ νῦν ἐκτεθέντας κανόνας κρατεῖν ἐδικαιώσαμεν, ideſt: *Qui a ſanctis Patribus in unaquaque Synodo huc uſque expoſiti ſunt, obſervari Canones æquum cenſuimus*. Sive, uti in Hiſpania ex interpretatione Iſidori legebatur: *Regulas a ſanctis Patribus in unaquaque Synodo uſque nunc prolatas, teneri ſtatuimus*. Idipſum antea indicatum fuerat in Concilio II. Toletano, coacto an. DXXVII. in ipſa Præfatione, dum dicitur: *Si qua vero in anterioribus Conciliis ſunt decreta, ſed abuſione temporum hactenus ſunt neglecta, rediviva ordinationis cenſuram obtineant &c.* Ulterius in Toletano III. cui S. Leander præſedit, & cujus veluti ingenium, ac lingua fuit, ita præcipitur Cap. I. *Maneant in ſuo robore conſtituta, ſimul & Synodicæ SS. Præſulum Romanorum Epiſtolæ.* Præterea in Concilio Toletano IV. cui præfuit S. Iſidorus, Cap. 4. dicitur: *Diaconus Alba indutus, CODICEM CANONUM in media proferens, Capitula de Conciliis agendis pronunciat.* Codex vero ille, in Hiſpania præſertim, ſucceſſu temporis, & acceſſione Conciliorum, tam Generalium, quam Hiſpanienſium, & Decretalibus Præſulum Romanorum Epiſtolis, additus fuit a S. Iſidoro in ſua Collectione ampliſſima: tum præterea ab aliis poſtea uſque ad finem ſeptimi ſæculi. Ejus magni Codicis indicem, quo Eccleſia, præſertim Hiſpana, eo tempore utebatur, nunquam hactenus editum, luci publicæ dabimus in progreſſu. Et fortaſſe ille eſt, quem allegat Iſidorus Epiſcopus Pacenſis ſcribens Epitomen Imperatorum editam ab Epiſcopo Sandoval, ad Eram DCLXXIV. & appellans LIBRUM CANONUM. Extare etiam modo dicitur in Eccleſia Urgellenſi Codex antiquiſſimus, in tres partes diviſus. Prima exhibet quatuor Concilia Generalia, & Synodos Nationalas ab iis confirmatas, ac præterea eas, quæ in Africa coactæ ſunt. Secunda continet Concilia Gallicana, inchoando ab Arelatenſi primo. Tertia tandem Concilia Hiſpanica, quorum initium ducit ab Eliberritano. Eundem ordinem ſervabat Codex ille vetuſtiſſimus Bibliothecæ Toletanæ, memoratus ab Archipræſule Loaiſa.

EXCURSUS II.

De aliis poſterioribus Canonum Collectionibus, & præſertim Dionyſii Exigui, Ferrandi Diaconi, Martini Bracarenſis, & Iſidori. Collectiones, Dionyſiana, atque Iſidoriana, in quo conveniant, aut differunt.

XVI. POſt Collectiones quarti & quinti ſæculi jam memoratas, Dionyſius cognomento Exiguus, Vir pietate inſignis, ac Græce, pariter & Latine doctiſſimus. Collectionem aliam multo ampliorem præcedentibus edidit, nam præterea in ea poſuit quinquaginta Canones Apoſtolorum, centum triginta octo Carthaginenſes, & inſuper Epiſtolas Decretales octo Summorum Pontificum, a Siricio uſque ad Anaſtaſium II. ſive uſque ad Hormiſdam, ut cenſet Clariſſ. Vir, condiſcipulus olim noſter Salmanticæ in ſtudio Juriſprudentiæ, & fidelis amicus, D. Emmanuel Gonzalez Teller in Apparatu ad Tom I. Decretal. pag. 21. n. 46. Nam licet plures Pontifices inter utrumque fuiſſent, non tamen collegit omnium eorum Epiſtolas, ſed quorundam ex iis, quas facile habere

bere potuit. Unde obiter, & ex ſuperabundanti, occurritur argumento illi Recentiorum plurium contra auctoritatem Epiſtolarum veteribus Pontificibus adſcriptarum in Collectione Iſidoriana, quod eas non inſeruerit Dionyſius ſuæ Collectioni. At nec inſeruit plurimas S. Leonis, tum aliorum Pontificum poſteriorum Siricio, & antiquiorum Anaſtaſio II. quas tamen nemo ſuppoſititias arbitratur. Et certe Codex Lucenſis antiquiſſimus omnium Regiæ Bibliothecæ Sancti Laurentii, incerto anno ſcriptus, ſolum continet CIII. Epiſtolas Decretales: Vvigilanus vero Codex, ſeptem ſæculis retroſcriptus, continet ſolas CI. uſque ad S. Gregorium I. cum tamen conſtet, longe plures indubitatas fuiſſe, vel ab ipſo ſolo, & S. Leone ſcriptas: ut omittam alios Pontifices, unoquoque eorum antiquiores. Unde id argumentum inficiale, & enerve prorſus eſt, præter ea, quæ dicam Diſſ. IV. late.

XVII. Itaque Dionyſius cum videret Canones Græcorum Conciliorum, Latinitate quidem donatos, ſed tamen deformes, ſive vitio interpretis, ſive librariorum incuria, ut ipſe teſtatur in Epiſtola ad Stephanum Salonitanum Epiſcopum, novam verſionem edidit circa annum Eræ Chriſtianæ quingenteſimum vigeſimum: eamque Collectioni ſuæ recenti inſeruit: ſed tamen adhuc antiquior illa verſio permanſit, elegantior ſane, quamvis non ita literæ cohærens.

XVIII. Sub idem fere tempus Ferrandus Diaconus Carthaginenſis texuit Collectionem aliam, ſed diverſa methodo: quoniam non recitando, ſed citando ſolum, collegit ſub unoquoque Capite omnes diverſorum Conciliorum Canones, qui de eadem aliqua re editi inveniebantur. Succeſſit tertio loco Collectio facta a S. Martino Bracarenſi circa ann. DLXXI. ex Canonibus Orientalium Synodorum, quos exhibebimus poſt Concilium Bracarenſe II. alias III. eo anno celebratum. Elaboravit autem eam præcipue in utilitatem Eccleſiæ Hiſpanicæ, quæ illam eodem tempore probavit in Concilio Lucenſi. Porrò Martinus non ſolum Canones Græcos, ſed & plures Latinos in eo Codice collegit, præſertim ex Conciliis Toletanis. Irrepſit autem error Gratiano ſæpe, dum Martino Papæ adſcribit eos Canones, qui extabant in Collectione Martini Bracarenſis Epiſcopi, ut patet ex Cap. *Epiſcopum* 64. Cap. *Non debet* 65. Diſt. Cap. 19. Quæſt. 3. Cap. *Epiſcopo* 48 Quæſt. 1. Cap. *Si quis Presbyter*, Cap. *Non licet* 91. Diſt. Cap. *Si quis Epiſcopus* 6. Quæſt. 4. cum aliis textibus indicatis ab Antonio Auguſtino Dialogis in Gratianum 10. 11. & 12. Vide Juſtelium pag. 187. & Convarrubiam in Cap. 1. *De teſtam.* num. 1. Poſtea vero Creſconius Epiſcopus Africanus complexus fuit Dionyſianam Collectionem, & ipſi adjunxit elaboratam a Ferrando, quam & illius prioris Breviarium appellavit.

XIX. Denique S. Iſidorus Hiſpalenſis ſæculo inſequente, poſt annum DCXX. ampliorem adhuc Collectionem in ſe recipit, qua complexus fuit præter ea Concilia, alia uſque ad eum annum celebrata, & in iis Hiſpalenſe II. an. DCXIX. coactum, in quo deſiiſſe dicuntur exemplaria antiquiſſima Romæ extantia: ſimiliterque Epiſtolas a Clemente Papa uſque ad Gregorium Magnum, quotquot invenire potuit, ut ſuo loco vidimus. Quare quidquid Præfatio initio ſcripta habet de Concilio VI. Generali celebrato Conſtantinopoli ſub Agathone quadraginta quatuor annis poſt obitum ejuſdem Iſidori, additum plane fuit a quopiam alio, ſive is dictus fuerit Iſidorus Mercator, ſive alio nomine, certe hactenus nondum detecto.

XX. Verum præterea oportet obſervare nonnulla diſcrimina inter hanc Collectionem Iſidorianam, & illam Dionyſianam. Imprimis enim Iſidorus non fuit uſus Dionyſiana verſione Canonum Græcorum, ſed alia antiquiore, quæ in Occidente invaluerat a tempore S. Leonis Magni, & nuper recuſa fuit To. IV. Collectionis Labbeanæ col. 779. & ſeqq quoad Canones Chalcedonenſes. Unde & hæc ipſa uſurpatur in Libris Capitularium, teſtante Marca, qui id ſtudioſe examinavit: non illa prior.

XXI. Secundo differunt, quoniam Collectio Dionyſiana ſolum complectitur Concilia, & Canones editos uſque ad initium ſexti ſæculi; nec Epiſtolas plures, quam octo Pontificum a Siricio uſque ad Anaſtaſium II. qui vivere deſiit an. CDXCVIII. aut circiter. Iſidorus autem præter ea, plura Concilia adjecit, & in iis tria priora Toletana, atque Hiſpalenſe II. tum præterea plurimas Epiſtolas aliorum Pontificum Romanorum a Clemente I. uſque ad Gregorium Magnum, ut non ſemel obſervavimus.

XXII. Tertium diſcrimen eſt, quod Dionyſius omnium primus inter Latinos Collectioni ſuæ inſeruerit quinquaginta Canones Apoſtolis adſcriptos, & a ſe ex Græco Latine redditos. Unde & in Epiſtola ſupracitata ad Stephanum Epiſcopum, inquit: *In principio itaque Canones, qui dicuntur Apoſtolorum, de Græco tranſtulimus: quibus quia plurimi conſenſum non præbuere facilem, hoc ipſum ignorare veſtram noluimus Sanctitatem: quamvis poſtea quædam Conſtituta Pontificum ex ipſis Canonibus aſſumpta eſſe videantur.* Et certe mirum eſt, Dionyſium eos Canones edidiſſe, quos inter apocrypha recenſuerat viginti circiter retro annis S. Gelaſius Papa: cujus idem Dionyſius honorificam mentionem facit in Epiſtola alia ad Julianum Presbyterum, ex Codice Sirmondi primum edita a Franciſco Florente, & Chriſtophoro Juſtello. Niſi forte Canones dicti Apoſtolorum, quos Gelaſius recenſet inter apocrypha ſcripta, non eſſent ii ipſi, qui communiter circumferuntur; ſed alii tunc extantes in Libro quodam ab hæreticis Priſcillianiſtis edito, ubi erant Canones alii conficti ſub nomine Apoſtolorum, ut cenſet Turrianus Lib. 1. de Canonibus, Cap. 15.

XXIII. Ceterum S. Iſidorus Hiſpalenſis, longe aliter ſenſit de eiſdem Apoſtolorum Canonibus, rejiciens eos ad apocrypha. Nam licet in Præfatione, quæ habetur nomine Iſidori Mercatoris, ſive Peccatoris in communibus Conciliorum editionibus, videatur omnino probare Canones illos, veluti Synodali auctoritate roboratos, & inter Canonicas Conſtitutiones a Patribus ſtatutos; verius longe, aut omnino certum eſt, ea verba fuiſſe aſſuta longe poſtea ab alio interpolatore, ſeu potius corruptore germanæ Præfationis a S. Iſidoro editæ. Quod, quamvis infra Diſſert. III. ſit plane comprobandum; nunc præmittere placuit, prolata in medium Præfatione illa Collectionis Iſidorianæ, quam ex antiquiſſimis illis Monaſterii Rivi-Pollenſis exemplaribus exſcripſit Marca, & habet

 dif-

Diſsert. citata de veteribus Collectionibus pag. 206. & ſeqq. Eam in Lectorum gratiam viſum hoc loci repræſentare, ſaltem eorum, ad quos Diſsertationes poſthumæ illius Archipræſulis non pervenerunt. Moneo autem, illam reſpondere exemplari antiquiſſimo Bibliothecæ Vaticanæ ſignato num.630. ſcripto tempore Nicolai I. Papæ, in quo Præfatio S.Iſidori duplex habetur. Prior conſonat illi, quam initio exſcripſimus; poſterior vero huic alteri, quam ſubjiciemus ſtatim.

EXCURSUS III.

Præfatio alia Iſidori ad ſuam Collectionem: eruta ab Archipræſule Marca ex duobus antiquiſſimis mſſ. Monaſterii Rivi Pollenſis in Catalonia, & collata nunc cum alio Biblioth. Vaticanæ, atque in multis diverſa ab ea, quam initio præmiſimus.

XXIV *Canones a Generalium Conciliorum a temporibus Conſtantini cœperunt. In præcedentibus annis namque, perſecutione fervente, docendarum plebium minime dabatur facultas.*

Inde Chriſtianitas in diverſas hæreſes ſciſſa eſt, quia non erat licentia Epiſcopis in unum convenire, niſi tempore ſupradicti Imperatoris ipſe enim dedit facultatem Chriſtianis libere congregari.

Sub hoc etiam Sancti Patres in Concilio Nicæno de omni Orbe b *terrarum convenientes, juxta Fidem Evangelicam, & Apoſtolicam, ſecundum poſt Apoſtolos Symbolum tradiderunt.*

Quatuor autem principalia eſſe Concilia, ex quibus pleniſſimam Fidei doctrinam tenet Eccleſia, tam de Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Divinitate, quam de prædicti Filii Salvatoris noſtri Incarnatione

Prior autem harum Nicæna Synodus eſt CCCXVIII. c *Epiſcoporum, Conſtantino Auguſto imperante peracta: in qua Arianæ perfidiæ blaſphemia condemnata, quam de inæqualitate Sanctæ Trinitatis idem Arius aſſerebat;*

Conſubſtantialem Deo Patri Deum (1) Filium, eodem ſancta Synodus per Symbolum definivit.

Secunda Synodus eſt CL. Patrum ſub Theodoſio ſeniore Conſtantinopolim (2) congregata: quæ Macedonium, Sanctum Spiritum Deum eſſe negantem, condemnans, conſubſtantialem Patri, & Filio eundem Paracletum demonſtravit, dans latius Symboli formam, quam tota Græcia, & Latinitas in Eccleſiis prædicat.

Tertia d *Synodus Epheſina CC. Epiſcoporum ſub juniore Theodoſio Auguſto edita: quæ Neſtorium duas Perſonas in Chriſto aſſerentem juſto anathemate condemnavit, oſtendens manere* e *in duas naturas unam Domini JESU CHRISTI Perſonam.*

Quarta eſt Synodus Chalcedonenſis ſexcentorum XXX. Sacerdotum ſub Marciano Principe habita: in qua Eutychen Conſtantinopolitanum Abbatem, Verbi Dei, & carnis unam naturam pronunciantem, & ejus defenſorem Dioſcorum quondam Alexandrinum Epiſcopum, & ipſum rurſum Neſtorium, cum reliquis hæreticis, una Patrum ſententia prædamnavit; prædicans eadem Synodus Chriſtum Deum ſic natum de Virgine, ut (3) unam perſonam & divinæ & humanæ confiteamur naturæ. f

Sed etſi qua ſunt Concilia, quæ Sancti Patres ſpiritu Dei pleni ſanxerunt, poſt illorum quatuor auctoritatem, omni manent ſtabilita vigore: QUORUM ETIAM GESTA IN HOC CORPORE (4) CONTINENTUR. g

h *In principio autem hujus voluminis Nicænum Synodum conſtituimus, pro auctoritate ejuſdem magni Concilii.*

i *Deinde diverſorum Conciliorum Græcorum, ac Latinorum, ſive quæ antea, ſive quæ poſtmodum facta ſunt, ſub ordine numerorum ac temporum, capitulis ſuis diſtincta, ſub hujus voluminis aſpectu locavimus.*

k *Subjicientes (5) etiam Decreta Præſulum Romanorum, IN QUIBUS PRO CULMINE SEDIS APOSTOLICÆ, NON IMPAR CONCILIORUM EXTAT AUCTORITAS: quatenus Eccleſiaſtici Ordinis diſciplina, in unum a nobis coacta, atque digeſta, & ſancti Præſules paternis conſtringantur regulis, & obedientes Eccleſiæ miniſtri, vel populi paternis imbuantur exemplis.*

Canones m *autem, qui dicuntur Apoſtolorum, quia eoſdem nec Sedes Apoſtolica recipit, nec Sancti Patres illis conſenſum præbuerunt, pro eo quod ab hæreticis ſub nomine Apoſtolorum compoſiti dignoſcuntur, quamvis in eis quædam inveniantur utilia, auctoritate tamen Canonica, atque Apoſtolica eorum geſta conſtant eſſe remota, & inter apocrypha deputata.*

Hucuſque Præfatio S. Iſidori in duobos illis mſs. Rivi-Pollenſibus. In Vaticano autem ſtatim ſubjungitur ille prioris Præfationis ſupra a nobis exſcriptæ paragraphus ſecundus, qui incipit: *Canon autem Græce, Latine regula nuncupatur &c.* uſque ad verba illa: *Concilium a ſocietate multorum in unum*. Unde & tandem concluditur: *Explicit Præfatio.*

EXCURSUS IV.

Notæ in eam Præfationem, quibus explanantur, & confirmantur plura in ſuperioribus tradita circa S.Iſidorum Hiſpalenſem, ejuſque Collectionem a calumniis vindicatum.

PLacet hoc loci breviter, & tranſitu quodam, obſervare nonnulla in eam Præfationem, ex quibus plenius innoteſcant plura circa Iſidorianam Collectionem, & plura ex dictis in ſuperioribus confirmentur.

XXV. a *CANONES*]. Omnia hæc verba, & decem periodorum ſequentium, uſque ad, *IN HOC CORPORE CONTINENTUR*, extant ad litteram apud S. Iſidorum Hiſpalenſem Libro ſexto Etymologiarum Capite decimo ſexto. Unde quæſtionis eſſe poteſt, an inde ad Præfationem, an potius ex hac illuc tranſlata fuerint.

XXVI. In hac re placet ſententia Archipræſulis Marcæ loco citato §. 4. ubi ait: *Priorem hujus Præfationis partem Iſidorus Hiſpalenſis*

(1) *Al. Dei.* (2) *Al. Conſtantinopoli.* (3) *Cod. Vatic. ut in eo ſubſtantiam, & divinæ, & humanæ confiteamur naturæ. Hæ ſunt, ut prædiximus, quatuor principales Synodi, & venerabiles, Fidem Catholicam complentes.* (4) *Vatic. in hoc Opere condita continentur.* (5) *Hæc verba non habentur in Vaticano Codice juxta poſteriorem hanc Præfationem, ſed ſolum juxta priorem in ſuperioribus a nobis exſcriptam.*

lenſis (notâ hæc, Lector, pro dictis Diſſert. I. Audis enim Marcæ teſtimonio, Iſidorum Hiſpalenſem fuiſſe Auctorem ejus Præfatiunis ad Collectionem, ac proinde illam eſſe duobus fere Sæculis antiquiorem Riculpho Moguntino Archiepiſcopo, nec ullatenus factam ab aliquo alio Iſidoro ejus æquali) *retulit in Librum ſextum Originum Cap. 15. Etenim cum ſibi propoſuiſſet eo capite de Canonibus Conciliorum agere, ſolenneque illi ſit laudabiles locos, qui ſuo inſtituto conducunt, tacitis Auctoribus in Opus illud congerere, quo nomine ab eruditis majorem conſecutus eſt laudem* (quid ad hæc Auctor pſeudo-Iſidori anno 1628. editi?) *more illo ſuo hunc quoque centonem aliis addidit, & iiſdem verbis Præfationem illam ex parte tranſcripſit. Si quis autem pervicaciter contendere velit, ex Iſidoro potius depromptam hanc Præfationem, omnino ſe victum fatebitur, ſi ſepoſito dimicandi ſtudio perpendat, Præfationis corpus eſſe integrum, aliquot periodos complectens uno ſpiritu cum prioribus conjunctas; quæ tamen deſunt apud Iſidorum, qui ex loco laudato decerpſit quod ſibi commodum videbatur. Deinde ultima verba excerpti, quod eſt apud Iſidorum, iſta nempe: QVORVM ETIAM GESTA IN HOC OPERE CONDITA CONTINENTVR, nullius operæ ſunt in Libris Originum; immo vero aperte falſa: cum in eo volumine, nec Canonum, nec Conciliorum Acta contineantur. Quare prudenter obſervavit vir eruditus: HÆC OMISSA OPORTVIT.* (Nimirum, Joannes Grial in Notis ad verba illa, ſeu potius Alvar Gomez de Caſtro, cujus ſunt Notæ in eos Libros, teſte Andrea Scoto in Bibliotheca Hiſpana) *Quæ ſane verba in Præfatione leguntur opportune, quia præfixa eſt Collectioni Canonum. Unde exſcriptor, qui juſſu Iſidori in Origines hunc locum tranſtulit, manifeſte hallucinatus eſt, non omittendo verba hæc, quæ in volumine Canonum ſunt aptiſſima, ſed ab Originibus prorſus aliena.* Hactenus ille, & recte quidem. Conſonant laudati Illuſtratores ejuſdem Capitis 15. S. Iſidori, qui in Notis ajunt: *Hoc caput ex alio Iſidori volumine a Braulione, qui hoc Opus interpolavit, in Libroſque digeſſit, accerſitum videtur. Nam & Conciliorum Acta hoc Opere condita contineri inferius dicitur, & multa hujus loci verba in ea Præfatione, quæ inſcribitur, ORIGO CONCILIORVM, reperiuntur.*

XXVII. Itaque cum S. Iſidorus Hiſpalenſis jam elaboraſſet Collectionem aliquanto poſt tempus Concilii II. Hiſpalenſis, celebrati anno DCXIX. & poſtea Libros Originum (quos tamen affectos reliquit, & nondum adhibita poſtrema manu) Sactus Braulio interpolator ejus Operis conſiderans, partem illam Præfationis eſſe opportunam prædicto loco, ubi de Canonum etymologia, & ratione agitur, fecit, ut verba illa huc transferrentur ab aliquo amanuenſi, exſcriptoreve alio. Hic vero exſcripſit pluſquam oporteret, nam eo intulit verba illa: *QVORVM ETIAM GESTA IN HOC CORPORE CONTINENTVR.* Quæ quidem initio Collectionis, ſive in Præfatione ad Concilia, opportunum habebant locum: nullatenus vero inter Libros de Originibus. Præterea manifeſtum eſt, eam Collectionem Conciliorum, & Epiſtolarum Decretalium Iſidorianam, ſolum pervenis-

To. I.

ſe uſque ad tempus S. Gregorii Magni ſub initium Sæculi ſeptimi, ut conſtat ex antiquiſſimis exemplaribus Diſſert. 1. allegatis: cæterum poſt Iſidori obitum adauctam fuiſſe, tum Actis ſextæ Synodi Generalis, & Conciliorum Toletanorum ſequentium ingenti numero: tum præterea pluribus Epiſtolis Romanorum Pontificum, uſque ad Zachariam Papam, ut in exemplaribus aliis mſſ. videre licet.

XXVIII. Ex eodem teſtimonio Marcæ diſces, ejus judicio S. Iſidorum Hiſpalenſem vere fuiſſe Auctorem Collectionis Canonum, Conciliorumque, prout nos Diſſert. 1. aſſeruimus: quidquid in oppoſitum exiſtiment alii, præſertim ii, qui conviciorum plauſtris onerare ſolent Iſidorum illum, quem Mercatorem appellant, tanquam Auctorem ejus Collectionis. Quin & in Diſſertatione de Primatu Lugdunenſi, quæ edita habetur Tomo. x. Collectionis Labbeanæ, col. 519. & ſeqq. §. 7. & 8. palam eandem ſententiam confirmat. Quod ſi vero Marca ipſe alibi eam abjudicare videtur Iſidoro Hiſpalenſi, *ἀσυστασία* cenſenda erit, ſeu inconſtantia doctrinæ, ob quam alias ſæpe incuſatur, etiam ab ipſis Gallis.

XXIX. Diſces rurſus exinde, qualiter, juxta Marcam, Judicio Eruditorum, magnam laudem meruerit S. Iſidorus Hiſpalenſis, dum ſtuduit *laudabiles locos, qui ſuo inſtituto conducunt, tacitis Auctoribus in Opus illud conferre.* Quid autem ſi forte idem S. Doctor exſcribens Epiſtolas veteribus Pontificibus tributas, eiſdem adjecerit varia Scripturæ teſtimonia, & plures adhuc Patrum locos, tacitis ipſorum nominibus, veluti in exornationem, aut commentarium? Quod adhuc factum cogitari poteſt altero ex duobus modis. Primo, ſi intra Corpus ipſum Epiſtolarum, ea omnia interjecerit ſub parentheſi, aut ſigno alio diſtinctionis, quo ſecernerentur a germanis, & authenticis Epiſtolis. Secundo, ſi ſolum ad marginem eas additiones poſuerit. Utrovis autem modo ſe geſſerit S. Doctor, fieri potuit, ut poſtea aliqui, aut imprudentes, aut ſcioli (& fortaſſe Theodiſclus, indigniſſimus S. Iſidori Succeſſor in Sede Hiſpalenſi, ſi vera ſint, quæ de ipſo narrantur apud Archiepiſcopum Rodericum, & Lucam Tudenſem) ex verbis Pontificum, & additionibus Iſidori, abſque ulla diſtinctionis nota, contexerent totum Epiſtolarum Corpus, quaſi ita a priſcis Pontificibus integre ſcriptæ fuiſſent. Si vero ita contigit (neque enim aliud certi in hac re ſtatuere licet, quod careamus autographo Collectionis Iſidori, & antiquiſſimis exemplaribus ſæculo ſeptimo exſcriptis) non ideo Auctor pſeudo-Iſidori editi anno 1628. jure potuit inſectari Epiſtolas illas criminationibus, & conviciis: nam dato, quod ii centones fuerint aſſuti earum contextui, & non potius exinde in poſteriora Patrum ſcripta derivati, ſemper veneratione dignæ ſunt illæ, propter doctrinam Catholicam, & ſalutarem, quæ in ipſis additionibus continetur. Sed de hoc uberius agemus Diſſert. IV. num. 71. & ſeqq.

XXX. Premamus iterum verba eadem Præfationis a principio. Non quoslibet Canones Conciliorum ait Iſidorus cœpiſſe a temporibus Conſtantini, ſed nominatim *Canones Generalium Conciliorum.* Nam præceſſerant procul dubio Canones alii Conciliorum Provincialium,

& Nationalium: veluti Ancyrani, & Neocæſarienſes, fortaſſis quoque & Gangrenſes: immo & Eliberritani, juxta ſententiam eorum, qui Eliberritanum Concilium ajunt celebratum fuiſſe pluribus annis ante Synodum Nicænam, quæ fuit prima ex quatuor Oecumenicis, ſive Univerſalibus. Quare hæc in mſs. Rivi-Pollanſibus collocatur primo loco, habita ratione dignitatis, non temporis. Itaque ſolos Canones Generalium Conciliorum ait Iſidorus cœpiſſe a temporibus Conſtantini, qui eam Magnam Synodum, & inter Generales primam, convocari curavit, quamvis antea extitiſſent alii Canones Conciliorum Provincialium, aut Nationalium.

XXXI. *b DE OMNI TERRARUM ORBE CONVENIENTES*]. Nimirum ex omni pene natione earum, quæ ſub Cælo ſunt, confluxere Epiſcopi, aliique Viri pietate, & doctrina inſignes ad Synodum Nicænam. Sufficiat audire Gelaſium Cizycenum in Commentariis ejuſdem Synodi Parte ſecunda, Cap. quinto, ubi ex teſtimonio Euſebii Pamphili oculati teſtis, Libro tertio Hiſtoriæ, ait: *Velut Dei nutu adducta, intra parietes ſuos, Syros, pariter & Cilicas, Phœnicas, Arabas, Palæſtinos, Ægyptios, porro Thebanos, Afros, alioſque ex Meſopotamia profectos recipit. Aderat in Concilio unus Perſidis Epiſcopus, nec ab hoc choro Scytha abfuit, Pontus item, & Aſia* (Euſebius eo loco addit Galatiam, & Cappadociam) *Phrygiaque, & Pamphilia, Viros apud ſe lectiſſimos ſuppeditarunt. Quin etiam Thraces, Macedones, Achæi, & Epirotæ, & quorum domicilia multo longiore locorum intervalla diſtabant, eo advenerunt.* Addit Nicephorus Lib. octavo, Cap. quintodecimo ex eodem Euſebio: *Ab ipſis quoque Hiſpanis, Hoſius videlicet celeberrimus ille una cum aliis ibi conſidebat.*

XXXII. *c CCCXVIII. EPISCOPORUM*]. Nimirum, totidem fuere præcipui in Nicæna Synodo, in adyta admiſſi, veluti ſelecti ex maxima multitudine Epiſcoporum, qui eo advenerant. Nam, ut habetur in Præfatione Alexandrinæ editionis, cujuſcumque demum auctoritatis ea ſit, duo mille trecenti quadraginta octo convenerunt: ſive duo mille quadraginta octo, ut habet Melchitana editio: & ex iis omnibus delecti fuerunt trecenti decem & octo, quorum dumtaxat ratio habita eſt. Fortaſſe in Templo aut Aula, ubi Synodus celebrabatur, non erat locus majori Epiſcoporum multitudini.

XXXIII. *d TERTIA SYNODUS*]. Ante hæc verba refert Ivo, Cap. 20. de ſecunda Synodo Generali, quæ præceſſerat: *Hæc Synodus acta eſt temporibus Damaſi Papæ Romani, Cyrilli Hieroſolymitani Epiſcopi, Neſtorii* (lege *Nectarii*) *Conſtantinopolitani*. Verum non extant in Præfationibus mſs. Rivi-Pollenſium.

XXXIV. *e OSTENDENS MANERE*]. Huc ſpectant verba illa Gennadii eodem ſæculo quinto ſcribentis, obſervata a Grialio: *Sixtus urbis Romæ Epiſcopus, Decretum Synodi* (Epheſinæ ſcilicet) *adverſus Neſtorium, a ſe habitum volumine deſcribens, ad Orientis, & Occidentis Eccleſias dedit, confirmans duabus in Chriſto manentibus perfecte naturis, unam Filii Dei credendam eſſe perſonam.*

XXXV. *f CONFITEAMUR NATURÆ*]. Poſt hæc verba addit ſolus Ivo: *Hæc Synodus acta eſt temporibus Leonis Papæ Romani, & Juvenalis Hieroſolymitani Epiſcopi, Athanaſii* (lege, *Anatolii*) *Conſtantinopolitani*. Mirum autem eſt poſt ejus Concilii editiones tam accurate factas, præſertim Romæ, Coloniæ, & Pariſiis, quam multa nuperrime addiderit, & correxerit, ac ſuæ integritati reſtituerit Stephanus Baluzius Tomo I. ſuæ Novæ Collectionis, præſertim a columna 953. uſque ad 1449.

XXXVI. *g CONTINENTUR*]. Huc uſque habetur Capite illo 16 Lib. ſexti Etymologiarum; qoamvis ibi præter rem adjecta fuerint ea verba: *quorum geſta in hoc corpore condita continentur*; quæ tamen in Præfatione Collectionis opportuna ſunt, ut jam præmiſimus num. 25. & 26.

XXXVII. *h IN PRINCIPIO &c.*] Hæc verba, & quæ ſequuntur, nullatenus ab exſcriptore Iſidori translata fuerunt in locum illum Etymologiarum: ſed ſolum leguntur in Præfatione utriuſque mſs. Rivi-Pollenſis, & in Vaticano num. 630. qui fuit olim Joannis Epiſcopi Attrebatenſis, juxta poſteriorem S. Iſidori Præfationem. Quod autem legitur, in principio conſtitui Nicænam Synodum, *pro auctoritate ejuſdem magni Concilii*, ideo dicitur, quia in ea Collectione extant Canones Ancyrani, & Neocæſarienſes, qui certe conditi fuerant ante Synodum Nicænam: verum huic propter eximiam dignitatem primus locus in iis Collectionum exemplaribus datus fuit. Nimirum (ut omittam Concilium Eliberritanum, de cujus tempore eſt controverſia inter eruditos) Canones Ancyrani conditi fuerant anno cccxiv. ſimiliter & Neocæſarienſes. De Gangrenſibus dubitatur, an præceſſerint tempore Synodum Nicænam, quamvis conſtet, editos fuiſſe ſub Silveſtro Papa, & Conſtantino Auguſto, ac præſente Hoſio, dum juſſu ejuſdem Romani Pontificis verſaretur in Oriente. Ut ut ſit, collocati etiam fuerunt in iis mſs. poſt Synodum Nicænam.

XXXVIII. *i DEINDE DIVERSORUM, &c.*] Quotquot potuerunt inveniri Concilia Græca, & Latina, anteriora, & poſteriora quatuor Synodis Generalibus, ab Iſidoro collecta fuerunt, & in iis exemplaribus continentur. Jam vero ſæpe monuimus, & ex antiquiſſimis Collectionis Iſidorianæ mss. Romæ, ac Toleti extantibus comprobatum fuit, Iſidorum non fuiſſe progreſſum in eo Opere ultra Concilium Hiſpalenſe II. celebratum ipſo Præſide anno DCXIX. Nam licet ipſe pluribus annis ſupervixerit, & interfuerit poſtea anno 633. Concilio IV. Toletano, non tamen invenitur illud poſuiſſe in antiquiſſimis exemplaribus ejus Collectionis, quia facta fuerat ante tempus ejus Synodi. Quare ordo celebrandi Concilium, deſumptus ex illa, & circumferri ſolitus in communibus editionibus Conciliorum poſt Hiſpanicam D. Loaiſæ, additus poſtea fuit Collectioni, ſive ab ipſo S. Iſidoro, ſive ab alio.

XXXIX. *k SUBJICIENTES.*] Nimirum, Iſidorus curavit etiam colligere Epiſtolas Decretales Pontificum Romanæ Eccleſiæ a Clemente uſque ad Gregorium Magnum, quotquot potuit invenire, ut dicitur in alia Præfatione

tione a nobis edita ante Diſſertationes has, & oſtenſum fuit Diſſert. I. & conſtabit uberius Diſſert. IV.

XL. *l IN QUIBUS &c.*] Non minorem auctoritatem eſſe ait Decretis Pontificum Romanæ Eccleſiæ a Clemente uſque ad Gregorium Magnum, in ea Collectione editis, quam Conciliorum, *pro culmine Sedis Apoſtolicæ*, nimirum, attenta auctoritate ſuprema ejus Sedis in totam reliquam Eccleſiam. Loquitur autem de Conciliis omnibus, quorum antea mentionem fecerat, ac proinde etiam de quatuor primis Generalibus, quorum auctoritatem ait non eſſe majorem, quam Decretorum Apoſtolicæ Sedis, quamvis & illa ab eadem Sede probata fuiſsent. Eant nunc, qui Decreta, & Definitiones, ex Cathedra prolatas a Romanis Pontificibus circa Fidem, aut mores, volunt corrigi poſſe a Concilio Generali, aut Romanum Pontificem illi ſubjiciunt. Porro quanta ſit auctoritas Epiſtolarum germanarum Decretalium, & quam aliena ab omni erroris periculo, late tractavimus in Defenſione Cathedræ S. Petri, Diſp. XXX. & alibi ſæpe in eodem Opere.

XLI. *m CANONES AUTEM, &c.*) Hinc demum patet (quod præcipue oſtendendum adumimus Diſsert ſeq.) judicio S. Iſidori quinquaginta illos Canones Apoſtolis adſcriptos, nondum in Hiſpania plenam eo tempore auctoritatem habuiſse, contra quam dicitur in Præfatione alia huic Tractatui præfixa, & quidquid in oppoſitum cenſuerit Baronius. Nimirum, ut ibidem palam conſtabit, Præfatio illa quoad plura Capita proculdubio interpolata, aut etiam corrupta fuit, poſt obitum S. Iſidori a quopiam alio, ſive Iſidorus appellaretur, ſive alio nomine. Quod autem Archipræſul Marca Diſsert. de Primatu Lugdunenſi §. VIII. citat Iſidorum Hiſpalenſem, quaſi in Libris Originum rejecerit ad apocrypha Canones Apoſtolis tributos, μνήμης ἁμάρτημα eſt, cum in toto eo Opere μηδὲ γρῦ de Canonibus Apoſtolorum habere videatur. Solum anim ea de re in Præfatione germana ad ſuam Collectionem locutus eſt. Nec mirum ita ſentiret, cum Canones ipſi, prout circumferebantur tempore S. Gelaſii Papæ, ab ipſo inter apocrypha computati eſſent; & propterea fortaſse prætermiſſi fuerint a Sancto Martino Bracarenſi, veluti non recepti in Hiſpania ipſius ætate, ut obſervat Juſtellus in Præfatione non longe a fine pag. 25. De Collectionibus Canonum lege plura, & ſelecta apud Giballn. Lib. 5. de Jure Canon. Cap. 10. late, quæ poſt elaboratam Diſsertationem hanc, ſolum raptim legere licuit. Porro de Collectione Martini Bracarenſis agemus ſuo loco inter Acta Concilii Lucenſis, quod in Hiſpania celebratum fuit anno quingenteſimo nono, aut circiter.

DISSERTATIO TERTIA

An S. Iſidorus Hiſpalenſis Collectioni ſuæ inſeruerit Canones, qui dicuntur Apoſtolorum, & quotnam ex iis, ac quo jure.

Pergit Collector in Præfatione hac, quam præ manibus habemus, & ait: Propter eorum auctoritatem cæteris Conciliis præpoſuimus CANONES, QUI DICUNTUR APOSTOLORUM, licet a quibuſdam apocryphi dicantur: quoniam plures eos recipiunt, & Sancti Patres eorum ſententias Synodali auctoritate roboraverunt, & inter Canonicas ſtatuerunt Conſtitutiones. *Hæc inibi: quæ non levem ingerunt difficultatem, & occaſionem præbent huic controverſiæ.*

EXCURSUS I.

Ratione dubitandi præmiſſa, oſtenditur, S. Iſidorum initio Collectionis ſuæ inſeruiſse Canones Apoſtolis adſcriptos; non tamen iis auctoritatem ullam tribuiſse: nec verba illius eſse, quæ modo exſcripſimus, ſed longe alia, quidquid contra velint nonnulli, & olim cenſuerit Hincmarus.

II. CUm ex dictis tota Diſsertatione præcedenti certum appareat, S. Iſidorum Hiſpalenſem fuiſse Auctorem verum hujus Collectionis uſque ad Concilium Hiſpalenſe ſecundum, celebratum anno Chriſtianæ Epochæ 619. cujus Acta coronidem illi Operi imponunt in multis mſs. occurrit ſtatim ratio dubitandi ex verbis Præfationis nuper exſcriptis. Nam in iis videtur Collector fidem exploratam habere Canonibus evulgatis nomine Apoſtolorum: ſiquidem ait, ſanctos Patres eorum ſententias Synodali auctoritate roboraſſe, & inter Canonicas Conſtitutiones ſtatuiſse.

III. Aliunde autem, & ex oppoſito, S. Iſidorus videtur iis omnem auctoritatem negaſse. Nam, ut habetur apud Gratianum Diſt. 16. Cap. 1. in Præfatione Iſidori ad Collectionem Conciliorum, quæ ex Bibliotheca Toletanæ Eccleſiæ deſcripta Romam miſsa eſt, hæc verba habentur: *Canones, qui dicuntur Apoſtolorum, ſeu* (fortaſſis legendum, *ſed*) *quia eoſdem nec Sedes Apoſtolica recepit, nec ſancti Patres illis aſsenſum præbuerunt, pro eo quod ab hæreticis ſub nomine Apoſtolorum compoſiti dignoſcuntur; quamvis in eis utilia inveniantur, tamen ab auctoritate Canonica, atque Apoſtolica, eorum geſta conſtat eſse remota, atque inter apocrypha deputata.* Hæc autem videntur directo contradicere verbis initio exſcriptis, quæ leguntur in exemplaribus editis Collectionis Iſidorianæ. Credibile autem eſt, exemplar illud, quod in Bibliotheca Toletana extabat, fuiſſe germanum præ quibuslibet aliis, & proinde aut ipſius S. Iſidori autographum, aut ex eo fideliter deſcriptum. Quomodo igitur alia omnia leguntur in Præfatione Collectioni circumferri ſolita, quam initio exſcripſimus? Sane nodus hic valde implicatus eſt, & in quo extricando, propter nimiam rei antiquitatem, & defectum teſtium antiquorum, conjectare, ac pene divinare oporteat.

IV. Verum ut in re adeo difficili aliquid

certi

Digitized by Google

certi ſtatuamus, ex quo cætera veroſimili conjectura colligi poſſint, initio præmittendum, Canones dictos Apoſtolorum extitiſſe in omnibus exemplaribus Collectionis Iſidoro adſcriptæ. Nam omnia in Præfatione habent verba illa; *Præpoſuimus Canones, qui dicuntur Apoſtolorum*. De duobus exemplaribus Romæ extantibus in Bibliotheca Vaticana id teſtatur Vir doctus, & gravis, qui Juris Canonici Præfationem ſcripſit in editione Gregorii XIII. Papæ, ſimiliterque de alio in Bibliotheca Dominicana Sanctæ Mariæ ſuper Minervam tunc aſſervato. Ait enim paullo poſt initium: *Inter privatos Collectores, qui multo plura congerere ſtuduerunt perantiquus eſt Iſidorus, cujus Collectio protenditur A CANONIBUS APOSTOLORUM uſque ad Concilium Hiſpalenſe ſecundum; babeturque in duobus Codicibus Vaticanæ Bibliothecæ, & Monaſterii Dominicani Sanctæ Mariæ ſuper Minervam*.

V. Porro Iſidorum Collectorem fuiſſe non alium, quam Hiſpalenſem, qui eidem Concilio præfuit an. DCXIX. jam conſtitit Diſſert. præcedentibus, & idem Scriptor laudatus paullo poſt confirmat teſtimonio Hincmari, dum ſubdit: *Iſidorum hunc Hicmarus Archiepiſcopus Rhemenſis in Libro de Synodis, celeberrimum illum Hiſpalenſem fuiſse affirmat*. Itaque dubitare non licet, in Collectione facta a S. Iſidoro Hiſpalenſi, initio extitiſſe Canones Apoſtulis adſcriptos. Similiter & in aliis exemplaribus, quæ ibidem dicuntur *recentiora, multis aliis Conciliis, ſcriptiſque addita*, extitiſſe, extareque Canones eoſdem, probatione non eget, & conſtat ex ipſis verbis Præfationis, quæ ſub epigraphe Diſſertationis hujus exſcripſimus.

VI. Hoc præmiſſo, videtur dicendum, verba hujus Præfationis circa Canones Apoſtolorum, prout habentur in exemplari edito ex Bibliotheca Toletana, citato apud Gratianum D. 16. Cap. 1. fuiſſe ſcripta a S. Iſidoro, negante iis Canonicam auctoritatem, & rejiciente ad apocrypha: verba vero ejuſdem Præfationis, quæ initio Diſſertationis hujus exſcripſimus, & extant in omnibus fere editionibus circumferri ſolitis, fuiſſe longe poſtea ab alio quopiam interpolatore, ſeu verius corruptore, ſubſtituta loco illorum, contra ſenſum S. Iſidori Hiſpalenſis. Aſſertio eſt bimembris, & ſuadenda quoad utramque partem, licet doctiſſimus, & tot nominibus de Eccleſia benemeritus Cardinalis Baronius (a quo raro admodum, & non niſi invitus, recedam) oppoſitum cenſeat ad annum Chriſti CII. Sed & ipſe aliunde favet noſtræ ſententiæ, ut videbimus infra num. 45.

VII. Prior pars colligitur ex antiquitate, & fidelitate illius exemplaris deſcripti ex alio antiquiore Eccleſiæ Toletanæ; in qua, ſi uſquam alibi, antiquiſſimum aliquod exemplar Iſidorianæ, ac germanæ Collectionis extitiſſe cenſendum eſt, utpote factæ ab Hiſpano homine, & intra Hiſpaniam, & rogatu Epiſcoporum Hiſpaniæ, quos ſimul cum S. Iſidoro Præſide conſtat interfuiſſe, non ſolum Concilio Hiſpal. II. ann. DCXIX. ſed & Toletano IV. an. DCXXXIII. Unde credibile admodum eſt, & Iſidorum venientem ad id Concilium celebrandum in Eccleſia Toletana, ei tradidiſſe aliquod exemplar germanum Collectionis a ſe elaboratæ antea hortatu Epiſcoporum. Cum igitur in illo tam clare, & aperte Canones Apoſtolis adſcripti dicantur non recepti ab Apoſtolica Sede, nec probati ſanctis Patribus, eo quod ab hæreticis ſub nomine Apoſtolorum compoſiti dignoſcantur (licet in iis utilia quædam inveniantur,) & tandem remoti ab auctoritate Canonica, atque inter apocrypha computati; palam eſt, nullam iis fidem ab Iſidoro Hiſpalenſi tributam fuiſse. Deinde poſt elaboratam hactenus Diſsertationem hanc, invenimus, ejuſdem fuiſse ſententiæ ſummum Virum Antonium Auguſtinum. Nam Libri prioris Dialogo ſexto non longe a ſine, recitatis ex Iſidoro eiſdem verbis, quæ præmiſimus num. 3. ſubdit: *Hæc verba IN OMNIBUS LIBRIS VETERIBUS HISPANIÆ CONCILIORUM INVENIUNTUR; non illa, quæ Iſidorus Mercator in Præfatione Conciliorum ſcripſit* (nimirum, ſupra num. 1. exſcripta) *quæ etiam Gratianus Cap. 4. ejuſdem Diſtinctionis poſuit: neque diſtinxit varietatem horum Scriptorum, ut debuit, cum contraria dicerent (hic enim Mercator hos Canones probat, quos ille rejecerat) ſed utrumque Iſidorum vocat*. Habemus itaque, judice eximio Viro, & oculato tot veterum mss. teſte, verba num. 3. relata fuiſse germana Sancti Iſidori: ea vero quæ retulimus n. 1. intruſa fuiſse ab interpolatore, ſeu verius corruptore hujus Præfationis, ſive is dicendus ſit Iſidorus Mercator, ſive Peccator; ſeu quovis alio nomine indigitandus ſit.

VIII. Fortaſſis idipſum comprobari poterit ex illis tribus exemplaribus Collectionis Iſidorianæ Romæ extantibus tempore Gregorii XIII. quorum meminimus num. 4. Nam in Præfatione citata dicuntur puriora aliis poſtea additis, & in quibus nihil apparet poſterius Concilio Hiſpalenſi ſecundo; ideſt, nihil ſcriptum poſt tempus S. Iſidori Hiſpalenſis, qui eidem Concilio præfuit, & aliis ſeptemdecim annis ſupervixit uſque ad 636. in quo vitæ periodum clauſit. Itaque cum in iis nihil inveniatur corruptum, aut interpolatum cujuſpiam mangonio; credendum eſt, verba Præfationis Iſidorianæ, quoad Canones Apoſtolorum, eſſe eadem, quæ in Codice Eccleſiæ Toletanæ: ac proinde S. Iſidorum Canones Apoſtolorum exſcribentem, prout eo tempore circumferebantur in Hiſpania, non tribuiſſe iis Canonicam auctoritatem, ſed potius ad apocrypha rejeciſse. Dixi, *fortaſſis*, quia valde credibile eſt, Antonium Auguſtinum Romæ commorantem eo tempore, & laborantem in Correctione ipſa, vidiſse, & obſervaſse tria illa exemplaria, veluti conformia verbis apud Gratianum extantibus. Propterea enim videtur generatim dixiſſe doctiſſimus Præſul: *Hæc verba in omnibus Libris veteribus Hiſpaniæ Conciliorum inveniuntur*. Fateri autem debeo, in Codice Vaticano 630. ſæpius a me laudato, & ſcripto tempore Nicolai I. quod fuit olim apud Joannem Epiſcopum Attrebatenſem, non extare ea verba, prout apud Gratianum habentur; ſed ſolum prout leguntur in Præfatione Iſidori, quæ vulgo circumfertur. Sed enim unius, vel alterius exemplaris e Gallia allati non videtur habenda ratio adverſus plura alia mſs. Hiſpaniæ, ubi Collectio ab Iſidoro elaborata fuit, in quibus extant verba illa, prout a Gratiano exſcribuntur.

IX. Confirmatur ex dicendis toto Excurſu ſequenti, ubi oſtendemus, cenſuram circa

Ca-

Digitized by Google

Canones Apoſtolorum quoad ſingula verba a Gratiano relata, reſpondere judicio, quod S. Iſidorus Hiſpalenſis ferre potuit de iis, juxta Concilia, & Decreta Sedis Apoſtolicæ, quæ inſeruerat ſuæ Collectioni.

X. Poſterior noſtræ ſententiæ pars conſtat ex oppoſito fundamento: quia verba Præfationis exſcripta a nobis ſub epigraphe ipſa Diſſertationis hujus, licet in exemplaribus editis ab anno 1500. habeantur; non tamen in reliquis mſs. quotquot in Hiſpania inventa ſunt, nec in Toletano, teſte Antonio Auguſtino, & Alvaro Gomezio, qui illius tranſumptum authenticum Romam miſerunt ad Gregorium XIII. Itaque putandum, priora S. Iſidori verba ab alio quopiam ſciolo corrupta fuiſse, propter definitionem quandam Stephani IV. Papæ editam longe poſt tempora Iſidori, ut infra videbimus num. 59. & ſeqq. Neque quidpiam alicujus momenti affert Baronius loco citato pro ſua exiſtimatione, quæ videtur fuiſſe orta ex præjudicio ſarciendi auctoritatem Apoſtolicorum Canonum, quæ tamen non erat authentica, nec explorata in Hiſpania, juxta eorum exemplaria, quibus uſus fuit S. Iſidorus. Unde exiſtimo, exemplar Collectionis Iſidorianæ, quo uſus fuit Hincmarus, non fuiſse purum quoad Præfationem hanc, ſed potius interpolatum, & corruptum. Nam ille in Opuſculo citato Cap. 24. hæc habet: *In Præfatione idem Iſidorus dicit de Apoſtolorum Canonibus, quod quibuſdam dicantur apocryphi, & plures eos recipiant, & ſancti Patres eorum ſententias Synodali auctoritate roboraverunt, & inter Canonicas Conſtitutiones poſuerunt, quod de quibuſdam ſententiis verum eſt, ſicut alibi in hoc Opuſculo potes legere.* Tam antiqua eſt corruptio Præfationis hujus Iſidorianæ, ut in exemplari, quo utebatur Hincmarus circa medium noni ſæculi, jam legeretur vitiata, & continens doctrinam contrariam Iſidoro. Ac certe Hincmarus in iis poſtremis verbis ſatis aperte profitetur, non omnia in iis Canonibus contenta, cenſeri debere auctoritatis exploratæ, dum hanc ſolum tribuit *quibuſdam ſententiis* illorum. At enim nos infra Excurſu ſexto oſtendemus, ſolos duos primorum quinquaginta ſuſpectos eſse; itemque tres alios ex triginta quatuor reliquis. Unde demum conſtabit, ſeptuaginta novem fuiſse probatos ab Eccleſia: reliquos vero quinque, nec probatos ab ea, nec admiſsos.

EXCURSUS II.

Cur Sanctus Iſidorus, licet in Collectione ſua exſcripſerit Canones Apoſtolis adſcriptos, rejecerit illos ad apocrypha, & intruſos ab hæreticis. Opinio quædam Binii, & aliorum rejecta.

XI. Vidimus ſupra num. 3. quomodo ex mente, & verbis Sancti Iſidori Hiſpalenſis, juxta exemplaria Collectionis antiquiora & puriora, *Canones illos, qui dicuntur Apoſtolorum...... nec Sedes Apoſtolica recepit, nec ſancti Patres iis aſſenſum præbuerunt, pro eo quod ab hæreticis ſub nomine Apoſtolorum compoſiti dignoſcuntur. Unde, quamvis in eis utilia inveniantur, tamen ab auctoritate Canonica, atque Apoſtolica, eorum geſta conſtat eſſe remota, atque inter apocrypha deputata.* Videndum modo, an rectum fuerit in ea parte Iſidori judicium.

XII. Imprimis, ut eos Apoſtolorum Canones diceret non receptos a Sede Apoſtolica, nec auctoritatem Canonicam habere, ſed potius computari inter apocrypha, ductus fuit Iſidorus firma Helice, aut Cynoſura Eccleſiæ, quæ eſt auctoritas Sedis Apoſtolicæ, ſive Romani Pontificis loquentis ex Cathedra. Nimirum, Sanctus Gelaſius I. Papa in Concilio Romano LXX. Epiſcoporum celebrato anno 494. inter apocrypha recenſet *Librum Canonum Apoſtolorum*. Sic enim omnia exemplaria habent, ex quibus ſuppleri oportet Juſtelli mſs. in quo deſunt ea verba, ſicuti & deerant olim in eo, quo uſus fuit Hincmarus Rhemenſis. In reliquis enim mſs. & impreſſis extant. Et certe Sanctus Iſidorus eam cenſuram non tuliſſet, niſi exemplar Gelaſiani Decreti, quo uſus fuit, ita haberet.

XIII. Fortaſſis ob eam Gelaſii cenſuram, Dionyſius Exiguus, qui Canones quinquaginta Apoſtolis tributos e Græco Latine reddidit, paulo poſt tempus Gelaſii ipſius, ſuæque Collectioni inſeruit; non propterea authenticos exiſtimavit, quin potius teſtatur, illos multis ſuſpectos, ſive dubiæ auctoritatis. Nimirum, ita loquitur in Præfatione: *In principio Canones quinquaginta, qui dicuntur Apoſtolorum, de Græco tranſtulimus: quibus quia plurimi conſenſum non præbuere facilem, nec ipſum voluimus veſtram ignorare Sanctitatem, quamvis quædam poſtea conſtituta Pontificum ex ipſis Canonibus aſſumpta eſſe videantur.* Quomodo enim facilis præſtaretur aſſenſus iis Canonibus, quos paucis retro annis Sedes Apoſtolica in Romano Concilio ad apocrypha amandaverat?

XIV. Similiter quod ait Sanctus Iſidorus, ideo Canones illos non recipi, quia *ab hæreticis ſub nomine Apoſtolorum compoſiti dignoſcuntur*, verum quidem eſt quoad aliquos eorum. Nam quamvis Severinus Binius, & plures alii Recentiores, poſt nonnullos Scriptores mediæ ætatis, videantur omnino probare primos quinquaginta ex iis, prout ex Græco habentur in Collectionibus Dionyſii, & Iſidori; falluntur abs dubio. Nam in editione Græca, ac Latina Dionyſii, Canones 45. & 46. in Latina vero Iſidori, Canones 46. & 47. decernunt, Baptiſmum ab hæreticis collatum, eſſe irritum. Nimirum Canon 45. Græcus hæc habet: *Ἐπίσκοπον ἢ πρεσβύτερον αἱρετικῶν δεξάμενον βάπτισμα ἢ θυσίαν καθαιρεῖσθαι προστάσσομεν.* Latine autem: *Epiſcopum, vel Presbyterum, qui hæreticorum Baptiſmum, vel Sacrificium admiſerit, deponi jubemus.*

XV. Deinde Canon Græcus 46. hæc habet: Ἐπίσκοπος, ἢ Πρεσβύτερος, τὸν κατ' ἀλήθειαν ἔχοντα βάπτισμα, ἐὰν ἄνωθεν βαπτίσῃ, ἢ τὸν μεμολυσμένον παρὰ τῶν ἀσεβῶν ἐὰν μὴ βαπτίσῃ, καθαιρείσθω, ὡς γελῶν τὸν σταυρὸν, καὶ τὸν τοῦ Κυρίου θάνατον, καὶ μὴ διακρίνων ἱερέας τῶν ψευδιερέων. Latine vero: *Epiſcopus, vel Presbyter, eum, qui vere habet Baptiſmum, ſi de integro baptizaverit, vel ſi eum, qui ab impiis pollutus eſt, non baptizaverit, deponatur, ut qui irrideat mortem, & crucem Domini & non diſcernat Sacerdotes a falſis Sacerdotibus.* Eodem fere modo Latine leguntur, uno, aut alio verbulo immutato, apud Iſidorum, niſi quod Canones ſunt 46. & 47. At id eſſe falſum con-

conſtat: cum tertio ſæculo Sanctus Staphanos I. Papa, & ſæculo quarto Eccleſia tandem damnaverit errorem Rebaptizantium, ſeu aſſerentium, Baptiſmum ab hæreticis collatum eſſe irritum, & proinde iterandum. Vide infra num. 78. & 79. Non igitur omnes ii quinquaginta Canones probari debent, cum ii duo ſint plane obtruſi ab hæreticis. Et propterea Sanctus Iſidorus inquit, Canones Apoſtolis tributos (nimitum nonnullos) eſſe compoſitos ab hæreticis.

XVI. Urgetur idipſum. Si enim ii Canones probati olim fuiſſent, tanquam ab Apoſtolis editi; quotquot Epiſcopi in Africa ſæculo tertio, immo & quarto, docebant, baptiaatos ab hæreticis, debere rebaptizari, profecto uſi fuiſsent teſtimonio aorum duorum Canonum, eoque non leviter opinionem ſuam confirmaſſent; utpote innito traditioni Apoſtolicæ. At nunquam id feciſſe inveniuntur. Neque enim Agripinus cum Concilio Carthaginenſi, nec Sanctus Cyprianus cum Synodo octoginta ſex Epiſcoporum, tradentes eam opinionem, nllum ex iis Canonibus pro illa allegaſse inveniuntur. Quin potius urgebantur in oppoſitum a Stephano I. Papa ex traditione Apoſtolica. Non ergo ii Canones authentici, vel ab Apoſtolis editi cenſendi ſunt.

XVII. Præterea, ut ſcite obſervat Joannes Cabaſſutius, Diatriba peculiari de bac re, neque apud Auguſtinum Libris illis ſeptem contra Donatiſtas (qui omnes extra ſuam ſectam baptizatos, iterum baptizabant) neque apud Sanctum Optatum Millevitanum in toto Opere adverſus Parmenianum Donatiſtam, ulla extat mentio alicujus Canonis Apoſtolorum ea de re ab eiſdem hæreticis objecti, vel a quopiam alio: eum tamen ii nullum non moverent lapidem ad ſuam opinionem ſuadendam. Non ergo extabat tunc aliquis prædictorum duorum Canonum. Quin potius Sanctus Auguſtinus Lib. 5. laudati Operis Cap. 20. urget pro ſua, & reliquorum Catholicorum ſententia, Apoſtolicam traditionem: quæ tamen nulla eſset, ſi aliquis eorum Canonum duorum eſset authenticus. Verba ſancti Doctoris bæc ſunt: *Apoſtoli nibil exinde præceperunt: ſed conſuetudo illa, quæ opponebatur Cypriano, ab eorum traditione exordium ſuſcepiſſe credenda eſt, ſicut multa, quæ univerſa tenet Eccleſia; & ob boc ab Apoſtolis recte præcepta creduntur, quanquam ſcripta non reperiantur.*

XVIII. Nimirum, ut Sanctus Doctor tradiderat ejuſdem Operis Lib. 4. Cap. 23. *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt; non niſi Apoſtolica auctoritate traditum, rectiſſime creditur.* Præiverar autem Tertullianus Lib. de Præſcriptionibus Cap. 21. eandem regulam ſtatuens his verbis: *Conſtat proinde, omnem doctrinam, quæ cum illis Eccleſiis Apoſtolicis, matricibus, & originalibus Fidei conſpiret, veritati deputandam; ſine dubio tenentem, quod Eccleſiæ ab Apoſtolis, Apoſtoli a Chriſto, Chriſtus a Deo accepit.*

XIX. Ea vero argumentatione adverſus Donatiſtas, non dico Auguſtinus, ſed neque ullus Scriptor madiocris opinionis uſus fuiſſet, ſi circumferretur aliquis Canon ex iis duobus, nomine Apoſtolorum, tanquam certo ab iis traditus, vel ab Eccleſia probatus. Patet igitur, eos Canones, ut inquit Iſidorus, ab hæreticis obtruſos fuiſſe ſub ſpecioſo Apoſtolorum nomine. Et certe id videtur factum poſt Auguſtini tempora ab aliquo Donatiſta pertinaci; nam antea nullum eorum veſtigium apparet.

XX. Neque me fugit, Binium in Notis ad eos Canones, ideo illos probare, quia cenſet, ibidem dumtaxat declarari irritum Baptiſma ab hereticis collatum non eadem forma, qua confertur ab Eccleſia. Idque confirmare pergit exemplis; nam eo modo baptiaarunt illi, qui tempore Apoſtolorum Canone 49. & 50. in tribus Patribus, ſeu in nomine trium principii expertium, aut trium Filiorum, vel trium Paracletorum, vel in morte Domini baptiaabant: quique, ut glorioſiſſimæ Trinitatis confeſſionem deſtruerent, Catholicæ Baptiſmi formæ aliquid addebant, vel ſubtrahebant: uti fecere Gnoſtici, teſte Irenæo Lib. 1. Cap. 18. nam hac forma utebantur: *In nomine Ignoti Patris omnium, & in Veritate Matris omnium, & in nomine deſcendentis JESU ad unionem, & redemptionem, & communionem virtutum.* Hoc modo, forma Baptiſmi corrupta, Paullianiſtæ baptizarunt: ideoque ab his baptizati, venientes ad Eccleſiam Catholicam, iterum baptizari præcipiuntur Canone 19. Concilii Nicæni. Hæc ad verbum fere Binius. Addit ex Nicephoro Lib. 10. Hiſtoriæ Cap. 35. quendam Epiſcopum Arianum, nomine Deutrum, baptizaſſe in nomine Patris, per Filium, in Spiritu Sancto: eo autem facto miraculoſe accidiſſe, ut aqua, quæ ad Baptiſmum parata erat, repente in deteſtationem Arianæ bæreſeos, quam ille prædictis verbis profiteri volebat, penitus diſpareret. Denique addit, tempore Apoſtolorum Cerinthum, opinione Baronii, mutaſſe, & corrupiſſe formam Baptiſmi, quia Chriſti Divinitatem negabat; & teſte Irenæo Lib. 1. Cap. 25. Chriſtum a Jeſu ſejungebat. Eo itaque ſenſu vult Binius, in utroque eo Apoſtolorum Canone irritum declarari, & iterandum Baptiſmum ab bæreticis collatum.

XXI. Sed enim explanatio hæc Binii non ſatis eſt ad defenſionem eorum Canonum: cum in his nulla habeatur mentio Baptiſmi ab hæreticis collati præter, aut contra formam Eccleſiæ Catholicæ: ſed abſolute, & indifferenter deponatur Epiſcopus, vel Presbyter, *qui bæreticorum Baptiſmum, vel Sacrificium admiſerit.* Ubi autem Canon, præſertim Apoſtolicus, non diſtinguit inter hæreticum utentem alia forma Baptiſmi, quam recepta in Eccleſia; nec nos diſtinguere debemus. Si ergo Canon ille vere eſſet ab Apoſtolis conditus, Baptiſmus ab hæreticis collatus, univerſe loquendo, non eſset admittendus, quod ſane contradicit Definitioni, aut Sanctioni poſtea editæ a Sancto Stephano Papa, & confirmatæ in magna Synodo Nicæna, ubi Canone XIX. decernitur, Paullianiſtas rebaptizari debere, nulla mentione peculiari facta aliorum omnium hæreticorum, qui præceſſerant; quoniam, nimirum, teſte Auguſtino Lib. 3. de Baptiſmo contra Donatiſtas Cap. 5. omnes alii, veluti Marcion, Valentinus, Arius, Eunomius, & ipſi carnales parvuli reprehenſi ab Apoſtolo, rite, ſeu valide baptizabant, quia utebantur forma debita, quamvis ſub alio, & alio ſenſu ipſorum; ſecus vero Paullianiſtæ. Fruſtra igitur Binius diſtinguit inter hæreticos ad interpretandum

tandum Canonem illum Apoſtolis adſcriptum.

XXII. Præterea, dato quod ea interpretatio ullum habere poſſit locum; id certum eſt, juete germanum, & obvium ſenſum eorum Canonum, declarari irritum Baptiſmum collatum ab hæreticis, & proinde iterendum. Igitur, ſi vere Canones ii extabant a tempore Apoſtolorum, & vulgati erant in Eccleſia; hebuiſsent certe Rebaptizantes, tertio, quarto, & quinto ſæculo graviſſimum in iis fundamentum ad opinionem ſuam tuandam, ac proinde illos in ejus præſidium allegaſſent. Quod ſane nunquam feciſſe inveniuntur.

XXIII. Inſuper nec Auguſtinus, nec alii ejus opinionis impugnatores, tem confidenter allegeſſent pro ſe treditionem Apoſtolorum. Facile enim illa a Rebaptizantibus negari poſſet, proletis in medium iis Canonibus, qui in ſenſu germano, & obvio ipſorum opinionem confirmabant, & ne illam omnino perſuederent, detorquendi erant ad alienum, eut diſtortum ſenſum, quemedmodum detorquentur a Binio.

XXIV. Rurſus, ſi in iis Canonibus ſolum decernitur iterendus Baptiſmus ab hæreticis non ſervantibus formam ab Eccleſie receptam; nihil erit ibidem conſtitutum in odium hæreticorum. Nam etiem Baptiſmus a Catholicis collatus ſine forma recepta eb Eccleſie, iterari debet, ut nemo neſcit. Cenones autem ii, ſi veri, & authentici ſunt, aliquid ſpeciatim decernunt in odium hæreticorum, ut patet ex contextu. Igitur ſi veri, & authentici ſunt, decernunt, Beptiſmum ab hæreticis eollatum, eo ipſo nullum eſſe, & iterari debere. Cum ergo certum ſit, nihil ejuſmodi ab Apoſtoils treditum fuiſse, ſed potius contrerium, teſte Auguſtino; conſequens eſt, ut hi duo Cenones non ſint veri, & authentiei, ſed conficti ab aliquibus Anebeptiſtis, ſive Donatiſtis, poſt tempora Auguſtini.

XXV. Et certe Sanctus Iſidorus, dum verbis num. 3. exſcriptis negat auctoritetem Canonibus editis nomine Apoſtolorum, eo quod compoſiti fuerint, nimirum aliqui eorum, ab hæretieis, plane indicat, hos duos Canones, in quibus verſamur. Nem in nullo alio ex quinquegime ab ipſo eollectis detegitur aliquid Fidei contrarium, vel eb hæreticis obtruſum. Neque enim plures quàm ii quinquegints fuerunt in Collectione Iſidori a principio, ut obſervet Illuſtriſs. Antonius Auguſtinus Lib. 1. Dielogo VI. in fine, allegatis in eam rem Gratiano, Rhabano, & Anſegiſo. Mirum autem eſset, non occurriſse Iſidoro eam interpretetionem, quæ Binio facilis, & obvia apparuit, ſi vere locum haberet; nee eret, cur Senctus Doctor nigro thete notaret eos Canones, tanquam ab hæreticis obtruſos, ſi obvius, & germanus eorum ſenſus eſset Catholicus, quemadmodum Binius vult. Rectum itaque fuit judicium Iſidori, quetenus Canones Apoſtolis adſcriptos recenſuit inter apocrypha, & præterea notavit, veluti intruſos ab hæreticis, nimirum aliqua ea perte. Satis enim eſt, & fuit, duos illorum hæreſim Rebaptizentium continere, ne omnes quinquaginta generatim probarentur, prout tempore ejuſdem Sancti Doctoris circumferebantur, & modo extant in frequentibus editionibus, Græce, & Latine, juate ee quæ num. 14. & 15. obſervavimus.

EXCURSUS III.

Jure ne, an injuria, interpolator, aut corruptor Præfationis S. Iſidori ad ſuam Collectionem, tradiderit opinionem S. Doctori contrariam, tribuens auctoritatem omnibus Canonibus nomine Apoſtolorum editis.

XXVI. Quiſquis fuerit ille, qui Collectioni eb Iſidoro Hiſpalenſi factæ edjecit ſæculis ſequentibus poſteriora Concilie, & Pontificum recentiorum Epiſtolas; ſicut ex eo capite laudem meretur; ita & reprehenſione grevi dignus eſt, quod Præfationem a Sencto Doctore ſcriptam interpolaverit, immo & corruperit, ſubſtitutis eliis verbis, & contraria opinione circa Canones Apoſtolorum. Nam, ut in ſuperioribus vidimus, præſertim num 3. S. Iſidorus illos ad apocryphe, & intruſe ab hæreticis rejicit: interpoletor vero ille, ſeu potius corruptor, authentica eſse vult; ſiquidem ait in vulgate Præfatione, quam initio hujus Tractatus præmiſimus: *Sancti Patres eorum ſententias Synodali auctoritate roboraverunt, & inter Canonicas ſtatuerant Conſtitutiones.* Iteque quiſquis is fuerit, nullem eeecuſationem meretur. Injurius enim eſt ſanctis Patribus, quiſquis ipſorum lucubretiones interpolat; multo autem magis, qui corrumpit, ut aliter ſenſiſse, aut docuiſſe videantur, quam reipſa ſenſerunt, aut docuerunt; etiem ſi forte in aliquo, ut homines, erraverint. Quo nomine potiſſimum olim reprehenſus fuit Ruffinus in verſione Librorum ἀρχῶν Origenis e Græeo, & poſtea plurimi elii, centonibus, additionibus, ac parechroniſmis vitiantes ſcripte elique Senctorum Patrum, quæ in fonte ſuo, ſive autographo, integre erant labiſque pure.

XXVII. Adhuc tamen videndum modo, en interpolator ille aliquomodo vere dixerit, Senctos Patres illorum Canonum ſententies Synodali auctoritete roboraſse, & inter Cenonicas Conſtitutiones poſuiſse. Neque enim id dicere auderet ſine fundemento aliquo, aut mentiri tam ſplendide, ut falſitatis palam convinci poſset.

XXVIII. Imprimis id non potuit vere dicere de quinque primis Concillis Generalibus; cum in nullo eorum probati invenientur generatim Canones Apoſtolis adſcripti. Idem eenſendum de Sexto ſub Agathone celebrato anno 680. ob eendem cauſsam. Neque obſtat, quod apud Gretianum Diſt. 16. Cap. 4. & epud Ivonem P. 4. C. 122. legitur tanquem dictum ab Hedriano I. Papa in VII. Synodo Generali ſub ipſo coacta an. DCCLXXXVII. Act. II. *Sextam Synodum ſanctam recipio cum omnibus Canonibus ſuis.* Non, inquam, obſtet: quoniem nec illa ipſe verba ſunt, quæ inibi habentur, nec proferuntur ab Hedriano Pepa nomine proprio, ſed ſolum recitantur, veluti ſcripta e Taraſio in Epiſtola quedam Synodica ejente: ὅτι ϗ τὰ ὑπὸ τῆς αὐτῆς ἁγίας ἕκτης Συνόδου δέχομαι μετὰ πάντων τῶν ἐνθέσμως ϗ θεοπνεύστως ἐκφωνηθέντων παρ' αὐτῆς κανόνων ἐν οἷς ἐμφέρεται. Ideſt, jueta verſionem Anaſtaſii: *Quia & eaſdem ſex Synodos ſuſcipio cum omnibus regulis, quæ jure, ac Divinitus in ipſis promulgatæ ſunt.* Scio, eliem eſse lectionem Græci eeempleris in ora ejuſdem

columnæ 121. apud Collectionem Labbeanam, cui magis reſpondeot ea Latina verba. Nam juxta Græca a nobis exſcripta, vertendum eſſet: *Candem ſextam Synodum*, ubi Anaſtaſius habet, *Eaſdem ſex Synodos*. Verum utrovis modo accipiatur, nihil ibidem habetur de Canonibus Apoſtolorum ſpeciatim, ſed univerſe ſolum, ac generatim de Canonibus *jure ac Divinitus promulgatis* in ſex Synodis, ſive in Sexta Synodo. Quare es eo teſtimonio non conſtat, Canones Apoſtolorum Synodali auctoritate a Sanctis Patribus probatos fuiſſe, & inter Canonicas Conſtitutiones collocatos, prout affirmat interpolator hujus Præfationis.

XXIX. Certe loquendo de Sexta Synodo Oecumenica, & legitima, quæ coacta fuit ſub S. Agathone Papa, & Conſtantino Pogonato Auguſto, anno DCLXXX. certum eſt, nullos in ea Canones editos fuiſſe, juxta admonitionem illam, quæ præfigitur Concilio Quini-Sexto apud Collectionem Labbei Tomo VI. col. 1123. & incipit: Α'γία ϗ̀ οἰκουμενικὴ ἕκτη Σύνοδος, &c. ideſt, *Sancta, & Oecumenica Sexta Synodus nullos condidit Canones, ut fatentur tum Græci, tum Latini omnes*. Sed neque in ea referuntur, aut probantur Apoſtolorum Canones. Unde occurritur facile objectioni cuidam ex Gratiano, Decreti Diſt. 16. Cap. 4. ubi dicitur nomine Sextæ Synodi: *Placuit huic Sanctæ Synodo, ut amodo confirmata, & rata ſint Canonum Apoſtolorum 85. Capitula*. Non enim ea verba habentur in Synodo Sexta Oecumenica, & legitima, ſed in Quini-Sexta, & erratica, quæ interdum ſexta appellari conſuevit, ut obſervatur in admonitione mox citata apud Labbeum col 1128. verbis illis: *Atque hinc factum eſt &c.*

XXX Quare ſolum ſupereſt, ut probati fuerint in alia Synodo ſequenti (quam Græci complexo vocabulo Πενθέκτην, Latini *Quini-Sextam* appellant) in Trullo celebrata an. 692. Unde in citata admonitione additur: ἡ δὲ τῶν κανόνων ἔκθεσις ἐν Τρούλλῳ παρελθούσης τῆς τετάρτης, ὡς ὁ τρίτος διαλαμβάνει κανών. Ideſt: *Editio vero Canonum facta eſt in Trullo, quarta Indictione elapſa, ut habetur in tertio Canone.* Verum in editione centum duorum Canonum Trullanorum (tot enim fuerunt) Labbeana, non tertius, ſed ſecundus Canon eſt, in quo ſtatuitur, *ut firmi ſtabileſque maneant qui a Sanctis Patribus, qui nos præceſſarunt, ſuſcepti, ut confirmati ſunt, atque adeo nobis etiam traditi ſunt, Sanctorum, & glorioſorum Apoſtolorum nomine OCTOGINTA QUINQUE CANONES*. Deinde iidem Patres Trullani obſignant: *etiam reliquos omnes Canones, qui a Sanctis, ac Beatis noſtris Patribus expoſiti ſunt, ideſt, a trecentis decem, & octo Patribus, qui Nicææ convenerunt &c.*

XXXI. Hæc inibi habentur: ex quibus palam conſtat, octoginta quinque Canones Apoſtolis tributos, fuiſſe confirmatos in Synodo Quini-Sesta, veluti probatos a Sanctis Patribus. Cumque ea celebrata fuerit quinquaginta ſex annis poſt obitum S. Iſidori, non potuit ipſe ullam ejus notitiam habere. Interpolator autem hujus Præfationis, cum longe poſtea vixiſſe ponatur, potuit abs dubio illam citare, & abſque dolo dicere, Canones Apoſtolorum fuiſſe probatos a ſanctis Patribua, & Synodali auctoritate roboratos.

XXXII. At, inquies, ea Synodus non fuit rite coacta. Nam licet a ducentis viginti ſeptem Epiſcopis celebrata dicatur, nemo interfuit nomine Romani Pontificis, ut in citata animadverſione oſtenditur adverſus Balſamonem. Nullum autem Concilium ſine auctoritate Romani Pontificis ratum habetur ab Eccleſia. Deinde in ea Synodo probantur octoginta quinque Apoſtolorum Canones: quorum tamen aliquos fuiſſe ab hæreticis intruſos, teſtatur S. Iſidorus, & nos cum ipſo oſtendimus Excurſu ſecundo. Idipſum conſtat de Can. LXV. Εἴ τις κληρικὸς, &c. ac de LXXXIV. Ἔστω πᾶσιν &c. qui ſanam doctrinam non continent. Ergo erratica fuit ea Synodus, dum abſque delectu eos Canones 85. probavit, præſertim cum Sanctus Gelaſius I. Papa, duobus retro ſæculis Canones Apoſtolorum inter apocrypha recenſuiſſet. Quare interpolator non potuit vere dicere, illos fuiſſe Synodali auctoritate confirmatos.

XXXIII. Reſpondeo libenter concedendo, Synodum Quini-Sextam non fuiſſe Oecumenicam, nec Canonicæ auctoritatis, quoniam, quidquid contra cavilletur Balſamon, Romanus Pontifex Sergius, nec per ſe, nec per Legatos ſuos interfuit: quin potius illam nunquam probare voluit. Ita enim teſtatur, qui eo tempore vivebat, & florebat Venerabilis Beda in Opere de ſex ætatibus: ubi loquens de Juſtiniano Auguſto juniore, ſub quo ea Synodus coacta eſt, inquit: *Hic beatæ memoriæ Pontificem Romanæ Eccleſiæ Sergium, qui ERRATICÆ SUÆ SYNODO* (nimirum Quini-Sextæ) *quam Conſtantinopoli fecerat, favere, & ſubſcribere noluiſſet, miſſo Zacharia Protoſpathario ſuo, juſſit Conſtantinopolim deportari: ſed prævenit militia Ravennatis Urbis, vicinarumque partium juſſa Principis nefanda, & eundem Zachariam contumeliis, & injuriis ab Urbe Romana repulit*. Idipſum fere teſtatur Paullus Diaconus de Geſtis Longobardorum Lib. 6. Cap. 11 & qui inclinante ſæculo nono ſcribebat Anaſtaſius Bibliothecarius in Vita ejuſdem Papæ Sergii. Itaque Synodus illa acephala omnino, immo & erratica, uti eam appellat Beda, fuit. Quare nec legitima fuit approbatio octoginta quinque Canonum Apoſtolis tributorum, tum ob defectum auctoritatis in ea Synodo, tum quod aliqui illorum ab hæreticis obtruſi contineant doctrinam a Fide Catholica, & Eccleſiæ ſenſu alienam, tum denique quoniam Canon XIII. Trullanus contra omnem veritatem, & adverſus Eccleſiam Latinam, ait: *Nos antiquum Canonem Apoſtolicæ perfectionis, ordiniſque ſervantes, hominum, qui ſunt in Sacris, legitima conjugia deinceps quoque firma, & ſtabilia eſſe volumus, nequaquam eorum conjunctionem cum uxoribus diſſolventes, vel eos mutua tempore convenienti conſuetudine privantes*. Falſo enim tribuitur Apoſtolis ea doctrina carnalis, & licentioſa. Vide Lupum in Scholiis ad eum Canonem Tomo II. pag. 891. Mitto alios ex Canonibus Trullanis, veluti octavum, & trigeſimum, alienos ab uſu Eccleſiæ, & a veritate.

XXXIV. Adhuc tamen fieri potuit, ut interpolator neſciret, eam Synodum fuiſſe erraticam, aut ſine auctoritate Pontificis congregatam, vel ab ipſo rejectam: ac proinde bona fide diceret, Canones Apoſtolorum fuiſſe con-

fir-

firmatos. Neque obſtat Decretum longe antiquius Gelaſii I. Papæ eos rejicientis ad apocrypha. Nam dato, quod illud notum fuerit interpolatori, potuit adhuc exiſtimare, longe alios fuiſſe Canones a Gelaſio rejectos, quam ab ea Synodo probatos; & ita non mentiri, dum dixit, auctoritate Synodali confirmatos fuiſſe, & a Sanctis Patribus inter Canonices Conſtitutiones ſtetutos.

XXXV. Sed & notandum eſt, interpolatorem ipſum in hac Præſatione non determinaſſe certum aliquem numerum Canonum Apoſtolorum, ſed ſolum dixiſſe: *Præpoſuimus Canones, qui dicuntur Apoſtolorum.* Ubi non decernit, an fuerint quinquaginta, an octoginta quinque circumferri ſoliti, propter plurima exemplaria eorum, qui probati in Synodo Quini-Sexta, ubique ſparſi erant. E converſo autem in pura, & germena Collectione Iſidori ſolum videntur memorati fuiſſe quinquaginta illorum, ſicut & in Dionyſiana, quæ integro fere ſæculo præeeſſit Iſidorianam. Itaque ex eo capite non poteſt argui interpolator malæ fidei, quamvis alioqui reprehenſione gravi dignus, quod corruperit verba Iſidori in ſua Præfatione circa Canones Apoſtolicos, immo & contrariam opinionem illi adjudicaverit.

XXXVI. Erit forte qui velit, interpolatorem, dum, ait Canones Apoſtolorum probatos fuiſſe Synodali auctoritate, id intelligere de approbatione Synodice data a Stephano Papa IV. paullo poſt referenda. At hoc non admittent plerique Recentiores, qui interpolatorem ipſum, quem Iſidorum Mercatorem appellant, ajunt conſarcinaſſe, & centonibus aſſutis impleviſſe Collectionem Canonum circe finem octavi ſæculi: ut propterea illam ex Hiſpania detulerit in Germaniam Riculphus Moguntiæ Præſul circa an. DCCCV. Tunc vero Stephanus IV. nondum Pontificatum edeptus fueret, utpote qui electus fuit longe poſtee, nimirum an. DCCCXVI. Quare interpolator, ſi eo tempore Collectionem ſuam vulgavit, quo Recentiores volunt, non potuit meminiſſe approbationis Canonum Apoſtolorum editæ a Stephano Papa IV. Itaque ſolum videtur indicaſse illam, quæ longe antea præceſſerat anno DCXCII. in Trullane Synodo, quæ Quini-Sexta fuit appellata.

EXCURSUS IV.

Cuinam potius aſſentiendum ſit, an S. Iſidoro neganti exploratam auctoritatem Canonibus vulgatis Apoſtolorum nomine, an potius interpolatori aſſerenti? Argumenta præcipua pro unaquaque partium proponuntur, veluti rationes dubitandi.

XXXVII. NON deſunt argumenta, quibus ſuaderi poſſit, veram fuiſſe ſententiam interpolatoris tribuentis euctoritatem exploretam Canonibus nomine Apoſtolorum editis. Imprimis enim Decretum S. Gelaſii I. Papæ in Concilio Romano LXX. Epiſcoporum, quod in oppoſitum allegari ſolet, non videtur eos Canones ad apocryphe rejeciſſe, ut in frequentibus Conciliorum editionibus habetur; ſed potius altum de iis ſiluiſſe. Id duplici conjectura urgenti colligitur. Prima eſt, quod Dionyſius Exiguus triginta circiter annis poſt Concilium illud, edens Collectionem ſuam, non ſolum non meminerit cenſuræ Gelaſianæ contra Canones illos, ſed potius eos ex Græco Latine ediderit. Quod certe non ſuiſſet auſus, ſi paullo antea S. Gelaſius eos improbaſſet. Altera eſt, quod ea Gelaſii cenſura non fuerit in Codice, quo uſus eſt Hincmarus. Hic enim in Opuſculo 55. Cap. 24. ait: *Beatus Gelaſius in Catalogo*, Qui Libri ab Ecclesia Catholica recipiuntur, *deſcripto, &c. de his Apoſtolorum Canonibus penitus tacuit, SED NEC INTER APOCRYPHA EOS MISIT.* Quod tam aſſeverenter non diceret Hincmarus, uno, aliove exemplari ductus, niſi & præterea certus eſſet, in Codicibus circumferri ſolitis nullum ejus cenſuræ Gelaſianæ extare verbum. Corruit igitur præcipuum fundamentum ſententiæ negantis euctoritatem Canonibus Apoſtolicis, deſumptum ex Decreto illo S. Gelaſii Papæ.

XXXVIII. Secundo ſuaderi poteſt idipſum ex Synodo Quini-Sexta, in qua, ut vidimus Excurſu præcedenti, octoginta quinque Canones Apoſtolorum probati fuerunt, qui numerus etiam habetur in Libro Conſtitutionem Apoſtolicarum, ubi iidem Canones eadem ſerie, & æquali numero habentur. Neque obſtat, quod eadem Synodus acephala fuerit, & nunquam confirmata ab Apoſtolice Sede, ut num. 32. dicebemus. Inde enim ſolum colligitur, Synodum illam non eſſe Canonicæ, & exploratæ auctoritatis. Cum hoc vero cohæret, quod graviſſimam auctoritatem, infra Canonicam, habeant Canones ii, qui unanimiter a ducentis viginti ſeptem Patribus in Trullo probati fuerunt. Neque enim tot, & tam graves Epiſcopi in ea ſententia convenirent, niſi grevibus, ac maxime ſolidis fundamentis innixi.

XXIX. Tertio, quoniam iidem Canones inveniuntur laudati a Patribus, & Conciliis. Imprimis Theodoretus, qui Collectionem ſuam edidit circa an. CDLXX. & quinquaginta circiter ante Pontificatum Gelaſii, in ea exhibuit eundem numerum Canonum 85. Apoſtolorum. Deinde in Synodo Conſtantinopolitane ſub Nectario laudatur Canon Apoſtolicus 74. In Nicæna 62. & in Antiochena 76. Quod certè non eſſet, niſi ii Canones 85. numero, in veneratione apud Eccleſiam fuiſſent quarto ſæculo. Quin & ſæpiſſime laudati inveniuntur multi eorum e Pontificibus Romanis, veluti Teleſphoro Epiſt. 1. Victore Epiſt. 1. Zephyrino Epiſt. 1. Fabiano Epiſt. 1. Tertullianus ſub initium tertii ſæculi ſcribens adverſus Praxeam, alleget Canones Apoſtolorum, veluti per manus traditos. Sanctus Athanaſius eos inter Hagiographa recenſere dicitur. Immo & S. Joannes Damaſcenus Lib. 4. de Fide Orthodoxe, Cap. 18. numerans Libros Novi Teſtamenti, ait: *Paulli Apoſtoli Epiſtolæ quatuordecim: Apocalypſis Joannis Evangeliſtæ: Canones Sanctorum Apoſtolorum per Clementem.* Ubi Canones Apoſtolorum videtur æquare in auctoritate reliquis Novi Teſtamenti Libris.

XL. Quarto, idipſum ſpeciatim videtur conſtare de quinquaginta prioribus eorum Canonum editis in utraque Collectione, Dionyſii, & Iſidori: cum Pontifices Romani aliquorum ex iis auctoritete ſententias, & judicia ſua munierint. Joannes II. Papa, ut oſtenderet, depoſitionem Contumelioſi Epiſcopi fuiſſe juſtam,

anno 534. laudavit Canones 25. & 29. Apoſtolorum. Idem fecit circa annum 747. S. Zacharias Papa in Epiſtola ad Pipinum Majorem Domus, & Epiſcopos, ac Proceres Regni Francorum. Idipſum præſtitit Nicolaus I. Papa ad Conſulta Bulgarorum Cap. 72. circa annum 860. Idem denique, anno 1054. S. Leo IX. Papa, ſive ipſius Legatus Humbertus Sylvæ Candidæ Epiſcopus, in Confutatione Epiſtolæ Nicetæ Abbatis, e qua deſumptus fuit Canon, *Clementis Librum*, Diſt. 16.

XLI. Quinto, & urgentius, videtur confirmari poſſe ex Definitione Stephani IV. Papæ cir a quinquaginta priores Canones, & Joannis VIII. circa omnes, teſtata apud Anaſtaſium Bibliothecarium in Præfatione ad VII. Synodum Generalem, quam ipſe e Græco in Latinum vertit. Ibidem enim alloquens ipſum Joannem VIII. paulo poſt initium, cum præmiſiſſet, quædam in ipſa Septima Synodo ex Apoſtolorum, & Sextæ Univerſalis Synodi Canonibus, & ſententiis inveniri, quæ apud Latinos nec interpretata extabant, nec admittebantur; quin & certum eſſe, quoſdam Apoſtolorum Canonibus non facile præbuiſſe conſenſum; ſubd t ſtatim: *Sed & Præceſſor veſter Beatiſſimus Papa Stephanus* (nimirum ejus nominis quartus, qui anno 816. Eccleſiam rexerat) *non ex iis plus quam quinquaginta recipiendos, Synodice promulgavit; licet quædam Conſtituta Pontificum ex ipſis Canonibus aſſumpta eſſe videantur*. Ergo ſaltem Canones ii quinquaginta Synodice probati fuerunt a Stephano Papa.

XLII. Jam vero & reliquos uſque ad 85. probatos fuiſſe ab Eccleſia ſemper, videtur conſtare: tum quia illorum 62. 74. & 76. laudantur in veteribus Conciliis, ut vidimus num. 39. tum præterea quoniam Juſtinianus Imperator in Conſtitutione ad Epiphanium Patriarcham CP. illos valde commendat, veluti *quos Apoſtoli nobis reliquerunt, ac SS. Patres cuſtodierunt, & interpretati ſunt*. Porro ibi laudari omnes 84. patet ex Nomo-Canone confirmato ab eodem Juſtiniano, in quo totidem habentur. Denique omnes illos fuiſſe confirmatos a Joanne VIII. Papa, indicat loco citato Anaſtaſius, ipſum alloquens: *Unde, APOSTOLATU VESTRO DECERNENTE, non ſolum illos quinquaginta Canones Eccleſia recipit, SED ET OMNES EORUM, utpote Spiritus Sancti tubarum*. Videtur itaque conſecratus ab Eccleſia numerus 84. Canonum, qui Apoſtolis tribuuntur, ac proinde veram eſſe opinionem interpolatoris hoc loco: quam ſequuntur, aut ex toto, aut maxima ex parte, Turrianus Lib. 1. Cap. 25. Baronius ad annum CII. D. Emmanuel Gonzalez in Apparatu ad Decret. & plures alii.

XLIII. Aliunde autem, & ex oppoſito, S. Iſidorus iis Canonibus auctoritatem omnem elevat in Præfatione ſua ad Collectionem, prout extat in purioribus illius exemplaribus, ut vidimus num. 3. tum quod aliqui eorum Canones intruſi ab hæreticis fuerint, tum quod Sedes Apoſtolica eos non receperit, nec ſancti Patres admiſerint.

XLIV. Quæ S. Iſidori ſententia imprimis videtur confirmari ex dictis toto Excurſu ſecundo, ubi oſtenſum fuit, Canones Apoſtolorum nomine vulgatos, fuiſſe ad apocrypha rejectos a S. Gelaſio I. Papa in Concilio Romano LXX. Epiſcoporum. Neque obſtat, quod num. 36. objecimus pro opinione contraria, cenſuram illam non fuiſſe in exemplari Decreti Gelaſiani, quo uſus fuit quatuor circiter ſæculis poſterior Hincmarus Rhemenſis. Nam potius habenda eſt fides reliquis fere exemplaribus manuſcriptis, in quibus plane ea cenſura habetur.

XLV. Præterea eodem Excurſu ſecundo a num. 13. probatum relinquimus, Canones Græcos 45. & 46. Latinos vero 46. & 47. intruſos fuiſſe ab Hæreticis Rebaptizantibus, quod mire conſonat judicio S. Iſidori. Addendum idipſum fere de Canone 65. ubi pœna depoſitionis, ſive excommunicationis ſtatuitur ei, qui Sabbatho jejunaverit. Quid autem magis alienum a ſenſu Eccleſiæ, præſertim Occidentalis, ſive Latinæ? Etenim omni Sabbatho rite jejunari definit S. Innocentius I. Papa Epiſtola I. in qua Decentii Epiſcopi Conſultationibus reſpondens §. 4. ait: *Sabbatho vero jejunandum eſſe, ratio evidentiſſima demonſtrat, &c.* nimirum, perinde ac Feria ſexta, ut ibidem dicitur, quia dubium non eſt, inquit Pontifex, Apoſtolos *jejunaſſe biduo memorato*. Eaque conſuetudo invaluit a principio in Eccleſia Romana, aliiſque Occidentalibus, ac nominatim in Hiſpana: ideoque in Concilio Eliberritano Cap. 26. præcipitur, *ut omni Sabbatho jejunetur*. Itaque is Canon eſt ſubreptitius plane, & nullius auctoritatis: uti Baronius, Bellarminus, & alii cenſent: quamvis certum ſit, in Eccleſia Orientali, ſive Greca jejunium Sabbathi in more poſitum non fuiſſe. Videſis interea Binium in citatum Canonem 65. Unde non ſatis capio, quonam jure, aut fundamento, allegentur duo doctiſſimi Cardinales Baronius, & Bellarminus, tanquam omnino, & abſque exceptione ulla probantes 84. Canones Apoſtolorum nomine editos, cum ii plane aliquos illorum rejiciant.

LXVI. Similiter & Canonem 84. apocryphum, immo intruſum ab Hæreticis fuiſſe, conſtat; quoniam Catalogo Librorum Canonicorum addit Conſtitutiones, & Epiſtolas S. Clementis; & adimit Apocalypſim ab univerſa Eccleſia, poſt antiquiſſima Concilia, & Patrum teſtimonia, receptam. Et certe S. Clemens Papa, qui Conſtitutiones Apoſtolicas collegiſſe dicitur, atque in earum extremo Capite Canones prædictos poſuiſſe; nullo modo putandus eſt reſpuiſſe Apocalypſim, quam conſtabat editam fuiſſe a Joanne Apoſtolo.

XLVII. Accedit, in eo Canone prætermitti Libros duos priores Eſdræ, Tobiæ, Judith, Sapientiæ, & Eccleſiaſtici: qui tamen a Patribus Apoſtolorum temporum, veluti Dionyſio, Irenæo, aliiſque, tamquam Sacri, & Canonici laudantur. Patet itaque, eum Canonem eſſe apocryphum, & intruſum. Nam ſi vere Apoſtolicus eſſet, nec priſci Patres, nec tota demum Eccleſia eos Libros probaſſet, atque inter authenticas Scripturas collocaſſet. Vide Baronium ad annum CII. num. 15. & 16. Bellarminum Lib. 1. de Verbo Dei, Cap. 20.

XLVIII. Præterea, eorum Canonum nulla mentio apparet facta in Eccleſia Occidentali uſque ad annum circiter 494. in Concilio Romano ſub Gelaſio Papa, ubi inter apocrypha numerantur: ac poſtea circa annum 520. ubi Dionyſius Exiguus omnium primus, videtur

illos

illos e Græco Latinitete doneſſe. Immo & adhuc poſt eam verſionem, plurimi iis non faciem tribuerunt conſenſum, ut ipſe eit in Præfatione, his verbis: *In principio itaque Canones, qui dicuntur Apoſtolorum, de Græco tranſtulimus: quibus quia plurimi non conſenſum prebuere facilem, hoc ipſum veſtram noluimus ignorare Sanctitatem, quamvis poſtea quædam Conſtituta Pontificum ex ipſis Canonibus aſſumpta eſſe videantur.* Quod poſtremum forte dixit propter Epiſcopos congregatos in Synodis ſupra num. 38. memoratis, ubi aliquot ex iis Canonibus apud Græcos laudati inveniuntur. Non potuit vero Dionyſius id dicere reſpectu habito ad Joannem II. Papam, qui anno 534 uſus fuit auctoritate Canonum 25. & 29. ad depoſitionem Contumelioſi Epiſcopi: nam Collectio Dionyſii videtur aliquot annis præceſſiſſe; & ex ipſius verſione cenſetur Joannes Pontifex allegaſſe utrumque Cenonem. Quin & adhuc in Oriente quatuor poſtea ſæculis ſcribens Photius pſeudo-Patriarcha, Librorum helluo, licet in Bibliotheca ſua teſtetur, *ſe legiſſe Clementis Romani volumina duo, quorum alterum de Conſtitutionibus Apoſtolicis inſcribitur, in quo Canones Apoſtolorum continentur, &c.* nihilominus in procemio ſui Nomo-Canonis, fetetur, *Canones eos, qui Apoſtolorum eſſe dicuntur, ab aliquibus quaſdam ob cauſſas exiſtimatos fuiſſe dubiæ auctoritatis.* Vides, idem fere dubium in Orientali Eccleſia fuiſſe apud quoſdam ſæculo nono, ac in Occidentali ſæculis, quinto exeunte, ſexto, ec ſeptimo, circa auctoritetem eorum Cenonum. Quod abs dubio videtur accidiſſe propter quoſdam illorum ſupra num. 14. & 15. notetos.

XLIX. Deinde nec in Hiſpaniæ Conciliis, præſertim celebratis uſque ed tempus S. Iſidori, nec in eliis ſacris monumentis ejuſdem Regni, quæ videre hactenus contigit, ullam mentionem invenio Canonum Apoſtolorum. Quamvis enim in Concilio Toletano III. Nationali celebrato anno 589. cui S. Leander interfuit cum LXI. eliis Epiſcopis, C. primo dicatur: *Omne, quod priſcorum Canonum auctoritas prohibet, ſit reſurgente diſciplina inhibitum, & agatur omne, quod præcipit fieri*: non proprerea id intelligi debet de Canonibus Apoſtolorum, ſed de aliis Conciliorum, & Romanorum Præſulum Conſtitutis Synodalibus, quæ ibidem ſtatim in genere probantur. Nimirum, teſte S. Iſidoro Lib. 6. Etymol. Cap. 18. *Canones Conciliorum a temporibus Conſtantini cœperunt. In præcedentibus namque annis, perſecutione fervente, docendarum plebium nemini dabatur facultas.* Itaque eos ſolum Cenones, non vero Apoſtolicos commendeſſe cenſende eſt Synodus III. Toletena. Deinde in Concilio IV. pariter Toletano, cui idem S. Iſidorus præfuit enno 633. præcipitur Cap. 25. *Sciant Sacerdotes Scripturas ſanctas, & Canones.* Nec tamen ullo modo determinatur, quinam Canones li ſint. Cenſendum tamen, illos ſolum intelligi, qui e tempore Conſtantini conditi fuerant, ut mox ex ipſo S. Doctore eudivimus; non autem Apoſtolis adſcriptos, quibus ille plenam euctoritatem negavit: quamvis non dubitem, pleroſque eorum, eut fere omnes, uſu ipſo receptos fuiſſe in Eccleſia Hiſpanica, utpote ſeverioris diſciplinæ tenaciſſima. Sed non in Conciliis Hiſpaniæ poſterioribus, quæ colligere ſtudui, ullam eorum invenio mentionem, ſeltem expreſſam.

L. Quod Galliam ettinet, licet Archipræſul Merca Lib. 3. Concordiæ Sacerdotii, & Imperii, Cap. 3. num. 4. authenticos velit 84. Canones, certum videtur, in ea nec notos, nec receptos fuiſſe, ſaltem uſque ad annum 577. Nem teſte Gregorio Turonenſi Lib. 5. Hiſtoriæ Francorum, Cap. 19. primum oſtenſi fuerunt Epiſcopis a Chilperico Rege, urgente condemnationem Prætextati Epiſcopi Rhotomagenſis eo anno. Ait enim: *Ipſe vero* (Chilpericus) *ad Metatum diſceſſit, tranſmittens Librum Canonum, in quo erat QVATERNIO NOVVS ANNEXVS, HABENS CANONES QVASI APOSTOLICOS.* Ubi & *novum* ait Codicem illum, quaſi nova documenta ingerentem Epiſcopis Galliæ: & Canones in eo contentos, non eppellat Apoſtolicos, ſed ſolum ita ſcriptos, quaſi Apoſtolici eſſent. Dicere autem debuiſſet alia omnia, ſi Canones ii antea cogniti fuiſſent in Gallia, aut judicio eorum Præſulum ab Apoſtolis editi. Vide Paſchaſium Queſnel Diſſertatione XVI. §. 5. & 6. de Codice antiquo Eccleſiæ Gallicanæ pag. 758. editionis ab ipſo adornatæ Operum S. Leonis Papæ.

LI. Hactenus propoſuiſſe ſufficiat præcipua fundamenta utriuſque ſententiæ, circa quem nonnulla alia legi poſſunt apud Auctores in ſuperioribus allegatos; ec præterea Creſpetium in Summa Diſciplinæ Eccleſiaſt. verbo, *Canones Apoſtolorum*, Covarrubiam Lib. 4. Variarum Cap. 17. Melchiorem Cano de Locis Lib. 5. Cap. 5 Poſſevinum in Apparatu Tom 1. verbo: *Apoſtolorum Acta*; ac denique apud nuperos Collectores Conciliorum, explanatoreſque, veluti Binium, Labbe, Baluzium, & Coriolanum: ut omittam antiquiores quoſdam, veluti ex Græcis Zoneram, Balſamonem, Conſtantinum Hermenopulum, & Matthæum Monechum: ex Latinis vero, Anſelmum Lucenſem, Deus-dedit Cardinalem, Gratianum, alioſque Decretorum Compilatores, qui variis locis agunt de euctoritate Canonum prædictorum: quamvis, ut verum fatear, & multo antea obſervavit magnus ille Antonius Auguſtinus, in ipſis Decretis Juris Canonici, prout epud Gretianum extant, ſint plurima ἀσύςατα, ſive invicem pugnantia circa auctoritatem prædictorum Canonum.

EXCURSUS V.

Præmittuntur quædam velitationes, & conjecturæ ad dirimendam quæſtionem, præſertim circa Synodum VII. Generalem, ac Decreta Hadriani I. Stephani IV. & Joannis VIII. (alias VII.) *Præſulum Romanorum, quoad Canones vulgatos Apoſtolorum nomine.*

LII. Si certum exploratumque eſſet, Canones quoslibet ex iis, qui circumferuntur, fuiſſe ab Apoſtolis conditos; nullus Catholicus poſſet de illorum veritate, ſicut nec de euctoritate legitima dubitare: cum Sancti Apoſtoli fuerint clariſſimæ tubæ, & irrefragabiles teſtes, per quos Spiritus Sanctus in omnem terram effudit vocem & doctrinam ſuam, cui refragari extremæ impietatis eſſet. Nimirum, in iis præcipue locum haberet quod S. Leo

Ma-

Magnus in literis ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem dixit, Canones fuiſſe *Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia conſecratos.*

LIII. Et quidem loquendo in genere, certum videtur omnino, Apoſtolos totius Orbis terrarum Magiſtros, & a Spiritu Sancto edoctos omnem veritatem, atque a Chriſto Domino, adhuc in terris verſante, inſtructos verbatim, aliquot tradidiſſe Canones, ſive regulas Eccleſiæ, ad quas Chriſtiani homines exigere deberent doctrinam, & mores ſuos. Neque enim aliter miniſterium ſuum rite, & exacte obiiſſe cenſerentur. Hinc conſequens eſt, ut eoſdem Canones, non ſolum viva voce, ſed etiam ſcripto traderent, quo firmius in notitia hominum permanerent. Unde S. Clemens I. Papa, Diſcipulus eorundem Apoſtolorum, creditur eos collegiſſe a principio, & evulgaſſe in documentum, atque uſum Eccleſiæ, prout illos ab Apoſtolis accepit; ac proinde integros, labiſque puros, quamvis poſtea decurſu temporum, ac malignitate Hæreticorum, quidam ex iis ablati fuerint, alii interpolati, & alii intruſi. Porro illos primum fuiſſe conditos ab Apoſtolis in Concilio Hieroſolymitano, cenſent Onuphrius & Turrianus.

LIV. Videntur autem ii incorrupti perſeveraſſe diu. Nam Tertullianus, qui florebat tempore Severi Imperatoris (ut ipſe teſtatur Lib. I. in Marcionem, & Apologetici Cap. 4) ac proinde circa annum CCXXX. ſcribit in Libro contra Praxeam, Canones Apoſtolorum edere nobis per manus traditos, quod certe non diceret, ſi jam tunc aliqui eorum corrupti, aut intruſi fuiſſent. Deinde Sanctus Athanaſius, qui centum annis poſt Tertullianum, jam ſpectabilis erat toti Orbi Catholico, dicitur in Synopſi eos collocare inter Hagiographa, quod pariter argumento eſt, euſque incorruptos permanſiſſe. At enim eo loco nihil a S. Doctore ea de re dictum invenio, niſi verba illa, non longe a fine: Εὐαγγέλια γὰρ τέσσαρα ἐθέσπισαν ἡμῖν οἱ ἱεροὶ κανόνες τῆς ἁγίας καθολικῆς καὶ Ἀποστολικῆς Ἐκκλησίας. *Quatuor nobis Evangeliorum Libros Sacri Sanctæ Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ Canones ſanxerunt.* Ubi non omnino certum, an de iis Apoſtolorum Canonibus loquatur, an de aliis, qui in Apoſtolica Eccleſia circumferebantur.

LV. Quin & aliquod eorundem Canonum exemplar integrum, ac nullo modo vitiatum permanſiſſe in Oriente ſæculo octavo ineunte, cenſebit forte aliquis. Nam S. Joannes Damaſcenus tunc ſcribens Lib. 4. *De Fide Orthodoxa*, Cap. 18. videtur illos accenſere Catalogo Scripturarum Sacrarum, licet communiter cenſeatur in eo exceſſiſſe. Mitto, quod ſupra obſervavimus num. 29. & ſeqq. omnes octogintaquinque Canones, nomine Apoſtolorum vulgatos, anno 692. in Synodo Quini-Sexta, quamvis acephala, & erratica, probatos fuiſſe, quo tempore fortaſſis jam florebat Damaſcenus, aut certe paullo poſt. Sed & in Synodo VII. Generali, ideſt, Nicæna II. coacta ſub Hadriano I. an. DCCLXXXVII. Canone primo circa medium, dicitur: *Divinos Canones amplectabiliter in pectore recondamus, & integram illorum præceptionem, ac immobilem teneamus; tam ſcilicet illorum, QUI AB ALMIS, ET LAUDABILISSIMIS APOSTOLIS, Sancti Spiritus tubis, editi ſunt; quam eorum, qui a ſex ſanctis, & Univerſalibus Synodis, atque iis Conciliis, quæ localiter collecta ſunt, in expoſitionem hujuſmodi Decretorum, promulgati ſunt: nec non eorum, qui a Sanctis Patribus noſtris fuiſſe prolati probantur.* Ubi cum univerſe probentur Canones Apoſtolici, putabit quiſquam, euſque permanſiſſe exemplaria aliquot germana, in quibus nihil alienum eſſet a Catholica Religione, & doctrina Eccleſiæ.

LVI. At enim difficile admodum eſt, extitiſſe tunc antiquiſſima, & incorrupta exemplaria, qualia diximus forſan fuiſſe temporibus Tertulliani, & S. Athanaſii. Nam duobus ſæculis ante Synodum Quini-Sextam, & tribus fere ante Septimam Generalem, Sanctus Gelaſius Papa in Concilio Romano LXX. Epiſcoporum, ad apocrypha rejecit Canones vulgatos Apoſtolorum nomine. Quod certum indicium eſt, eorum exemplaria jam tunc depravata extitiſſe. Et Dionyſius Exiguus, qui triginta circiter poſt annis, quinquaginta eorum e Græco Latine reddidit, teſtatur, multos non facilem iis aſſenſum præſtitiſſe. Ac tandem S. Iſidorus, qui centum poſt Dionyſium circiter annis ſuam Collectionem fecit, in Præfatione ait, illos fuiſſe ab Hæreticis corruptos (nimirum, aliquos eorum) ideoque a SS Patribus rejectos. Si autem illorum exemplaria jam erant depravata, & maculoſa ſæculis, quinto, ſexto, & ſeptimo ineunte; quomodo pura, & vitio immunia extitiſſe cenſenda ſunt ſub finem ſæculi ſeptimi, in quo Synodus Quini-Sexta, & octavi, in quo Septima celebrata eſt? Itaque ſi qua tunc exemplaria erant omnis erroris, & malæ doctrinæ expertia, non erant antiquiſſima illa, & primis quatuor ſæculis ſcripta; ſed alia recentiura, in quibus forte ablatis erroribus, qui fraude Hæreticorum irrepſerant, omnia apparebant doctrinæ Apoſtolicæ, & Catholicæ conſentanea.

LVII. Verum quibuſcumque demum exemplaribus uterentur Patres Synodi Quini-Sextæ, & Septimæ, Canones utriuſque non fuerunt ullo modo probati ab Apoſtolica Sede. Nam, ut in ſuperioribus vidimus, præſertim nu. 32. S. Sergius I. Papa nunquam probare voluti Canones Trullanos Synodi Quini-Sextæ, veluti acephalæ, & erraticæ; nec Hadrianus I. Papa confirmavit Canones Septimæ Synodi, ſed ſolum Decretum de Fide, & cultum Sacrarum Imaginum in ea ſtatutum. Hoc enim poſterius ſe probaſſe teſtatur idem Hadrianus in Reſponſo ad Dubia Francorum, & poſt ipſum Leo IV. confirmavit; ideoque, teſte Anaſtaſio Bibliothecario in Vita Benedicti III. fecit Leo eam Synodum cum aliis ſex præcedentibus depingi in Eccleſia Vaticana, veluti authenticam, & Canonicæ auctoritatis, inſtar ipſarum.

LVIII. Hadrianus itaque, excepto Decreto Fidei, & Imaginum Sacrarum cultu, non probavit Canones Septimæ Synodi, ideoque in Reſponſo citato ait: *Nos pro eadem Synodo nullum reſponſum adhuc Imperatori* (Græcorum) *reddidimus*. Addit cauſam, ob ablata Romanæ Eccleſiæ patrimonia, & Diœceſes. Sed & nominatim loquendo de Canone primo ejuſdem Septimæ Synodi, cujus verba paullo ante exſcripſimus, ille nunquam ab Eccleſia Romana, vel Hadriano Papa, probatus fuit. Nam propterea ait Anaſtaſius Bibliothecarius in Præfatione

ne ad eam Synodum, quam Latine reddidit: *Notandum eſt, quædam in hac Synodo ex Apoſtolorum, & Sextæ Univerſalis* (ideſt Trullanæ, ſive Quini-Sextæ) *Synodi Canonibus, & ſententiis inveniri, quæ penes nos nec interpretata habentur, NEC ADMITTUNTUR.* Ea vero ſunt, quæ Canone primo Septimæ Synodi indicantur, probanturque. Non ergo illa recepta fuere, nec tempore Hadriani I. nec integro ſæculo poſtea, dum ſcribebat Anaſtaſius. Unde & ſubdit. *De Apoſtolorum Canonibus liquido novimus, quoniam his quidam facile non præbuere conſenſum.* Nimirum apud Græcos ipſos, quamvis utraque illorum Synodus eos Canones Apoſtolis tributos probaret. Nam apud Latinos, ut paullo ante audivimus, multa ex iis, nec interpretata habebantur, nec recepta erant.

LIX. Et quomodo, quæſo, probaret Hadrianus Canones Septimæ Synodi, cum multi eorum propter manifeſtos nævos eſſent confirmatione indigni? Præſertim vero primus, in quo verſabamur, multipliciter errat, quatenus univerſe confirmat Canones ſex Univerſalium Synodorum: cum tamen nonnulli ex iis a S. Leone Papa, & aliis Pontificibus Romanis, rejecti fuiſſent. Deinde Canon ſeptimus ejusdem Synodi Septimæ, & Canon decimus, nævis pleni ſunt, ut expendenti palam erit. Lege Chriſtianum Lupum in Scholiis ad illos, Tomo II. pagina 1128. & 1130. Itaque nihil refert, quod Canones Apoſtolorum, ſicuti & ſex Synodorum Univerſalium, atque in in iis Quini-Sextæ, probati fuerint in Septima Synodo; cum hæc quoad eam partem nullatenus fuerit confirmata ab Hadriano Papa, qui vixit uſque ad annum DCCXCV.

LX. Quapropter apparet certum, Canones Apoſtolorum non inveniri generatim, & ſine exceptione aliqua probatos a Sede Apoſtolica, neque a Concilio ullo per eam confirmato, uſque ad annum 795. quin potius eouſque Pontifices Romanos nihil circa eorum omnium auctoritatem generatim definiiſſe, præter Gelaſium I. qui, ut toties diximus, in Concilio Romano LXX. Epiſcoporum inter apocrypha illos recenſuerat. Itaque in ea poſſeſſione, ſeu potius in eo defectu legitimæ auctoritatis permanſerunt, ſaltem tribus ſæculis, ab ann. 494. in quo id Concilium Romanum fuit celebratum, uſque ad annum 795. in quo Hadrianus I. vivere deſiit. Unde S. Iſidorus ſcribens eo tempore interjecto, nimirum circa annum 624. (vixit enim uſque ad 636. in quo ejus mortem collocat fidelis teſtis Redemptus Diaconus) jure iis non præſtitit fidem, & merito auctoritatem negavit, jam antea exploſam a Gelaſio Papa.

LXI. Videamus modo, an Pontifices Hadriani Succeſsores aliquando Canones Apoſtolorum probaverint. Primus eorum, de quo poſſit eſſe controverſia, eſt Stephanus IV. electus anno 816. cujus Decretum ea de re ex antiquis membranis edidit V. Clariſs. Lucas Holſtenius, ſub his verbis: *Non amplius ſuſcipiuntur Apoſtolorum Canonum prolata per Sanctam Clementem, niſi quinquaginta capita, QUÆ SUSCIPIT SANCTA DEI ROMANA ECCLESIA.* Ideoque Anaſtaſius Bibliothecarius eodem ſæculo labente ſcribens ad Joannem VIII, (alias VII.) Papam ait: *Prædeceſſor veſter Sanctiſſimus Papa Stephanus* (nimirum IV.) *non ex iis* (Canonibus Apoſtolorum) *plus quam quinquaginta recipiendos, ſynodice promulgavit, licet quædam Conſtituta Pontificum ex ipſis aſſumpta eſſe videantur.*

LXII. Proſequitur ſtatim, & uberiorem eorum approbationem indicat, dicens: *Unde Apoſtolatu veſtro decernente, non ſolum illos quinquaginta Canones Eccleſia recipit, ſed & omnes eorum, utpote Spiritus Sancti tubarum.* Ubi videtur plenam omnibus iis auctoritatem tribuere, qui ſub Apoſtolorum nomine circumferuntur; quamvis duobus poſtea ſæculis ſcribens S. Anſelmus Lucenſis in Apologia Gregorii VII. adverſus Guibertum Antipapam, utriuſque ejus Pontificis approbationem non videatur accepiſſe pluſquam de quinquaginta Canonibus. Ait enim: *Stephanus Quartus, & Joannes Septimus* (alias Octavus) *ut ait Anaſtaſius in Prologo Septimæ Synodi, quinquaginta capitula Apoſtolicorum Canonum, in pleniſſimum auctoritatis robur recipi cenſuerunt.* At vero Anaſtaſius de Joanne Papa non ſolum ait probaſſe quinquaginta illos Canones, *ſed & omnes eorum*; quaſi nullum non probaverit.

LXIII. Fortaſſis propter has Definitiones, ſeu Conſtitutiones Stephani IV. & Joannis VIII. Cardin. Baronius ad annum Chriſti CII. Librum Canonum Apoſtolorum, quamvis non Canonicum, authenticum tamen eſſe vult quoad quinquaginta priores Canones; ſimiliterque quoad poſteriores, exceptis, ſexageſimo quinto, in quo probibetur jejunium Sabbathi, & octogeſimo quarto, in quo multi Libri Canonici Veteris, & Novi Teſtamenti prætermittuntur. Nam reliqui omnes nihil præter Apoſtolicam doctrinam, aut a Conciliis, & Patribus traditam, habere noſcuntur: ideoque, licet non ſit exploratum, eos fuiſſe a SS. Apoſtolis editos; authentici tamen, & ab Eccleſia probati cenſeri debent.

LXIV. At quomodo occurremus Definitioni illi Joannis VIII. qui, teſte Anaſtaſio, non ſolum quinquaginta Canones Apoſtolorum, *ſed & omnes eorum* probavit, ac proinde octoginta quatuor? Immo & qualiter quinquaginta priores authentici cenſendi erunt, & a Sede Apoſtolica probati tempore Stephani IV. & Joannis VIII. ſi longe antea fuerant a Gelaſio Papa recenſiti inter apocrypha? Sedes enim Apoſtolica in doctrina Fidei, & morum non docet aliis atque aliis temporibus *ἀσύστατα*, ſive pugnantia. Judicium enim Romani Pontificis ex Cathedra prolatum circa doctrinam Fidei, aut morum, in iis quæ ſunt juris Divini, irreformabile omnino eſt, & nulli unquam errori obnoxium, ut ex communi Conciliorum, Patrum, & Theologorum doctrina latiſſime confirmavimus juſto volomine *Defenſionis Cathedræ S. Petri*, edito anno 1683. contra recentem Declarationem Illuſtriſs. Cleri Gallicani. Quomodo etiam quinquaginta priores Canones authentici, & probati ab Eccleſia ſunt habendi, ſi in iis duo manifeſte videntur ſapere bæreſim Rebaptizantium? Vide ſupra num. 13. & ſeqq. præſertim teſtante S. Iſidoro in hac Præfatione (juxta puriora exemplaria) aliquos prædictorum Canonum fuiſſe compoſitos ab Hæreticis.

LXV. Hic nodus ſane difficillimus ſolutu eſt, juxta Baronii, Binii, Marcæ, aliorum-

que

que opiniones. Juxta noſtram vero ſparſim in ſuperioribus traditam, facilius fortaſſis eatricabitur. Itaque redigendo in ſummam quæ ſupra diximus, & nonnulla alia brevirer addendo, res tote videtur commode quibuſdam propoſitionibus eaplieari poſſe, ſtetim proſcrendis.

EXCURSUS VI.

Theſes variæ, qaibus ſingillatim dirimitur controverſia, juxta ea, quæ ia ſuperioribas tradidimus, tam tirca mentem S. Iſidori, quam circa auctoritatem Canonum Apoſtolis adſtriptorum. Porro eu octoginta quataor circamferri ſolitis, ſolos quinque irrepſiſſe bæreticorum, aut corruptorum fraude: reliquos aatem omnes authenticos eſſe, & eu ſingalari probatos a Pontificibus Romanis, Conciliis, & Patribus, quorum leca indicantar quoad quinquagiata priores.

LXVI. PRima propoſitio ſit: Geiaſium Papam jure rejeciſſe CanonesApoſtolorum ad apocrypha: tum quia non conitabet quiſnam eorum eſſet auctor: tum maxime, quia in his nonnulli ſapiebant hæreſim Rebaptizantium: ut ſupre oſtenſum fuit a num. 13. quod ipſum ſatis indicet S. Iſidorus verbis num. 3. eaſcriptis.

LXVII. Secunda: Nulla Synodus Oecumenica, & probata ab Apoſtolica Sede, nequidem Septima illarum apud Nicæam babita, dedit robur, & firmitatem authenticam generatim omnibus Canonibus nomine Apoſtolorum editis, adhuc quinquaginta prioribus. Pater ex dictis a num. 27. ad 32. & rurſus num. 57. 58. & 59. nec inculcare oportet.

LXVIII. Tertia: Probati quidem fuerunt quinquaginta priores eorum Canonum a Stephano Papa IV. non tamen juata exemplaria illa, in quibus extabant Canones XLV. & ALVI. Græce, Latine autem ALVI. & ALVII. ut ſupra num. 13. & 14. vidimus. Quippe cum ii ſapient hæreſim Rebaptizantium, nunquam a Sede Apoſtolica probati fuerunt. Quare certum eſſe debet, Stephanum Papam illos probaſſe juxta alia eaemplaria, iu quibus nullæ ejuſmodi ſordes erant. Unde Stephanus non contradiait Gelaſio, qui Canones Apoſtolorum rejecerat juxta alia exemplarla, in quibus erant nævi illi, & fortaſſe piures alii. Aut ſi Stephanus probavit illos; dicendus eſt non abſolute, & omnino omnes probaſſe, ſed cum delectu paullo poſt eaplanando.

LXIX. Quarta: Idem dicendum de Joanne VIII. probante quinquaginta priores Canones, & ob eaſdem rationes. Idem denique de Sancto Leone IX. Papa, ſeu potius de Humberto Cardinale, Sylvæ Candidæ Epiſcopo, & Ipſius Legato, cujus verbe citantur in Decreto Diſt. 16. Cap. 3. *Clementis Librum*, ideſt, *Petri Apoſtoli Itinerarium, & Apoſtelorum Canones, numerant Patres inter apotrypha; exceptis quinquaginta Capitulis, quæ decreverunt orthodoxæ Fidei tractatores adjungenda*, Eadem verba landantur ab Ivone Lib. 2 tit. 11. Cap. 37. Panor. niſi quod pro *orthodoxæ Fidei tractatores*, haber, *orthodoxis regulis*. Sunt autem verba prædicti Humberti in Reſponſione ad libellum Nicetæ Presbyteri, & Monachi contra Latinos editum, quæ Romæ extat in varlis mſs. Nimirum omnes ejuſmodi approbationes eodem ſenſu accipi debent.

LXX. Quinta: Quamvis, teſte Anaſtaſio, idem Joannes VIII. non ſolum quinquaginta Canones, *ſed & omaes eoram* probaverit; non tamen abſolute, ſed delectu habito. Nimirum, tota periodus apud Anaſtaſium hæc eſt: *Unde Apoſtolatu veſtro decernente, non ſoles illos quinquaginta Canones Eccleſia recepit, ſed & omnes eorum, utpote Spiritus Sancti tubarum, quin & omnium omnino probabilium Patrum, & Sanctorum Conciliorum regulas, & inſtitutiones admittit: ILLAS DUMTAXAT, QUÆ NEC RECTÆ FIDEI, NEC PROBIS MORIBUS OBVIANT, SED NEC SEDIS ROMANÆ DECRETIS AD MODICUM QUID RESULTANT; SED POTIUS ADVERSARIOS, IDEST, HÆRETICOS, POTENTER IMPUGNANT.*

LXXI. Hæc ibi ad verbum Anaſtaſius, & intra eandem periodum. Cum igitur tam in quinquaginta prioribus Canonibus Apoſtolorum nomine vulgatis, juxta Collectiones Dionyſii, & Iſidori, quam in triginta quatuor poſterioribus memoratis in Synodo Quini-Sexta, extent aliqui palam obviantes rectæ Fidei, bonis moribus, & Decretis Romanæ Sedis, ut ſæpe oſtenſum eſt in ſuperioribus; certum eſt, Joannem VIII. ſolos reliquos probaſſe. Nam exceptis paucis iis (nimirum 45. & 46. Græce, Latine autem 46. & 47. Inſuperque 65 vetante jejunium Sabbathi, & 67. de baptizatis, & ordinatis ab hæreticis, & 84. de numero ſacrorum librorum) reliqui omnes orthodoxam, & ſalutarem doctrinam præſeferunt, communi fere Scriptorum judicio eb Apoſtolis treditam: & quidem enno ipſo trigeſimo quarto Chriſti, duobus circiter menſibus poſt ejus Aſcenſionem in cælum, ſi fides adhibenda ſit Chronico Deatri nomine vulgato, ubi ad eum annum, inter elia, legirur: *Ultimo die jejunii Sancti Dei Apoſtoli, quadraginta & octo diebas, plus minuſve, poſt adventum Spiritus Sancti, conveniunt in cænaculo Sion, quæ domus eras Mariæ matris Joannis, cognomento Marci, & babito conſilio, ſortitione divina, provincias mundi prædicationis cauſſa inter ſe partiuntur. Contigitque S. Jacobo Zebedæi filio Hiſpania, Joanni Aſia, Matthæo Æthiopia, Thomæ India, Philippo Scythia..... QUO TEMPORE CANONES EDUNTUR, &c.* Unde ii nec a Gelaſio Papa, nec ab Iſidoro, nec a Sergio I. noiente probare Synodum Quini-Seatam, rejecti unquam fuerunt: nec pauci illi erratici a Stephano IV. aut Joanne VIII. vel alio Pontifice Romano probati ſunt.

LXXII. Ut autem luculenter appereat, ſingulos fere eorum fuiſſe probatos, & receptos, tum in Conciliis, tum apud ſanctos Patres, tum a Pontificibus Romanis; excurram breviter per omnes illos, eo ordine ſervato, quem in communibus editionibus habent, tam juxta Collectionem Iſidori, quam apud Labbeum, & alios recentiores; licet quoad ſeriem numerorum penes unum, vel alium Canonem varient ii Catalogi inter ſe, ut attentius conferenti illos patebit. Nos Dionyſianam ſeriem ſequemur quoad quinquaginta priores: quoad reliquos vero conſule Græcam a Gentiano Herveto Latine redditam.

LXXIII.

LXXIII. Imprimis generatim inveniuntur probati in Epiſtolis veterum Pontificum nomine editis in quibuslibet Conciliorum Collectionibus: veluti Teleſphori, Victoris, Zephyrini, & Fabiani, quorum veſtigia multis ſæculis poſtea, ideſt, inclinante nono, prælferunt Nicolaus I. & Joannes VIII. (alias VII.) ut in ſuperioribus præmiſſum eſt. Lege Canum de Locis Lib. 5. Cap. 5. Covarrubiam Lib. 4. Variarum Cap. 12. num. 6. Bellarminum de Scriptoribus Eccleſiaſticis, & Tom. I. Controverſiarum Lib. de Verbo Dei, Cap. 20. & Gretſerum in Defenſione ejuſdem Bellarmini ad locum citatum. Vide etiam Cap. *Placuit* 4. Cap. *Quoniam*, 16. Diſt.

LXXIV. Deinde ſpeciatim loquendo, Canonis primi, & ſecundi, *De ordinatione Epiſcopi, ac Presbyteri &c.* meminit Innocentius I. Papa in celebri Epiſtola ad Victricium Rhotomagenſem Epiſcopum Cap. 1. & Patres Concilii Africani Can. XVI. Canonem tertium, *De materia in Sacrificio offerenda*, laudat Sanctus Eutychianus Papa Epiſt. I. Canon quartus probatur Cap. 1. de Conſecratione Diſt. 2. Canon quintus in Concilio Carthagin. II. Can. II. & III. citaturque a S. Gregorio Lib. 7. Regiſt. Epiſt. 30. Canon ſextus in Concilio Nicæno I. & in II. Cap. 10. Canonem ſeptimum laudat S. Cyrillus Homil. 10. Canonem octavum Anacletus Papa Epiſt. I. Canonem nonum, & decimum Patres Synodi Antiochenæ Can. II. Vide etiam de Conſecrat. Diſt. 1. Cap. *Omnes fideles*,

LXXV. Canon undecimus Apoſtolorum confirmatur in Concilio Nicæno Can. V. & Cap. *Sicut Apoſtoli* 11. Q. 3. Canon duodecimus pariter ibidem Can. V. & in allegata Innocentii Epiſtola Capite 8. ejuſque mentio fit apud Euſebium Lib. 3. de Vita Conſtantini Cap. 9. & juxta editionem Valeſianam Cap. 61. Canones, decimus tertius, quartus, & quintus, *adverſus tranſitiones Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, vel alterius Clerici de una Eccleſia in aliam &c.* confirmantur in Concilio Nicæno Can. XV. & XVI. atque in Antiocheno Can. III. Vide Theodoretum Lib. 1. Cap. 4. cujus verba expendemus alibi. Canon decimus ſeptimus ab Innocentio I. in Epiſtola citata Cap. 6. & a Theodoſio Imperatore probatur in Lege tertia, Codice de ſumma Trinitate. Canon decimus octavus a Sancto Leone Magno Epiſt. 87. ad Epiſcopos Africanos, alias prima juxta editionem Queſnelii, & Conſtitutionem 6. Juſtini Imperatoris. Canon vigeſimus, alias decimus nonus, in quo deponitur Clericus fidejubens, habetur in Epiſt. 1. S. Clementis initio, quæ allegatur Cap. 1. de fidejuſſoribus.

LXXVI. Canonis vigeſimi primi, ſecundi, tertii, & quarti, *circa eunuchos ordinandos, aut non ordinandos &c.* mentio eſt 55. Diſt. Cap. *Eunuchus ſi &c.* & in Concilio Nicæno Can. 1. & apud Baſilium Cap. 3. Epiſt. ad Amphilochium. Vide præterea Synodum VIII. Generalem Can. VIII. Concil. Africanum Can. LIII. Canonis vigeſimi quinti, & ſexti Leo Papa Epiſtola 92. ad Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum, quæ eſt ſecunda apud Queſnelium. Canonis vigeſimi ſeptimi, Cap. *Quoniam*, 32. Diſt. & apud Baſilium ubi nuper. Canonis vigeſimi octavi Concil. African. Can. XXXII. Canonis vigeſimi noni Synodus VII. Generalis, ideſt, Nicæna II. Can. V. & Concilium Antiochenum Cap. 4. Canonis trigeſimi Concilium Chalcedonenſe Can. XII.

LXXVII. Canonis trigeſimi primi meminit Synodus Carthaginen. II. Can. VIII. & S. Athanaſius in Ep. ad Orthodoxos; Canonis trigeſimi ſecundi Concilium Nicænum Can. V. Canonis trigeſimi tertii Concilium Antiochenum Can. 12. Canonis trigeſimi quarti Concilium idem Can. 12. & Eliberritanum intra Cap. 24. atque Innocentius I. in Ep. citata Cap. 1. Canonis trigeſimi quinti, & trigeſimi ſexti Concil. Nicænum Can. VI. & XIII. Canonis trigeſimi ſeptimi, & trigeſimi octavi idem Concilium Antiochenum Can. XVIII. & XX. atque Innocentius ubi nuper. Canonis trigeſimi noni Concilium Nicænum II. (ideſt Synodus VII. Generalis) Can. XII. & Concil. Pariſienſe III. Lib. 1. Cap. 25. Canonis quadrageſimi Concilium Chalcedonenſe Can. XXII.

LXXVIII. Canonis quadrageſimi primi mentio eſt Cap. *Præcipimus*, 12. Q. 1. & illius, præcedentiſque in Concilio Antiocheno Can. 24. & 25. Canonis quadrageſimi ſecundi & quadrageſimi tertii, in Synodo VI. Generali ſub Agathone Papa, Cap. 50. Canonis quadrageſimi quarti in Concilio Nicæno Can. 18. in Arelatenſi II. Can. 14. & in Aquiſgranenſi I. Can. 40.

LXXIX. Canon quadrageſimus quintus, juxta ordinem, quem ſervat, tum in editione Græca, cum Latine in corpore Juris Canonici editionis anni 1650. qua modo utor, pag. 1267. de Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconis recipientibus Baptiſma hæreticorum ſupra num. 14. utraque lingua a nobis exſcriptus, & late rejectus fuit, veluti intruſus ab hæreticis, juxta ſententiam Sancti Iſidori. Idipſum fecimus ibidem num. 15. circa quadrageſimum ſextum, ob eandem rationem. Neuter autem eorum ab Eccleſia probatus fuit, quin potius doctrina utrique contraria ſtatuta eſt, tum a Stephano I. Papa contra Rebaptizantes, tum poſtea ſolennius videtur proſcripta in variis Conciliis, præſertim in Nicæno Can. 19. ubi ſoli ii, qui a Paullianiſtis baptizati erant, decernuntur baptizandi, veluti qui invalide Baptiſmum ſuſcepiſſent. Quare in Expoſitione Fidei Nicænæ extante apud Ruffinum Aquilejenſem Lib. 2. Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Cap. 6. inter alios Canones, vigeſimus primus Nicænus his verbis exprimitur: *Et ut Paullianiſtæ, qui ſunt Photiniani, rebaptizentur*. Nimirum Photiniani ſectam ſuam a Paullo Samoſateno didicerunt; ac proinde ubi convertebantur ad Catholicam Fidem, æque ac Paullianiſtæ, jubebantur baptizari, ut conſtat ex Concilio Arelatenſi II. Cap. 6.

LXXX. Unde S. Innocentius I. Papa Epiſt. XX. ad Rufum Cap. 6. ait: *Canones apud Nicæam conſtituti, a Paullianiſtis venientes etiam baptizari præcipiunt. Numquid nam cum de Paullianiſtis jubent, omnes qui ab hæreticis revertuntur, erunt hoc exemplo baptizandi? Quod cum nullus audeat facere, de ipſis tantum eſſe præceptum ratio ipſa demonſtrat*. Itaque ſoli Paullianiſtæ ex hæreticis ad Catholicam Fidem venientibus, jubentur *baptizari*. Et præterea rationem reddit, ſimulque diſcrimen ab hæreticis Novatianis, quorum Baptiſma ratum ab Eccleſia Catholica habeba-

tur: *Quod idcirco diſtinctum eſſe ipſis duobus hæreſibus ratio manifeſta declarat: quia Paullianiſtæ in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti minime baptizabant, & Novatiani eiſdem tremendis venerandiſque nominibus baptizabant*. Unde & horum ordinationes habebantur ibidem ratæ, perinde ac Baptiſmus, ob rationem eandem. Quin & intra idem ſæculum quartum Synodus I. Conſtantinopolitana (ideſt, Univerſalis ſecunda) in Symbolo addidit contra Rebaptizantes verba illa: CONFITEOR UNUM BAPTISMA. Et, ut rem clarius, ſive cum diſtinctione convenienti explanaret, Canone ſeptimo rebaptizari juſſit Eunomianos, Montaniſtas, ac Sabellianos: quoniam, nimirum, ii, perinde ac Paullianiſtæ, prætermittebant formam ſubſtantialem Baptiſmi a Chriſto traditam, & ab omnibus aliis Chriſtianis, etiam hæreticis, ſervatam. Hoc ſenſu videtur intelligendus S. Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos, dum ait: *Nicæna Synodus omnes hæreticos* (ideſt, Baptiſmum datum a quibuslibet hæreticis) *ſuſcepit, exceptis Paulli Samoſateni diſcipulis*. Nimirum, per *omnes hæreticos*, intelligendi ſunt quicumque formam præſcriptam a Chriſto ſervabant juxta ritum Eccleſiæ, licet alioqui deſiperent, & ab ea in dogmatibus quibuſdam diſſiderent. Vide ſupra a num. 14. uſque ad 25.

LXXXI. Canon quadrageſimus ſeptimus, juxta editionem, & ſeriem Latinam, confirmatur ex Innocentio I. in Epiſt citata. Quadrageſimus octavus in Cap. *Placuit* 52. Q. 7. Quadrageſimus nonus, Cap. *Multi*, de Conſecrat. Diſt. 4. Quinquageſimus, Cap. *Si quis Epiſcopus*, eadem Diſtinctione.

LXXXII. Et hæc quidem de primis quinquaginta Canonibus nomine Apoſtolorum editis, quos primum Dionyſius cognomento Exiguus, deinde Iſidorus, ſuis Collectionibus inſeruerunt. Inter quos ſoli duo illi, in quibus hæretici rebaptizari præcipiuntur, intruſi fuerunt (quantum conjicere poſſumus) clanculum, & poſt tempus S. Auguſtini. Nam antea nemo videtur meminiſſe illorum, ne Donatiſtæ quidem, licet omni arte, & contentione poſſibili proprium dogma cæteris obtrudere conarentur.

LXXXIII. Poſſemus pariter oſtendere, reliquos fere Canonum Apoſtolis adſcriptorum, nimirum triginta quatuor reſiduos, etiam laudari, aut confirmari, in Conciliis, aut Decretis Juris Canonici, aut a Sanctis Patribus; excepto ſexageſimo quinto, in quo prohibetur ſub pœna depoſitionis jejunium Sabbathi. Inſuper & ſexageſimo ſexto, ubi ordinatio ab hæreticis collata, cenſetur nulla, & irrita. Denique & octogeſimo quarto, in quo numerus Librorum Canonicorum Scripturæ diminutus eſt. Nimirum ii tres Canones nunquam ab Eccleſia probati fuerunt. Verum quoniam Sanctus Iſidorus, in cujus Præfatione explananda verſamur, non protulit in Collectione ſua plus quam quinquaginta; ſufficiat nobis de iis egiſſe juxta mentem ipſius. Ne autem Lector cogatur alibi quærere, & fortaſſis non inveniat Canones ipſos apud Dionyſium Exiguum, & Iſidorum extantes, viſum fuit hoc loci illos exhibere.

EXCURSUS VII.

CANONES QUINQUAGINTA APOSTOLICI,

Juxta verſionem Dionyſio Exiguo adſcriptam, qua & Iſidorus Collector uſus fuiſſe videtur, collati cum antiquiſſimo exemplari ms. Vaticano num. 630 & notatis ad calcem varietatibus lectionum.

Incipiunt Eccleſiaſticæ regulæ SS. Apoſtolorum, prolatæ per Clementem Eccleſiæ Romanæ Pontificem, quæ ex Græcis exemplaribus in ordine primo ponuntur, quibus quamplurimi quidem conſenſum non præbuere facilem; attamen poſtea quædam Conſtituta Pontificum ex ipſis Canonibus aſſumpta eſſe videntur.

CANON PRIMUS.

LXXXIV. Epiſcopus a duobus, aut a tribus Epiſcopis ordinetur.

II. Presbyter ab uno Epiſcopo ordinetur, & Diaconus, & reliqui Clerici.

III. Si quis Epiſcopus, aut Presbyter, præter ordinationem Domini alia quædam in Sacrificio offerat ſuper Altare, ideſt, aut mel, aut lac, aut pro vino ſiceram, aut confecta quædam, aut volatilia, aut animalia aliqua, aut legumina, contra conſtitutionem Domini faciens, congruo tempore deponatur.

IV. Offerre non liceat aliquid ad Altare præter novas ſpicas, & uvas, & oleum ad luminaria, & thymiama, ideſt, incenſum, tempore quo ſancta celebratur oblatio.

V. Reliqua poma omnia ad domum primitiæ Epiſcopo, & Presbyteris dirigantur, non offerantur in Altari. Certum eſt autem, quod Epiſcopus, & Presbyteri dividant, & Diaconis, & reliquis Clericis.

VI. Epiſcopus, aut Presbyter uxorem propriam nequaquam ſub obtentu Religionis abjiciat: ſi vero rejecerit, excommunicetur: ſed ſi perſeveraverit, dejiciatur.

VI.

VII. Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, nequaquam ſæculares curas aſſumat: ſin aliter, dejiciatur.

VIII. Si quis Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, ſanctum Paſchæ diem ante vernale æquinoctium cum Judæis celebraverit, abjiciatur.

IX. Si quis Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, vel quilibet ex Sacerdotali catalogo, facta oblatione, non communicaverit, aut cauſſam dicat, ut ſi rationabilis fuerit, veniam conſequatur: aut ſi non dixerit, communione privetur, tamquam qui populo cauſſa læſionis extiterit, dans ſuſpicionem de eo, qui ſacrificavit, quod recte non obtulerit.

X. Omnes Fideles, qui ingrediuntur Eccleſiam, & Scripturas audiunt, non autem perſeverant in oratione, nec ſanctam communionem percipiunt, velut inquietudines Eccleſiæ commoventes, convenit communione privari.

XI. Si quis cum excommunicato ſaltem in domo ſimul oraverit, iſte communione privetur.

XII. Si quis cum damnato Clerico, veluti cum Clerico, ſimul oraverit, iſte damnetur.

XIII. Si quis Clericus, aut Laicus a communione ſuſpenſus, ſeu communicans, ad aliam properet civitatem, & ſuſcipiatur præter commendatitias literas; & qui ſuſceperunt, & qui ſuſceptus eſt, communione priventur. Excommunicato vero proteletur ipſa correptio, tamquam qui mentitus ſit, & Eccleſiam Dei ſeduxerit.

XIV. Epiſcopo non licere alienam Parochiam, propria relicta, pervadere, licet cogatur a plurimis. Niſi forte (1) quis cum rationabili cauſſa compellatur, tamquam qui poſſit ibidem conſtitutis plus lucri conferre, & in cauſſa religionis aliquid (2) profecto proſpicere. Et hoc non a ſemetipſo pertentet, ſed multorum Epiſcoporum judicio & maxima (3) ſupplicatione perficiat.

XV. Si quis Presbyter, aut Diaconus, aut quilibet de numero Clericorum, relinquens propriam parochiam, pergat ad alienam, & omnino demigrans præter Epiſcopi ſui conſcientiam, (4) in aliena parochia commoretur, hunc ulterius miniſtrare non patimur: præcipue ſi vocatus ab Epiſcopo, redire contempſerit, in ſua inquietudine perſeverans. Verumtamen tamquam laicus ibi communicet.

XVI. Epiſcopus vero, apud quem moratos eſſe conſtiterit, ſi contra eos decretam ceſſationem pro nihilo reputans, tamquam Clericos forte ſuſceperit, velut magiſter inquietudinis, communione privetur.

XVII. Si quis poſt Baptiſma ſecundis fuerit nuptiis copulatus, aut concubinam habuerit, non poteſt eſſe Epiſcopus, non Presbyter, aut Diaconus, aut prorſus ex numero eorum, qui miniſterio ſacro deſerviunt.

XVIII. Si quis viduam (5) aut ejectam acceperit, aut meretricem, aut ancillam, vel aliquam de iis, quæ publicis ſpectaculis mancipantur, non poteſt eſſe Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut ex (6) eorum numero, qui miniſterio ſacro deſerviunt.

XIX. Qui duas in conjugium ſorores acceperit, vel filiam (7) fratris, Clericus eſſe non poterit.

XX. Clericus fidejuſſionibus inſerviens, abjiciatur.

XXI. Eunuchus ſi per inſidias hominum factus eſt, vel ſi in perſecutione ejus ſunt amputata virilia, vel ſi ita natus eſt, & eſt dignus, efficiatur Epiſcopus.

XXII. Si quis abſcidit ſemetipſum, ideſt, ſi quis amputavit ſibi (8) virilia, non fiat Clericus, quia ſuus homicida eſt, & Dei conditionis inimicus.

XXIII. Si quis cum Clericus fuerit, abſciderit ſemetipſum, omnino damnetur, quia ſuus eſt homicida.

XXIV. Laicus ſemetipſum abſcindens, annis tribus communione privetur, quia ſuæ vitæ inſidiator extitit.

XXV. Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, qui in fornicatione, aut perjurio, aut furto captus eſt, deponatur: non tamen communione privetur. Dicit enim Scriptura: *Non vindicabit Dominus bis in idipſum*.

XXVI. Similiter & reliqui Clerici huic conditioni ſubjaceant.

XXVII. In nuptiis autem, qui ad Clerum provecti ſunt, præcipimus, ut ſi voluerint, uxores accipiant: ſed Lectores, Cantoreſque tantummodo.

XXVIII. Epiſcopum, aut Presbyterum, aut Diaconum, percutientem Fi-

(1) Quis cum rationabili cauſſa compellat. Vatic. (2) Profecto reſpicere. Vatic. (3) Supplicatio non perficiat. Vatic. (4) Ut in aliena. Vatic. (5) Et. Vatic. (6) Ex eo numero. Vatic. (7) Patris. Vatic. (8) Sibi, deeſt in Vatic.

deles delinquentes , aut infideles inique agentes , & per hujuſmodi volentem timeri, dejici ab officio ſuo præcipimus, quia nuſquam nos hoc Dominus docuit. E contrario vero ipſe, cum percuteretur, non repercutiebat: cum malediceretur, non remaledicebat: cum pateretur, non comminabatur.

XXIX. Si quis Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, depoſitus juſte ſuper certis criminibus, auſus fuerit attrectare miniſterium dudum ſibi commiſſum, hic ab Eccleſia penitus (1) abſcindatur.

XXX. Si quis Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus per pecunias hanc obtinuerit dignitatem, dejiciatur & ipſe, & ordinator ejus, & a communione modis omnibus (2) abſcindatur, ſicut Simon Magus a Petro.

XXXI. Si quis Epiſcopus ſæcularibus poteſtatibus uſus, Eccleſiam per ipſos obtineat, deponatur, & ſegregentur omnes, (3) qui illi communicant.

XXXII. Si quis Presbyter contemnens Epiſcopum ſuum, ſeorſum collegerit, & Altare aliud erexerit, nihil habens (4) quo reprehendat Epiſcopum in cauſſa pietatis, & juſtitiæ, deponatur, quaſi Principatus amator exiſtens, eſt enim tyrannus: & cæteri Clerici quicumque tali conſentiunt, (5) deponantur, laici vero ſegregentur. Hæc autem poſt unam, & ſecundam, & tertiam Epiſcopi obſecrationem fieri conveniat.

XXXIII. Si quis Presbyter, aut Diaconus ab Epiſcopo ſuo ſegregetur, hunc non licere ab alio recipi, ſed ab ipſo, qui eum ſequeſtraverat, niſi forſitan obierit Epiſcopus ipſe, qui eum ſegregaſſe cognoſcitur.

XXXIV. Nullus Epiſcoporum peregrinorum, aut Presbyterorum, aut Diaconorum, ſine commendatitiis ſuſcipiatur epiſtolis. Et cum ſcripta detulerint, diſcutiantur attentius, & ita ſuſcipiantur, ſi prædicatores pietatis (6) extiterint: ſin minus, nec quæ ſunt neceſſaria ſubminiſtrentur eis, & ad communionem nullatenus admittantur, quia per ſubreptionem multa proveniunt.

XXXV. Epiſcopos Gentium ſingularum ſcire convenit, quis inter eos primus habeatur, quem velut caput exiſtiment, & nihil amplius præter ejus conſcientiam gerant, quam illa ſola ſinguli, quæ parochiæ propriæ, & villis, quæ ſub ea ſunt, competunt. Sed nec ille præter omnium conſcientiam faciat aliquid: ſic enim unanimitas erit, & glorificabitur Deus per Chriſtum in Spiritu Sancto.

XXXVI. Epiſcopum non audere extra terminos proprios ordinationes facere in civitatibus, & villis, quæ illi nullo jure ſubjectæ ſunt. Si vero convictus fuerit hoc (7) feciſſe, præter eorum conſcientiam, qui (8) civitates, & villas detinent; & ipſe deponatur, & qui ab illo ſunt ordinati.

XXXVII. Si quis Epiſcopus non ſuſceperit officium, & curam populi ſibi commiſſam, hic communione privetur, quoadusque conſentiat, obedientiam commodans: ſimiliter autem (9) Presbyter, & Diaconus. Si vero perrexerit, nec receptus fuerit, non pro ſua ſententia, ſed pro malitia populi, ipſe quidem maneat Epiſcopus, Clerici vero civitatis (10) communione priventur, eo quod eruditores inobedientis populi non fuerunt.

XXXVIII. Bis in anno Epiſcoporum Concilia celebrentur, ut inter ſe invicem dogmata pietatis explorent, & emergentes Eccleſiaſticas contentiones amoveant: ſemel quidem quarta ſeptimana Pentecoſtes, ſecundo vero duodecima die menſis (11) Hyperberetæi.

XXXIX. Omnium negotiorum Eccleſiaſticorum curam Epiſcopus habeat, & ea velut Deo contemplante diſpenſet, nec ei liceat ex his aliquid omnino contingere, aut parentibus propriis, quæ Dei ſunt, condonare. Quod ſi pauperes ſunt, tanquam pauperibus ſubminiſtret, nec eorum occaſione Eccleſiæ negotia (12) deprædetur.

XL. Presbyteri, & Diaconi præter Epiſcopum nihil agere pertentent. Nam Domini populus ipſi commiſſus eſt, & pro animabus eorum hic redditurus eſt rationem.

Sint autem manifeſtæ res propriæ Epiſcopi, ſi tamen habet proprias, & manifeſtæ Dominicæ, ut poteſtatem habeat de propriis moriens Epiſcopus, ſicut voluerit, & quibus voluerit (13) derelinquere; nec ſub occaſione Eccleſiaſticarum rerum, quæ Epiſcopi eſſe probantur, interdicant: fortaſſis enim aut uxorem habet, aut filios, aut propinquos, aut ſervos. Et juſtum eſt hoc apud Deum, & homines, ut nec Eccleſia

(1) Abſcidatur. Vatic. (2) Abſcidatur. Vatic. (3) Quiqui illi comm. Vatic. (4) Quod. Vat. (5) Deponantur deeſt in Vatic. (6) Extiterint, minus ne quæ ſunt neceſſaria ſubminiſtretur. Vatic. (7) Feciſſe, deeſt in Vatic. (8) Civitates ipſar, Vatic. (9) Et Presbyter. Vatic. (10) Com. priv. quod Vat. (11) Hyperberetæi, i deſt juxta Romanos. IV. Idus, Oct. Vatic. (12) Deprehendentur. Vatic. (13) Delinquere ne ſub occaſ. Vatic.

ſia detrimentum patiatur ignorantiæ rerum Pontificis, nec Epiſcopus, vel ejus propinqui (1) obtentu Eccleſiæ proſcribantur, & in cauſſas incidant qui ad eum pertinent, morſque ejus injuriis malæ famæ ſubjiciatur.

XLI. Præcipimus, ut in poteſtate ſua Epiſcopus Eccleſiæ res habeat. Si enim animæ hominum preccioſæ illi ſunt creditæ, multo magis oportet, eum curam pecuniarum gerere, ita ut poteſtate ejus indigentibus omnia diſpenſentur per Presbyteros, & Diaconos, & cum timore, omnique ſolicitudine miniſtrentur (2). Ex jis autem, quibus indiget, ſi tamen indiget, ad ſuas neceſſitates, & ad peregrinorum fratrum uſus (3) ipſe percipiat, ut nihil eis poſſit omnino deeſſe. Lex enim Dei (4) præcipit, ut qui Altari deſerviunt, de Altari paſcantur: quia nec miles ſtipendiis propriis contra hoſtes arma (5) ſuſtulit.

XLII. Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus aleæ, atque ebrietati deſerviens; aut deſinat, aut certe damnetur.

XLIII. Subdiaconus, aut Lector, aut Cantor ſimilia faciens; aut deſinat, aut communione privetur. Similiter etiam Laicus.

XLIV. Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus uſuras a debitoribus exigens; aut deſinat, aut certe damnetur.

XLV. Epiſcopus, Presbyter, & Diaconus, qui cum hæreticis oraverit, tantummodo communione privetur. Si vero tanquam Clericos hortatus eos fuerit agere, vel orare, damnetur.

XLVI. Epiſcopum, aut Presbyterum hæreticorum ſuſcipientem baptiſma, damnari præcipimus: *Quæ enim conventio Chriſti ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli?*

XLVII. Epiſcopus, aut Presbyter, ſi eum, qui ſecundum veritatem habuerit Baptiſma, denuo baptizaverit, (6) aut pollutum ab impiis non baptizaverit; deponatur, tanquam deridens Crucem, & mortem Domini, nec Sacerdotes a falſis Sacerdotibus jure diſcernens.

XLVIII. Si quis Laicus uxorem propriam pellens, alteram, vel ab alio dimiſſam duxerit, communione privetur.

XLIX. Si quis Epiſcopus, aut Presbyter juxta præceptum Domini non baptizaverit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ſed in tribus ſine initio principiis, aut in tribus Filiis, aut in tribus Paracletis, abjiciatur.

L. Si quis Epiſcopus, aut Presbyter, (7) non trinam merſionem unius myſterii celebret, ſed ſemel mergat in Baptiſmate, quod dari videtur in Domini morte, deponatur. Non enim dixit nobis Dominus: *In morte mea baptizate*, ſed, *Euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*.

LXXXV. Porro jam monuimus in ſuperioribus, & comprobavimus, præſertim num. 14. & ſeqq. uſque ad 25. ex omnibus iis quinquaginta Canonibus, ſolos XLVI. & XLVII. eſſe ſuſpectos, aut palam obtruſos ab hæreticis poſt tempus S. Auguſtini. Reliqui autem omnes, aut generatim, aut etiam in ſingulari inveniuntur probati in Conciliis, aut Epiſtolis decretalibus Pontificum, aut teſtimoniis ſanctorum Patrum, uti Excurſo ſexto oſtenſum fuit.

EXCURSUS VIII.

Exhibentur κατὰ πόδας reliqui triginta quatuor Canones Apoſtolici in Iſidoriana Collectione prætermiſſi, juxta interpretationem Latinam Gregorii Holoandri e Græco. Porro ex iis ſolos tres ſuſpectos eſſe de errore: reliquos autem omni veneratione dignos.

LXXXVI. Quamvis neque apud Dionyſium Exiguum, neque in exemplaribus antiquis Collections Iſidorianæ; extent plus quam quinquaginta Canones Apoſtolici, quales nuper exhibuimus: viſum fuit hoc loco repræſentare triginta quatuor reliquos, juxta translationem e Græco factam a Gregorio Holoandro, extantem in Corpore Juris Canonici, emendato atque edito juſſu Gregorii XIII. In hoc conſuluimus utilitati Lectorum, qui hoc loco facile invenient omnes octoginta quatuor Canones Apoſtolis adſcriptos, de quorum auctoritate hactenus diſſeruimus, nec cogentur eos alibi quærere. Itaque triginta quatuor poſtremos continuato cum quinquaginta præcedentibus ordine proſequemur, prætermiſſis aliis verſionibus illorum, quæ apud Labbeum, & alios videri facile poſſunt.

CANON LI.

SI quis Epiſcopus, aut Presbyter, eum, qui a peccato revertitur, non recipit, ſed rejicit, deponitor, eo quod Chriſtum offendat, qui dixit, ob unum peccatorem, qui reſipiſcat, gaudium ſuboriri in Cælo.

LII.

(1) Sub obtentu. Vatic. (2) Ex his autem, quæ indiget ad ſuas neceſſitates. Vatic. (3) Et ipſe. Vatic. (4) Præcepit. Vatic. (5) Suſtollit. Vatic. (6) Aut ſi poll. Vatic. (7) Non in trina merſione. Vatic. Vel: Non in trinam merſionem.

LII. Si quis Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, carnibus, & vino feſtivis diebus non utatur, idque per abominationem, non propter exercitationem ad cultum pietatis, deponitor, tanquam qui cauterio notatam habet conſcientiam, & multis auctor ſit offendiculi.

LIII. Si quis Clericus in caupona cibum capere deprehenſus fuerit, a communione excluditor: excepto tamen eo, qui neceſſario in itinere in commune divertit hoſpitium.

LIV. Si quis Clericus Epiſcopum contumelia affecerit, depanitor: Principi enim populi tui non maledices.

LV. Si quis Clericus contumelia affecerit Presbyterum, aut Diaconum, a communione ſegregator.

LVI. Si quis mancum, aut mutum, ſurdumve, aut cæcum, aut eum, cui vitioſus inceſſus eſt, ſubſannaverit, communione privator, conſimiliter & Laicus.

LVII. Epiſcopus, aut Presbyter, qui negligentius circa Clerum, vel populum agit, neque in pietate eos erudit; a communione ſegregator: ſi vero in ea ſocordia perſeveraverit, depanitor.

LVIII. Si quis Epiſcopus, aut Presbyter, Clerico ex inopia laboranti neceſſaria non ſuppeditaverit, a communione rejicitor: ſin perſeverat, depositor, ut qui fratrem ſuum necaverit.

LIX. Si quis falſo inſcriptos impiorum libros, tanquam ſacros in Eccleſia ad populi, & Cleri corruptionem pulicaverit, depanitor.

LX. Si accuſatio contra Fidelem inſtituatur de fornicatione, aut adulterio, aut quacumque alia actione prohibita, & convictus fuerit, in Clerum non perducitor.

LXI. Si quis Clericus per metum humanum, vel Judæi, vel Græci, vel hæretici negaverit, ſi quidem nomen Chriſti, ab Eccleſia rejicitor: ſi vero nomen Clerici, depanitor: pœnitentia tamen ductus, ut laicus recipitor.

LXII. Si quis Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut omnino quicumque ex Sacerdotali conſortio comederit carnes in ſanguine animæ ejus, aut a beſtiis abreptum, aut ſuffocatum, depanitor: hoc enim Lex prohibuit. Sin vero laicus fuerit, a communione excluditor.

LXIII. Si quis Clericus, aut laicus Synagogam Judæorum, aut hæreticorum conventiculum ingreſſus fuerit, ut preces cum illis conjungat, depanitor, & a communione ſecluditor.

LXIV. Si quis Clericus in concertatione aliquem pulſaverit, & uno ictu, ac pulſatione interemerit, depanitor propter temeritatem ſuam. Sin vero laicus ſit, arcetor a communione.

LXV. Si quis Dominicum diem, aut Sabbathum, uno ſolo dempto, jejunare deprehendatur, depanitor: ſi laicus, a communione ejicitor.

LXVI. Si quis virginem ſibi non deſponſatam admota vi detinet, a communione ſuſpenditor. Non licitum autem eſto ei aliam ducere; ſed eam detineto, quam ſolicitavit, quamvis paupercula ſit.

KXVII. Si quis Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus ſecundam ab aliquo ordinationem ſuſceperit, depanitor tam ipſe, quam qui ipſum ordinavit: niſi forte conſtet, ordinationem eum habere ab hæreticis. Qui a talibus baptizati, aut ordinati ſunt, ii neque Fideles, neque Clerici eſſe poſſunt.

LXVIII. Si quis Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut Cantor ſacram Quadrageſimam Paſchæ, aut quartam feriam, aut Paraſceven non jejunaverit, depanitor: præterquam ſi imbecillitate impediatur corporis. Sin laicus ſit, communione privator.

LXIX. Si quis Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut omnino quicumque ex Clericorum conſortio cum Judæis jejunaverit, aut communem feſtum diem cum ipſis egerit, aut lautia feſti, nempe azyma, aut aliud hujus generis ab eis ſuſceperit, depanitor: ſi laicus, a communione ſegregator.

LXX. Si quis Chriſtianus oleum ad ſacra Gentilium, aut in Synagogam Judæorum in feſtis eorum detulerit, aut lucernas incenderit, a communione excluditor.

LXXI. Si quis Clericus, aut laicus ceram, aut oleum ex ſancta ſubripiat Eccleſia, a communione ſejungitor.

LXXII. Vas aureum & argenteum ſanctificatum, aut velamen, linteumve, nemo amplius in ſuos uſus aſſumito, iniquum enim eſt. Cæterum ſi quis deprehenſus fuerit, excommunicatione mulctator.

LXXIII.

LXXIII. Epiſcopum de aliquo per fidedignos accuſatum homines, ab Epiſcopis vocari neceſſarium eſt. Et ſi quidem comparuerit, & confeſſus, convictuſque fuerit, cenſura irrogator Eccleſiaſtica. Si vero vocatus non obtemperaverit, ſecunda quoque vice vocator, miſſis duobus ad ipſum Epiſcopis. Quod ſi per contumaciam ne ſic quidem comparuerit, Synodus ſuam contra ipſum pronunciato ſententiam, ne quid tergiverſando, detrectandoque, judicium, lucrifacere videatur.

LXXIV. In dictionem teſtimonii contra Epiſcopum hæreticus non admittitor, ſed neque Fidelis, ſi ſolus ſit. In ore enim duorum, aut trium teſtium conſiſtet omne dictum.

LXXV. Item non oportet, Epiſcopum fratri, aut filio, aut alteri cognato humano gratificari affectu. Neque enim Eccleſiam Dei conferre debet in hæredes. Enimvero ſi quis id fecerit, irrita permaneto ordinatio: ipſe autem excommunicatione percellitor.

LXXVI. Si quis oculo defectus, aut obtuſo crure exiſtat, & dignus ſit, Epiſcopus efficitor: non enim mutilatio corporis ipſum polluit, ſed inquinatio animæ.

LXXVII. Qui vero mutus, ſurduſve, & cæcus eſt, Epiſcopus non efficitor, non quia oblæſo corpore eſt, ſed ne Eccleſiaſtica impediantur munia.

LXXIII. Si quis Dæmonem habeat, Clericus non efficitor: ſed neque eum Fidelibus preces ſundito, mundatus vero recipitor, & ſi dignus fuerit, efficitor.

LXXIX. Qui ex vita Gentili advenerit, & baptizatus eſt, aut ex converſatione prava, eum juſtum non eſt protinus promoveri in Epiſcopum. Injurium enim eſt, eum, qui non prius ſpecimen, & documentum de ſe præbuerit, aliorum Doctorem exiſtere: niſi alicubi dono Divinæ gratiæ hoc fiat.

LXXX. Dicimus, quod non oporteat, Epiſcopum, aut Presbyterum publicis adminiſtrationibus immittere, ſed vocare, & commodum ſe exhibere uſibus Eccleſiaſticis. Animum igitur inducito hoc non facere, aut deponitor. Neque enim poteſt duobus dominis ſervire juxta præceptum Dominicum.

LXXXI. Servi ſi in Cerum promoveantur citra dominorum voluntatem, hoc ipſum operatur redhibitionem. Si quando vero ſervus quoque gradus ordinatione dignus videatur (qualis & noſter Oneſimus apparuit) & domini conſenſerint, manuque emiſerint, & domo ſua ablegaverint, efficitor.

LXXXII. Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, qui militiæ vacaverit, & ſimul utrumque retinere voluerit, tam officium Romanum, quam functionem Sacerdotalem, deponitor. Quæ enim Cæſaris ſunt, Cæſari; & quæ Dei, Deo.

LXXXIII. Quiſquis Imperatorem, aut Magiſtratum contumelia affecerit, ſupplicium luito, & quidem ſi Clericus ſit, deponitor: ſi laicus, a communione removetor.

LXXXIV. Sunto omnibus vobis, Clericis ſimul & laicis venerandi, ac ſacri Libri, Veteris quidem Teſtamenti, Moſis quinque, Geneſis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Jeſu filii Nave unus, Judicum unus, Ruth unus, Regnorum quatuor, Derelictorum ex Libro dierum, duo. Heſter unus, de Machabæorum geſtis tres, Job unus, Pſalterium unus, Salomonis tres, Proverbia, Eccleſiaſtes, Canticum Canticorum, Prophetarum duodecim, unus Eſaiæ, Hieremiæ unus, Ezechiel unus, Daniel unus. Inquiritor autem a vobis extrinſecus, ut adoleſcentes veſtri addiſcant item Sapientiam eruditi Syrach. Noſtra vero, hoc eſt Novi Teſtamenti, Evangelia quatuor, Matthæi, Marci, Lucæ, Joannis. Paulli Epiſtolæ quatuordecim, Petri Epiſtolæ duæ, Joannis tres, Jacobi una, Judæ una, Clementis Epiſtolæ duæ, & Præceptiones, quæ vobis Epiſcopis per me Clementem in Libris octo nuncupatæ ſunt: quas omnibus publicare non oportet ob quædam arcana, quæ in ſe continent. Et actiones noſtras Apoſtolorum.

LXXXVII. Hactenus ibi. Inter quæ jam ſupra obſervavimus, nonnulla reputari apocrypha, aut etiam ſuppoſita. Nimirum ejuſmodi cenſentur, Canon LXV. vetans jejunium Sabbathi, & LXVII. permittens, ſive præcipiens, baptizatum, aut ordinatum ab hæreticis, iterum baptizari, aut ordinari, quod nullatenus licet, nec permitti poteſt, abſolute, & generatim loquendo. Certum enim eſt, Baptiſmum collatum ab hæreticis, ſervata intentione faciendi, quod facit Eccleſia, eum debita materia, & forma, validum eſſe, & characterem imprimere; ac proinde nullatenus iterandum. Idemque eſt de Sacramento Ordinis, ubi ab Epiſcopo hæretico confertur. Denique Canon LXXXIV. ſuſpectus eſt, tum quia inter Canonicos Libros non numerat Apocalypſim Joannis Apoſtoli: tum prætetea, quia iis accenſet S. Clementis Papæ Epiſtolas duas, & Conſtitutiones Apoſtolicas, ipſius nomine editas, quæ nullatenus eum auctoritatis gradum attingunt, & multis præterea locis vitiatæ, atque interpolatæ ſunt.

LXXXVIII. Et quidem licet Iſidorus prædictas Clementis Epiſtolas collegerit cum aliis Pontificum veterum uſque ad Gregorium Magnum, ut ipſe teſtatur in hac Præfatione; nunquam tamen illas collocavit inter Scripturas Canonicas, ſeu Libros ſacros, ſed dumtaxat inter veneranda monumenta, monita, ac Decreta Romanorum Pontificum, quibus honor, reverentia, & obedientia deberetur. Porro licet Conſtitutiones Apoſtolicæ, ut nuper dixi, inveniantur quibuſdam locis interpolatæ, aut vitiatæ, olim puriores extitiſſe inveniuntur tribus primis Eræ Chriſtianæ ſæculis, & receptæ a Patribus, quos allegat doctiſſimus Turrianus Lib. 2. adverſus Magdeburgenſes. Similiter ex Patribus quarti ſæculi illas laudat S. Athanaſius in Synopſi, & S. Epiphanius Hæreſi XLV. & LXX. ubi inquit: *Omnis regularis ordo in iis habetur & nihil a Fide adulteratum, neque a confeſſione, neque ab Eccleſiaſtica gubernatione, & regula.* Vide plura alia eodem ſpectantia apud Turrianum.

DISSERTATIO QUARTA

De Epiſtolis veterum Pontificum Romanorum collectis ab Iſidoro, præſertim ad Hiſpanos ſcriptis; an ſint germanæ, an potius confictæ ab ipſo; vel ſaltem interpolatæ.

Proſequitur Iſidorus ſuam Præfationem dicens: *Deinde quarundam Epiſtolarum Decreta virorum Apoſtolicorum inſeruimus: ideſt, Clementis, Anacleti, Evariſti, & cæterorum Apoſtolicorum, quas potuimus hactenus reperire Epiſtolas, uſque ad Sylveſtrum Papam.* Sunt vero illæ, quæ in frequentibus Conciliorum editionibus initio habentur, & circa quas hæc controverſia ſatis implicata occurrit. Moneo vero in anteceſſum eruditos quoſque, me non recipere tuendam αὐθεντίαν earum Epiſtolarum integre, prout circumferuntur ab initio circiter ſæculi noni uſque modo, ſed ſolum expendere velle potiora capita, ex quibus impugnantur, & urgere ſundamenta, quibus ſtabiliri poſſint, cum delectu indicando propriis locis, præſertim infra Excurſu ſexto. Quod ſemel hic præmonuiſſe ſufficiat.

EXCURSUS I.

Hiſtoria, & auctoritas eorum Epiſtolarum a tempore S. Iſidori Hiſpalenſis, veri illarum Collectoris, novem ſæculis continuata uſque ad annum circiter 1560. & ſolum ad breve tempus interrupta in Galliis tempore Hincmari Rhemenſis. Hadriani I. Papæ Capitula in eum expenſa. Diſcordiæ inter Nicolaum I. & prædictum Hincmarum, atque origo earundem.

II. Collectio Iſidori facta ad preces octoginta Epiſcoporum Hiſpaniæ, & plurium aliorum Sacerdotum, ſervorumque Chriſti, ut ipſe teſtatur, ſicuti ardentibus eorum votis deſiderata fuerat, ita & communi plauſu recepta eſt. In ea autem celebritate fuiſſe videtur a tempore veri, & germani ejus auctoris (nimirum S. Iſidori Hiſpalenſis, ut demonſtratum fuit Diſſert. I.) uſque ad medium noni ſæculi Eræ Chriſtianæ, quin ullus inveniatur toto eo tempore, ideſt, ab anno 636. in quo S. Iſidorus finem vivendi fecit, uſque ad 860 litem intentaſſe Epiſtolis, ſicut nec Conciliis ab ipſo collectis. Deinde viginti annis ab obitu S. Doctoris, nimirum, ann. 656. Patres Concilii Toletani X. ſicuti & XVI. anno 693. videntur præ oculis habuiſſe Epiſtolam S. Anteri Papæ ad Hiſpanos, aliaſque ſimiles veterum Pontificum, concedentium aut laudantium tranſlationes Epiſcoporum de una Eccleſia in aliam, utilitate, ac neceſſitate publica interveniente: ſiquidem fecerunt quatuor tranſlationes, teſtati, ſe id CANONICE agere. Nimirum, juxta Canones, ſive regulas ſibi præſcriptas ab Apoſtolica Sede in iis Epiſtolis, præſertim in illa celebri S. Anteri Papæ ad Epiſcopos Hiſpaniæ, quam ſuo loco proferemus, & quatenus fieri poteſt, illuſtrare, ac vindicare conabimur Diſſ. a I. & ſeq.

III. Deinde circa finem ſæculi octavi, aut ſub initium noni, legitur exemplar quoddam ejus Collectionis ab Hiſpania in Germaniam delatum. Etenim Riculphus Epiſcopus Moguntinus, qui Eccleſiam illam rexit ab anno 787. uſque ad 814. & Sedem Apoſtolicam devote coluit, ut inquit Auctor Præfationis ad Collectionem Benedicti Levitæ, exemplar quoddam Iſidorianæ Collectionis ex Hiſpania nactus, illud evulgari fecit in Germania, & finitimis regionibus. Teſtatur id Hincmarus Archipræſul Rhemenſis in Opuſculo notiſſimo ad alium Hincmarum nepotem ſuum Epiſcopum Laudunenſem, Cap. 24. dicens: *De Libro collectarum Epiſtolarum ab Iſidoro, quem de Hiſpania allatum Riculphus Epiſcopus Moguntinus, in hujuſmodi, ſicut & in Capitulis Regiis, ſtudioſus, obtinuit, & iſtas regiones ex illo repleri fecit &c.* Nec vero tot exemplaria ejus voluminis abs dubio grandis, exſcriberentur ingenti labore, ac ſumptu, niſi illud in pretio magno eſſet apud doctos, & eruditos quoſlibet, uſque ad tempus ejuſdem Hincmari, qui id Opuſculum ſcribebat circa annum 869. tempore Nicolai I. Papæ, quantum conjicere poſſum:

IV. Porro ille non cuilibet Iſidoro, ſed nominatim Hiſpalenſi, Collectionem Epiſtolarum veterum Pontificum Romanæ Eccleſiæ tribuit Epiſt. 7. Cap. 12. his verbis: *ISIDORVS EPISCOPVS HISPALENSIS opus collegit cum Epiſtolis Romanæ Sedis Pontificum a S. Clemente, uſque ad Gregorium.* Quæ verba adamuſſim conſonant aliis hujus Præfationis num. 4. 5. & 20. Fant nunc qui earum Epiſtolarum Collectionem adjudicant alteri cuidam Iſidoro, cognomento Mercatori, qui nunquam in

in rerum natura extitiſse invenitur , & nullo eorum ſæculorum veterum teſtimonio ducti , ſe detexiſse gloriantur , quod nec Hincmarus , nec quiſpiam alius multis ſæculis ab obitu Iſidori detegere unquam potuit . Collectio itaque prædicta tot ſæculis habita fuit germanum S. Doctoris Opus , & in magno pretio apud omnes . Vide quæ de hoc præmiſimus laté Diſſert. I.

V. Verum antequam Riculphus illud exemplar Iſidorianæ Collectionis ex Hiſpania in Germaniam deferret , jam celebres videntur fuiſse apud Gallias Epiſtulæ illæ veterum Pontificum : ſiquidem præcipue illarum ſententiæ , ob quas potiſſimum impetuntur , inveniuntur totidem pene verbis inter Capitula ex Chartophylacio Sedis Apoſtolicæ collecta ab Hadriano I. Papa , qui Pontificatum geſſit ab anno 772. uſque ad 795. ac proinde antequam Riculphus Moguntinus Præſul Librum illum ex Hiſpania deferret anno 800. aut circiter .

VI. Nimirum , hæc eſt Inſcriptio illorum Capitulorum , prout edita fuerunt a Jacobo Sirmondo , & recuſa deinde a Philippo Labbé , Tom. VI. Conciliorum noviſſimæ editionis Pariſienſis anni 1672 col. 1828. *Hadriani Papæ Capitula , quæ ex Græcis , & Latinis Canonibus , & Synodis Romanis , ATQUE DECRETIS PRÆSULUM, ET PRINCIPUM ROMANORUM , ſparſim collecta ſunt , & Ingilramno Medio - Matricis Urbis Epiſcopo Romæ a Beato Hadriano Papa tradita ſub die xiij. Kal Octobris , Indictione ix. quando pro ſui negotii cauſſa agebatur* . Eadem inſcriptio cum eiſdem Capitulis Hadriani , ſeu potius ab Hadriano collectis , & Ingilramno traditis , extat modo in Bibliotheca Vaticana Codice mſs. 630. literis Gallicis ſcripto tempore Nicolai I. pag. 310 id eſt, centum circiter annis poſtquam Hadrianus I. Capitulorum dictorum in Chartulario Romanæ Sedis extantium tranſumptum dedit Ingilramno , die 13. Kal. Octobris , Indictione nona , ideſt , anno Chriſti 785. uti poſt Antonium Auguſtinum obſervat Labbé . Riculphus vero biennio poſt, nimirum anno 787. cœpit eſſe Epiſcopus Moguntinus , & non niſi poſt adeptam eam dignitatem legitur exemplar Iſidorianæ Collectionis ex Hiſpania detuliſſe . Potuerat autem Riculphus abs dubio prius eadem Capitula ex Urbe in Germaniam deferre , uti ante aliquot annos fecerat Ingilramnus . Extabant enim ab antiquo tempore in Armario S Sedis , unde eorum tranſumptum erui juſſit Hadrianus I. & inibi conſervabantur inter præcipua manuſcripta longe ante ipſum octavum ſæculum ; ac proinde multo priuſquam naſceretur ille Iſidorus Mercator (ſi vere unquam fuit) cui doctrina præcipua in iis contenta tribui ſolet , tanquam ab ipſo conficta ſub finem octavi ſæculi .

VII. Deinde in ſingulari deſcendendo ad Capitula ipſa Hadriani , patet , multa illorum delibata eſſe ex veteribus illis Romanorum Præſulum Epiſtolis . Conſulantur præcipue ex iis Capitula , III. IX. XII. XXIII. XLVI. XLV. & LXXVII. ac præterea in ſingula earum Notæ doctiſſimi Antonii Auguſtini , in quibus ſingillatim oſtendit , ex quibuſdam veterum Pontificum Epiſtolis Decretalibus unaquæque ſententia fuerit deſumpta . Quod argumento eſt , & quidem ineluctabili , antequam Riculphus evulgaret in Germania Collectionem Iſidorianam , jam Romæ notas , & laudatas fuiſſe , immo & conſecratas in Chartophylacio Apoſtolicæ Sedis ab antiquis temporibus , Epiſtolas veterum Pontificum in ea contentas . Poſſemus hoc ipſum ampliare , & ulterius confirmare . Verum nunc ſatis ſit indicaſſe Notas clariſſimi illius Præſulis , variis locis editas , & nuper recuſas laudato Tomo VI. Collectionis Labbeanæ , col. 1839. & ſeqq. Vide infra toto Excurſu IV.

VIII. Sed & obſervandum maxime eſt , ea Capitula Hadriani , magna ſui parte delibata ex veterum Pontificum Epiſtolis , in Collectione Iſidoriana contentis , tanti apud Reges Francorum fuiſſe , ut ſingula pene in ſua Capitularia tranſtulerint . Tertium enim Capitulorum Hadriani (quod horrori eſt Sectariis , & Catholicis hypercriticis Galliæ quaſi crux ingeniorum) habetur in Capitularibus Regum Francorum Additione IV. Cap. 12. Nonum extat Lib. 6. Cap. 287. Duodecimum eodem loco. Vigeſimum tertium Lib. 7. Cap. 235. Quadrageſimum ſecundum eodem Libro Cap 267 ubi jugulatur opinio ſuperioribus annis tradita ab Archipræſule Marca contendente , judicia Synodorum Provincialium eſſe irreformabilia . Oppoſitum diſcere potuiſſet Vir alioqui eruditiſſimus, non modo ex Hadriano I. Papa , & multis antiquioribus Romanæ Eccleſiæ Præſulibus , præſertim allegandis Diſſert. VII. ſed etiam ex ipſis Regibus Francis loco citato . Quadrageſimum quintum extat Lib. 5. Cap. 250. Quinquageſimumſextum Lib. 6. Cap 301. Septuageſimumſeptimum denique Lib. 7. Cap. 90.

IX. Cum in hac veluti poſſeſſione auctoritatis inconcuſſæ , & longævæ fuiſſent uſque ad medium noni ſæculi Epiſtolæ illæ veteres , ſimul & Collectio Iſidoriana ; acciderunt in Gallia inclinante eodem ſeculo notiſſimæ lites Hincmaro Archiepiſcopi Rhemenſis cum Rhotado Sueſſionenſi , atque altero Hincmaro Laudunenſi , Epiſcopis , qui a judicio illius , aliorumque Præſulum Galliæ , Sedem Apoſtolicam appellarunt juxta doctrinam in Epiſtolis iis ſæpe traditam , qua majores cauſſæ , & judicia Epiſcoporum finienda reſervantur Pontifici Romano . Hincmarus vero Rhemenſis , qui & gratia apud Regem Carolum Calvum , & auctoritate in reliquos Epiſcopos Galliarum , & audentia ſingulari , pene rerum potiebatur, noluit utriuſque appellationes admittere , & propterea ſubiit indignationem Nicolai I. ſanctiſſimi , & doctiſſimi Pontificis Eccleſiæ Romanæ , qui eas jure factas tuebatur .

X. Cum vero tam ab utroque appellante , quam ab ipſo Romano Pontifice , urgerentur ea veterum Epiſtolarum teſtimonia ; Hincmarus , ut erat ingenio cavillis dedito , & augendæ opinionis cupidus , inquiſivit diu , multumque in auctoritatem illarum , quaſi illa non eſſet explorata , & minoris habenda , quam ſacrorum Canonum , quos ſuo ſenſu intellectos contendebat præferendos , ut judicia utriuſque ejus Epiſcopi finienda eſſent in Synodo Provinciali Galliarum ; non autem per appellationem deferenda ad Romanum Pontificem, nec ab ipſo terminanda . Quin & in hunc ſcopum ſcripſit Opuſculum illud famoſum LV. Capitulorum ad nepotem ſuum Hincmarum Laudunenſem ; in quo & nonnullas earum Epiſtolarum priſcis Ponti-

Digitized by Google

tificibus adſcriptarum, non vult recipere quaſi Canonicam doctrinam continentes, licet fateatur, *eſſe venerabiliter recipiendas*, juxta Decretum S. Gelaſii Papæ. Vide ibid. Cap. 24. citati Opuſculi. Deinde illius teſtimonium habetur in Concilio Duziacenſi Cap. xt. ubi criminatur nepotem ſuum, *quaſi dum plura de antiquorum Patrum ſcriptis ante ſacros Nicænæ Synodi, & aliorum Sanctorum Canones editis, collegit; ſententias inter ſe diſſonas, & contra Euangelicam, & Apoſtolicam, atque Catholicam Apoſtolicæ Sedis veritatem immiſcuiſſet*.

XI. Cæterum hanc illius opinionem, plane novam, euſque inauditam, & contrariam communi eorum ſæculorum perſuaſioni, doctiſſime confutavit Nicolaus Papa in variis Epiſtolis infra Excurſu tertio obſervandis: ac Rhotadum quidem depoſitum a Gallicanis Epiſcopis, tandem ſuæ dignitati reſtituit: Hincmarum vero Laudunenſem ſæpe appellantem exaudiri jubens, & ad ſe mitti, nec objurgationibus, nec minis obtinere potuit. Qua in re multa acciderunt (quæ hujus loci non ſunt, & alibi opportunius forſan inſerentur) donec tandem Hincmarus ipſe Laudunenſis, poſt durum, & diuturnum carcerem, atque oculos crudeliter erutos, ſpectaculo plane miſerando, tandem a Joanne VIII Papa (alias VII.) honorem Epiſcopalem recuperavit, impetrata facultate celebrandi ſacroſanctum Miſſæ Sacrificium, quamvis cæcus eſſet, & parte redditiuum ſibi ad neceſſarios ſumptus conſignata.

XII. Et certe ea cauſſa utriuſque Epiſcopi condemnati erat, ſicuti & Nicolai Papæ amborum appellationem tuentis, ut permiſſo, & nullatenus conceſſo, labare auctoritatem earum Epiſtolarum veterum; juſta eſſet, tum ex Primatu Sedis Apoſtolicæ in reliquas omnes Eccleſias certo, ſecundum Catholicam Fidem: tum ex aliis Romanorum Præſulum, & Conciliorum decretis omnino authenticis, & exploratis: juxta quæ appellationes ad Romanum Pontificem, præſertim in cauſis gravioribus, & judiciis Epiſcoporum, admitti debent. Quod jam ſæpe ab innumeris fere Scriptoribus traditum, cum a recentioribus quibuſdam videatur negari, aut vocari in dubium, ſuo loco palam, ac decretoriis probationibus oſtendemus, Diſſert. V. VI. & VIII.

XIII. Notandum vero, Hincmarum Rhemenſem non euſque temeritatis, vel audentiæ progreſſum, ut iis Epiſtolis penitus auctoritatem elevaret; multo autem minus, ut eas ſperneret. Nam Opuſculo citato Cap. 25 fatetur, *ſuſcipiendas eſſe ad inſtructionem venerabiliter*, licet infra auctoritatem exploratam ſacrorum Canunum.

XIV. Tranſacta ea procella in Galliis, Epiſtolæ ipſæ Iſidorianæ Collectionis videntur communi omnium, aut pene omnium ſenſu receptæ, & velut authenticæ inveniuntur allegatæ a Pontificibus Romanis Nicolao poſterioribus, præſertim S. Leone IX. Epiſt. 4. quæ eſt ad Petrum, & Joannem Epiſcopos, & Innocentio III. Lib. 1. Decretalium Tit. 7. Cap. 1. tum præterea ab omnibus Scriptoribus Eccleſiaſticis, & Collectoribus Canonum, Conciliorumque; veluti Anſelmo, Ivone, Gratiano, Bernardo Papienſi, Gilberto Alano, Joanne Gallenſi, Bernardo Compoſtellano, Vincentio, & Tancredo. Idem eſt de Scriptoribus omnibus fere uſque ad annum circiter 1560.

EXCURSUS II.

Magdeburgenſium, & aliorum Sectariorum opinio, rejicientium eas Epiſtolas veteres Collectionis Iſidorianæ, veluti nothas, a pleriſque recentioribus Catholicis recepta, profertur: ejuſque præcipua argumenta examinantur, & parum contra illarum auctoritatem extorquere oſtenduntur. Porro ſi interpolatæ fuerunt, nequaquam id ab ullo Iſidoro factum, ſed a quopiam alio.

XV. Poſtquam Lutherus bipedum ſceleſtiſſimus, omni pudore abjecto, Sedis Apoſtolicæ auctoritatem palam impetiit, gregales ipſius ſimili œſtro perciti, excogitarunt omnes technas, & dolos ad eam ſolo æquandam. Ex iis præcipui fuerunt Centuriatores Magdeburgenſes, qui Epiſtolas illas Collectionis Iſidorianæ veteribus Pontificibus adſcriptas, putide examinare, vellicare, & tandem reſpuere auſi ſunt, veluti ſuppoſititias, & parachroniſmis, ac centonibus aſſutis plenas. Id ipſum avide amplexi ſunt, & promovere curarunt poſtea alii ex Heterodoxis, veluti Raynoldus, Perkinſius, Rivetus, Cocus, & omnium putidiſſime Blondellus, qui uſque ad apices ferè in earum contextum inquiſivit.

XVI. Sed hæc conſpiratio hominum a Catholica Religione perduellium, parum negotii nobis faceſſeret, niſi eamdem magna ex parte opinionem, quamvis alio conſilio, amplexi fuiſſent ampliſſimi Cardinales, Baronius, Bellarminus, & Perronius, ac præterea Sirmondus, Boſquetus, Ducæus, Petavius, Marca, Cardinalis Bona, Cæleſtinus Sfondratus, Nicolaus Antonius, Mabillonius, Queſnelius, Labbe, aliique pene innumeri poſt illum, qui Tom. 1. Collectionis ſuæ Conciliorum col. 78. ait, prædictas Epiſtolas *videri adeo deformes perſpicacibus Viris, ut nulla arte, nulla ceruſſa, aut purpuriſſo fucari poſſint*. Miratur etiam, doctiſſimos Viros, Turrianum, & Binium eas probaſſe; & quemdam alium recentiorem, qui noviter illarum patrocinium ſuſceperat, ſuppreſſo nomine irridet. Sed & nos ipſi eum in Defenſione Cathedræ S. Petri ſæpe allegaſſemus eas Epiſtolas, ſicut alii faciunt, admoniti fuimus a nonnullis Viris doctiſſimis intra & extra Hiſpaniam, ut de cætero ab iis laudandis abſtineremus.

XVII. Oportet vero in anteceſſum proponere, & expendere, non quidem leviora argumenta, præſertim Sectariorum, adverſus fidem earum Epiſtolarum, cum jam ſoluta fuerint a Turriano, & Binio; ſed nonnulla implicatiora, quibus non modo Sectarii ipſi, ſed & multi recentiores Catholici potiſſimum fidunt.

XVIII. Imprimis ſalivam movet Criticis pleriſque ſtylus incultus earum Epiſtolarum. Etenim quæ adſcribuntur Pontificibus ſecundi, & tertii Sæculi, ob quaſdam verborum ſordes videntur alienæ ab elegantia illorum temporum, ac proinde quidquid omnino diſſonum a Latinitate in iis legitur, apparet additum multis poſt Sæculis. Deinde ſtylus plurium earum, quæ a variis Pontificibus, & alio atque alio tempore

re

Digitized by Google

re ſcriptæ perhibentur, videtur omnino idem, ut omnes ab uno Auctore conditæ cenſeri debeant. Ita fere ii Receutioces ratiocinantur.

XIX. His vero duobus ſcrupulis haud difficulter occucci poſſet ea eo, quod pcimi illi Eccleſiæ Pontifices, virtutibus Apoſtolicis longe opulentiores, quam Tulliana facundia, ſimplicitatem micam profiterentur, ut in vita & factis, ita in ſcriptis & verbis: itaque iis cucæ non fuit, ut ſtylum exigerent ad canones Tullii, aut Priſciani. Semel autem introducta ſimplicitate ſermonis iu Deccetis Apoſtolicis a Clemente Papa, vel Anacleto facile fuit, ut reliqui poſteriores Pontifices ſimili ſtylo ſcriberent, ut non a doctis ſolum, ſed etiam indoctis plane illa intelligerentur. Sic certe hoc ſæculo, & proaime præcedenti, longe politiſſimis, & in quibus Romanæ eloquentiæ nitor apud pleroſqua eruditos revixiſſe videtur, Romani Pontifices in Diplomatibus ſuis frequentibus, communi, & ſuis Deceſſoribus antiquis familiari ſtylo utuntur, vocibuſque quibuſdam minime Latinis, quamvis neceſſaciis pro catione temporum, ut facile ab omnibus capiantuc. Sane Gregorius Magnus, qui ante Iſidorum Collectorem ſlocuit pacum curabat nitorem ſermonis, aut ſeveras Latinitatis regulas; & alicubi non diffitetur nævos barbariſmorum, aut ſolœciſmorum eatare in ſuis ad ſacros Libros Commentaciis. Ideoque in Epiſtola ad Leandrum Hiſpalenſem præfixa admirandis illis Commentariis Libri Job, circa finem, ait: *Non metociſmi colliſionem fugio, non barbariſmi confuſionem devito, ſitu t m.tuſque præpoſitionum, caſuſque ſervare contemno; quia indignum vebementer exiſtimo, ut verba cæleſtis oruculi reſtringam ſub regulis Donati. Neque enim bæc ab aliis interpretibus in Scripturæ Sacræ auctoritate ſervata ſunt*. Et certe multa Antiquitatis Chciſtianæ monumenta ſccipta ſecundo, tertio, & quarto ſæculo, præ omnium ſece manibus circumferuntuc valde humili, impolito, ac barbaco ſtylo; quæ tamen a pleriſque, aut omnibus ſece ecuditis, gecmana, & ſincera reputantur. Eacmplo ſint quampiurima Acta Martyrum primitivæ Eccleſiæ apud Collectores, præcipue vero, ac noviſſime apud Theodoricum Ruinact, & Bollandianos: inſuper Acta Synodi Sinueſſanæ in cauſsa Marcellini Papæ, juata alia, atque alia eaemplaria, quibus uſi fuecunt Surius, Binius, & Labbè, ut plura alia ſimilia prætermittam.

XX. Quod vero aliqui recentiores maxime inculcant, eundem prorſus eſſe ſtylum in omnibus iis Epiſtolis, & æque incultum, ac barbarum, ut proinde ab uno eodemque Auctoce ſcciptæ fuerint, non urget. Imprimis enim diverſus longe ſtylus, & valde inæqualis apparet in quibuſdam illacum, ut accucate conferenti palam erit. Etemplo ſit ea paucis ad Hiſpanos ſcriptis (quæ ſolæ in hac noſtra Collectione prodeunt) illa Eutychiani ad Epiſcopos Bæticæ Pcovinciæ, quæ a nonnullis aliis differt, *quantum diſtuut æra lupiuis*. Deinde dato, quod in aliis diverſorum Pontificum, & ſæculorum Epiſtolis idem ſtylus & æque incultus appareat, tribuendum id eſt ſimplicitati Chriſtianæ, aut etiam imperitiæ eorum, qui paupercimis Pontificibus intec tot perſecutiones ab epiſtolis erant. Denique poſteriores iſtorum a pcioribus eaſdem loquendi formulas, & ſæpe longas periodos uſurpabant, uti videre eſt etiam his duobus poſtremis, & etcultiſſimis ſæculis, dum Motus proprii, & Brevia, ut vocaut, ac Conſtitutiones divecſorum Pontificum, a variis ipſocum Seccetariis ſcribuntur magna ea pacte eiſdem omnino clauſulis, & eodem ſtylo.

XXI. At, inquiunt alii, in iis Epiſtolis uſus frequens eſt teſtimoniorum ſacræ Sccipturæ, jucta vecſionem factam ab Hieconymo ſub initium quinti ſæculi, longe poſt tempora illorum Pontificum: ac proinde illæ ſunt recentioces. Sed huic argumento facile reſpondetur. In primis Pſalterium Davidicum, prout hodie in vulgata editione legituc, fere abſque ulla diverſitate extitiſſe apud Latinos ab ipſo tempore Apoſtolorum, vel ſaltem Diſcipulorum eorundem, & jucta eam translationem, quæ Vetus dicituc, citantur Pſalmorum teſtimonia a priſcis illis Pontificibus. Idipſum dico de Canticis illis, quæ a primis ſæculis Eccleſiæ Latinæ in Officio Divino uſurpata ſunt. Idem denique de Miſſarum Introitibus, & Gradualibus quibuſdam. Leguntuc enim in Vulgata verſione, quemadmodum in Veteri illa, qua Eccleſia uſa eſt ante tempus Sancti Hieronymi; quamvis hic Pſalterium ipſum Veteris verſionis correxerit aliquibus locis curſim, ut teſtatuc in illius Præfatione. Itaque quoad loca Scriptucæ ſpectantia ad Pſaltecium, & Cantica, quæ citantur ab iis primis Eccleſiæ Pontificibus, nihil mirum, quod allegentuc verbis ipſis vecſionis Vulgatæ, quæ penes eam Scriptucæ partem non differt a verſione Veteci, qua Eccleſia a principio uſa fuit.

XXII. Quoad alios veco Scriptucæ Libros, quocum teſtimonia proferunt iidem Pontifices totidem verbis, ac in Vulgata verſione habentur, duo occurrunt ſatis veroſimilia. Unum eſt, verba ipſa extitiſſe in illa verſione Veteri, quæ jam penitus ſere inteciit: quamvis illam ex priſcis Patrum-monumentis eruere, & inſtaucare conatus fuerit pertinaci labore, & laude digniſſimo, Flaminius Nobilius ſeculo præcedenti. Ut autem monet Bellarminus Lib. I I. de Verbo Dei, Cap. 9. in Romana Eccleſia, & toto Occidente, ſtatim ſece a pcincipio, in uſu fuit Latina Sacræ Scriptucæ verſio, ſpeciatim Novi Teſtamenti. Quamvis vero illam cocrexerit S. Hieconymus poſtea multis locis; maxima tamen ſui parte, aut fere ex toto, intactam reliquit. Incumbit vero Adverſariis onus probandi ſingillatim, teſtimonia Sccipturæ a vetecibus Pontificibus allegata, non extitiſſe totidem verbis in Veteri illa translatione, ſed ſolum in nova correcta a D. Hieronymo. Id autem nec hactenua oſtenderunt, nec facile perſuadere poſſunt. Vellem equidem, ut aliquis diligentiſſimus Antiquarius ſtuderet legere, & exſccibere quatuoc Evangelia ſcripta manu S. Euſebii Epiſcopi Vercellenſis & Martycis, in cujus Cathedrali Eccleſia ſervatur autographum, veluti pretioſiſſimus theſaurus, argenteo, & exquiſito ocnatu, a priſcis ſeculis. Inde enim conſtaret plane, quænam eſset vetus Evangeliorum translatio, quæ ſola habebatur tempore S. Euſebii. Vereor autem, nullius hominis induſtriam ſatis futuram ad id præſtandum; nam dum mihi tranſeunti pec eam Eccleſiam oſtenderetur Liber ipſe, vidi pleraſque literas fugientes, & adeo obliteratam majorem ſcciptorum partem, ut non niſi eaquiſita aliqua induſtria, aut beneficio artis, legi

poſſint. Alterum vero eſt, dato quod antiqui ii Pontifices in illis teſtimoniis citaſſent Scripturæ verba alia juxta verſionem Veterem, quam poſtea in Nova fuerint: Exſcriptores tamen poſteriores Epiſtolarum Pontificiarum mutaſſe eorum teſtimoniorum verba juxta verſionem Novam. Hæc enim a S. Hieronymo ex Hebraico expreſſa, non ſtatim in uſu fuit, immo a multis impugnabatur, donec tempore S. Gregorii in pretio haberi cœpit a Chriſtianis omnibus, eo *quod eſſet verborum tenacior, & perſpicuitate ſententiæ clarior*, ut ait S. Iſidorus Lib. 6. Originum Cap. 3, ac denique quod veritati Hebraicæ magis conſentanea cenſeretur.

XXIII. Quin & ipſe Gregorius Magnus in teſtimoniis Scripturæ, quæ allegat, modo utitur verſione illa Veteri, modo Nova, ſive Sancti Hieronymi. Quare in Epiſtola ad Leandrum Hiſpalenſem laudata inquit: *Novam tranſlationem diſſero: ſed ut comprobationis cauſſa exigit, nunc Novam, nunc Veterem pro teſtimonio aſſumo: ut quia Sedes Apoſtolica, cui Auctore Deo, præſideo, utraque utitur, mei quoque labor ſtudii ex utraque fulciatur*. Deinde vero Lib. 2. Moralium Cap. 24. verſionem Novam præponit Veteri, dum ait: *Quia hæc Nova tranſlatio ex Hebræo nobis eloquio cuncta verius transfudiſſe perhibetur, credendum eſt quidquid in ea dicitur, & oportet, ut verba illius noſtra expoſitio ſubtilius rimetur*. Itaque tempore S. Gregorii cœpit Vulgata S. Hieronymi verſio in majori pretio, & frequenti Eccleſiarum uſu haberi, atque illa Vetus negligi. Unde facile evenire potuit, ut Iſidorus poſt tempus S. Gregorii, vel potius alius illius interpolator, exſcribens Epiſtolas veterum Eccleſiæ Pontificum, teſtimonia ab eis citata juxta Veterem verſionem, mutaret juxta Novam jam ab omnibus ferè receptam, ut communi omnium uſui eſſent, in quo ſi vere ita ſe geſſit (neque enim id certo pronunciamus, ſed ſolum veroſimile dicimus) ſicuti valde laudandus non eſt, ita neque graviter reprehendendus.

XXIV. Hæc ſunt, quæ nobis occurrerunt pro ſolutione præcipuorum argumentorum, quæ Centuriatores olim oppoſuere, & plerique eruditi Catholici urgere pergunt, præter plura alia, quæ apud eruditiſſimum Turrianum legere licet, ſtrenuum illarum defenſorem, & ſimiliter apud Binium, quos magna ex parte imitatus fuit Cl. Vir Sauſſayus Lib. 1. Panopliæ Clericalis Cap. 4.

XXV. Inſtant Recentiores aliis argumentis, quæ ἀναπίρ'ρ'ητα cenſent, ex eo quod ipſa Legum Imperatoriarum verba, & quæ ſub Aniani nomine extant ad Codicem Theodoſianum Scholia, uſurpata fuerint in Epiſtolis eorum Pontificum, qui duobus, & tribus ſæculis editionem ipſius Codicis Theodoſiani anteceſſerunt.

XXVI. Verum inde nihil certo concluditur contra fidem earum Epiſtolarum. Si enim duobus, aut tribus antea ſæculis ſcriptæ, & vulgatæ fuerant; certum eſt, illas doctorum hominum manibus circumferri ſolitas, veluti ſcriptas a Sanctis illis, & toti Eccleſiæ venerandis Pontificibus. Unde & fieri potuit, ut Theodoſius Chriſtianus Imperator, & qui Codicis ipſius editionem curarunt, & qui Scholia in illum edidit, delibarent multa ex iis Epiſtolis. Nec certe argumento aliquo urgenti ſuaderi poteſt, potius Collectorem earum decerpſiſſe verba ex Codice Theodoſiano, quam Scriptores Codicis ex eiſdem Epiſtolis.

XXVII. Quam certe reſponſionem, jam a me ſcripto datam, gaviſus ſum poſtea inveniſſe apud Antonium Auguſtinum Lib. 1. Dialog. 13. Ibi enim interlocutor objicit: *Impedita res eſt, & quæ non facile explicari poteſt, quo pacto, quæ a poſterioribus Imperatoribus ſtatuta ſint, ea ab illis Pontificibus conſtituta eſſe dicantur, qui ſub duro Paganorum imperio antea vixerunt*. Reſpondit ſtatim Ant. Auguſt. *Multa ſunt, quæ temporum vetuſtas ſcire nos impedit, in quibus hoc ipſum enumeremus. Multa certa eſſe credantur, quæ falſa eſſe poſſunt, ut alia falſa credimus, quæ vera eſſe, poſteri fortaſſe cognoſcent. NIHIL VETAT CREDERE CHRISTIANOS IMPERATORES PIIS PONTIFICUM DECRETIS SUBSCRIPSISSE.* Et certe ſi operæ pretium foret, facile eſſet oſtendere, in ipſis Pontificum Romanorum Epiſtolis certis, atque exploratis, quarum γνησιότητα nemo criticorum in dubium vocat, extare plurimas diverſis ſæculis, & temporibus ſcriptas, cum eiſdem ſententiis, & periodis integris. At nemo propterea ſomniavit, eas antiquiorum Pontificum Epiſtolas fuiſſe interpolatas verbis recentiorum.

XXVIII. Hinc obiter refutantur plurima alia objecta a Blondello, qui pſeudo-Iſidorum edidit, & laborioſiſſima indagine perſcrutatus fuit, ex quibus Auctoribus poſterioribus ſingula verba, & ſententiæ antiquorum Pontificum in Epiſtolis decerptæ fuerint. Dato enim, quod totidem verba legantur in Auctoribus poſterioribus, potius credendum eſt, eos illa delibaſſe ex antiquioribus Pontificum Epiſtolis, quæ apud omnes Chriſtianos in uſu, & ſumma veneratione erant, quam Iſidorum ex eiſdem Auctoribus mutuaſſe, & nomine Pontificum obtrudere voluiſſe. Sane, ut comiter, & facete ait Sauſſayus loco ſupra allegato, mirum eſſe non debet, ſi poſteriores Scriptores mutuaverint verba ab antiquioribus, proindeque ex Epiſtolis Pontificum antea vulgatis; quin potius oppoſitum miraculo adſcriberetur: *Quam in rem*, inquit, *non inepte referri poteſt Ageſilai Lacedæmoniæ Regis ad Ephoros Spartæ reſponſum. Cum enim infelici augurio repertum eſſe ei nunciarent ſerpentem claves Civitatis ſpiris plerisque circumcingentem; non illepide reſpondit: Haud eſt quod mirentur tortilem anguem claves Urbis adſtringere: at eſſet merito quod ſtuperemus, ſi claves ſerpentem conſtringerent ſuo plexu*. Facilius itaque eſt, & veroſimilius, quod poſteriores Scriptores acceperint verba ex iis Epiſtolis antiquis, quam quod earum Collector aſſuerit iis teſtimonia poſteriorum. In dubio autem præſumendum eſt pro Iſidoro Viro inſignis auctoritatis, & doctrinæ, quem octoginta Epiſcopi, & plurimi alii Sacerdotes exorarunt, immo & compulerunt ad Collectionem Canonum faciendam. Nemo enim vel mediocri doctrina præditus, nemo vere pius, aut cui pudor eſſet, tam apertum plagium, aut interpolationem adeo vitioſam in graviſſimis iis Chriſtianæ doctrinæ monumentis committere auſus fuiſſet. Unde dato, quod iis aſſumentis, atque aliis nævis vitiata fuerint, proculdubio id accidit, ante, aut poſt tempus S. Iſidori.

XXIX. Quapropter moderationis limites exceſſiſſe videtur Baluzius in Præſatione ad Dialogos Antonii Auguſtini §. 1. dicens: *Succeſſit jus novum ex ſuppoſititiis ſanctiſſimorum Romanæ Urbis Epiſcoporum Epiſtolis, AB IMPUDENTISSIMO ILLO NEBULONE PSEUDO-ISIDORO prolatis, compactum &c.* Neque eruditiſſimus Baluzius neſcire potuit, ab Hincmaro, & aliis ipſi æqualibus, ſicuti & a multis poſterioribus, tributam fuiſſe eam Collectionem S. Iſidoro Hiſpalenſi, quod nos ſupra Diſſert. I. veriſſimum oſtendimus. Quin & Hincmarus ipſe, licet ſcrupuloſus earum Epiſtolarum examinator, & primus cenſor, profeſſus fuit adhuc, *eſſe ſuſcipiendas venerabiliter ad inſtructionem*. Baluzius autem non modo illas appellat ſuppoſititias, ſed & earum Collectorem *nebulonem*, nec cujuslibet conditionis, ſed *impudentiſſimum* vocat. Quo convicio forte non auderet notare quemquam ex vicinis heterodoxis. Sed facilius eſt inſultare leoni mortuo, quam cani vivo, nam hic latrare, & mordere poteſt. Denique Hincmarus, quoad ex ipſius lectione diſcere potui, non invenitur litem intentare iis Epiſtolis, veluti ſuppoſititiis, immo nec tamquam interpolatis, vel ab Iſidoro, vel a quopiam alio: quin potius videtur palam ſupponere, aut fateri, ſaltem tacite, ſcriptas fuiſſe a priſcis Romanis Pontificibus Id palam erit percurrenti totum Caput 24. Opuſculi illius Hincmariani. Nec facile invenietur ullus Scriptor, qui illas notaverit ſuppoſitionis uſque ad annum 1562. quo Magdeburgenſes ediderunt Centurias felle, & veneno plenas. Quare mirum eſt, quod ab hominibus Catholicis tantam fidem impetrare potuerint in ea parte, qui in reliquis nullam merentur.

XXX. In Auctoribus autem iis, qui poſt priorum illorum Pontificum tempora floruerunt, nulla nota dignum eſt, ſed potius laude, quod lucubrationibus ſuis interjecerint periodos, aut particulas earum Epiſtolarum, ſicut & Conciliorum præcedentium, & locorum Scripturæ. Quapropter ad excuſandum Iſidorum Collectorem ab ea labe, & ſorde, quam ipſi tribuunt plerique recentiorum, non eſt opus accuſandi Auctores illos poſteriores, apud quos ſententiæ aliquæ, & periodi leguntur totidem, ac extant apud Epiſtolas Pontificum præcedentium. Unde intoleranda eſt licentia nonnullorum recentiorum ex iis, quibuſcum diſputamus, dum ſuppoſititias cenſent, & ſibilo excipiunt duas illas Pelagii II. Papæ nomine editas priores Epiſtolas, primam ad Benignum Archiepiſcupum de translatione Epiſcoporum, & ſecundam de illorum accuſationibus. Etenim ad illas rejiciendas unicum fundamentum prætexunt, aut habent, quod in iis tradatur eadem doctrina Epiſtolarum priſcis Pontificibus adſcriptarum, (grandis certe nævus) & plora loca exſcribantur eorum Auctorum, qui vixerunt ante tempus ejuſdem Pelagii II. ſuppreſſis nominibus: cum tamen id paſſim contingat in aliis Pontificum indubitatis Reſcriptis, & lucubrationibus Sanctorum Patrum, ſitque juxta omnem rectam rationem, ut poſteriores allegent teſtimonia priora, non autem e converſo.

XXXI. Sed age, ſinamus gratis, ſententias aliquot extantes in iis Epiſtolis, vere non prodiiſſe a Pontificibus, quibus tribuuntur; ſed interjectas poſtea fuiſſe ab aliquo, aut ſciolo, aut imprudente, et ſententiis, & dictis poſteriorum Patrum, ſive Scriptorum: an propterea is fuiſſe putandus eſt Iſidorus Collector, Vir tantæ opinionis, & propter inſignem doctrinam celeberrimus inter omnes Epiſcopos Hiſpaniæ? Facilius, & æquius cenſeri poteſt, id a quopiam alio factum, ſive ante tempus S. Iſidori, ſive poſtea, ut infra videbimus.

XXXII. Addo conjecturam non levem pro Iſidoro, qui Concilia uſque ad ſuum tempus celebrata, & Epiſtolas Decretales Pontificum uſque ad finem ſaltem ſæculi VI. diligenter collegit, & fideliter exſcripſit, nullo centone addito, aut aliunde intruſo iis, quas a tempore Siricii Papæ uſque ad Gregorium I. Collectioni ſuæ inſeruit, quod nec ii recentiores negare poſſunt. Addo inſuper, quaſdam ex iis Epiſtolis adſcriptas priſcis Pontificibus in Iſidoriana Collectione, probari ab omnibus fere Scriptoribus orthodoxis, & nec ab heterodoxis rejici. Exemplo ſint Epiſtolæ duæ S. Pii Papæ ad Juſtum Epiſcopum Viennenſem, anno, ut cenſet Baronius, CLXVI. & alia Cornelii Papæ ad Lupicinum, pariter Epiſcopum Viennenſem, ſcripta circa annum CCLIV. Vide Cardinalem Bonam Lib. 1. Rerum Liturgicarum Cap. 3 §. 1. ubi palam eas admittit, quamvis extantes in Collectione Iſidori. Mitto alias nonnullas, de quibus infra num. 34. & ſeqq. uſque ad 44. Cur ergo id ipſum non cenſeamus, pari fidelitate ab ipſo præſtitum circa Epiſtolas Pontificum aliorum? Quare ſi quædam earum interpolatæ fuerunt, certè non ab Iſidoro, ſed a quopiam alio ſciolo, aut temerario.

EXCURSUS III.

Expenditur quoddam aliud argumentum Archipræſulis Marcæ adverſus eaſdem Epiſtolas, & multipliciter ſolvitur. Porro multas Pontificum veterum, tam antiquiorum Siricio, quam poſteriorum, germanas ab omnibus cenſeri, quamvis in nulla veterè Collectione extitiſſe inveniantur.

XXXIII. At oppones cum Archipræſule Marca. Si ita eſt, cur Dionyſius Exiguus Collectioni ſuæ ſolum inſeruit Epiſtolas Pontificum a tempore Siricii, nulla alia antiquiorum exſcripta, immo nec memorata? Hæc enim ſunt illius verba in Epiſtola ad Julianum Romanæ Eccleſiæ Presbyterum: *Præteritorum Apoſtolicæ Sedis Præſulum Conſtituta, qua volui cura, & diligentia collegi, & in quendam redigens ordinem, titulis diſtinxi compoſitis: ita dumtaxat, ut ſingulorum Pontificum, quotquot a me præcepta reperta ſunt, ſub una numerorum ſerie terminarem.* Nullæ ergo aliæ Epiſtolæ Pontificum Siricio antiquiorum extabant tempore, quo Dionyſius ſuam Collectionem fecit. Nimirum circa annum DXX. ac proinde Epiſtolæ poſtea ab Iſidoro adſcriptæ Pontificibus Siricio antiquioribus, cenſeri debent ſuppoſititiæ, & prorſus confictæ.

XXXIV. Huic tamen argumento reſpondeant neceſſe eſt idem Marca, & alii ejuſdem opinionis: cum aliquæ ſaltem Epiſtolæ Pontificum Siricio antiquiorum, prætermiſſæ in Collectio-

ctione Dionyſiana, cenſeantur ab omnibus germanæ, & omni vitio immunes. Præterea, ut alias plures prætermittam, Epiſtola illa Julii I. Papæ laudata ab Athanaſio in Apologia ſecunda, de qua late infra Diſsert. VII. Excurſu II. ab omnibus prorſus germana habetur: & tamen non extat in Collectione Dionyſii. Deinde, recentiores ipſi, quibuſcum diſputamus, in novis editionibus Conciliorum, Bibliothecæ Maximæ Patrum Aniſſonianæ, aliorumque voluminum, edunt plurimas Pontificum Epiſtolas, etiam antiquorum, in nulla Collectione Dionyſii, Iſidori, aliorumve extantes, e mſs. erutas. Quales etiam ſunt multæ veterum Pontificum Epiſtolæ, laudatæ, immo & magnam partem exſcriptæ ab Irenæo, Euſebio, Athanaſio, Hieronymo, Theodoreto, & aliis, ut poſtea dicemus num. 42. receptæ ab omnibus viris doctis, & criticorum delicatiſſimis, quamvis earum nullus Collectorum antiquorum meminerit. Tales quoque plurimæ S. Leonis Papæ, & ſpeciatim viginti octo illarum, nuſquam extantes, niſi in antiquiſſimo exemplari apud eximium illum Dominicum Grimanum Cardinalem S. Marci, ut teſtatur Queſnel in Præfatione ad ſuam Operum S. Leonis editionem Capite quinto. Denique hujus generis eſt Epiſtola celebris S. Clementis Papæ ad Corinthios, in nullis Collectionibus Conciliorum extans, donec apparuit hoc ſæculo in mſs. antiquiſſimo, Theclæ nobilis feminæ Ægyptiæ manu exarato, quod Patricius Junius anno 1632. primus edidit, ab omnibus eruditis cum plauſu receptum. Rurſus plurima Concilia Provincialia, immo & Nationalia, a primis Eccleſiæ ſæculis uſque ad finem quinti celebrata deteguntur paſſim, & pleraque illorum a Sirmondo, ac Labbeo edita, ab aliis vero recentioribus laudata, quæ tamen in Dionyſii Collectione non extant. Quo ergo jure Epiſtolæ priſcorum Eccleſiæ Pontificum rejiciuntur velut nothæ ab iiſdem recentioribus, eo nomine quod in Collectione Dionyſiana non extent?

XXXV. Quod ſi vero excipias, diſparem eſſe rationem, quia ea monumenta, recens detecta, inveniuntur memorata, aut citata ab antiquis Scriptoribus, ſecus vero illæ Pontificum veterum Epiſtolæ ab Iſidoro collectæ; urgeo in oppoſitum. Imprimis enim recentiores prædicti multa Concilia, & plurimas Epiſtolas PP. edunt, a nullo veterum allegatas, quibus tamen exploratam fidem haberi volunt. Deinde veterum earum Epiſtolarum aperta apud antiquos mentio eſt. Ruffinus enim, qui anno circiter CD. ſcribebat, in Præfatione ad Recognitiones Clamentis I. Papæ a ſe converſas e Græco, meminit Epiſtolæ ejuſdem Clementis ad Jacobum, quam ſe pariter e Græco vertiſſe ait. Illa vero habetur in Collectione Iſidori, quamvis interpolata, & in quibuſdam vitiata: ut propterea Cardinales, Baronius, Bellarminus, & Perronius, aliique plures illam inter nothas recenſuerint. Verum exceptis quibuſdam aſſumentis plane intruſis, veteribus tum Græce, tum Latine, cognita, & probata fuit: & illius verſionem Ruffino ipſi adſcribit Gennadius, qui quinto ſæculo vixit, Lib. *De Viris Illuſtribus*, in Ruffino,

XXXVI. Deinde Concilium Vaſenſe, quod tempore S. Leonis Magni celebratum fuit anno CDXLII. Canone VI. hæc habet: *Ex Epiſtola S. Clementis utilia quæque, præſenti tempore Eccleſiis neceſſaria, ſunt honorifice proferenda, & cum reverentia ab omnibus Fidelibus, ac præcipue Clericis, percipienda.* Deinde paucis interjectis, exſcribit longiuſculum ejuſdem Epiſtolæ teſtimonium. Et certe Sirmondus, qui Iſidorianis Epiſtolis fidem detrahit, in Notis ad id Concilium, nullatenus refellit Epiſtolam Clementis in eo citatam, ſicut nec Binius, nec Albaſpinæus. Epiſtola autem ipſa habetur Tom. I. recentiſſimæ Collectionis Labbeanæ col. 82. & ſeqq. ubi pariter Ruffino Torano Aquilejenſi illius interpretatio tribuitur. Præterea idem S. Leo Magnus in Epiſt. ad Epiſcopos per Campaniam conſtitutos (quam Nicolaus I. Papa in Epiſtola ad univerſos Epiſcopos Galliæ citat in hunc eumdem ſcopum) jubet, omnia Decretalia Conſtituta Sedis Apoſtolicæ, ideſt, *tam Innocentii, quam omnium deceſſorum ſuorum, ita cuſtodiri, ut ſi quis in illa commiſerit, noverit ſibi veniam denegandam.* Ubi palam comprehendit Epiſtolas Decretales omnium deceſſorum ſuorum, etiam antiquiorum Innocentio: quorum ſeptem poſtremi fuere, Sylveſter, Marcus, Julius, Liberius, Damaſus, Siricius, & Anaſtaſius, ſpatio circiter nonaginta annorum, & toto fere eo tempore ſub Imperatoribus Chriſtianis: ut proinde certiſſimum ſit, tot, & tales Pontifices edidiſſe plurimas Epiſtolas Decretales ad bonum regimen Eccleſiæ, & aliquot ſaltem exemplaria earum Romæ, aliiſque locis conſervata fuiſſe, quas Leo iis verbis commendat.

XXXVII. Ulterius Sanctus Gelaſius I. Papa, qui circa finem ejuſdem quinti ſæculi Eccleſiam rexit, in Concilio Romano ſeptuaginta Epiſcoporum celebrato anno CDXCIV. declarans quinam Libri ſint Sacri, & authentici, quinam autem apocryphi, inter prioris generis Libros recenſet Epiſtolas Pontificum præcedentium. Verba ſunt: *Item* (nimirum decernimus, & mandamus, ut antea præmiſerat) *Epiſtolas Decretales, quas Beatiſſimi Papæ diverſis temporibus ab Urbe Romana pro diverſorum Patrum conſultatione dederunt, venerabiliter recipiendas.* Ubi cum Gelaſius non diſtinguat inter Epiſtolas, nec inter tempora, nec inter Pontifices, videtur generatim omnes illas probare, & venerabiliter recipiendas decernere, quæ omnium, & ſingulorum Pontificum præcedentium nomine ſcriptæ circumferebantur; ac proinde, multas illarum, quæ Clementis, Anacleti, & aliorum veteris Eccleſiæ Præſulum nomine inſcriptæ erant. Et certe Hincmarus in Opuſculo illo celebri Cap. 24. ubi allegat Decretum Gelaſii Papæ, nullatenus negat, Epiſtolas illas fuiſſe ſcriptas a Pontificibus priſcis, quorum nomine vulgatæ erant in Collectione Iſidoriana; ſed potius id ſupponere, aut fateri ubique videtur, veluti rem omnino certam.

XXXVIII. Ecquis enim dubitet, Clementem, Anacletum, alioſque primitivæ Eccleſiæ Pontifices Siricio antiquiores, pleroſque eorum inſignes Chriſti Martyres, alioſque Confeſſores, & omnes fere Sanctorum Faſtis adſcriptos, ſcripſiſſe Epiſtolas plures, tum generatim ad omnes Fideles ubique terrarum exiſtentes, tum ſpeciatim ad certas Provincias, & Conſultationes Epiſcoporum, quarum crebra mentio apud antiquos eſt, ut gregem ſibi a Domino cre-

creditum paſcerent, Chriſtianam Religionem dilatarent, Diſciplinam Eccleſiaſticam promoverent, ſacros ritus, & rectam doctrinam morum traderent? Nemo, niſi temerarius, id negare, immo nec in dubium vocare poteſt. Quis etiam ex tot exemplaribus earum Epiſtolarum, ſive Decretorum per totum orbem Chriſtianum diſtractis ingenti numero, neget quamplurima frequenter lecta, & ſolicite cuſtodita, tum Romæ, tum aliis innumeris locis, ab Eccleſiis fere ſingulis, Epiſcopis, Sacerdotibus, & aliis Fidelibus? Neque enim eximia pietas, & zelus Catholicæ Fidei, atque Eccleſiaſticæ Diſciplinæ, florens iis primis quatuor Eccleſiæ ſæculis, quidquam aliud cogitare ſinit. Idipſum fere dictum eſto de iis Pontificibus, qui data Eccleſiæ pace ſanctiſſime illam gubernarunt, præſertim ab ineunte ſæculo quarto uſque ad annum ejus octogeſimum quintum, quales fuere S. Sylveſter, S. Marcus, S. Julius, Liberius, Felix II. & S. Damaſus. Cum vero Eccleſia Hiſpanica ſemper fuerit obſervantiſſima, & retinentiſſima Decretorum Sedis Apoſtolicæ; dubitari nequit, tempore S. Iſidori extitiſſe in Hiſpania, & ab ipſo viſa fuiſſe aliquot exemplaria earum veterum Epiſtolarum, quas proinde inſereret ſuæ Collectioni, ſive ampliſſimo Codici Canonum, Conciliorum, & Epiſtolarum Decretalium Romanorum Pontificum, quo utebatur Eccleſia Hiſpanica, & dirigebatur, præſertim ad ſua Concilia celebranda: ut patet ſpeciatim ex Bracarenſi I. (alias II.) coacto anno Chriſti DLX. & Toletano IV. cui idem Sanctus Iſidorus præfuit an. DCXXXIII. ut alia prætermittam; conſtabitque uberius ex ipſo Codice Canonum, & Conciliorum, cujus uberrimum Indicem mſ. apud nos extantem, ſuo loco edendum recipimus intra hunc ipſum Tomum, aut ſequentem. Extabant quoque Epiſtolæ illæ in Chartophylacio Sedis Apoſtolicæ tempore Hadriani I. an. DCCLXXXV. tanquam monumenta vetera, & ſervatu digniſſima: ut vidimus ſupra num. 6. & 7. conſtatque plane ex Codice 630. Vaticano, ibidem laudato, & a nobis lecto. Et Nicolaus I. Papa, qui inclinante ſæculo nono Eccleſiam rexit, teſtatur verbis infra num. 54. exſcribendis, ea vetera exemplaria Romæ conſervata fuiſſe. Nec audiendus eſt Baluzius in Præfatione ad Dialogos Antonii Auguſtini §. 11. ubi multa profert contra id Nicolai ſanctiſſimi & doctiſſimi teſtimonium. Extabant igitur tempore Siricii Papæ, ideſt, circa finem quarti ſæculi, tum Romæ, tum aliis locis, multa exemplaria Epiſtolarum ab antiquioribus quibuslibet Pontificibus ſcriptarum, quæ proinde a Gelaſio Papa generatim commendantur, & probantur. Quare nullo jure plerique recentiores omnino expungunt pleraſque, aut fere omnes Pontificibus Siricio antiquioribus adſcriptas: quidquid ſit de centonibus poſtea iiſdem aſſutis, aut antea a quopiam temerario, vel ſciolo.

XXXIX. Neque obſtat, quod Dionyſius Exiguus ſuam Collectionem inchoaverit ab Epiſtolis Siricii. Ideo enim id feciſſe putandus eſt, quia Collectio Epiſtolarum aliorum omnium Pontificum Siricio antiquiorum, jam ab alio facta fuerat, & apud omnes fere vulgata erat. Neque enim aliud cogitare ſinunt rationes paullo ante a nobis propoſitæ. Idque denotare videtur idem Dionyſius in altera Præfatione ad ſuam Collectionem, ſive Epiſtola ad Julianum Presbyterum, edita a Franciſco Florente, & Chriſtophoro Juſtellu, ex Codice Jacobi Sirmondi, & recuſa a Labbeo To. 1. col. 3. in qua ait: *Præteritorum Sedis Apoſtolicæ Præſulum Conſtituta, qua valui cura, diligentiaque collegi, & in quendam redigens ordinem, titulis diſtinxi compoſitis, ita dumtaxat, ut ſingulorum Pontificum, QUOTQUOT A ME PRÆCEPTA REPERTA SUNT, ſub una numerorum ſerie terminarem.* Non enim ait, ſe *omnium* Pontificum præcedentium Conſtituta collegiſſe, nec *omnia* illa, ſed quotquot ab ipſo reperiri potuerunt. Qualia certe exiſtimari non debent, quæ præ manibus quorumlibet erant Conſtituta Damaſi, paullo ante Siricium Eccleſiam gubernanti, & & aliorum Pontificum Damaſo antiquiorum: ſed ſola illa, quæ Dionyſius ipſe privato ſtudio ac labore hinc & inde exquiſierat. Ea vero fuerunt ſola illa Decreta, quæ in Epiſtolis ſuis Siricius, & poſteriores Romanæ Eccleſiæ Præſules ediderunt ſpatio centum triginta circiter annorum uſque ad tempus ipſius Dionyſii. Et quidem non omnes illas collegiſſe videtur, ſed potius prætermiſiſſe plures quorundam eorum, præſertim Innocentii, Leonis, & Gelaſii, ſive quoniam ſatis vulgatæ erant, pleræque ſaltem earum, ſive quia nonnullas alias invenire non potuit.

XL. Nimirum, ut conſtitit ſupra Diſſert. 11. Collectio prima, ac vetus Canonum facta eſt circa medium quarti ſeculi. Porro ſicuti juxta Marcam in Opuſculis recens a Baluzio editis, Diſſert. *De Collectionibus*, Canones Nicæni, & Sardicenſes collecti in unum fuere; ita etiam compilatæ tunc cenſeri debent Epiſtolæ Romanorum Pontificum, quotquot fuere uſque ad Concilium Sardicenſe celebratum an. CCCXLVII. tempore Julii Papæ. Unde hujus Epiſtolæ, ac prædeceſſorum ipſius, collectæ fuiſſe cenſendæ ſunt ſimul cum iis Canonibus, ſive in eodem Codice, ſive in alio.

XLI. Deinde vero Pontificiæ Epiſtolæ poſt obitum Julii ſcriptæ, tempore Imperatorum Chriſtianorum, a Liberio, Felice II. & Damaſo, ab anno CCCLII. ad CCCLXXXV. quo Siricius Pontifex electus eſt, facile adjungi potuerunt præcedenti Collectioni, & ita factum cenſeri jure poteſt, ut propterea Dionyſius opus non habuerit texendi Collectionem illarum omnium & præcedentium, ſatis vulgatam, & omnium manibus tritam; ſed dumtaxat Epiſtolarum Siricii, & poſteriorum Pontificum ab anno ipſo CCCLXXXV. uſque ad DXX. aut circiter, quæ & plurimæ erant, & diſperſæ habebantur, ut proinde nonniſi cum ingenti labore ab ipſo exquiri, & adunari potuerint. Hoc, inquam, videntur denotare verba illa: *Quotquot a me præcepta reperta ſunt.* Non enim ea cenſeri debent, quæ jam alii uſque ad tempus Siricii collegerant: ſed quæ ipſe privato ſtudio, & labore reperire, atque in unum volumen redigere ſtuduerat, ſimul cum Conciliis uſque celebratis.

XLII. Itaque ex eo quod Dionyſius Collectionem Epiſtolarum Decretalium inchoaverit a tempore Siricii Papæ, non efficitur, aut nothas, aut ſuſpectæ fidei fuiſſe ipſi Epiſtolas præcedentium

tium Pontificum. Alioqui ſubdititiæ habendæ forent nonnullæ aliæ illorum prætermiſſæ ab ipſo Dionyſio, quæ tamen vel apud recentiores emunctioris naſi exploratæ habentur. Talis eſt Epiſtola illa inſignis S. Clementis Papæ ad Corinthios, memorata ab Irenæo Lib. C.30. Euſebio Lib.4. Hiſtor. Cap.38. & Hieronymo Lib. *De Scriptor. Eccl.* Tales duæ aliæ S. Cornelii Papæ ad Fabium Epiſcopum Antiochenum, citatæ, & magnam partem exſcriptæ ab eodem Euſeb. Lib. Hiſt. Cap.33. ſicuti & aliæ duæ indicatæ ab Hieronymo in eodem Libro. Præterea Stephanus Papa, teſtibus Cypriano in Epiſt. ad Pompejum, & Euſebio Lib. 7. Hiſtor. Cap.4 ſcripſit Epiſtolam quandam, *De non rebaptizandis Neotericis*, cujus nec meminiſſe videtur Dionyſius. Idem dicendum de Epiſtolis Felicis I. & Julii I. Pontificum Romanorum allegatis a Vincentio Lirinenſi in Commonitorio, & de pluribus aliis memoratis ab Euſebio, S. Athanaſio, ac Theodoreto &c. quæ in Codice Dionyſiano non leguntur, & tamen nemo doctorum hominum illas ſuppoſitioni arguit. Idem igitur dici poteſt de aliis a Dionyſio non collectis, ſed ab Iſidoro tantum. Vide ſupra num.34. Nec ſimile vero eſt, quod exemplaria earum, præſertim a Damaſo Siricii proximo deceſſore ſcriptarum tot annis, non extarent authentica in Scriniis Romanæ Eccleſiæ, neque ubique fere terrarum vulgata haberentur. Iſidorus vero longe ampliorem omnium, ſive Conciliorum, ſive Epiſtolarum, Collectionem curavit; quæ præterea haberet quidquid prætermiſerat Dionyſius de prioribus ſæculis, & quæcumque ab anno circiter DXX. uſque ad tempus S. Gregorii ex Epiſtolis Decretalibus addita fuerunt poſt Dionyſianam Collectionem, & præterea Concilia poſteriora uſque ad Hiſpalenſe II. celebratum anno DCXIX. Præſide ipſo S. Iſidoro. In quo certe præſtando plurimum laboris, & operæ impendere oportuit. Neque enim tunc tam facile exemplaria quorumlibet Librorum, aut Scriptorum obtinebantur, ac longe poſtea beneficio artis typographicæ.

XLIII. Denique argumentum ipſum Archipræſulis Marcæ deſumptum ex eo quod veterum Pontificum Epiſtolæ non extent in Dionyſiana Collectione, non modo inficiale eſt, quod Dialectici *negativum* appellant, & nullius roboris eſſe monent; ſed etiam veterrimum, & olim objectum (quamvis alio conſilio) a nonnullis Epiſcopis Galliarum Nicolao I. Papæ, & ab hoc palam contritum in Epiſtola ad illos omnes, quæ habetur in communibus Conciliorum editionibus, & in Labbeana nominatim Tom. VIII. col. 798. verbis illis: *Porro ſi ideo non eſſe Decretales Epiſtolas priſcorum Pontificum Romanorum admittendas dicunt, quia in Codice Canonum* (nimirum Dionyſiano) *non habentur adſcriptæ; ergo nec Gregorii Sancti, nec ullius alterius, qui ante, vel poſt ipſum fuit, eſt aliquod inſtitutum; vel ſcriptum recipiendum, eo quod in Codice Canonum non habeatur adſcriptum* (ſcilicet, quoniam licet forte in eo Dionyſiano Codice, etiam aucto ab aliis poſtea, extarent plurimæ Epiſtolæ Pontificum antiquiorum, & poſteriorum Gregorius; adhuc tamen deerant multæ aliæ exploratæ, & omnium manibus tritæ) *ergo doctrinam eorum, & ſanctiones de codicibus ſuis eradant. Ut quid vel membranas occupant, poſtquam non habentur acceptæ?* Sic regerit Nicolaus in Epiſcopos Galliarum argumentum illud vetus, quod Marca, & alii obtrudunt veluti novum, quodque penitus enerve eſſe patet, *telumque imbelle ſine ictu*. Vide totum Excurſum ſequentem.

XLIV. Hac itaque via, & ratione arbitramur, ſatis rationabiliter, & juſte defendi poſſe (cum delectu tamen, atque adhibitis cautionibus in progreſſu indicandis) Epiſtolas illas veterum Pontificum Siricio antiquiorum, præter plurima alia, quæ in eundem ſcopum obſervarunt Turrianus, Binius, Bellarminus ex parte, ſive quoad aliquas earum, & Sauſſayus (ut alios mittam) omnino legendi. Neſcio autem quo jure citetur contra illas doctiſſimus Archipræſul Antonius Auguſtinus, quaſi eas rejecerit in Notis ad Capitula Hadriani I. Papæ. Nam potius ibidem tertio quoque verbo illas allegat, & ex aliis teſtimoniis totius antiquitatis confirmat, ut legere licet To. VI. editionis Conciliorum Labbeanæ col. 1839. & ſeqq. quamvis ſemel, aut iterum nonnihil dubitet de una, vel alia illarum, quod idem Labbe curioſius ad marginem indicare curavit ad fidem iis detrahendam: cum potius ad eam confirmandam potuiſſet allegare totum fere contextum illius doctiſſimi Præſulis, uti nos prælabimus late infra toto Excurſu quinto.

EXCURSUS IV.

Vindicatur auctoritas earundem Epiſtolarum Collectionis Iſidorianæ argumentis Nicolai I. Papæ ſanctiſs. & doctiſs. adverſus Hincmarum Rhemenſem, & alios Galliarum Epiſcopos in cauſſa Rhotadi, breviter illuſtratis, & expenſis. Nonnulli Canones explicati, & quædam recentiorum paradoxa rejecta.

XLV. Ctore non probante reum abſolvi debere, jura clamant. Quare ut Iſidorus colligens Epiſtolas Pontificum antiquiorum Siricio declaretur liber a fœdiſſima nota mangonii, & interpolationis, aut etiam ſuppoſitionis illarum, ſatis eſt, quæcumque in illum argumenta olim ab Hincmaro, & poſtea a recentioribus objecta fuerunt, enervia eſſe, & quæ idoneam exceptionem habeant, uti hactenus oſtendimus, non ſolum iis reſpondentes, verum & præterea multipliciter confirmantes quidquid ſupra diximus. At vero nunc ex ſuperabundanti placet earum veterum Epiſtolarum γνησιότητα excurſione brevi, & ſummaria ſolum confirmare nonnullis aliis argumentis, quibus olim uſus fuit ſanctiſſimus, & doctiſſimus Papa Nicolaus I. (hanc quippe laudem omnes ipſi tribuunt) adverſus Hincmarum, & plures alios Galliarum Epiſcopos, qui Rhotadum Epiſcopum Sueſſionenſem, atque alterum Hincmarum Laudunenſem depoſuerunt; & appellantibus Sedem Apoſtolicam, atque allegantibus veteres illas priſcorum Pontificum Epiſtolas, in quibus majores cauſſæ, & judicia Epiſcoporum declarantur referenda ad Romanum Pontificem, ut ab eo finiantur, reſtiterunt modis omnibus; non quidem eo quod dicerent, aut exiſtimarent, illas eſſe confictas omnino, aut interpolatas, ſed ex aliis capitibus, & præſertim quia non habebantur in Codice, ſeu Collectione Canonum

XLVI. Contra eam exceptionem, renitentiamque jure merito exarſit Nicolaus Papa, atque

que imprimis adverſus Hincmarum Rhemenſem: ut patet, tum ex Sermone illius Romæ habito ex ambone in Vigilia Nativitatis anno DCCCLXV. tum ex abſolutione, & reſtitutione Rhotadi, quæ *ἀμέσως* ſubjungitur, prout extat Tomo VIII. Conciliorum Labbeanæ Collectionis, col. 791. tum præterea ex Epiſtola ad Carolum Calvum Regem eidem ſubjuncta; tum denique ex alia ad Hincmarum ipſum lectu digniſſima, cui initium: *Si coram tuæ prudentiæ oculis ullus eſſet paternorum Canonum, vel Apoſtolicæ Sedis reſpectus, nunquam Rothadum Sueſſonicæ Urbis Epiſcopum ſine noſtræ tentaſſes ſententiæ notione deponere*. Deinde poſt alias objurgationes addit: *Arguta ſapientia tua, utinam in bono accepta, ſ mitem judicii, & materiam depoſitionis adverſus Rhotadum aſſumpſit, & ab itinere Sedis Apoſtolicæ revocavit, & continuatim Sedem Apoſtolicam appellantem damnavit, & carcerali cuſtodiæ mancipavit: cum etiamſi nullus a veſtro judicio provocaſſet, privilegia tamen Apoſtolicæ Sedis vos oblivioni tradere nullatenus debuiſſetis, QUIBUS VENERANDI CANONES JUDICIA TOTIUS ECCLESIÆ AD HANC DEFERRI JUBENT, & ab illa, ſicut Gelaſius meminit, nuſquam appellari ſanxerunt, ac per hæc ipſa de omnibus judicare, ab illa vero nulli eſt appellare permiſſum.*

XLVII. Denique poſt plura alia, ſevere præcipit, ut vel Rhotadum in gradu, & honore ſuo manere ſinat, vel Romam proficiſcatur ad cauſſam contra illum proſequendam. Et concludit hac minaci ſententia: *Quod ſi neutrum ſive procurata mora fortaſſis agere volueris, & reſultare his, quæ de illo ſtatuimus, ſolito more ulterius curaveris; ab omni ſis Sacerdotali dignitate, Dei per nos judicio, & auctoritate Sedis Apoſtolicæ, de cetero ſequeſtratus, ita ut nunquam locum ſatisfactionis, aut ordinis reſtitutionem opperiaris*. Hactenus ibidem. Itaque opinio illa de Epiſtolis veterum Pontificum non admiſſis ab Hincmaro, & pertinacia exinde orta, male illi ceſſit, atque juſtam ſanctiſſimi Pontificis Nicolai indignationem excitavit.

XLVIII. Sed nec his contentus Pontifex, in Epiſtola alia de eadem re ad univerſos Epiſcopos Galliæ, multipliciter, & doctiſſime confirmat auctoritatem earundem Epiſtolarum priſcorum Pontificum, ab Hincmaro, & aliis impetitam. Placet ſummatim excerpere præcipua quædam argumenta, quæ ibidem latius conſuli poſſunt.

XLIX. Primo arguit Nicolaus ex teſtimonio quodam S. Leonis Papæ Epiſt. 84. ad Anaſtaſium (alias 12. apud Queſnelium, & 84. juxta noviſſimam editionem Bibliothecæ Maximæ Patrum Ániſonianæ, To. VII. pag. 1115.) in qua magnus ille Pontifex, præmiſſis quibuſdam Scripturæ teſtimoniis, reprehendit graviter eundem Anaſtaſium Theſſalonicenſem Epiſcopum, Sedis Apoſtolicæ Vicarium in illis partibus, quod dure, & inhumaniter ſe habuiſſet cum Attico Epiſcopo Nicopolitano, & invocaſſet brachium ſeculare Præfecti Illyrici, ut *a ſacris Eccleſiæ adytis nullo vel falſo inſimulatus crimine extraheretur Sacerdos*. Subditque Leo: *Sed etiam ſiquid grave, intolerandumque committeret, noſtra erat expectanda cenſura: ut nihil prius ipſe decerneres, quam quid nobis placeret, agnoſceres. Vices enim noſtras ita tuæ tradidimus charitati, ut in partem ſis vocatus ſollicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis*. Deinde Cap. 11. monet, diſſentientibus cæteris Epiſcopis, Romanum eſſe conſulendum, ac tradit ordinem Hierarchiæ Eccleſiaſticæ, cujus caput ſit Sedes Apoſtolica, & ad quam proinde majora negotia referri debeant: *Quoniam & inter Beatiſſimos Apoſtolos, in ſimilitudine honoris fuit quædam diſcretio poteſtatis; & cum omnium par eſſet electio, uni tamen datum eſt, ut ceteris præemineret. De forma Epiſcoporum quoque eſt orta diſtinctio: & magna diſpoſitione proviſum eſt, ne omnes ſibi omnia vindicarent; ſed eſſent in ſingulis Provinciis ſinguli, quorum inter Fratres haberetur prima ſententia: & rurſus quidam in majoribus Urbibus conſtituti, ſollicitudinem ejus ſuſciperent ampliorem: PER QUOS AD UNAM PETRI SEDEM UNIVERSALIS ECCLESIÆ CURA CONFLUERET, ET NIHIL UNQUAM A SUO CAPITE DISSIDERET.* Hæc ibi Leo. Ex quibus probat Nicolaus, cauſſam Rhotadi Epiſcopi ab Hincmaro, & aliis Coepiſcopis damnati, referri debuiſſe, & per appellationem deferri ad Sedem Apoſtolicam, cui univerſalis Eccleſiæ cura incumbit, ne aliquid a ſuo capite diſſideat. Nimirum, totum id colligitur ex Primatu Romanæ Eccleſiæ ſupra reliquas omnes, ipſi convenientе, non ea alicujus Concilii ſtatuto, aut lege pure Eccleſiaſtica, ſive humana; ſed jure divino, ſeu ordinatione Chriſti: ut palam conſtat ex ſacris literis, & perpetua traditione; ac præterea aperte traditur in ipſa Præfatione antiquiſſimæ Collectionis Canonum editæ a Queſnelio Tomo II. pag. 11. illis verbis: *Sciendum ſane eſt omnibus Catholicis, quoniam ſancta Romana Eccleſia nullis Synodicis Decretis prælata eſt, ſed Evangelica voce Domini, & Salvatoris noſtri JESU-CHRISTI Primatum obtinuit; ubi dixit Beato Apoſtolo Petro: TU ES PETRUS &c.* Quæ verba pariter fere habentur apud S. Gelaſium Papam initio Decreti de Libris apocryphis. Vide infra num. 59. 62. 63. 64. & 65.

L. Hinc autem colligitur, ex Apoſtolica traditione dimanaſſe doctrinam illam, quæ in priſcorum Pontificum Epiſtolis ab Iſidoro collectis ſæpiſſime legitur, quod graviora negotia, & majores cauſſæ ad Apoſtolicam Sedem referri debeant, idque juxta traditionem ab Ipſis Apoſtolis acceptam, ut videre eſt in ipſis Epiſtolis Sanctorum Pontificum, Anacleti, Evariſti, Alexandri, Xyſti I. Zephyrini, Calliſti, aliorumque plurium. Nam S. Leo Papa doctrinam illam diſcere non potuit, niſi ex eiſdem verbis Chriſti ad Petrum, & veluti perpetua traditione gradatim acceptam a tempore ipſorum Apoſtolorum, per priſcos illos Eccleſiæ Romanæ Pontifices, & Petri Succeſſores. Quare oportuit, ut extarent horum monumenta, Decreta, & Epiſtolæ, in quibus id tractatum haberetur. Eæ vero non ſunt aliæ, quam quæ in communibus Conciliorum editionibus leguntur, & ab Iſidoro collectæ fuerunt, quidquid ſit de illarum parachroniſmis, & interpolationibus poſt Iſidori tempus adjectis, aut antea, a quopiam temerario, vel imperito. Extabant igitur eæ Epiſtolæ tempore Leonis Papæ, ſicuti & Iſidori, & Nicolai, quamvis puriores antea, quam poſtea.

LI. Secundo id probat Nicolaus, tum ex Concilio Chalcedonenſi, Canone IX. ubi ſtatuitur ut etiam cauſſæ Presbyterorum, ſive Clericorum gradus inferioris, cum ratio exigit, ad Sedem Apoſtolicam referantur: tum præterea ex Concilio Sardicenſi longe antiquiore in Epiſtola ad Julium I. Papam ajente: *Optimum, & valde congruentiſſimum eſſe videtur, ſi ad caput, ideſt ad Petri Apoſtoli Sedem, de ſingulis quibuſque Provinciis Domini referant Sacerdotes.* Epiſtola autem ipſa, quæ ex Creſconii Collectione, & Hilarii fragmentis, edita extat Tom. II. editionis Labbeanæ col. 660. ſubſcripta habetur primo loco a ſex Epiſcopis Hiſpanis. Sic enim inchoantur ſubſcriptiones: *Oſius ab Spania Cordubenſis, Anianus ab Spanniis de Caſtolona, Florentius ab Spanniis de Emerita, Dommianus ab Spanniis de Aſturica, Caſtus ab Spanniis de Cæſarauguſta, Prætextatus ab Spanniis de Barcilona.* Nimirum, omnibus iis Epiſcopis notum erat illud jus Eccleſiæ Romanæ ad dirimendum per appellationem quaslibet Sacerdotum cauſſas, & nominatim Hiſpanis, ad quos extabant variæ priſcorum Pontificum Epiſtolæ Decretales ea de re, aliiſque ad diſciplinam Eccleſiaſticam ſpectantibus: veluti ſanctorum Eccleſiæ Romanæ Præſulum, Anteri, Lucii I. Xyſti II. Eutychiani, & Melchiadis, de quibus ſuo loco.

LII. In Synodo itaque Sardicenſi, quam Athanaſius initio Apologiæ ſecundæ magnifice laudat, Auguſtinus Epiſt. 162. appellat PLENARIUM UNIVERSÆ ECCLESIÆ CONCILIUM, Sulpitius Lib. 2. ſac. Hiſt. CONCILIUM EX TOTO ORBE CONVOCATUM (nimirum a Julio I. Papa, cujus nomine Legati interfuerunt, præter Oſium, Archidiaconus, & Philoxenus Presbyteri) Hincmarus in Opuſculo citato Cap. 24. RECEPTAM AB ECCLESIA CATHOLICA; ea doctrina de appellationibus ad Sedem Apoſtolicam *de ſingulis quibuſque Provinciis*, teſtata habetur: in qua nititur Nicolaus ad cauſſam Rhotadi tuendam. Illa vero non fuit primo tradita in ea Synodo, ſed ab ipſo tempore Apoſtolorum continuata, & omnibus ſeculis, ac temporibus in uſum, functionemque deducta per crebras appellationes ad Sedem Apoſtolicam in cauſſis gravioribus, ex toto terrarum Orbe: ut teſtimoniis veterum, & luculentis exemplis demonſtravimus in *Defenſione Cathedræ S. Petri*, Diſp. VIII. & alibi ſæpe. Eadem autem doctrina eſt, quæ palam traditur in Epiſtolis illis priſcorum Pontificum, tum ad Hiſpanos, tum ad quoslibet alios. Fruſtra igitur, & gratis ob ejus doctrinæ partem, impugnabantur illæ ab Hincmaro, aliiſque: cum nihil in iis traderetur, quod traditioni Apoſtolicæ, & declarationi Concilii Sardicenſis non eſſet ſumme cohærens. Unde obiter colliges, inanem eſſe, & longiſſime a vero alienam, opinionem quorundam recentiorum, abſque ullo ſolido fundamento ſcripturientium, & veluti rem exploratam tradentium, appellationem ad Sedem Apoſtolicam in cauſſis majoribus, præſertim in judiciis Epiſcoporum, fuiſſe jure novo introductam ſæculo nono contra antiquos Canones, ſive jus antiquum. Oppoſitum enim conſtat palam ex tota hac Diſſertatione, & ex Decreto S. Gelaſii I. Papæ in Concilio Romano & ex innumeris aliis, quæ ſuo loco proferemus Diſſert. V. VI. & VII.

LIII. Tertio refellit Nicolaus Hincmarum nolentem admittere eas Epiſtolas ad omnimodam auctoritatem, quoniam omnes Catholici tenentur *uſque ad ultimum vitæ ſuæ diem, Decretalia conſtituta, vel de Eccleſiaſtica diſciplina qualibet expoſita, debito cultu, & cum ſumma diſcretione* (complecti) *QUÆ DUMTAXAT ET ANTIQUITUS SANCTA ROMANA ECCLESIA CONSERVANS, NOBIS QUOQUE CUSTODIENDA MANDAVIT, ET PENES SE IN SUIS ARCHIVIS ET VETUSTIS RITE MONUMENTIS CONDITA VENERATUR. Abſit, ut ſcripta eorum quoquo modo parvipendenda dicamus, quorum videmus, Deo auctore, ſanctam Eccleſiam, aut roſeo cruore floridam, aut roriſluis ſudoribus, & ſalubribus eloquiis adornatam.* Ergo teſtante Nicolao, illa Decretalia conſtituta Pontificum, qui ſanguinem pro Chriſto fuderunt (nimirum priſcorum, qui tribus primis ſeculis floruerunt, & veluti Martyres coluntur) *antiquitus Sancta Romana Eccleſia conſervavit, & Pontificibus ſequentibus cuſtodienda mandavit, & penes ſe in ſuis archivis, & vetuſtis rite monumentis condita veneratur.* Illa vero ſunt, quæ Iſidorus vulgavit in Collectione ſua, nomine veterum Eccleſiæ Pontificum; quæque Nicolai tempore, & ipſius Hincmari, non modo in Hiſpania, Gallia, & Germania circumferebantur, ſed etiam Romæ. Nam manifeſtum eſt, Nicolaum Papam iis verbis Romæ ſcriptis tueri auctoritatem legitimam illarummet Epiſtolarum, quas impugnabat, ſive tanquam authenticas admittere nolebat Hincmarus Rhemenſis. Hæ autem erant Epiſtolæ priſcorum Pontificum extantes in Collectione Iſidori. Has igitur ipſas tuebatur Nicolaus Romæ, & earum antiquiſſima exemplaria a priſcis temporibus extare teſtabatur in archivis, & vetuſtis monumentis Eccleſiæ Romanæ. Vide infra num. 68.

LIV. Nullo itaque jure reſpuebantur ab Hincmaro Epiſtolæ illæ, veluti carentes plena auctoritate, quamvis ille nec diceret, nec ſuſpicaretur quidem intruſas, aut nothas, quo nomine primum a Magdeburgenſibus exploſæ fuerunt, & nunc frequenter rejiciuntur a recentioribus, qui temere a quopiam Iſidoro fabricatas, aut fictas ajunt. Unde corruunt enerves conjecturæ Baluzii in Præfatione citata §. 11. & 12. ubi & Nicolaum ſanctiſſimum Pontificem audaciæ notat, propter reſtitutionem Rhotadi Epiſcopi iis monumentis innixam; & laudare videtur Hincmarum pronunciantem, eam reſtitutionem fuiſſe iniquam, ac judicia Conciliorum Provincialium auctoritate Romani Pontificis caſſari non poſſe. In quo certe plurimum erravit Hincmarus, & errat Baluzius, poſt ſuum Marcam, ut alibi late oſtendimus.

LV. Quarto argumentatur Nicolaus regerens in Epiſcopos illos Galliarum objectionem, qua elevabant auctoritatem earum Epiſtolarum, quod non extarent in Codice Canonum manibus omnium trito. Imprimis enim ipſi in variis ſcriptis, & allegationibus, ubi e re ſua eſſe intellexerant, inveniebantur laudaſſe plura teſtimonia ex eiſdem Epiſtolis delibata. Quare quod poſtea illas rejicerent, ubi impetebantur in cauſſa Rhotadi Epiſcopi, ſolum poterat ortum ducere ex pertinacia tuendi id judicium, quo il-

lum

Digitized by Google

lum depoſuerunt, appellantem ad Apoſtolicam Sedem. Præterea, quod illæ Epiſtolæ non extarent in Codice vulgato Canonum, nihil concludebat contra illarum αὐθεντίας. Quia nec in eo extabant Epiſtolæ plurimæ Decretales S. Gregorii Magni, aliorumque quorundam Pontificum illo antiquiorum, ac poſteriorum: quibus tamen fides explorata ab omnibus habebatur. Denique nec in eodem Codice erat aliquis ex Libris Scripturæ Canonicis, & tamen ſummæ auctoritatis apud omnes erant. Vide ſupra num. 39.

LVI. Quod ſi vero huic poſtremæ argumenti parti occurreret quiſpiam, allegato capitulo quodam Innocentii I. Papæ Decret Cap. 27. declarantis, utrumque Teſtamentum eſſe recipiendum quoad Libros ſingulos in eo indicatos; reponit Nicolaus, ſaltem inde haberi, nullius roboris eſſe objectionem illam, qua rejiciuntur Epiſtolæ priſcorum Pontificum eo nomine, quod in Codice Canonum non extarent: ſiquidem nec in eo habebatur Epiſtola, ſive Decretum illud Innocentii, quod tamen ab omnibus erat receptum.

LVII. Urget deinde teſtimonium S. Leonis I. Papæ in Epiſtola ad Epiſcopos per Campaniam conſtitutos, quod inter ipſos Canones permiſtum extabat, & in quo *ita omnia Decretalia conſtituta Sedis Apoſtolicæ cuſtodiri mandantur, ut ſi quis in illa commiſerit, noverit ſibi veniam negari*. Sic perſtringit Nicolaus ſummatim verba ipſa Leonis, & ſtatim ea exſcribit, nimirum: *Ne quid vero ſit, quod prætermiſſum a nobis forte credatur, OMNIA DECRETALIA CONSTITUTA, TAM BEATÆ RECORDATIONIS INNOCENTII, QUAM OMNIUM DECESSORUM NOSTRORUM, quæ de Eccleſiaſticis ordinibus, & Canonum promulgata ſunt diſciplinis, ita veſtræ dilectioni cuſtodiri mandamus: ut ſi quis in illa commiſerit, veniam ſibi deinceps noverit denegari*. Ubi merito expendit, & obſervat Nicolaus, verbis illis, *omnia Decretalia conſtituta*, ac præterea, *omnum deceſſorum noſtrorum*, quælibet prorſus Decreta quorumlibet omnino Pontificum Romanorum comprehendi; ac proinde Epiſtolas Decretales veteribus Pontificibus adſcriptas, quamvis non extarent in Codice Canonum, quia propter ſui multitudinem non poterant in uno corpore compaginari.

LVIII. Confirmat Nicolaus id ipſum ex Decreto S. Gelaſii I. Papæ in Concilio Romano ſeptuaginta Epiſcoporum ajentis: *Decretales Epiſtolas, quas Beatiſſimi Papæ diverſis temporibus de Urbe Romona pro diverſorum Patrum conſultatione* (alii *conſolatione* legunt, ſed male) *dederunt, venerabiliter ſuſcipiendas decernimus*. Quæ verba ſic expendit, & urget Nicolaus: *In quo notandum, quia non dixit Decretales Epiſtolas, quæ inter Canones habentur, nec tantum, quas moderni Pontifices ediderunt, ſed quas Beatiſſimi Papæ diverſis temporibus de Urbe Romana dederunt. Dictis autem DIVERSIS TEMPORIBUS, Vir ſanctus comprehendit, QUÆ CREBRESCENTIBUS PAGANORUM PERSECUTIONIBUS AD SEDEM APOSTOLICAM DEFERRI CAUSSAS EPISCOPORUM DIFFICILLIME PERMITTEBANT*. Unde demum concludit Nicolaus, & recte quidem, nihil diſcriminis eſſe inter Decreta Sedis Apoſtolicæ contenta in corpore Canonum, & extra illud; nec inter Epiſtolas quorundam Pontificum antiquiorum, aut recentiorum: cum omnes prorſus illas Decretis ſuis maniſeſte probaverint Gelaſius, & Leo Papa.

LIX. Hujus præterea teſtimonium profert ex Epiſtola ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem Archiepiſcopum, jam ſupra num. 49. laudata, additis verbis iis, plane deſumptis ex Epiſtolis priſcorum Pontificum: *Nam cum MAJORA NEGOTIA, ET DIFFICILIORES CAUSSARUM EXITUS, liberum tibi eſſet ſub noſtræ ſententiæ expectatione ſuſpendere, nec ratio tibi, nec neceſſitas fuit, id quod menſuram tuam excederet, deviandi*. Et deinceps: *Præſertim*, inquit, *cum etiam ſi quid tale aliquid mereretur, expectandum tibi fuerit, quid ad tua conſulta reſcriberem*. Nimirum, ſimilis quodam modo erat cauſſa Leonis adverſus Anaſtaſium, ac Nicolai contra Hincmarum: atque inde Nicolaus concludit, tum Epiſtolis veterum Pontificum fidem exploratam deberi, tum appellationem Rhotadi ad Sedem Apoſtolicam debuiſſe admitti, ut ab ea tandem cauſſa illa finem acciperet.

LX. Quid ad hæc, aliaque ſimilia, Adverſarii illi, qui Sedis Apoſtolicæ jura extenuare conantur? Sed enim nullum horum argumentorum, ſimiliumve, ſibi objiciunt; multo minus ſolvunt: ut indoctis hominibus paradoxa ſua obtrudant, quaſi nullis difficultatibus ſint obnoxia. Hæ nimirum quibuſdam ipſorum technæ familiares, & ſatis notæ ſunt, cavillis, & paralogiſmis uti adverſus doctrinam veram, in obſequium Sedis Apoſtolicæ ab aliis traditam, & nullatenus ſibi objicere, aut ſummum leviter indicare ſolidiſſima fundamenta, quibus illa innititur, & quæ nullam rationabilem exceptionem admittunt. Si in Scholis verſati ſolide fuiſſent, diſcerent ſane, qualiter debeat objectis reſpondere quiſquis contra receptam doctrinam, & vel ſola antiquitate venerandam, præſertim in rebus adeo ſacris, inducere vult aliquam opinionem.

LXI. Quinto Nicolaus rejicit exceptionem futilem Epiſcoporum Galliæ quorundam in ea controverſia ajentium, judicia Epiſcoporum non cenſeri inter *majora negotia, & difficiliores cauſſarum exitus*: ac proinde cauſſam Rhotadi non debuiſſe referri ad Apoſtolicam Sedem. Rejicit, inquam, exceptionem hanc maniſeſtis, tum rationibus, tum teſtimoniis; quorum omnium ſumma eſt: quemadmodum Epiſcopi non ſolum populo ſuperiores ſunt, ſed etiam in ipſo Clero, immo & præ ipſis Sacerdotibus præcellentem locum, ac dignitatem habent; ita & illorum cauſſas, ſive judicia depoſitionis eorum, etiamſi Metropolitani non ſint, debere computari inter majora negotia, & difficiliores cauſſarum exitus. Quin & ex teſtimonio Innocentii I. Papæ in Epiſtola ad Victricium Epiſcopum Rhotomagenſem palam colligit, etiam ſimplicium ſacerdotum cauſſas terminari debere in Synodo Provinciali, cum recurſu tamen appellationis ad Apoſtolicam Sedem, propter verba illa Innocentii: *Sine præjudicio tamen Romanæ Eccleſiæ*. Quanto magis iudicia Epiſcoporum, qui ſupra alios Sacerdotes ſunt, referri debent ad Sedem Apoſto-

Digitized by Google

ſtolicam? Unde & obiter colligitur, veriſſimum eſſe, quod paſſim traditur in Epiſtolis illis priſcorum Pontificum ab Iſidoro collectis, majores cauſſas, graviora negotia, & judicia Epiſcoporum, referri debere ad Apoſtolicam Sedem.

LXII. Sexto urget Decretum magni Concilii Nicæni decernentis, ut ſua quibuſque Eccleſiis privilegia ſerventur. Nimirum, ita præcipitur ibidem Canone VI. dum dicitur: *τὰ πρεσβεῖα σωζέσθω ταῖς ἐκκλησίαις*. Unde & potiore titulo Romanæ Eccleſiæ, omnium aliarum vertici, privilegia ſua propria ſervari debent; præſertim quæ non ab hominibus, non a poteſtate aliqua ſub Cælo, conceſſa ſunt, ſed a Deo data in Apoſtolo Petro. Ejuſmodi autem eſt auctoritas ſuprema finiendi omnes cauſſas, præſertim graviores, per appellationem ad illam delatas.

LXIII. In quod confirmandum affert illuſtre teſtimonium S. Gelaſii Papæ in Epiſtola ad Epiſcopos per Dardaniam conſtitutos ajentis: *Nec plane tacemus quod cuncta per mundum novit Eccleſia, quoniam quorumlibet ſententiis ligata Pontificum Sedes B. Petri Apoſtoli jus habeat reſolvendi; utpote quæ de omni Eccleſia fas habeat judicandi.* Deinde exſcribit alium ejuſdem Gelaſii locum in Epiſtola ad Epiſcopos Orientales maxime opportunum, & alium Bonifacii I. Papæ ſcribentis ad Epiſcopos per Theſſaliam conſtitutos (porro earum Epiſtolarum nulla ſuſpecta eſt, nec ab Adverſariis ipſis inter Iſidorianas merces computata) in quibus ambo ii Pontifices teſtantur, eam Divinitus datam auctoritatem Sedis Apoſtolicæ ad finienda judicia Epiſcoporum, & terminandas cauſſas per appellationem delatas ex toto orbe terrarum, veluti ipſi competentem ab initio, & perſpectam magnæ Synodo Nicænæ, quæ ſupra Romanam Eccleſiam nihil auſa fuit conſtituere, *cui omnia noverat Domini ſermone conceſſa. Si omnia* (colligit Nicolaus) *ergo & Epiſcoporum judicia, &c.* Vide ſupra num. 49. & 50.

LXIV. Hinc autem nos pariter colligimus cum eodem Nicolao, ut ſupra, immerito Hincmarum Rhemenſem noluiſſe recipere, & exequi doctrinam traditam in Epiſtolis illis priſcorum Pontificum ab Anacleto ad Siricium, in quibus continuata ſerie temporum ſæpiſſime teſtata habetur ea ſuprema auctoritas, & Divinum privilegium Apoſtolicæ Sedis, ut omnia graviora negotia, & cauſſæ majores, atque Epiſcoporum judicia, ad illam referantur, & finem accipiant. Siquidem Bonifacius I. & Gelaſius I. locis citatis teſtantur, eam auctoritatem Divinitus conceſſam fuiſſe ab initio Eccleſiæ Romanæ, & perpetuo uſu ſæculorum confirmatam.

LXV. Quibus addo alia verba ejuſdem Gelaſii in Epiſt. citata ad Orientales Tom. IV. editionis Labbeanæ, ubi longe poſt medium col. 1222. ſic illos reprehendit, quod inconſulta Sede Apoſtolica depoſuiſſent quoſdam Catholicos Epiſcopos: *Quos*, ait, *ſi a fide integra, communioneque Catholica putaretis errare, AD APOSTOLICAM SEDEM, SECUNDUM SCITA MAJORUM, ET SICUT SEMPER EST FACTUM, REFERRE DEBUISTIS.* Itaque non novo jure, ut contendit Baluzius cum aliis iniquioribus erga Apoſtolicam Sedem; non ab ineunte nono ſæculo, ut iidem ſcripturiunt: ſed antiquo jure, a tempore naſcentis Eccleſiæ, *ſecundum ſcita majorum, ET SICUT SEMPER EST FACTUM*, cautum fuit, ut ejuſmodi cauſſæ referrentur, & per appellationem remitterentur ad Apoſtolicam Sedem, a primis Eccleſiæ ſæculis uſque ad annum circiter CCCCXCII. quo ea Epiſtola a Gelaſio ſcripta fuit. Idipſum autem, quod in ea traditur, extat in Epiſtolis illis priſcorum Pontificum ab Iſidoro collectis. Et ſane illas in mente, aut etiam ob oculos habere videbantur Pontifices, Bonifacius, & Gelaſius, dum ea verba dictarent, aut ſcriberent. Nullo igitur jure Hincmarus propterea admittere eas renuit ſæculo nono; & hoc ipſo, in quo vivimus plerique recentiorum illas rejiciunt, veluti inductrices novi juris, & antiquis Cononibus, ac conſuetudinibus Eccleſiæ contrarias.

LXVI. Quare fortaſſe deſperandum non eſt, ut ii, qui in ea opinione ſunt, conſideratis mature argumentis Nicolai Papæ, ac præterea noſtris, illam deponant, aut ſaltem moderentur aliqua ex parte: quemadmodum tandem ſuam depoſuiſſe videtur Hincmarus Rhemenſis, dum inſtante Nicolao ipſo, Rhotadum permiſit Romam contendere, ut ejus cauſſa apud Sedem Apoſtolicam examinaretur. Quod qualiter factum ſit, apud Anaſtaſium Bibliothecarium ejus temporis Scriptorem in Vita ipſius Nicolai legi poteſt, & ex recentioribus apud Baronium, ac Cabaſſutium.

EXCURSUS V.

Eadem Epiſtolarum γνησιότης demonſtratur ex Capitulis Hadriani I. Papæ, & Notis eruditiſſimi Antonii Auguſtini in illa, quem perperam pro ſua opinione allegant Marca, & Labbe. Plura alia pro earundem auctoritate obiter prolata.

LXVII. NON leve præſidium accedit Iſidorianis Epiſtulis ex variis Capitulis Hadriani I. Papæ celeberrimi, in quibus palam traditur doctrina ipſa quæ in illis habetur, & ex iiſdem fontibus hauſta. Placet exſcribere pauca quædam illorum, & præterea Notas eruditiſſimi Archipræſulis Antonii Auguſtini, quem miror ab aliquibus in oppoſitum allegari: cum nemo frequentius ibidem, aliiſque locis, eas Epiſtolas laudet, Iſidorumque earum Collectorem, quamvis ſemel, aut iterum aliquod verbum illarum expungat, vel corrigat, prout paſſim in aliis veteribus, & exploratis ſcriptis fieri ſolet.

LXVIII. Hadrianus itaque Cap. 3. inquit: *Nullus Epiſcopus, niſi Canonice vocatus, & in legitima Synodo ſuo tempore APOSTOLICA AUCTORITATE CONVOCATA (cui juſſione Domini, & meritis B. Petri Apoſtoli, ſingularis congregandorum Conciliorum auctoritas, & ſanctorum Canonum, ac venerandorum Patrum Decretis, multipliciter privata tradita eſt poteſtas) ſuper quibuſdam criminibus pulſatus audiatur, vel impetatur. Si aliter præſumptum a quibuslibet fuerit, in vanum deducatur, quod egerint, &c.* Eandem vero doctrinam totidem fere verbis frequenter tradunt veteres illæ Epiſtolæ antiquorum Eccleſiæ Pontificum ab Iſidoro collectæ: ad quas ſine

dubio

dubio reſpexit Hadrianus, dum id Capitulum, & plura alia ſequentia edidit. Et ſane inita ratione temporis, ut alibi monui, Hadrianus ipſe hæc Capitula edidit, ſeu collegit multis annis, antequam Collectio Iſidoriana ex Hiſpania deferretur in Germaniam a Riculpho, & evulgaretur per regiones finitimas, ut teſtatur Hincmarus. Ut propterea neceſſum ſit, Hadrianum non fuiſſe uſum iis recentioribus exemplaribus, ſed aliis antiquioribus, quorum plurima, & probatiſſima Romæ extabant a priſcis ſæculis.

LXIX. Videamus autem qualiter illud exponat, & illuſtret Antonius Auguſtinus: *Hæc ſumpta ſunt*, ait, *ex Nicæna Synodo, ut refert Julius Papa Epiſt. I ex qua ſumitur 5. Quæſt. 4. Cap. 1. & aliis verbis Epiſt. 2. & Athanaſius, ac reliqui in Alexandrina Synodo ad Felicem II. Ex qua ſunt 9. Quæſt. 3. Cap. 11. & Cap. 12. falſo Anaſtaſio Patriarchæ ad Felicem Papam inſcripta, & apud Ivonem Parte 5. Cap. 15. Decreti itidem mendoſe relata. Idemque Felix ait in Epiſt. ad eoſdem Ægyptios Epiſcopos Cap. 18. Sed ante Concilium Nicænum eadem ſententia ab Apoſtolis eſt accepta, ut teſtatur Eleatherius Papa Epiſt. ad Galliarum Epiſcopos, unde ſumitur 3 Quæſt. 6. Cap. 7. Ivo 4. Titul. 12 Panorm. & 6. 216. Decreti, & Victor Papa Epiſt 1. & Xyſtus II. Epiſt. 1. ex qua eſt 3. Q. 6. Cap 5. ſed ex Victoris Epiſtola Burchard. Lib 1. Cap. 176 & ex Julii C 144 ex Decret. Gregor. Xyſti, Victoris Ivo Lib. 4. Titul. 12. C. 2. Panorm. Sed pro* Gregorii *ſcriba* Julii, *ut Part 5. Cap 257. Decreti. Teſtatur idem Victoris ſucceſſor Zephyrinus, Epiſt. 1 ex qua eſt 5. Quæſt. 4. Cap. 2. Anſelmus Lib. 3. Cap 4. qui diminute referunt Epiſtolæ verba. Sic enim eſt in Libris Conciliorum.* Nec antea finiatur, ſicut ab Apoſtolis, & ſucceſſoribus eorum olim ſtatutum eſt, quam ejus auctoritate fulciatur: *Neque hoc a Demochare, & Contio omitti debuit. Sic enim 2. Quæſt. 1. Cap. 5. quod* Felicis *nomine inſcribitur, & recte Demochares notat, eadem verba eſſe Zephyrini Epiſt. 1. Felicis Epiſt. ad Paternum, quæ etiam prima eſt: ſed verba, quæ apud Gratianum deſiderantur, notata non ſunt. Contius alium errorem addidit numerorum. Appellat enim Caput quartum illud quintum, & ab iis Capitibus falſos numeros addidit. Verba omiſſa ſunt:* Apoſtolica freti auctoritate, *ante illa*: aut reum ſe ipſe confiteatur. *Burchardus 1 154. ex Zephyrino*, Apoſtolica fultus auctoritate. *Ex Cap. 157. ex Felice*, Apoſtolica fretus auctoritate. *Ivo Carn 4 12. 11. Panormitanus*, qua Apoſtolica fulti fuerint auctoritate, *ex Zephyrino. Sic etiam Anſelmus Lib. 3. Cap. 66. licet Cap 65 ex Felice*, quam Apſtolica auctoritate. *De eadem re extat Marcelli Papæ Epiſtola 1. unde eſt Cap. 15. 24. Quæſt. Anſelm. 1. 15 & 2. Quæſt 6. Cap 6. quod plenius eſt apud Anſelmum Lib. 2. Cap. 7. item ejuſdem Marcelli Epiſt 1. unde ſumitur Cap. 1. Diſtinct. 17. ſed latius patent Marcelli verba. Addamus Miltiadis Epiſt. ad Hiſpaniæ Epiſcopos, cujus pars refertur a Burch. Lib. 1. Cap. 2. & Ivone Part. 5. Cap. 46 Decreti. Hæc anteriora ſunt ex Nicæna Synodo. Ex poſterioribus videatur Epiſt Stephani, & Africanorum ad Damaſum, & Damaſi Epiſt. 3. ad eoſdem Epiſcopos: unde eſt 3. Quæſt. 6. Cap. 6. quod mendoſe editum eſt a Demochare, & Contio. Nam pro illis verbis*: quoniam omnes appellare; *ſcribendum eſt*, quam omnes appellare; *& referuntur ad Sedem Apoſtolicam. Burchard. Lib. 1. Cap. 179. quæ habet & Ivo Part. 5. Cap 295. Decreti. Sed ambo omittunt ſuperiora verba, oppido neceſſaria. Ivo Calliſti eſſe ait, quæ Damaſi ſunt. Anſelmus recte Lib. 2. Cap. 6. init. hujus Capitis verba paucis exceptis refert capitui. Lib. 6. Cap. 287. & Lib. 7 Cap. 150. in ipſis additis plenius.*

LXX. Huculque ſapientiſſimus ille Archipræſul, nihil prorſus improbans, aut adulterinum, vel ſuppoſitum agnoſcens in tot iis Epiſtolis veterum Pontificum ab Iſidoro collectis, quas paſſim laudat, & initio quidem illam Julii I. veluti innixam Nicæno Concilio: quam tamen recentiores plerique, & potiſſimum Labbe, prorſus fictitiam arbitrantur. Fruſtra igitur in Antonio Auguſtino præſidium ſuæ opinioni quærunt, cui nec in ſpeciem favet.

LXXI. Deinde Hadrianus Cap. 9. hæc habet: *Salvo Romanæ Eccleſiæ in omnibus Primatu, manifeſtum eſt, quod illa quæ ſunt per unamquamque provinciam, ipſius provinciæ Synodus diſpenſet, ſicut in Nicæno conſtat decretum eſſe Concilio*. Quæ conſonant doctrinæ in iis Epiſtolis traditæ.

LXXII. Videamus, quomodo priora illa verba, *Salvo Romanæ Eccleſiæ in omnibus Primatu*, exponat idem Archiepiſcopus, & apparebit, quantam fidem præſtiterit Iſidoro Collecturi. *Hæc verba*, inquit, *paucis exceptis, ter Gratianus refert 5. Quæſt. 6. Cap. 16 ex Synodo Rom. 5. Q. 4 Cap 2. them. v ex Hadriano, & 9. Q. 2. Cap. 9 ex Synodo Conſtant. Sunt autem ex eadem ſecunda generali Synodo C. 2 Græcis, Latinis exceptis illis verbis.* Salvo Romanæ Eccleſiæ in omnibus Primatu, *quæ fortaſſe Hadriani verba ſunt. Anſelm. Lib. 3 Cap. 88. ex decretis Hadriani. Iſidorus in Prologo Concil. Collectionis, verba Conſtantinop refert Capitis, ut oſtendat plura fuiſſe quam decem capita Nicæni Concilii, illa tum verba:* Salvo Romanæ *&c. non refert. Suſpicor, CL. Patres ex verbis Can. V. Concilii Nicæni hoc deduxiſſe. Ex eo eſt apud Gratianum 2. Q. 3. C. 73. & Diſt. 18. C. 3. Sed & ab eodem Iſidoro referuntur Innocentii Papæ verba in Epiſt. ad Victricium Rothomagenſem Epiſcopum, quibus hoc ipſum videtur ſignificare, Nicæno Concilio ſtatutum fuiſſe, ut cauſæ, & conſtitutiones omnes in Synodo provinciæ terminarentur. Refert Innocentii verba, præter Iſidorum, Grat. 11. Q 1. Cap 27. his tantum verbis adſcriptis:* Innocentius Papa *Ideo Demochares non addidit certum locum. Sic enim Anſelmus Lib. 2. C 52. Sed extat Vol. 1 Concil Epiſt. 2. C. 3. Contius recte attulit Iſidori locum, ſed appellat Cap 25. quod nos 27. Varietas oritur poſt Cap. 9. nam Cap. 10. Contio eſt*: Gelaſ. Chriſtianis &c. *mibi 15. Ego addidi numeros Novellæ, & Canonis Carth is omiſit. Age vero, referamus antiquius decretum utroque Concilio, Nicæno, & Conſtantinopolitano, aut ea Hadriani verba, aut ea, quæ ſuſpicabamur addita, tueamur. Legantur Pii Pontificis verba in calce Epiſt. 2.* De cetero, ſalva in omnibus Apoſtolica auctoritate &c. *Ante Pium Anacletus, a B Petro Presbyter conſecratus, in extrema Epiſtola 1.*

ex

ex qua eſt 2. § 6. C. 3. *Verba tum illa* : coram Patricio , *mendoſe eſſe ſuſpicor , & pro eis ,* coram Præſide , *ſubſtituenda eſſe facile credo . Multis enim ſæculis poſt Anacletum* Patriciorum *nomen pro Magiſtratibus uſurpatum fuit. Poſtremo hujus Capitis verba, illis exceptis initio hujus Capitis notatis , refert Capitul. Lib.* 6. C. 287.

LXXIII. Hæc ille , in quibus multa habet pro Iſidoro , & Epiſtolis ab ipſo collectis , atque imprimis optime obſervat , verba ejus Capituli haberi Canone ſecundo Concilii II. Generalis , nimirum Conſtantinop. I. exceptis illis : *Salvo Romanæ Eccleſiæ in omnibus Primatu* , quæ fortaſſe ab Hadriano addita fuiſſe innuit ; ſed poſtea ſuſpicatur,ea fuiſſe deducta a centum quinquaginta Patribus Concilii Secundi Generalis , nimirum Conſtantinopol. I.ex Canone V. Concilii Nicæni . Scilicet id ſatis indicatur a CL. Patribus, dum Canone II. prædictæ Synodi CP. ajunt : φυλαττομένου δὲ τοῦ προγεγραμμένου περὶ τῶν διοικήσεων κανόνος , εὔδηλον , ὡς τὰ καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν ἡ τῆς ἐπαρχίας Σύνοδος διοικήσει , κατὰ τὰ ἐν Νικαίᾳ ὡρισμένα . Quod ita ad literam Latine vertitur : *Servato autem præſcripto de diœceſibus Canone , clarum eſt, quod unamquamque provinciam Synodus provinciæ miniſtrabit , ſecundum ea , quæ fuerunt Nicææ definita* . Fortaſſis vero ſub Nicænorum Canonum, aut definitionum nomine intelliguntur hoc loco Sardicenſes, veluti appendices Nicænæ Synodi . Vide ſupra num. 51. & 52.

LXXIV. Nimirum Canone quinto eadem fere habentur quoad rem, in Concilio Nicæno, ſeu Græce , ſeu Latine , tam juxta verſionem Gentiani Herveti , quam antiquiores Dionyſii Exigui , Ruffini , & Iſidori ; licet iidem verbis plurimum varient . Nuſquam autem illa priora verba invenimus , quæ Antonius Auguſtinus ſuſpicatur Hadriani eſſe . Conjicit vero id, quia Iſidurus in hac ipſa Præfatione referens verba citati Canonis Conſtantinopolitani , illa non affert . Quæ conjectora inanis eſſet , niſi fidem præſtaret Iſidoro . Deinde illum laudat , quatenus eodem loco citat Epiſtolam illam Innocentii I. Papæ ad Victricium Epiſcopum Rothomagenſem , circa quam plura obſervabimus in progreſſu .

LXXV. Denique illorum verborum, *Salvo Romanæ Eccleſiæ in omnibus Primatu* , originem altius repetit , & vindicat ex monumentis utroque Generali Concilio jam memorato antiquioribus , nimirum ex Epiſtola a. Pii I. Papæ, & altera anteriore Anacleti teſtantis, ſe a B.Petro Presbyterum conſecratum fuiſſe. Nimirum ambo ii Pontifices uſi ſunt æquivalentibus verbis , qualia ſunt : *Salva in omnibus Apoſtolica auctoritate* . Quæ tamen duæ Epiſtolæ , ab Iſidoro collectæ , reſpuuntur a recentioribus . Contra vero doctiſſimus Archipræſul illas laudat , niſi quod verba illa , *coram Patricio* , mendoſe ſcripta ſuſpicatur in Epiſtola Anacleti ; quoniam multis poſt illum Pontificem ſæculis *Patriciorum* nomen pro Magiſtratibus uſurpatum fuit . Itaque ubi habetur , *coram Patricio* , ſuſpicatur legendum, *coram, Præſide* . In hoc unico verbo ſcrupulus fuit Antonio Auguſtino , ſed non ut propterea in dubium vocaret αὐθεντίαν ejus Epiſtolæ : multo autem minus , ut illam exſibilaret , aut proſcinderet , quemadmodum fieri quibuſdam aliis videmus, qui tamen , ubi e re ſua eſſe intelligunt , multa alia vetera inſtrumenta , eaque longe minus comprobata , ad nutum corrigunt , verbis quibuſdam vice aliorum ſubſtitutis , eaque vindicant , & germana volunt . Quanto ſatius eſſet eadem ſaltem pietate uti cum Decretis illis priſcorum, & ſanctiſſimorum Eccleſiæ Præſulum , receptis a tota antiquitate Chriſtiana , & plurimum conferentibus ad ſtabiliendam Eccleſiaſticam diſciplinam ?

LXXVI. Præterea Hadrianus profert Capitulum vigeſimum tertium , alias vigeſimum primum, cujus hæc ſunt verba : *Placuit, ſi Epiſcopus accuſatus appellaverit Romanum Pontificem , id ſtatuendum , quod ipſe cenſuerit* . Laudatus vero Antiſtes in id Capitulum ita loquitur : *Fabiani ſunt hæc Epiſt. 3. Xyſti III. Epiſt unica cap 5. IDEM VIDETUR NICÆNA SYNODUS DECREVISSE cap. 51. UT REFERT JULIUS PAPA Epiſt. 2. cap. 10 eſt in Capitul. lib. 7. cap. 153. in additis, & in priorib. lib. 7. cap. 315*. Nec plura ille . In iis vero laudat tres priſcorum Pontificum ab Iſidoro collectas Epiſtolas , & præſertim illam Julii Papæ , quæ pleriſque recentioribus emunctioris naſi , non ſuſpecta modo , ſed plane ſuppoſita , & ſpuria eſt . At ſicuti non bene pro ſua opinione allegant Antonium Auguſtinum : ita nec jure illam rejiciunt , veluti manifeſte notham . Delectu enim opus eſt in ea , tum admittenda , tum reſpuenda .

EXCURSUS VI.

Pleraſque dictarum Epiſtolarum , prout communiter circumferantur , vehementer ſuſpectas eſſe de interpolatione , & aliis defectibus : non tamen reſpuendas , ſed venerandas , & in auctoritatem recipiendas , cum delectu opportuno .

LXXVII. Quod ſi vero in ea Julii Epiſtola , aliiſque priſcorum Pontificum nomine editis , etiam iis , quæ ad Hiſpanos ſunt, veluti ſanctorum Anteri , Lucii I. Xyſti II. Eutychiani , & Melchiadis , prout modo extant , & leguntur a multis jam ſæculis , apparent verba aliqua non germana , nec cohærentia ſatis tempori, aut interpolata , vel aſſuta ; adhuc illæ *venerabiliter recipiendæ ſunt* , juxta monitum celebre S. Gelaſii Papæ , ab Hincmaro (alioqui refractario) reverenter ſuſceptum : præſertim cum omnia fere , quæ in iis leguntur , etiam prout modo extant, contineant doctrinam Catholicam , ſalutarem , piam , & apertiſſime traditam a Romanis Pontificibus , Doctoribus , & Scriptoribus ſacris , quæ ſemper venerationi ſummæ eſſe debet, ubicumque inveniatur. Præterea ſepoſitis iis erratis, & aſſumentis Epiſtolarum , conandum , qua parte , ſive quantum fieri poſſit , ad eas emaculandas , diſcernendo germanum a ſpurio, & originarium ab intruſo. Neque enim juſtum eſt, ut præcipua doctrina circa auctoritatem Sedis Apoſtolicæ, & nonnulla alia magni momenti, quæ ſunt veluti medulla, aut ſubſtantia illarum Epiſtolarum , non exiſtimetur germana in iis , ac vere tradita a ſanctiſſimis ils Pon-

Pontificibus ſcripto, ſicuti & verbo; licet aſſumenta quædam, & errata, & ſordes poſtea acceſſerint. Hæc omnia reſpuantur: ſed illæ ſemper venerationi ſint, & honorifice recipiantur. Recentiores ipſi ſtudent paſſim, ubi lubet, monumenta alia vetera minoris auctoritatis, & pluribus nævis vitiata, pro viribus vindicare. Si autem in quaſdam earum vitium irrepſerit manifeſtum, corrigendum eſt, aut expungendum, reliquo corpore Epiſtolæ in ſua auctoritate manente: quoniam in tam longo ſæculorum decurſu, facile irrepere potuerunt hujuſmodi nævi ob imperitiam, vel negligentiam exſcriptorum, aut propter audaciam, temeritatemve alicujus ſcioli. Fieri etiam potuit, quod maxime obſervari velim, ut aliquis olim authenticis exemplaribus in uſum privatum adderet, vel in margine, vel inter lineas, nonnulla quædam ex poſterioribus Epiſtolis, Conciliis, vel Scriptoribus delibata, & poſtea ea omnia ab aliis conjungerentur, veluti continuato filo ejuſdem Epiſtolæ, & tandem ea aſſumenta in plurima exemplaria nova irreperent, quæ bona fide tandem a S. Iſidoro, & a Romanis ipſis haberentur, ac legerentur. Verum adhuc eo poſito, Virorum imprimis eruditorum eſt diſcernere aſſumenta, & aſcititia quæque a germanis, ut horum auctoritas ſacta tecta ſit: non autem integras propterea Epiſtolas rejicere, tot jam ſæculis venerandas.

LXXVIII. Hoc modo ſe geſſit, non ſine inſigni laude, Antonius Auguſtinus, quo eruditiorem neminem, aut rerum antiquarum peritiorem, poſtrema hæc ſæcula tulerunt. Quare in tot ad laudata Hadriani Capitula Notis, & pluribus aliis Libris, paſſim allegat, & reverenter habet priſca illa monumenta Epiſtolarum Decretalium ab Iſidoro collecta, quamvis a Dionyſio Exiguo prætermiſſa, ob rationem datam ſupra a num. 40. Nec facile credam, recentioribus occurriſſe aliquid cujuſpiam momenti contra auctoritatem earum Epiſtolarum, quod illi oculatiſsimo Viro, & in rebus iis diligentius, ac diutius verſato, perſpectum non fuerit. Verum fortaſsis ea cenſuit levia, aut facilia ſolutu, nec digna, ut ſuis lucubrationibus insereret; multo autem minus, ut propterea fides tam ſacrorum monumentorum vacillaret, aut ſolo æquaretur. Quin & Lib. 2. *De emendatione Gratiani*, *Dial.* 4. relata opinione quorundam rejicientium Epiſtolas Calliſto I. Papæ tributas in Collectione Iſidori, illas aperte tuetur.

LXXIX. Laudandi etiam ſunt non pauci ex recentibus Eccleſiaſticæ antiquitatis ſcrutatoribus, qui fidem, & αὐθεντίαν quarundam Epiſtolarum Pontificibus Romanis adſcriptarum, aſſerere ſtuduerunt, ſolutis argumentis, quæ quibuſdam aliis ἀναντίῤῥητα, ſeu ineluctabilia videbantur. Ex plurimis pauca, & nuperrima indicare lubet. Heri Paſchaſius Queſnel in Notis ad Epiſtolam octogeſimam ſeptimam S. Leonis Papæ contendabat acriter, illam aut ſuppoſititiam eſſe, aut ſaltem interpolatam, præcipue quoad partem, in qua de Lupicino agitur: & in id probandum proſerebat argumentum ſuo judicio *palmare*, atque *inſtar ſexcentorum*. At vero ſtatim Clariſs. Vir Emmanuel a Schelſtrate in Eccleſia Africana Diſſert. 1. Cap. 7. illius exilitatem oſtendit, & vindicavit totam eam Epiſtolam adverſus id paradoxon Queſnelii. Idem Diſſertat. 15. Concilium Zellenſe, & Epiſtolam Siricii Papæ Tractoriam (alii Tractatoriam appellant) contra omniam aliorum ſenſum, præſidenter rejicit, dicens: *Certiſſimum mihi eſt, & Synodum, & Epiſtolam, meram eſſe fabulam, merumque commentum*. Quod variis argumentis perſuadere conatur. Verum iis omnibus ad trutinam expenſis, nullum eſſe pondus demonſtrat idem Schelſtrate Diſſert. 3. Cap. 12. & tandem inquit: *Si ex eo quod monumenta antiqua mutila ſunt* (idem dic, ſi quodammodo vitiata, aut interpolata) *pro eorum ſuppoſitione argumentum deſumere licet; quot Concilia, quot Acta, quæ antiquorum ſcripta abjudicanda erunt? Auctoritatem tamen, licet mutila, obtinent, & obtinebunt apud poſteritatem*.

LXXX. Idem ergo dicendum de Epiſtolis priſcorum Pontificum Collectionis Iſidurianæ receptis a tota fere antiquitate Chriſtiana, & adeo multipliciter comprobatis, ac tam denſa argumentorum copia, mirum ut ſit, tot Catholicos, & eruditos Viros (ne quidquam de heterodoxis dicam) ob quaſdam difficultates, nullatenus inſuperabiles, ex verborum ſordibus, parachroniſmis, aut etiam aſſumentis in tam longo ſæculorum curſu exortas, illarum auctoritatem habuiſſe deploratam, & cauſſam tam piam facile deſeruiſſe. Quod ſi vero illam ſegniter promoviſſe viſus fuero, proderit ſaltem hic conatus meus, ut alii doctiores, & minus implicati aliis occupationibus, colophonem addant, & ſententiam hanc toti antiquitati certam, ſed nunc pene exulantem, orbi literario, veluti poſtliminio reſtituant.

LXXXI. Nec propterea in me recipio tuendam omnium, & ſingularum ex iis γνησιότητα, aut nego in multis earum delectu opus eſſe, ſive propter parachroniſmos, ſive ob quædam interpolationis vehementem ſuſpicionem ingerentia, ſive aliis capitibus. Verum id ſingillatim diſcernere prolixi laboris eſſet, & alienum a ſcopo noſtri Operis, in quo ſola Hiſpaniarum Concilia, & Epiſtolæ præcipuæ Decretales ad illam ſpectantes exhibentur. Eas itaque ſolas propriis locis, quantum licuerit, aſſerere, & vindicare conabor. Hæc itaque in anteceſſum dicta fuerint generatim circa illas, & alias omnes ab Iſidoro collectas, quas in hac Præſatione laudat, & præſertim illam Julii I. in qua plerique offendunt.

LXXXII. Et certe, ſi S. Iſidorus Hiſpalenſis ponatur hujus Collectionis Auctor, uti tempore Hincmari apud Gallias vulgatum erat, & hoc ſæculo non pauci indicare videntur, & nos ipſi ſupra Diſſertat. 1. demonſtravimus; graviſſima irrogatur injuria Sancto illi, & præſtantiſſimo Doctori, ſive illæ Epiſtolæ dicantur ab ipſo ſuppoſitæ, ſive interpolatæ. Sed nec levis nota inuritur cuicumque alteri Iſidoro: cum, quiſquis ille fuerit, tantæ auctoritatis extiterit, ut ab octoginta Hiſpaniæ Epiſcopis, & a pluribus aliis Viris doctis, ac piis, ad id opus in ſe recipiendum compelleretur. Neque enim tot Præſules Catholici, & graves id oneris injungerent, niſi homini in rebus Eccleſiaſticis verſatiſſimo, & probatæ apud omnes fidei. Ac quemadmodum ille integre ac fideliter exſcripſit Concilia eouſque celebrata, præſertim in Hiſpania, & Epiſtolas a Siricio uſque ad Gregorium Magnum, quin ab ullo hactenus mangonii incula-

tus fuerit: ita etiam ſe geſſiſſe cenſendus eſt in exſcribendis veterum Pontificum Epiſtolis, quæ certe, ſi, prout ab ipſo vulgatæ fuerunt, aliquo nævo fœdabantur, non ab illo eam maculam acceperunt, ſed a quopiam alio, ſive imperito, ſive ſciolo. Nominatim vero Epiſtolæ plures veterum Pontificum, in quibus declaratur licita translatio Epiſcoporum de una Eccleſia in aliam, ſi neceſſitas, & utilitas publica interveniat (quarum celeberrima eſt illa S. Anteri Papæ ad Epiſcopos Hiſpaniæ in progreſſu exhibenda) erant celebres in Hiſpania, ſaltem poſt medium ſæculi ſeptimi, quo celebrata fuerunt Concilia Toletana x. & xvi. Siquidem in iis factæ fuerunt aliquot translationes *CANONICE*, ut ibidem dicitur: abs dubio propter illam S. Anteri Epiſtolam, aliaſque ſimiles, in quibus Sedes Apoſtolica id permiſerat, vel probaverat. Unde & obiter evincitur, illas non fuiſſe fabricatas ſub finem octavi ſæculi, aut initium noni ab Iſidoro Mercatore: ſed ſeſqui-ſæculo ante ut minimum inveniri receptas in Toletanis Conciliis.

LXXXIII. Quapropter recentiores, qui ſtylum inciviliter exacuunt adverſus Collectorem earum Epiſtolarum, noverint, dum ſe putant impetere Iſidorum Mercatorem, re vera inſectari S. Iſidorum Hiſpalenſem, Doctorem ſanctiſſimum, & graviſſimum: quem vere collegiſſe Epiſtolas illas a Clemente uſque ad Siricium, & rurſus ab hoc uſque ad Gregorium Magnum, res manifeſta eſt, & late demonſtrata tota Diſſertat. I. Præterea Diſſertat. VII. præſertim Excurſu quinto, conſtabit palam, formulas illas locutionum, quæ in Epiſtolis Iſidorianis veterum Pontificum leguntur circa appellationes ad Sedem Apoſtolicam, cui cauſæ omnes majores, judicia Epiſcoporum, & quæſtiones Eccleſiarum, reſervatæ ſunt; totidem pene verbis extare in Epiſtolis indubitatis aliorum Pontificum quinti & ſexti ſæculi, antiquiorum Iſidoro: qui plane eum ſtylum ex deceſſoribus ſuis mutuaſſe cenſeri debent. Denique pro ampliori confirmatione eorum, quæ hactenus tradidimus, vide plura dicenda inferius Diſſert. VIII. Excurſu quarto.

E X C U R S U S VII.

Quiſnam fuerit interpolator, & vitiator Epiſtolarum earundem: an fortaſſe Theodiſclus ſucceſſor S. Iſidori in Epiſcopatu Hiſpalenſi. Profertur & expenditur teſtimonium nomine S. Ildephonſi Toletani ea de re a Luca Tudenſi Epiſcopo editum. Verum oſtenditur, illud eſſe, aut ſuppoſititium, aut valde ſuſpectum.

LXXXIV. Cum adhuc poſt longam earum Epiſtolarum defenſionem negare non poſſimus, vehementem ſuſpicionem eſſe de mangonio cujuſpiam in iis interpolandis, vitiandis, & texendis multiplici aſſumento ex Scriptoribus poſterioribus deſumpto, reſtat inquirendum, quiſnam fuerit earum corruptor. Porro quod plerique autumant, illum fuiſſe Iſidorum cognomento Mercatorem, alii vero Iſidorum Setabitanum Epiſcopum; jam ſupra Diſſert. I. rejectum fuit, veluti omni ſolido fundamento carens.

LXXXIII. Quapropter rationabilius fortaſſe ſuſpicabitur, aut cenſebit aliquis, eas additiones, ac parachroniſmos, & ἄτοπα quæque, ſive abſurda, germanis veterum Pontificum Iſidorianæ Collectionis Epiſtolis aſſuta fuiſſe ab impiiſſimo Theodiſclo, natione Græco, & ejuſdem S. Iſidori in Sede Hiſpalenſi indigno ſucceſſore:

LXXXVI. Ratio id ſuſpicandi oritur ex teſtimonio S. Ildephonſi Archipræſulis Toletani, oculati teſtis eorum, quæ in Hiſpania gerebantur, non modo tempore S. Iſidori, cujus diſcipulus, aut etiam convictor fuit Hiſpali, ſed etiam poſtea, cum Theodiſclus in ejus locum ſucceſſiſſet. Ildephonſus itaque in continuatione ad Chronicon S. Iſidori (quæ extat Tomo II. Hiſpaniæ Illuſtratæ inter ſcripta collecta a Luca Tudenſi) pag. 53. ita loquitur: *Succeſſit Beatiſſimo Doctori Iſidoro Theodiſclus natione Græcus, varietate linguarum doctus, exterius locutione nitidus: interius autem, ut exitus demonſtravit, ſub ovina pelle lupus rapaciſſimus. Nam Libros quoſdam de naturis rerum, & arte medicinæ, & de arte notoria, quos Pater Iſidorus facundo ſtylo compoſuerat, & needum ad publicum venerant, IN ODIVM FIDEI CORRVPIT, RESECANS VERA, ET INSERENS FALSA: atque per quendam Arabem, nomine Avicennam, de Latino in Arabicum tranſtulit. In iis, ET ALIIS PLVRIBVS, infidelis inventus, & erroneus in articulis Fidei comprobatus, per Synodum ab Archiepiſcopali dignitate degradatus eſt. Aſſerebat enim, Dominum noſtrum JESVM CHRISTVM cum Patre, & Spiritu Sancto, non eſſe unum Deum, ſed potius adoptivum. Hic, ut dictum eſt, privatus honore Sacerdotii, ad Arabes tranſiit, & ſectæ Pſeudo-Prophetæ Mahometi adhæſit, & plura docuit deteſtanda ſub Imperatore Heraclio. Tunc temporis dignitas Primatiæ tranſlata eſt ad Eccleſiam Toletanam.*

LXXXVII. Hactenus S. Ildephonſus, ex cujus teſtimonio valde notando conjectabit quiſpiam, impium Theodiſclum, quemadmodum ſcripta quædam Iſidori deceſſoris ſui *in odium Fidei corrupit, reſecans vera, & inferens falſa*; ſic etiam veterum Pontificum Epiſtolas ritè collectas ab Iſidoro, prout antiquitus extabant, pariter corrupiſſe: tum detractis nominibus verorum Conſulum, ſub quibus datæ fuerant, & aliis pro libito adjectis: tum præterea nonnunquam craſſa, rudique ſoloeciſmis ſtyli barbari; tum etiam nominibus quibuſdam Primatum, Patriarcharum, aliorumque nondum receptorum in Eccleſia primis illis ſæculis: tum denique teſtimoniis Scripturæ juxta tranſlationem S. Hieronymi multo poſtea ſecutam, & aſſumentis mutuatis ex Epiſtolis, & Lucubrationibus Pontificum, ac Scriptorum poſteriorum. Itaque dato quod omnes ii nævi, aut potiùs deformitates intolerandæ, ſint in iis Epiſtolis, nec ulla ceruſſa, aut purpuriſſo occultari poſſint, ut loquitur Philippus Labbè; adhuc tamen tribui non debet præcipuo Collectori S. Iſidoro, qui eas abs dubio protulit, quales invenit in antiquis exemplaribus. Quare oportet, eas adſcribere cuipiam alteri poſteriori, aut præſertim impio Theodiſclo, qui ingreſſus paulo poſt Iſidori obitum in eandem Sedem Hiſpalenſem, tanquam lupus ſub ovina pelle, potuit facilè habere ſcripta omnia S. Doctoris, & ſubinde Collectionem Canonum, & Epiſtolarum ab ipſo factam, & ex iis antiquiores veterum Pontificum

eum interpolare, ac vitiare centonibus aſsutis, aliiſque defectibus, quemadmodum laudati S. Ildephonſi teſtimonio alia Iſidori ſcripta fœdavit, *referant vera, & inſerent falſa*.

LXXXVIII. Verum exiſtimatio prædicta non videtur innixa fundamento ſatis firmo: cum appareant plura creditu difficilia, alia falſa, alia minime cohærentia in eo teſtimonio allegato a Luca Epiſcopo Tudenſi: ut proinde illud nunquam prolatum fuerit a S. Ildephonſo Toletano, ſed aſsutum ab aliquo ſciolo, aut temerario homine, Continuationi ipſius ad Chronicon S. Iſidori. Proponam difficultates occurrentes adverſus narrationem illam, & ſimiliter reſponſiones veroſimiles, quæ adhiberi poſsent; ac tandem concludam quid ſentiendum ſit de Theodiſclo, cui tot mala tribuuntur, & præſertim interpolatio, & corruptio quorundam ſcriptorum S. Iſidori.

LXXXIX. Imprimis ſalivam movet, quod S. Iſidorus dicatur ſcripſiſse librum aliquem DE ARTE NOTORIA. Hujus enim nomine communiter intelligitur quædam ars ſuperſtitioſa admodum, de qua plura Delrius, *De Magia* Lib. 2. Quæſt. 24. & Joannes Alberghinus in Manuali Qualificatorum Cap. 18. Sect. 3. §. 1. Atque illa ipſa creditur eſse, quam explanavit Cornelius Agrippa ſub Titulo *Clavicula Salomonis*. Quis autem credat, S. Iſidorum pietate eximium, ac doctrina præſtantem, elaboraſse tam nefarium ſcriptum.

XC. Hæc tamen objectio eludi poſset, aſserendo, S. Iſidorum ſcripſiſse *De arte notoria*, non ad illam tradendam, ſed potius impugnandam, & relegandam ab animis hominum, qui ipſius ævo dediti erant ſuperſtitionibus in ea traditis. Sic certe Delrius paullo ante laudatus, Libros De Magia edidit, ut eam refelleret. Sic & inter Patres Epiphanius, Auguſtinus, & alii ſcripſerunt Libros de Hæreſibus, nimirum, non ut eas docerent, ſed potius ut impugnarent. Sic denique paſsim SS. Patres, & pii quique Scriptores, edunt Libros De Vitiis, tum in genere, tum in ſpecie, ex fine refutandi, non docendi.

XCI. Fieri etiam potuit, ut Liber *De arte notoria* ſcriptus ab Iſidoro, tractaret de illa, eo modo, ac ratione, qua libera eſse poteſt ab omni ſuperſtitionis, & maleficii nævo: ac ſubinde refutaret quidquid circa illam ab aliquibus impie tradebatur. Sic certe multi cum laude ſcribunt Libros circa artes illas, quæ bene, aut male exerceri poſsunt, probando quædam, & alia improbando. Unde nihil vetat credere, Theodiſclum ei Libro, & aliis de Medicina, ac Naturis Rerum, innocenter ſcriptis ab Iſidoro, aliquid veneni aſperſiſse.

XCII. Majus negotium faceſsit quod ſubditur de Theodiſclo: *Per quendam Arabem, nomine Avicennam, de Latino in Arabicum tranſtulit*. Nimirum prædictos Libros S. Iſidori. Incurrit enim ſtatim in oculos parachroniſmus, quoniam Theodiſclus in eo teſtimonio dicitur Succeſsor S. Iſidori in Sede Hiſpalenſi, paucis annis poſt obitum ipſius, qui contigit anno 636. Avicenna autem celeberrimus Arabum Philoſophus, & Medicus quatuor poſtea ſeculis floruit. Mortuus enim eſt anno Chriſti milleſimo trigeſimo ſexto, ætatis vero ſuæ quinquageſimo ſexto, uti ex accurata computatione Erpenii, & Gutſchonii refert Plempius in Scholio ad Præfationem Canonis ejuſdem Avicennæ, cujus duplicem Librum ex Arabico verſum edidit Lovanii anno 1658. Alii vero obiiſſe dicunt anno 1050. ætatis 58. ut Leo Africanus de Auctoribus Arabicis, & Scaliger in Theophraſtum pag. 15. Qui igitur fieri poteſt, ut Theodiſclus quatuor fere ſæculis retro eidem Avicennæ Librum aliquem Iſidori Arabice interpretandum traderet.

XCIII. Vides difficultatem, cui una videtur eſſe poſſe occurendi via, diſtinguendo duplicem Avicennam, quorum antiquior fuerit σύγχρονος Theodiſclo intra ſæculum ſeptimum, poſterior autem longe poſterior incunte undecimo ſæculo. Sane apud laudatum Plempium, Joannem Marianam ab ipſo laudatum, Joannem Riolanum, & Renatum Moreau, ac Gaſparem a Regibus in Elyſio Jucundarum Quæſtionum campo Quæſt. 2. num. 28. duo Avicennæ diſtinguuntur; & fortaſſe id nomen inter Arabes non uni tantum, ſed diverſis hominibus imponebatur: ut proinde pluribus ante inſignem & notiſſimum Avicennam ſæculis, fuerit alius ejus nominis, pariter Arabs, in Hiſpania, cui Theodiſclus Libros illos Iſidori, nondum eouſque vulgatos, Arabice interpretandos tradiderit. Hæc vero non tam affirmando, quam conjectando, aut divinando ſolum, dicta ſunto.

XCIV. Quid autem dicemus de Synodo illa a S. Ildephonſo memorata, in qua Theodiſclus depoſitus fuiſſe legitur? Etenim in nulla Synodo, aut Concilio totius ſeptimi ſæculi legitur nomen Theodiſcli, neque a quopiam Scriptorum ejus temporis, aut ſequentis uſque ad dictum annum MCC. memoratur, vel illius depoſitio. Et certe ſi illa vere contigit, proculdubio debuit accidere ab anno Chriſti ſexcenteſimo trigeſimo ſexto, in quo obiit S. Iſidorus, uſque ad quinquageſimum ſextum: nam in eo ſpatio viginti annorum celebrata fuere Toletana Concilia V. VI. VII. VIII. IX. & X. interveniente S. Eugenio Præſule Toletano. In nullo autem eorum ſubſcribit Theodiſclus, vel ulla ejus mentio fit. Quin potius in Toletano VI. quod celebratum fuit anno ſexcenteſimo trigeſimo octavo (id eſt, biennio poſt Iſidori obitum) ſubſcribit quarto loco Honoratus Eccleſiæ Hiſpalenſis Epiſcopus. In Concilio Toletano VII. quod legitur celebratum anno quadrageſimo ſexto ejuſdem ſæculi, ſubſcribit ſecundo loco (& quidem ante Eugenium Toletanum) *Antonius Dei miſericordia ſanctæ Hiſpalenſis Eccleſiæ Metropolitanus Epiſcopus*. Idem quoque ſecundo loco ſubſcribit in Concilio VIII. Toletano anni DCLIII. In Concilio IX. nullus Hiſpalenſis Præſul fuit. In X. tandem ſubſcriptus legitur ſecundo loco *Fugitivus Spalenſis Metropolitanus Epiſcopus*. Itaque nullum apparet veſtigium Theodiſcli Præſulis Hiſpalenſis toto eo tempore, nec Synodi coactæ ad illum deponendum. Quin potius conſtare videtur, ſtatim ab obitu S. Iſidori electum fuiſſe in locum ipſius Honoratum, qui ſubſcripſit Concilio Toletano VI. & eo mortuo Antonium, qui interfuit VII. & VIII.

XCV. At enim occurri fortaſſe poſſet aſſerendo, Honoratum fuiſſe quidem immediatum Iſidori ſucceſſiorem, & uti talem ſubſcripſiſſe quarto loco in Concilio Toletano VI. anno

DCXXXVII. Interjecto autem tempore uſque ad annum DCXLVI. quo habitum fuit Toletanum VII. mortuum fuiſſe Honoratum, & electum, ac poſtea brevi ſpatio depoſitum Theodiſclum; non quidem congregato in id Concilio preſſe dicto, ſed veluti Synodo quadam Provinciali, aut Comitiis Epiſcoporum quorundam ad deponendum impium illum, uti hæreticum manifeſtum, immo & apoſtatam a Chriſtiana Fide. Sic, inquam, occurri poſſet, ſed apparenter ſolum, & dumtaxat ad eludendam vim argumenti.

XCVI. Sed ecce Rhodus, ecce ſaltus, ſive nodus haud facilis extricatu, dum in eo teſtimonio dicitur, Theodiſclum, inter alios errores Catholicæ Fidei contrarios, tradidiſſe, *Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM cum Patre, & Spiritu Sancto, non eſſe unum Deum, SED POTIUS ADOPTIVUM* Hinc enim aperte colligitur, præter alia, hæreſim *Adoptivorum* appellatam, quæ Chriſtum negabat eſſe Filium Dei naturalem, & ſolum cenſebat adoptivum, tunc traditam a Theodiſclo Archipræſula Hiſpalenſi, ſimul & damnatam cum ipſo in ea Synodo, ubi depoſitus fuit. Hoc autem videtur falſum omnino: quoniam hæreſis illa Adoptivorum communiter tribuitur Elipando Præſuli Toletano, & Felici Epiſcopo Urgelenſi, qui integro poſt Theodiſclum ſæculo, nimirum pu . medium ſæculi octavi, illam leguntur tradidiſſe, & propterea indignationem Concilii Francofordienſis ſubierunt anno ſeptingenteſimo nonageſimo quarto, ſub Regno Caroli Magni, ut conſtat ex illius Actis. Incred bile autem apparet, Elipandum Toletanum Antiſtitem auſum fuiſſe ex Orco revocare errorem præcedenti ſæculo damnatum cum Theodiſclo auctore ſuo in Hiſpania, & fortaſſe in ipſa Urbe Toleto, niſi vellet palam ejurare Fidem Catholicam, & Neſtorio adhærere, diſtinguendo in Chriſto duplicem perſonam, quarum altera eſſet Filii Dei naturalis, altera adoptivi. Id autem non fuit profeſſus Elipandus, ſed potius palam negaſſe videtur in Symbolo Fidei ſuæ; licet videretur colligi ex ejus doctrina; & ſatis nervoſe colligeret Alcuinus Abbas (non Paulinus Aquilejenſis, ut multi crediderunt (Libro primo contra prædictum Felicem Urgellenſem, initio; ſicuti & Etherius ac Beatus Hiſpani Scriptores ejuſdem temporis, in tribus Libris ad Elipandum ipſum, extantibus adhuc in Bibliotheca magnæ Eccleſiæ Toletanæ inter vetera mſs. (ubi nos ipſum Codicem Gothicum vidimus anno 1685.) & jam editis in Bibliotheca Maxima Patrum Aniſoniana Tom. XIII. pag. 355. & ſeqq.

XCVII. Porro mihi eos Libros ſaltuatim cum attentione aliqua percurrenti ab initio ad finem, nihil omnino contigit legere de Theodiſclo, & multo minus quod ille dixiſſet, Chriſtum fuiſſe Filium Dei adoptivum, aut quod propterea e Sede Hiſpalenſi depoſitus fuiſſet. Nec Etherius & Beatus exprobrant Elipando damnationem Synodalem, & depoſitionem Theodiſcli ob eam cauſſam, quod certe facerent, ſi re vera ita contigiſſet centum triginta circiter annis retro in media Hiſpania. Quare nec mutire auſus eſſet Elipandus contra utrumque, videns ſe convictum de errore Synodice damnato cum ſuo auctore Theodiſclo. Atqui Elipandum non obmutuiſſe, quin potius acriter defendiſſe cauſſam ſuam, & notam hæreſeos regeſſiſſe in eoſdem Etherium, & Beatum accuſatores ſuos, patet ex ipſius verbis, & recriminationibus, quæ extant inter principium, & medium primi Libri ex tribus allegatis col. 16. Bibliothecæ PP. Aniſonianæ pag. 364. præſertim dum ſic illos laceſſit: *Qui non fuerit confeſſus JESUM CHRISTUM adoptivum humanitate, & nequaquam adoptivum divinitate, & hæreticus eſt, & exterminetur. Auferte malum de terra veſtra. Non me interrogant, ſed docere quærunt. quia ſervi ſunt Antichriſti. Hanc Epiſtolam Domini Aſcarici Epiſcopi ideo fraternitati tuæ direxi, chariſſime Fidelis, ut cognoſcas, quanta in Chriſti ſervis regnet humilitas, quanta in diſcipulis Antichriſti regnet ſuperbia.*

XCVIII. Propter rationes prædictas (ut alias miſſas faciam (mihi valde ſuſpecta eſt narratio illa de Theodiſclo, nomine S. Ildephonſi edita a Luca Tudenſi Epiſcopo, & paullo prius ineunte eodem ſæculo tertiodecimo indicata a Roderico Archiepiſcopo Tolatano Libro ſecundo de rebus Hiſpaniæ Cap. 21. ubi loquens de Rege Cindaſvintho, inquit. *Hic a Romano Pontifice obtinuit privilegium, ut ſecundum beneplacitum Pontificum Hiſpanorum Primatiæ dignitas eſſet Toleti, ſicut fuerat ab antiquo, & per multas Synodos cum Epiſcopis celebratas Eccleſiam erudivit..... Libros Sanctorum Patrum diligenter fecit perquiri, & inſtituta Beati Iſidori firmiter obſervari. HIC PERFIDUM THEODISCLUM HISPALENSEM EPISCOPUM ST NODALI SENTENTIA IN EXILIUM MISIT, & dignitatem Primatiæ, quam ab antiquo habuerat, totius approbatione Concilii Toletanæ Eccleſiæ confirmavit.* In qua narratione licet non appareant tot abſurda, & inconvenientia, ac in illa præcedenti, reſtaut adhuc præcipua illorum, ut conſideranti palam erit. Neque ullum invenio veſtigium illius Theodiſcli Præſulis Hiſpalenſis in quopiam Scriptore ſæculi ſeptimi, quo ille vixiſſe dicitur, nec in ullo alio ſæculorum ſequentium uſque ad Rodericum ipſum Toletanum, qui ſexcentis circiter annis poſtea floruit. Quinimmo nec in Chronico Iſidori Epiſcopi Pacenſis, quo memorantur res Hiſpaniæ, & ſpeciatim Epiſcoporum Hiſpalenſium ab initio fere ſæculi ſeptimi uſque ad medium octavi, invenitur quidpiam de Theodiſclo, nec ejus nomen legitur.

XCIX. Quapropter totam illam narrationem circa Theodiſclum ſuſpicor fuiſſe intruſam ab aliquo ſciolo, ſive adulatore Toletanorum Præſulum, duodecimo ſæculo, in exemplar Continuationis Sancti Ildephonſi ad Chronicon S. Iſidori: id vero aſſumentum facile ac libenter admiſſum fuiſſe ineunte ſæculo ſequenti ab Archiepiſcopo Roderico: utpote qui tandiu, & tot modis laboravit pro aſſerendo ſuæ Sedis Primatu in tota Hiſpania, contra quam contendebant acriter, Archiepiſcopus Tarraconenſis ex una, Bracarenſis ex alia, & demum Compoſtellanus ex alia parte: quamvis narratio illius concertationis ipſorum in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. prout edita legitur a D. Loaiſa, ſit valde ſuſpecta, aut etiam fabuloſa, ut Diſſert. IX. videbimus. Rodericum ſecutus fuit paullo poſtea Lucas Tudenſis, ſed minori delectu habito. Hic enim totam illam narrationem intru-

intruſam exſcripſit, prout exhibuimus num. 86. Rodericus autem emunctiori naſo in ea ſubodoratus fortaſſe fuit nonnulla abſurda, & planè incredibilia: quale eſt illud de Arte Notoria ab Iſidoro ſcripta, & de Avicenna Philoſopho. Solum itaque libavit quæ ſpectant ad depoſitionem Theodiſcli e Sede Hiſpalenſi, & translationem Primatus Hiſpaniæ in Eccleſiam Toletanam, quod e re Roderici erat. Uterque autem Scriptor intra idem fere tempus minori curā, quam par eſſet, ſe geſſit in examinanda narratione illa, tot abſurdis, & parachroniſmis obnoxia, ac nullum fundamentum habente in aliquo eorum, qui a tempore S. Iſidori de rebus Hiſpaniæ ſcripſerant, uſque ad initium ſæculi tertii decimi, quo ambo floruerunt. Nec vero Rodericus ad ſtabiliendum Toletanæ Eccleſiæ Primatum, tot ſolidis fundamentis innixum, opus habebat aereo illo teſtimonio circa Theodiſclum Sede Hiſpalenſi dejectum, cujus nullum veſtigium invenitur decurſu quinque ſæculorum, aut ſex, a tempore illo, quo vixiſſe legitur, ſeu potius fingitur. Quin & nimio conatu excludendi Eccleſiam Compoſtellanam a Primatu Hiſpaniæ, quem ille ambiebat ſuo tempore, noluit in Libris ſuis, *De Rebus Hiſpaniæ*, mentionem facere, vel prædicationis, vel ſepulchri, aut translationis S. Jacobi, data abs dubio opera, ne ulla Adverſariis arma miniſtraret: defuitque officio Hiſtorici, ut conſuleret Toletanæ Sedis Primatui, alias firmiſſimis inſtrumentis innixo.

CX. Unde concluditur, vitiatorem, & interpolatorem Epiſtolarum veterum ab Iſidoro collectarum, non fuiſse Theodiſclum illum, utpote qui nequidem in rerum natura fuiſſe perhibetur; ſicut nec Iſidorus Mercator unquam fuit, ut oſtenſum eſt Diſsert. I. Dicamus igitur oportet, ignotum adhuc eſse illum, ſicut & tempus, quo Epiſtolæ ipſæ vitiatæ, & interpolatæ fuerunt. Fortaſſis id contigit ante tempus Iſidori, præſertim ſi quiſpiam in antiquo Codice illarum ad marginem plura addiderit exornationis gratia ex ſcriptis poſteriorum deſumpta, quæ poſtea librarii, aut exſcriptores imperiti, vel ſcioli, in ipſum Epiſtolarum contextum tranſtulerint, & adaptaverint, quaſi totus ille ab uno eodemque auctore prodiiſset. Eo autem ſemel ſtatuto, facile fuit, ut Iſidorus graviſſimis aliis occupationibus diſtentus, exſcriptionem earum Epiſtolarum, prout extabant, commiſerit alicui homini minus erudito, quam oporteret, ad diſcernendum inter ſcripta germana, & ſpuria, ſive originaria, & adſcititia, cujus Critices iis ſæculis expertes erant plerique, aut fere omnes, etiam ii qui docti audiebant. Potuit etiam id facilius evenire eodem modo poſt tempus Iſidori, ob minorem eruditionem ſæculorum ſequentium. Quis vero in ſingulari fuerit ſacrorum ejuſmodi monumentorum depravator, & an dolo, ſeu mala fide, an imperitia exſcriptorum acciderit, ut ea errata in plurimos ſubinde Codices irrepſerint, definire non auſim: ſed nec auſurum credo facile quempiam de cætero, niſi ſit ex genere illorum, qui αἱρεϛαντῶς, ut Ariſtophanæo verbo finiam.

EXCURSUS VIII.

Confirmantur quæ in ſuperioribus tradidimus, auctoritate, & rationibus Cl. Viri Severini Binii, pugnantis pro eiſdem Epiſtolis, veluti germanis, longe majore extenſione, & minore delectu, quam a nobis præſtitum fuerit.

CXI. HActenus licuerit judicium noſtrum proferre, & multipliciter confirmare in defenſionem illarum Epiſtolarum, priſcis Pontificibus adſcriptarum, ſaltem quoad doctrinam earum præcipuam, & veluti capitalem, de Primatu Romanæ Eccleſiæ, de cauſſis majoribus, & judiciis Epiſcoporum eidem reſervatis, ac pluribus aliis capitibus diſciplinæ Eccleſiaſticæ. Sic enim abs dubio ſcriptæ, ac vulgatæ fuerunt ab iis Santiſſimis Pontificibus a Clemente uſque ad Siricium, & conſervatæ tum in armariis Sedis Apoſtolicæ, tum apud plurimas Eccleſias, Epiſcopos, & Presbyteros, Notarioſque in id muneris deſignatos. Non tamen recepimus eas tuendas, aut vindicandas omnino, & κατὰ πόδας, prout extant manuſcriptæ, aut prælo expreſſæ a novem ſæculis circiter uſque modo. Hac enim ratione faſſi ſumus ſæpe, iis aſſumenta, & parachroniſmos, alioſque nævos irrepſiſſe, non Iſidori Collectoris vitio, aut negligentia, ſed cujuſpiam alterius ignoti interpolatoris, aut corruptoris.

CXII. Sed enim doctiſſimi duo Viri, Franciſcus Turrianus, & Severinus Binius, nihil morati objecta Magdeburgenſium Centuriatorum, immo nec Catholicorum plurium, contra auctoritatem earum Epiſtolarum, illam ſuſcepere tuendam fere abſque exceptione ulla, & ſine illo delectu, quem ſervandum præſcripſimus coacti argumentorum pondere. Quare, ut conſtet palam, nos moderate omnino in ea parte locutos, nec defuiſſe legibus Critices ſacræ, & aliquanto magis illius rationem habuiſſe, quam prædictos duos Scriptores; viſum fuit exſcribere verba poſterioris illorum in Notis ad eas Epiſtolas, in quibus prioris veſtigia premit: ut proinde fere idem ſit unius, ac amborum verba proferre. Sic itaque loquitur Binius.

CIII. * *Epiſtolas Decretales antiquitate ſua, & totius mundi reverentia conſecratas, omni gravitate, doctrina, & ſanctitate refertas, teſtimonio, & uſu poſteritatis omnium ſæculorum confirmatas, ſtylo, ac ſermone Apoſtolicis Viris convenientiſſimo exaratas, ſacram Scripturam juxta eum ſenſum, quem tenuit, & tenet ſancta mater Eccleſia, interpretantes, ad martyrium tempore perſecutionis Chriſti Domini noſtri exemplo fortiter ſuſtinendum, ad hæreſes ſui temporis redarguendum utiliſſime ſcriptas, R. P. Franciſcus Turrianus, Societatis JESU Theologus præſtantiſſimus, quinque Libris ſolidiſſime defendit a calumnia Magdeburgenſium, qui eoſdem propter craſſum, ut ajunt, orationis habitum, propter ſuſpicioſam argumentorum ſimilitudinem, propter Scripturas violenter ipſorum judicio citatas, atque indocte, perplexe, & contrarie explicatas, propter formulas citationum ſibi non cohærentes, propter temporum repugnantiam, propter hiſtoriarum falſitatem, propter alienos ritus, propter corruptelam Dogmatum, aliaque hujuſ-*

modi commenta, & præſtigia a nobis infra ſuis locis inſinuata, & reſutata, tanquam commentitias, adulterinas, & ſpurias redarguunt, rejiciunt, omnique auctoritate exuere, & ſpoliare conantur.

CIV. Idque ſane nulla neceſſario urgente de cauſſa. Primum enim ſi ſtyli, argumenti, & materiarum ſimilitudo, ut iſti ajunt, harum Epiſtolarum falſitatem arguere poteſt, ſequeretur, primo, ſacras Canonicas Epiſtolas Paulli, Petri, ac Jacobi falſitatis notam incurrere. Nam ſicut illarum Pontificiarum plurimæ ſcriptæ ſunt de Primatu Petri, de Regno Eccleſiæ Romanæ, de ordinatione Epiſcoporum, de Sacerdotibus non lædendis, accuſandis, ac deponendis, de appellationibus ad Sedem Apoſtolicam interponendis; ita Apoſtolicæ prædictæ ſacræ, & Canonicæ Epiſtolæ, multa de manſuetudine, ac caſtitate, de moderatione ſermonis, de charitate erga omnes, de honeſta converſatione, de vitanda humanę ſapientię jactantia, de pœnitentia ad ſalutem neceſſaria, de proximi temerario judicio fugiendo, de tentatione toleranda, de Magiſtratuum debita obedientia, ſimplici ſtylo ac charactere ſcripſerunt.

CV. Secundo ſequeretur, omnes hujus, ac ſuperiorum ſæculorum Pontificum Epiſtolas, & Diplomata, quæ in publicis archivis per ſtylum, materiam, & argumentum ex lege, & conſuetudine ſibi ſimillima aſſervantur, non eſſe eorum, quibus in titulo inſcribuntur. Quod ſane non mi us abſurdum foret, quam ſi quis ſcriptum Sulpicii ad imitationem Ciceronis evulgatum, Sulpicio adiudicatum, Ciceroni tribueret, vel commentitium eſſe negaret.

CVI. Addo, integras ſæpe ſententias iiſdem plane verbis de Primatu Romanæ Eccleſiæ, de appellationibus ad Sedem Apoſtolicam interponendis, &c. poſteriorum temporum Pontifices ſuis Epiſtolis Decretalibus inſeruiſſe, quas priorum temporum prædeceſſores Pontifices jam ante a ſe ſcriptas p ſteris tradiderunt. Quæ profect priorum ſæculorum ſcriptis Epiſtolis Pontificiis fidem non tantum non adimunt, aut minuunt, ſed potius earu dem auctoritatem mirifice illuſtrant, & confirmant.

CVII. Genus ſermonis inelegantis, &, ut ipſi ajunt, parum Latini, reprehendunt, quod Pliniinu, aut Suetonii, Solini, Taciti, Juſtini, aliorumque iſtius temporis elegantiſſimorum Scriptorum puritate careat, multiſque barbariſmis, & ſolœciſmis ſcateat. In ſpecie haſce phraſes notant. In Epiſt. 1. Clem. ut prælibatum eſt: in 2. Marcelli, ut præfixum eſt: in Epiſt. Clem. 2. De Sacramentis bene intuendis uſque delegavi: in Epiſt. 2. Evariſti, Stephani, & Teleſphori: Epiſcopi ſunt obediendi, non detrahendi: in 2. & 3. Epiſt. Alex. Boni a malis perſequuntur: cavete vos fratres, ne efficiamini participes malis eorum. In 2. Epiſt. Xyſti I. Ab hac Sede a ſanctis Apoſtolis tueri Epiſcopi juſſi ſunt: in Epiſt. Victoris ad Afros: Perlatum eſt ad Sedem Apoſtolicam aliquos veſtros nocere fratres velle: in Epiſtol. Eleuth. Pulſatus ſuper criminibus. In Epiſt. I. Zepyrini: Judicium ordinabiliter habitum. Calliſti II. Anathematizatorum vox nullum nocere poteſt; & plura alia, quæ poſt Magdeburgenſes prolixe congeſſit Robertus Cocus, Anglicanæ Eccleſiæ prædicans miniſter in ſua cenſura, qua Catholicos Scriptores, veros a falſis, & ſuppoſititiis, diſcernere prætendit.

CVIII Verum ſi propter ſolœciſmos, aut barbariſmos, ſermonem ſimplicem, rudem, ac vulgarem, Epiſtolæ Pontificum negari, vel rejici, omnes Epiſtolæ Sancti Paulli Apoſtoli, omnes Veteris, ac Novi Teſtamenti Scriptores ſacri, & Canonici rejiciendi forent. S. Paullus 1. Corinth. 2. de ſe ipſo ait: Et ſermo meus, & prædicatio mea, non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus, & virtutis conſiſtit. In Scriptura ſacra innumeras phraſes, & locutiones inveneris regulis Grammaticæ contrarias. Conſilium erat, Deo auctore, Apoſtolis, eorumque poſteris inſpiratum, ut in rebus ad ſal utem omnium pertinentibus, ſermone, ac verbis imperito vulgo accomodatiſſimis uterentur. Hinc Origenes Lib. 6 & 7. contra Celſum multa adverſus eos Philoſophos diſputat, qui τὸ ἰυτικὸς Scripturæ ſacræ exprobrabant. Idemque tomo 4. in Joannem ſolœciſmos Paulli excuſans, ait: Qui voces diſtinguit, & ſignificata, & res, non offenditur ſolœciſmis. Hac de cauſſa æterna memoria dignum eſſe judicatum eſt, quod ſanctus Spyridion Tremithuntis Cypri Epiſcopus, inſignis ſacræ Fidei Confeſſor, & ſacrarum Scripturarum propugnator, Tryphilium Virum eloquentiſſimum, a ſe per miracula ad Fidem Chriſti jam ante converſum, in Nicæna Synodo perorantem, & loco verborum Chriſti, Tolle grabatum tuum, dicentem: Tolle lectum tuum humilem, non immerito, ut refert Sozom. Lib 1. Cap 11. objurgavit, quod verbis Chriſti uti dedignaretur, & eloquentia efferretur.

CIX. Hinc S Hieronymus, alioquin diſertiſſimus, & elegantiſſimus Scriptor, & Doctor Eccleſiæ, ut in Literis ad Damaſum ſcriptis fatetur, phraſes Scripturæ, quas regulis Grammaticorum repugnantes eſſe non ignorabat, retinere, quam mutare maluit.

CX. Hinc B. Gregorius in Epiſtola ad Leandrum in Commentario libri Job ſic ſtylum ſuum incultum & inelegantem excuſat: Unde & ipſam, inquit, artem loquendi, quam magiſteria diſciplinæ exterioris inſinuant, ſervare deſpexi. Nam ſicut hujus quoque Epiſtolæ tenor enuntiat, non metaciſmi colliſionem effugio, non barbariſmi confuſionem devito. Quia indignum vehementer exiſtimo, ut verba Cæleſtis Oraculi reſtringam ſub regulis Donati: nec enim hæc ab ullis Interpretibus in Scripturæ ſanctæ auctoritate ſervata ſunt. Sicut igitur omnes Scriptores Veteris, ac Novi Teſtamenti, omneſque poſteriorum ſæculorum Scriptores ſacri, in rebus ad Fidem, & mores pertinentibus, ſingulari Dei nutu, ac voluntate, vulgari ſermone uſi fuerunt, ideoque nequidem ab ullo hæretico, etſi redargui, non tamen negari potuerunt; ita Magdeburgenſes, eorumque poſteri cenſores, ac critici Scriptores, horum Apoſtolicorum Virorum ſcriptas Epiſtolas propter ſermonem ſimplicem barbariſmis, ac ſolœciſmis ſcatentem, a regulis Donati, aliorumque Grammaticorum deſciſcentem, non rejeciſſe, negaſſe, & deſpexiſſe; ſed potius tanquam Apoſtolicorum Virorum ſcripta, reverenter acceptaſſe, ſuſcepiſſe, & exaltaſſe oportebat.

CXI. Vulgata editio Novi Teſtamenti, ex qua potiſſima loca Scripturæ deſumpta ſunt, ab Hieronymo non edita, ſed emendata fuit: idea-

ideoqe argumentum contra auctoritatem horum Epiſtolorum a citatis Scripturis, quas Sanctus Hieronymus tranſtuliſſet, mutuatum, nulliuseſt ponderis. Africanæ Eccleſiæ, Nicæni, & Sardicenſis Conciliorum Canones per Donatiſtarum graſſationes, ut infra in Notis Concilii Sardicenſis, verbo, Approbatum, *dicemus, eo tempore necdum innotuerant: quid mirum, omnes haſce Epiſtolas in archivis, & ſcriniis Romanæ Eccleſiæ deliteſcentes non fuiſſe agnitas?*

CXII. *Argumentum a Conſulari chronologia deſumptum, Apoſtolicorum Virorum Epiſtolis nullam fidem, nullamque auctoritatem adimere poteſt: ſi quidem notam Conſularem Epiſtolis Pontificiis, non ipſi Pontifices, ſed alii quidam exſcriptores earumdem non ſatis fideles ſub & obreptitie addiderunt, ut infra ſuis locis ſtendetur.*

CXIII. *Commune exordium primæ a S. Zephyrino, & tertiæ a S Fabiano, aliorumque ab aliis trium priorum ſæculorum Pontificibus ſcriptarum Epiſtolarum, auctoritatem earundem ſi minuat, minuet etiam auctoritatem earum, quæ a Leone Magno, Hilario, Pelagio, aliiſque poſteriorum ſæculoram Pontificibus poſteris relictæ non improbantur, ſed velut authenticæ ab omnibus recipiantur. Tertia Leonis primi cum ſecunda Pelagii collata, ejuſdem initii eſſe reperietur. Hilarii tertia, primo Zephyrini, & tertia Fabiani, unum idemque commune habent principium. Omnes poſteriorum ſæculorum Bullæ Pontificiæ ex ſtylo Romanæ Curiæ concluduntur iiſdem prope verbis hiſce:* Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ declarationis, ſtatuti, ordinationis, &c. infringere, vel ei auſu temerario contraire &c. *Sicut igitur hac de cauſſa propter communem terminandi modum nemo prudens horum ſæculorum Decretales Epiſtolas Pontificias rejicere poteſt; ita propter idem multarum exordium, eoſdemqe multis inſertas ſententias, ac clauſulas antiquorum & primorum Pontificum, Epiſtolæ Decretales a Magdeburgenſibus, eorumque ſequacibus novatoribus, prudenter rejici, & exterminari nequeunt.*

CXIV. *Reliqua objecta nullius ſunt momenti; & ſi quæ ponderis aliquid habere videantur, iſthæc infra ſuis locis movebuntur, & refellentur.*

CXV. Hucuſque doctiſſimus Binius, poſt Franciſcum Turrianum, qui primus adverſus Magdeburgenſes calamum ſtrinxerat pro eiſdem Epiſtolis tuendis, ac vindicandis. Ambo itaque illas fortiter aſſeruerunt; & Binius quidem initio fere hujus ſæculi decimi ſeptimi, eum nondum David Blondellus ex heterodoxis, neque plurimi ex Catholicis eruditiſſimi, variis & exquiſitis argumentis, obſervationibuſque, illas ſuppoſitionis, ſubleſtæ fidei, interpolationiſque, ut minimum, notaſſent. Nos autem preſſi tot difficultatum pondere, mediam viam inivimus in ſuperioribus ſatis explanatam, præſertim num. tot. & tandem concludimus verbis illis Apoſtoli: OMNIA PROBATE: QUOD BONUM EST, TENETE.

CXVI. Iſidoro autem earum Epiſtolarum Collectori, abs dubio Hiſpalenſi Præſuli, Doctori ſanctiſſimo, & ſui temporis doctiſſimo, integer omnino, labiſque purus honor conſtet. Bona etenim fide, accurato ſtudio, ac religione ſacris monumentis debita, colligere curavit, tam Concilia, quam Epiſtolas Decretales uſque ad tempus Magni Gregorii ſcriptas, nullo verbo addito, aut ablato iis, prout ſuo tempore extabant, & ubique fere, aut ſaltem in Hiſpania circumferebantur. Quare ſiqui errores, parachroniſmi, aſſumenta, aut alterius generis nævi in iis ſunt; abs dubio irrepſerant ante tempus S. Iſidori, exſcriptorum incuria, vel auſu cujuſpiam ſcioli, temerariive hominis: aut poſtea acceſſerunt, alicujus negligentia, vel fraude. Quis vero fuerit is falſator, adulterator, corruptor, aut interpolator earumdem Epiſtolarum, & quonam tempore id detrimentum paſſæ fuerint, nemo hactenus detexit, nec facile inveniet.

DISSERTATIO QUINTA

An Epiſtolæ veterum Pontificum Iſidorianæ Collectionis introduxerint in Eccleſia Jus novum, antiquis & ſacris Canonibus contrarium, ob ignorantiam graſſantem octavo, & nono ſæculo.

Quamvis controverſia hæc non appareat neceſſaria, poſt plura, quæ circa illam præmiſimus Diſſertatione præcedenti; viſum tamen eſt eam excitare, ut doctrina ibidem tradita, uberius confirmetur, & honor debitus Romanis Pontificibus octavi, ac noni ſæculi aſſeratur.

EXCURSUS I.

Opinio affirmans quorundam recentiorum accurate expenditur, & refellitur. Vindicantur Patres ſæculi octavi a nota STUPENDÆ ET MISERABILIS IGNORANTIÆ, præſertim ſacrorum Canonum, quam aliqui iis inurere audeat.

II. NOnnulli recentiores cenſent iis Epiſtolis antiquatos fuiſſe ſacros Eccleſiæ priſcæ Canones, & novum Jus obtruſum. Inter illos vero, qui hac de re nuper ſcripſere, recenſendus venit imprimis Illuſtriſs. Archieſcopus Marca Libro tertio *De Concordia Sacerdotii, & Imperii* Cap. 5. ac præterea D Stephanus Baluzius, Vir ſane eruditus, & πολυγραφώτατος, atque ejuſdem Marcæ olim convictor, & ſtudiorum adjutor. Is ergo apertius reliquis opinionem in hac controverſia affirmantem tradit; nec tradit modo, ſed & non ſemel audaciæ notat Sanctiſſimum, & doctiſſimum Pontificem Nicolaum I. quaſi exceſſerit, evertendo antiquum Jus, & intruden-

dendo novum. Non auderem recitare ipſius verba, ſi ore tenus prolata fuiſſent, nec ſcripto expreſſa. Cum autem omnium manibus terantur in Præfatione, quam præmiſit Dialogis Illuſtriſſimi, & doctiſſimi Archipræſulis Antonii Auguſtini, & ſciens ac prudens luci publicæ dedit, juſtum eſt, ut illa palam a nobis exſcribantur, & poſtea ad rationis, & veritatis præſcriptum refellantur. Porro Dialogi ipſi cum Præfatione, & Notis ejuſdem D. Baluzii, editi fuerunt Pariſiis anno 1672. apud Franciſcum Muguetum, & Præfatio ipſa in §§. plures ſecta eſt, quorum aliquos allegare nunc, & expendere oportet.

III. Præmittit §. 1. *Jus Canonicum antiquum uno Codice, eoque non admodum magno, comprehenſum fuiſſe, in quo Canones priſc rum Conciliorum, ac nonnullorum præterea Pontificum Romanorum Decreta continebantur. Eo vero Libro uſam fuiſſe Eccleſiam uſque ad ſæculum Caroli Magni; nam tunc, quaſi aliqua fatali neceſſitate, cum mutarentur Regna, mutatum quoque eſt Jus Eccleſiaſticum: ideſt, antiquo Juri, quod per ſeptingento. & amplius annos valuerat, SUCCESSIT JUS NOVUM EX SUPPOSITITIIS SANCTISSIMORUM ROMANÆ URBIS EPISCOPORUM EPISTOLÆ, AB IMPUDENTISSIMO NEBULONE PSEUDO ISIDORO PROLATIS, COMPACTUM, ET EX NOVELLIS CONSTITUTIONIBUS EORUM, QUI POST CAROLI TEMPUS SEDEM APOSTOLICAM OCCUPARUNT, &c.*

IV. Itaque opinione Baluzii, donec apparuere Epiſtolæ Iſidorianæ priſcis Romanis Pontificibus ſuppoſitæ *ab impudentiſſimo nebulone Pſeudo Iſidoro*, Jus antiquum ſacrorum Canonum, & Conciliorum, atque aliquorum Romanorum Pontificum manſerat intemeratum. Epiſtolis autem iis obtruſis, antiquatum fuit illud Jus, & novum introductum ex ſuppoſititia illarum doctrina.

V. Egregiam porro laudem Eccleſiæ, quæ a ſæculo octavo uſque modo contra antiquos Canones, & Jus venerabile in Conciliis veteribus ſtabilitum, ionixa fuerit novo Juri, inducto fictis, ac ſpuriis Epiſtolis alicujus impudentiſſimi nebulonis! Hoc epitbeto decorat D. Baluzius Eccleſiam Catholicam, cujus communione gloriatur. Sed debuiſſet profecto V. Cl. aliter judicare, & loqui. Sane quotquot Romani Pontifices, quotquot Concilia, & Patres longe ante tempora Caroli Magni, Fidem, & rectam doctrinam in Eccleſia Romana non defecturam collegerunt ex pollicitationibus Chriſti Petro factis, & crediderunt, portas inferi non prævalituras adverſus eam; aliter ſentirent, ac loquerentur, etiam circa Jus Canonicum, ſive Canones Dei Spiritu conditos, & totius mundi reverentia conſecratos, ut inquit S. Leo Papa. Horrerent, ſi audirent, venturum tempus, *& quaſi fatalem neceſſitatem*, ut tota Eccleſia regeretur novo aliquo Jure, cuntrario iis ſacris Canonibus, & orto ex farragine, ac quiſquiliis alicujus impudentiſſimi nebulonis.

VI. Expendant quæſo omnes Viri docti, & pii, quotquot intra ſinum ſuum Romana Eccleſia complectitur, an in ea opinione, & verbis non lædatur ipſius honor; quamvis idem Auctor, re vera Catholicus, nihil minus cogitaverit. Sed fortaſſe religioni non duxit ita ſcribere, aut abductus immoderata criſi, qua excedunt recentiores aliqui circa ſacra quælibet antiquitatis monumenta, aut præoccupatus nimio Gallicanarum libertatum amore, qui vel Catholicos, & eruditos homines exerrare facit, & quodammodo oblivisci Sedis Apoſtolicæ, quam ſe colere teſtantur, iis theſibus, & ſupremorum Parlamentorum aliquot Decretis in Gallia editis, quæ (teſte Marca ipſo Archipræſule eruditiſſimo, & Regio Miniſtro, in Libello Barcinone edito anno 1646) *CATHOLICÆ ECCLESIÆ DIGNITATEM SUMMOPERE LÆDUNT*. Ut nihil nunc dixerim de immani convicio, quo Iſidorus Collector Canonum ſub cognomine illo MERCATORIS plane ὑποβολιμαίῳ, & ex incuria librariorum obtruſo, admodum infamatur: Vir certe, quicunque is fuerit, tota Hiſpania ſuo ſæculo venerandus, & cui octoginta Hiſpani Epiſcopi, ob inſignem doctrinam, & exactam Canonum peritiam, eam Collectionem in ſe recipere, non rogarunt modo, ſed coegerunt, ut in ſuperioribus conſtitit.

VII. Pergit D. Baluzius §. 11. *Jus iſtud novum, quo exarmata ſunt Jura, ut Tertulliani verbis utamur, introductum fuiſſe diximus ævo Caroli Magni, favorabili videlicet, ſi unqaam alias, tempore, OB MAGNAM CONFUSIONEM, QUÆ IN POLITIAM ECCLESIASTICAM INVECTA ERAT, EX STUPENDA, AC MISERABILI EPISCOPORUM, RELIQUORUMQUE CLERICORUM INSCITIA, ET VETUSTORUM CANONUM IGNORANTIA. In hac igitur rerum perturbatione emerſere famoſæ illæ, ac nobiles Epiſtolæ, quæ priſcis Pontificibus Romanis tribuuntur, in hunc terrarum Orbem delatæ a Riculpho Archiepiſcopo Moguntino, ſeu is tum Epiſcopus erat, ſive poſtea ad eam Cathedram conſcendit. Perculerunt illæ omnium animos ſua nova antiquitate, & quia ſanctiſſimorum Epiſcoporum nomina præferebant. Hinc ſuborta in animis hominum religio, fas non eſſe dubitare de Jure, quod in his ſacræ antiquitatis monumentis continebatur. Ex eo deinde factum, ut veteres Conſtitutiones, id eſt, veneranda priſcorum Conciliorum Canones, & authentica veterum Apoſtolicæ Sedis Pontificum Decreta, quorum per tot annos maxima fuerat auctoritas, in contemptum paullatim venerint, noviſque iſtis magnus honor habitus ſit; ut in Epiſtola XXVI. ad Nicolaum Papam ſcribit Hincmarus Rhemenſis Archiepiſcopus.*

VIII. In iis quoque verbis apparet haud levis injuria adverſus Catholicos ſæculo octavo, & nono, tempore Caroli Magni viventes, non modo vulgares, & e media plebe, ſed Epiſcopos quoque, ac reliquos Clericos, quos ait laboraſſe *ſtupenda, ac miſerabili inſcitia, & ſacrorum Canonum ignorantia*. Bene cum iis actum eſſet, ſi vel unus e nuperis Criticis liberioribus eo ſæculo viveret, tanquam *magiſter infantium, lumen eorum, qui in tenebris ſunt*, ut Apoſtoli verbis loquar. Sed qui non floruerunt eo ſæculo, ut ex imperitis doctos facerent,

nunc

nunc poſt integram ſere annorum chiliadem laborant, ut omnes ii miſere rudes, & ignorantes fuerint, cum tamen plurimi utroque eo ſæculo, & toto Caroli Magni tempore, ſicut & ſequenti, extitiſſe inveniantur doctrina, ſicut & pietate præcellentes, nec pauci ſacrorum Canonum egregie periti.

IX. An imperitus S. Gregorius II. Papa cognomento Junior, qui floruit uſque ad annum 731.? Porro illum Latini omnes eximiis laudibus celebrant, ob inſignem ſanctitatem, & doctrinam: ut propterea Spondanus ad eundem annum §. 1. præeunte Baronio, dixerit de illo: *Cujus ſi ſcripta extarent, reſque ab eo geſtæ intelligentius exaratæ eſſent, Gregorio Magno haud minorem exiſtimaret*. Græci quoque illum elogiis in Cælum efferunt, veluti Theophanes ad ann. XIII. Leonis Imperatoris, & Zonaras, ac Cedrenus ad annum illius 4. ubi de Gregorio ipſo, inter alia, ait: ὃς διὰ τὰ ὑπ' αὐτοῦ γινόμενα πονήματα Διάλογος ἐκλήθη. *Qui ob lucubrationes elaboratas Dialogi cognomen obtinuit*. Nimirum, cognomen ipſum Magni Gregorii apud Græcos, tanquam ſuppar. Nec vero tantus Pontifex, ob heroicas virtutes, & ſapientiam dignus, ut albo Sanctorum ab obitu fere adſcriptus ſit, aut eum ignorantiæ ſtuporem paſſus eſt, aut ſuo tempore pateretur, Jus antiquum ſacrorum Canonum peſſundari, invecto in ejus locum alio novo Jure ex quiſquiliis alicujus impudentiſſimi nebulonis. Diceret, nimirum, quod laudatus Gregorius I. lib. 7. Epiſt. 1. *Ante paratior ſum mori, quam B. Petri Apoſtoli Eccleſiam meis diebus degenerare*, Idipſum fere dicendum de aliis Pontificibus Romanis poſterioribus intra idem ſæculum, qui doctrina, & pietate fulſerunt, quales ſpeciatim fuere, Gregorius III. uſque ad annum 741. S. Zacharias uſque ad 752. Stephanus III. (nam Stephanus II. ſolum vixit quatuor dies) uſque ad 757. Paullus I. uſque ad 768. & Hadrianus I. ab anno 772. uſque ad 795. Hi omnes continuata ſerie, tam ab antiquis, quam a recentibus Hiſtoricis, plurimum laudantur propter ſanctitatem ac doctrinam, ut proinde nemo eorum ſine atroci injuria dici poſſit laboraſſe ea pingui ignorantia ſacrorum Canonum, aut peccaſſe per negligentiam in iis ſervandis. Lege Anaſtaſium Bibliothecarium, Theophanem, Zonaram, Cedrenum, Rheginonem, Hermanum, Sigebertum, & reliquos Hiſtoricos graves, qui eorum Vitas, ac res geſtas ſcriptis tradiderunt, cum ingenti uniuſcujuſque eorum laude. Ac nominatim circa Hadrianum I. qui Capitula Sedis Apoſtolicæ in Epiſtolis Prædeceſſorum ſuorum contenta collegit, & Carolo Magno tradidit, vide plura infra Diſſert. VII. Excurſu 1. præſertim num. II.

X. An imperitus Venerabilis Beda, qui inſigni ſanctitatis, & doctrinæ opinione in Eccleſia fulſit, vel uſque ad annum ſeptuageſimum ſextum ejuſdem ſæculi octavi, ut Baronius cenſet, vel ſaltem uſque ad 35. ut vult Philippus Labbè in Diſſert. Hiſtorica, *De Scriptoribus Eccl.* Tomo 1. pag. 183. & recentius adhuc Joannes Mabillon Tomo III. *Seculorum Benedict.* pag. 549. ex teſtimoniis veterum, ac præſertim Simeonis Dunelmenſis, ſeu potius Turgoti? Quid dicam de ſanctis Anthelmo, Marcellino, Joanne Damaſceno, Andrea Cretenſi Archiepiſcopo, Germano Patriarcha Conſtantinopolitano, Heddio Stephano, Egberto Cantuarienſi Archiepiſcopo, Anaſtaſio Abbate S. Euſebii in Palæſtina, & Bonifacio Germanorum Apoſtolo, intra idem ſæculum doctrina & ſanctitate florentibus? Quid de Paullo Diacono, Paullino Aquilejenſi, Ambroſio Ansberto, Albino Alcuino, aliiſque pluribus ejuſdem octavi ſæculi Scriptoribus, quorum Catalogum texuerunt, aut lucubrationes indicant, qui recentius ea de re tractarunt, ac noviſſime V. CL. & eximie eruditus, Caſimirus Oudin, ex Ordine Præmonſtratenſi, in aureo ſuo Supplemento, de Scriptoribus Eccleſiaſticis a Bellarmino omiſſis? Quid de Patribus Conciliorum ejus temporis, præſertim Francofordienſis, contra Felicem, & Elipandum coacti anno 794. Quid de Etherio Epiſcopo Uxamenſi, ac Beato, qui eodem fere tempore in Hiſpania Adoptivorum hæreſim dictam doctiſſime inſectati ſunt? Peccat itaque plurimum Baluzius, dum Epiſcopis, & Clericis reliquis generatim, *ævo Caroli Magni* (ideſt, majori parte ſæculi octavi, & non exigua noni) *ſtupendæ ac miſerabilis ignorantiæ* teterrimam notam inurit.

XI. Præterea, eodem ſæculo octavo floruerunt ſanctitate plurimi alii, quorum Vitas recenter laudatus Mabillon duobus vaſtis voluminibus exhibet e ſola Religione S. P. N. BENEDICTI: & plures, quorum Acta apud Bollandum, eiuſque Continuatores habentur, & quotidie prodeunt: ut nihil dixerim de aliis Scriptoribus eius ſæculi, quorum Opuſcula, Tractatus, Libri, & monumenta, his temporibus inventa fuerunt, & paſſim deteguntur, ac publica luce donantur; alia vero ſervantur adhuc in antiquis Bibliothecis, præſertim inſignioribus, tum Græca, tum Latina. Quis igitur non ducat religioni, affricare labem *ſtupendæ, ac miſerabilis ignorantiæ* illi ſæculo ſatis feraci doctorum hominum, & Sanctis, ac cœlo & terræ probatis Viris abundanti?

XII. Nec certe ii, præſertim Romani Pontifices, docti, ac pii, paſſi fuiſſent toti Eccleſiæ obtrudi ſuppoſititias, vel apocryphas veterum Sedis Apoſtolicæ Præſulum Epiſtolas, præſertim contrarias ſacris Canonibus Dei Spiritu conditis, & totius mundi reverentia conſecratis. Multo autem minus putandum, totam Eccleſiam, quæ Deo, & Chriſto Jeſu ſemper cordi fuit, & eſt, fulta ipſius pollicitationibus, & protectione aſſidua, tam miſere, & profunde lapſam fuiſſe, ut propter ſubitarias quaſdam, aut repente fictas veterum Pontificum nomine Epiſtolas, desereret Jus Canonum antiquum, abjiceret tot ſæculis receptas Eccleſiæ leges, & aliud novum Jus amplecteretur, non ab ipſa Sede Apoſtolica conditum, ſed a quopiam nebulone obtruſum.

EX-

EXCURSUS II.

Uberior opinionis ejuſdem refutatio quoad Patres, & præſertim Pontifices Romanos ſæculi noni: quorum pietas, & doctrina oſtenditur alieniſſima ab ea ignorantiæ labe, & negligentiæ, in ſervandis, & tuendis Canonibus ſacris.

XIII SEd forſan D. Baluzius, præeunte Archipræſule Marca Libro 3. *De concordia Sacerdotii, & Imperii*, Cap. 5. eam *ſtupendæ & miſerabilis ignorantiæ* labem non tam adſcribet ſæculo octavo, quam nono, cujus initio cœpit ubique terrarum evulgari Collectio Iſidoriana, opera Riculphi Præſulis Moguntini, qui primus ex Hiſpania illam invexit in Germaniam, ac finitimas regiones, juxta Hincmarum Rhemenſem in Opuſculo adverſus Laudunenſem Cap. 24.

XIV. At id effugium inane erit. Nam imprimis argumenta a nobis propoſita ex ſanctitate, & auctoritate Eccleſiæ Catholicæ, Chriſti pollicitationibus innixæ, æque urgent omni tempore. Unde Chriſtus Dominus jam jam in Cælos aſcenſurus, *nec metas rerum, nec tempora ponit*, dum inquit: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi*. Quod non ſolum de præſentia Chriſti, ut Dei, ſecundum immenſitatem, accipiendum: nam juxta illam omnibus locis & rebus communiter ac ſemper adeſt: verba autem illa peculiare aliquid erga Eccleſiam ſignificant. Id autem præcipue ſitum in eo eſt, ut illam Chriſtus ſpeciatim regat, nec unquam patiatur, aut ſinat, ut a vera Fide, & doctrina ſana recedat, vel eum ignorantiæ ſtuporem patiatur, ut abjectis ſacris Canonibus, Spiritu Dei conditis, & totius mundi reverentia conſecratis, novum Jus, novas leges ab aliquo nebulone inductas, excipiat, & ſequatur communiter. Et certe D. Baluzius videtur hallucinari in ea parte, dum loco citato §. IV. cenſet, Ingilramnum Archiep. Meten. primum omnium mortalium contra Divinos Canones tentaſſe convellere Jus antiquum, *quando pro ſui cauſſa agebatur*. Nimirum interpoſita appellatione ad Papam Hadrianum I. & oblatis ipſi Capitulis collectis ex novitiis veterum Pontificum Epiſtolis. Etenim multo antea Hadrianus Papa Capitula prædicta tradiderat Carolo Magno anno 774. ut infra num. 24. oſtendemus, veluti rem omnino certam; & conſtat ex Tomo IV. editionis Conciliorum Labbeanæ col. 1800. & ſeqq. Inter ea vero Capitula, ſunt etiam Sardicenſes Canones tertius & quartus, qui ea de re agunt. Deinde autem multis poſt annis idem Hadrianus tradidit Capitula Ingilramno, nimirum 13. Kal. Octobris, Indictione nona, anno 785 *quando pro ſui negotii cauſſa agebatur*; ut habetur Tomo IV. citato col. 1828. Igitur ante litem illam Ingilramni, ac multo ante initium noni ſæculi, & longe priuſquam Riculphus ex Hiſpania deferret Collectionem Iſidori, circumferebantur Epiſtolæ illæ, & inductum fuerat Jus, opinione Baluzii novum, ſed reipſa vetus, in Concilii Sardicenſis Canonibus tertio, & quarto declaratum, ut ſuo loco oſtendemus.

XV. Quod ſi vero ad ſanctos & doctos Viros ejuſdem noni ſæculi oculos convertamus, multo plures fortaſſis occurrent, quam octavo præcedenti. Neque in id oſtendendum oportet tempus impendere: cum palam videatur conſtare ex omnibus iis, qui Vitas Sanctorum utriuſque ſæculi proferunt. Vel ſola Bibliotheca VV. Patrum editionis noviſſimæ apud Aniſſonios anni 1677. in id comprobandum ſufficit: quæ tria vaſta volumina, ideſt, XIV. XV. & XVI. exhibet lucubrationum variarum, quas Patres noni ſæculi in lucem ediderunt, præter plurimas alias diverſis & integris Libris ſparſas.

XVI. Et, ut aliqua ſpeciatim libem, patieturne Baluzius imperitorum vulgo accenſeri Agobardum Epiſcopum Lugdunenſem, & Servatum Lupum Abbatem Ferrarienſem (quorum Opera ipſe recudit, ac Notis illuſtravit) *ac miſerabilis, & ſtupendæ ignorantiæ*, præſertim ſacrorum Canonum, notari? Quid ſi eadem macula aſpergatur Epiſcopis Jeſſe Ambianenſi, Theodulpho Aurelianenſi, Claudio Taurinenſi, Leidrado ſeu Leiduardo, & Amoloni Lugdunenſibus, Halithario Cameracenſi. Freculpho Lexovienſi, Prudentio Tricaſſino, Adoni Viennenſi, & Remigio Antiſiodorenſi? Quid ſi eodem convicio infamentur Benedictus Abbas Anianæ, Adalhardus Abbas Corbejæ, Anſegiſus Abbas Fontanellæ, uterque Smaragdus, Hincmarus Archiep. Rhemenſis, Dungalus Diaconus, Amalarius Fortunatus, Eccleſia ipſa Lugdunenſis, ejuſque Diaconus Magiſter Florus? At ii omnes initio, ac progreſſu ejuſdem noni ſæculi in media Gallia florebant, & ſcribebant: ac nonnulli quidem poſtea in catalogum Sanctorum relati perhibentur.

XVII. Mitto Paſchaſium Rathbertum Abbatem Corbejæ doctiſſimum, Ratramnum, ſeu Bertramum ejuſdem Monaſterii aſcetam, Rhabanum Maurum Archipræſulem Moguntinum, ejus ſæculi oraculum, & quoſdam alios, aut Gallos, aut Gallis conterminos, veluti Uſuardum, Lugderum, ſive Liudgerum Epiſcopum in Vveſtphalia, Arnonem Archiep. Saliſburgenſem, Amalarium Trevirenſem, Vvalafridum Strabonem Abbatem Augiæ-Divitis, Rudolphum Monachum Fuldenſem, alioſque plures, quorum ſcripta noviſſime indicat laudatus Oudin inter Scriptores ſæculi noni, poſt D'Acherium, Ducheſnium, Sammarthanos, Labbeum, Mabillonem, & Baluzium ipſum. Nec memoro doctiſſimos illos Patres, qui toto eo ſæculo in Gallia celebrarunt tot Concilia, longa indicatu, & multa quidem ex iis graviſſima, quæ legi poſſunt uberius quam alibi in editione Pariſienſi anni 1672. Tomis VII. VIII. & IX. Sane quiſquis attentius legerit multa ex iis, inveniet, Epiſcopos illos diu multumque verſatos fuiſſe in ſacris Literis, Eccleſiaſtico Jure, & ſcriptis Sanctorum Patrum, præſertim Magni Auguſtini: cujus mentem exquirere ſtuduerunt, præſertim in celebribus illis controverſiis circa dogmata Gotheſcalci: de quibus non pauca diximus in *Defenſione Cathedræ S. Petri* Diſp. IX. ſect. 4. & plura adhuc To. III. Theologiæ S. Anſelmi Diſp. CXV. ſect. 4. 5. & 6. Quis ergo audeat tot inſignes Viros intra Galliam exiſtentes eo ſæculo (ut nihil dixerim de aliis pluribus extra Galliam) arguere *ſtupendæ, ac miſerabilis inſcitiæ, & ſacrorum Canonum ignorantiæ*?

XVIII. Denique ſi conſideremus Romanos Pon-

Pontifices ejuſdem ſæculi noni, occurrent plerique, aut fere omnes, ſanctitate, vel doctrina illuſtres, aut utroque ſimul nomine: qui certe non paterentur, ſuo ævo aboleri Jura veterum ſacrorum Canonum, & nova alia obtrudi a quopiam obſcuro, & ignobili homine. Poſſem id comprobare certis, & fide dignis veterum Hiſtoricorum teſtimoniis, ac nominatim ex Anaſtaſio Bibliothecario, ejus ſæculi Scriptore gravi & fide digno. Verum hoc loci unus ſufficiat, iſque minus æquus erga PP. Romanos, Bartholomæus Platina, ille ipſe, cui, ut accinit Sannazarius,

. . . . vitaſque, obituſque notare
Pontificum, argutæ lex fuit hiſtoriæ.

XIX. Sumo itaque initium a Leone III. qui initio ſæculi noni Pontificatum gerebat ab anno 795. & in eo perſtitit uſque ad annum 816. Quid de illo Platina? *Leo III.* inquit, *patria Romanus, Patre Azzupio, Pontifex creatur, ac merito quidem. Ab ineunte enim ætate ita erat educatus, & eruditus diſciplina Eccleſiaſtica, ut dignus eſſet, qui cæteris anteferretur. Fuit præterea Vir caſtus, integer, pudicus, facundus, doctarum Virorum ita amator, ut eos undique ad ſe præmiis alliceret, eorumque conſuetudine mirum in modum delectaretur: Præterea vero ægrotos viſere, eoſque ad patientiam adhortari, eleemoſynas indigentibus præbere, deſperatos conſolari, errantes in viam rectam reducere prædicationibus, QUIBUS PLURIMUM OB ELOQUENTIAM ET DOCTRINAM VALEBAT, ei peculiare fuit.* Mitto reliqua ejuſdem elogia, quæ attexit, & iis adjicio teſtimonium Breviarii Romani ad uſum Venerabilis Capituli ſacroſanctæ Baſilicæ Vaticanæ editi, in quo habetur: *Die 12. Junii S Leonis III. Papæ, & Confeſſoris, Officium duplex.* Deinde Lectio VI. ſic habet: *Cum ab impiis erutis oculis, & confoſſus vulneribus, ſemivivus relictus fuiſſet, poſtridie per inſigne miraculum ſanus inventus eſt, iiſdemque parricidis vitam precibus obtinuit.* Tantus itaque Pontifex Eccleſiam rexit primis ſexdecim annis ejus ſæculi, cujus initio ait Baluzius poſt Marcam, invectam fuiſſe Collectionem Iſidorianam ex Hiſpania in Germaniam, & finitimas provincias, & ſubinde corrumpi, aut abrogari cœpiſſe antiqua ſacrorum Canonum Jura. At quomodo id ferret tam pius, tam doctus, tam amator Virórum eruditorum Pontifex? præſertim tam amicus Caroli Magni, rerum potientis, & literarum amantis, ac religioſiſſimi Principis, quem ipſe Romæ Imperatorem ſolenni ritu coronaverat anno 800. Sane nec Pontifex talis, nec tantus Imperator, ſuo tempore paterentur, in Eccleſia oriri, aut continuari malum adeo exitiale.

XX. Leoni III. ſucceſſit ἀμέσως Stephanus IV. anno ipſo 816. de quo Platina: *Erat ex nobili genere ortus, TANTÆ DOCTRINÆ ET INTEGRITATIS, UT FACILE APUD OMNES SANCTITATIS NOMEN NANCISCERETUR. Quippe qui ſub duobus ſanctiſſimis Viris, Hadriano, & Leone educatus, rationem bene, ac beate vivendi didicerat.* Denique poſt plura alia: *Sanctiſſimus Pontifex ad Urbem rediens, ſeptimo Pontificatus ſui menſe vita functus in Baſilica Petri ſepelitur.* Quis credat, ſub aliquo ex iis tribus doctis, & ſanctiſſimis Eccleſiæ Præſulibus (nimirum ab anno 772. in quo electus fuit Hadrianus I. uſque ad annum 817. in quo Stephanus IV. obiit) corruptionem Juris Eccleſiaſtici ortam, & impune graſſari permiſſam?

XXI. At inquies, id contigiſſe ſub Paſchali I. qui Stephano ſucceſſit. Bene. Sed auſculta Platinam ipſum. Cum enim initio præmiſiſſet, non ſponte ſua, aut ambitu ſe ingeſſiſſe, ſed vi compulſum fuiſſe ad recipiendum honorem ſummi Pontificatus, & plura alia de more interjeciſſet, ſubdit: *Paſchalis itaque, quem Stephanus, OB EJUS VIRTUTEM, ET DOCTRINAM, dum viveret, Monaſterio Beati Stephani Martyris in Vaticano præfecerat, Pontificatum iniens, & Corpora Sanctorum minus religioſe jacentia in Urbem cum maxima veneratione introducta honeſtiore loco recondidit, & captivos, perſoluto creditoribus pretio, e vinculis liberavit.* Deinde poſt plura ejuſmodi geſta narrata, pietatis plena, concludit: *Qui non ita multo poſt, nullo religionis, pietatis, humanitatis, benignitatis exemplo prætermiſſo, ſeptimo Pontificatus ſui anno, menſe tertia, die 17. moritur, ſepeliturque in Baſilica Petri.* Tantum Eccleſiæ Pontificem dormitaſſe credas, aut negligenter ſe habuiſſe, ſi omnia ſacrorum Canonum Jura ſuo tempore convelli, aut antiquari cerneret?

XXII. Sed quid ſi Eugenius II. qui ſtatim ſucceſſit anno 824. eam labem in Eccleſia admiſerit? Verum immunem ab ea ſatis profert laudatus Auctor, dum initio ait de illo: *TANTÆ RELIGIONIS, SANCTITATIS, DOCTRINÆQUE FUIT, ut omnium conſenſu Pontifex crearetur.* Et poſtea: *At Eugenius dignitate corporis, & præſtantia animi inſignis, ſpretis rebus omnibus humanis, vel potius fortunæ bonis, ad munificentiam, & liberalitatem converſus &c.* Denique ſubdit: *Moritur Pontifex optimus, collacrymantibus omnibus, & ſuam vicem patius, quam mortem ſanctiſſimi Viri dolentibus, cum mors ei ad felicitatem via optatiſſima eſſet.* At non ita certe, ſi videret ſacros Canones palam in tota Eccleſia convelli, introductis aliis dolo cujuſpiam nebulonis, nec tamen id malum vitare, aut eradicare ſtuderet totis viribus uſque ad ſaguinem.

XXIII. Fortaſſis recurres ad Valentinum Eugenii ſucceſſorem, electum anno 827. At quam inaniter id conjicias, apparebit ex ipſo Platina: *Valentinus,* inquit, *patria Romanus, patre Leontio, tantæ virtutis, & ſanctitatis fuit, ut nondum Presbyter, ſed Diaconus ſummum Pontificatus gradum meruerit. Nec mirum, quippe cum apud Paſchalem, & Eugenium, Viros ſanctiſſimos, ET DOCTRINAM, ET RATIONEM BENE, AC SANCTE VIVENDI, a teneris annis uſque ad maturam ætatem didicerit. Non ludis, non jocis, aut voluptatibus intentus, ut plerique omnes adoleſcentes facere conſueverunt: SED DOCTRINAM, ET BEATE VIVENDI NORMAM, EX LECTIONE VETERUM, ET EXEMPLO SANCTORUM PONTIFICUM SUMENS. FUIT PRÆTEREA IN HOMINE TANTA INGENII DEXTERITAS, TANTA ELOQUENTIA, ut facile quod vellet, ſuaderet, & diſſuaderet: nihil*

niſi ſanum, & quod doctrinam ſaperet, ac modeſtium, proponens. Poſtremo autem pietate, clementia, liberalitate, tum in vita privata, tum in Pontificatu, NULLI MAJORUM SECUNDUS EST HABITUS. Verum iis omnibus eſſet poſthabendus, immo & nullius pretii reputandus, ſi vice antiqui, & venerabilis Eccleſiæ Juris paſſus fuiſſet novum aliud, & contrarium in ea obtrudi ab impudentiſſimo nebulone Pſeudo-Iſidoro, ut luquitur D. Baluzius.

XXIV. Videamus, an forte ea nota inurenda ſit Gregorio IV. Valentini ſucceſſori. Sed tamen ille, teſte Platina, fuit *nobilitate inſignis, SANCTITATE CLARUS, DOCTRINA ET ELOQUENTIA PRÆCIPUUS, diligentia, ac ſolicitudine, tum in rebus Divinis, tum in humanis, admiratione dignus. Nam & populi commoda mirum in modum curavit, divites in officio continendo, pauperes paſcendo, deſperantes ſolando, errantes ſanis admonitionibus in viam rectam deducendo. Eccleſias quoque multas vetuſtate collapſas reſtituit. Electos in ſortem Domini doctrina, & exemplo, quoad vixit, in officio continuit &c.* Quid commercii, quæſo, habent tot dotes animi, & virtutum decora, cum fœdiſſima illa ignorantiæ, & negligentiæ macula, quam Dominus Baluzius affricat Epiſcopis, & Clericis noni ſæculi? Porro Gregorius IV. anno 16. ſui Pontificatus, Chriſti vero 844. humana poſuit, celebri pietatis, & doctrinæ nomine relicto. Unde obiter refellitur opinio Archipræſulis Marcæ Lib. 3. de Concordia Sacerdotii, & Imperii Cap. 5. ubi ait: *Antiquo Juri univerſalis Eccleſiæ aſſenſu roborato, ſucceſſit JUS NOVUM, quod ab anno 836. publicari cœpit.* Nimirum, medio tempore Pontificatus Gregorii IV. Verum a quonam, rogo, publicatum fuit *Novum Jus*? a Gregorio ipſo, an a Ludovico Pio, qui tunc rerum potiebatur? Sed certe a neutro ex iis. A quonam igitur? Ediſſerat nobis aut Marca ipſe, aut hyperaſpiſtes ejus Baluzius. Quod cum neuter hactenus fecerit, totum id cenſendum paradoxon e ſolo cerebro fabricatum. Quomodo etiam Jus novum publicari cœpit anno 836. ſi longe antea Ingilramnus Epiſcopus, & ſubinde Hadrianus I. Papa illud in Capitulis ſuis vulgaverat, teſte ipſo Baluzio §. IV. Quin & Capitula ipſa ab Hadriano Papa fuiſſe tradita Carolo Magno anno 774. conſtat ex editione illorum apud Sirmondum, & Labbeum. In iis autem continetur Jus illud, quod Marca, & Baluzius appellant novum. Hoc igitur non anno 836. publicari cœpiſſet, ſed longe antea ſexaginta annis, nimirum Chriſti DCCLXXIV. ſi vere Jus novum eſſet. Non ergo tempore Gregorii IV. Porro hic in Epiſtola ad Epiſcopos Galliæ, & Germaniæ &c. quæ extat in Collectione Labbeana Tomo VII. col. 1571. non novo aliquo Jure, ſed antiquo, pronuntiat: *Majora negotia, & difficiliorum cauſſarum exitus, Sanctorum Patrum CANONES SPIRITU DEI CONDITI, ET TOTIUS MUNDI REVERENTIA CONSECRATI, JUBENT SUB NOSTRÆ SENTENTIÆ EXPECTATIONE SUSPENDI.* Quid illuſtrius?

XXV. Succeſſit poſt quindecim dies Sergius II. quem Platina teſtatur, *ex illuſtri familia ortum, nequaquam a majoribus ſuis degeneraſſe, adjuvantibus ejus ingenium Leone III. Stephano IV. Eugenio II. & Gregorio IV. ſub quorum moribus, & doctrina ita vixit, ut ſolus mortuo Gregorio dignus haberetur, qui Pontificium teneret.* Deinde poſt narrata ipſius geſta addit: *Demum vero Sanctiſſimus Pontifex, re Eccleſiaſtica bene, atque integre gubernata, tertio Pontificatus anno moritur, ſepeliturque in Baſilica Sancti Petri.* Deceſſit itaque Sergius anno Chriſti 847. ideſt, prope medium ſæculi noni. Quapropter ab anno 772. quo electus fuit Hadrianus I. Pontifex laudatiſſimus, uſque ad fere medium ſæculi noni, nullus invenitur Pontifex Romanus non inſignis pietate & doctrina: nullus, cui abſque atroci injuria imputari poſſit ſtupenda illa & mirabilis ignorantia, præſertim ſacrorum Canonum, aut negligentia circa eorum cuſtodiam.

E X C U R S U S III.

Oſtenditur, cataſtrophen illam Juris Canonici, ortam, ut ajunt, ex ignorantia Epiſcoporum, non habuiſſe locum in continuatione ſæculi noni ſub Leone IV. & Benedicto III.

XXVI. Vidimus Excurſu præcedenti, quam alienum fuerit ſæculum nonum ab ea infami *ignorantiæ ſtupendæ & miſerabilis* nota, quam illi inurit D. Baluzius. Vidimus præterea ſpeciatim, quantæ ſanctitatis, & doctrinæ fuerint omnes prorſus Romani Pontifices ab anno 772. uſque 847. nimirum uſque ad medium circiter noni ſæculi: quorum nulli proinde abſque inſigni injuria tribui poſſit ea labes inſcitiæ ſacrorum Canonum, & negligentiæ in iis cuſtodiendis. Nunc idem oſtendendum de Pontificibus Romanis, qui ab anno 847. & deinceps Eccleſiam rexerunt.

XXVII. Occurrit imprimis Leo IV. eo anno electus, vel ſequenti 848. juxta Platinam de ipſo ajentem: *Leo IV. patria Romanus, patre Radulpho, anno Incarnationis DCCCXLVIII. Pontifex omnium conſenſu decernitur, ac merito quidem. Vir enim fuit, in omni vita privata etiam, religione, innocentia, pietate, humanitate, gratia, liberalitate, DOCTRINA ECCLESIASTICA PRÆCIPUE INSIGNIS. Tantæ præterea prudentiæ, & virtutis fuit, ut Evangelii ſententia, ſerpentis aſtutiam, ubi oportebat, & columbæ ſimplicitatem imitaretur. Tum conſtanti autem fama impulſus Sergius II. Romanus Pontifex HOMINEM TOTIUS VIRTUTIS EXEMPLAR, ex Subdiacono Presbyterum creat, eundemque titulo Sanctorum quatuor Coronatorum præficit.* Deinde præclara ejuſdem geſta, immo & miracula, narrat. Quid, quæſo, commercii habent hæc epitheta cum illa ſtuporis, & inſipientiæ labe? Concludit denique: *Moritur Leo Vir ſanctiſſimus, & optime de Eccleſia Dei, deque Urbe Roma, & nomine Chriſtiano meritus, conſilio, auctoritate, diligentia, doctrina, magnificentia præclarorum operum, anno Pontificatus ſui octavo, menſe tertio, die ſexto, XVI. Kal. Auguſti, ſepeliturque in Baſilica Petri.* Hactenus ille.

XXVIII. Sed & Photius, quamvis infenſus hoſtis Apoſtolicæ Sedis, veritate manifeſta cogente, idipſum fatetur in Libro de Proceſſione

ne Spiritus Sancti adverſus Latinos, inquiens de illo: *χθὲς καὶ ὕπω δευτέρα γενεὰ παρῆλθεν Λέων ἐκεῖνος ὁ περιώνυμος, ὁ καὶ θαύμασιν ἔχων ἐςὶν οὗτος ἐνσεμνύνεσθαι, πᾶσαν ἁπάντων ἐκκόπτων πρόφασιν αἱρετικήν. Heri, & nondum ſecunda generatio præteriit, nobilis ille Leo, QUI ET Miraculis EDITIS POTEST GLORIARI, omnium omnem excideas prætextum hæreticorum.* Non ita de Leone Papa loqueretur homo plane refractarius, & ſchiſmaticus, ni comperta eſſet illius eximia pietas, etiam miraculis palam teſtata. Eodem modo loquitur Stylianus Neo-Cæſareæ Euphrateſinæ Provinciæ Epiſcopus in Epiſtola quadam ad Stephanum Papam, ubi Leonem ipſum, & Benedictum III. ejus ſucceſſorem, μακαριωτάτους, & ἁγιωτάτους, ideſt, *Beatiſſimos, & Sanctiſſimos* appellat. Porro obitus Leonis fuit anno DCCCLV.

XXIX. Leoni IV. ſucceſſiſſe ἀμέσως Joannem Anglicum, alias Joannam Papiſſam, fabula olim fuit ex adulteratis quibuſdam hiſtoriæ Martini Poloni exemplaribus orta, relata ab ipſo Platina, & poſtea a Sectariis multis avidiſſime excepta, donec a Baronio, & Bellarmino, ac poſtea evidentius a Leone Allatio, Bertoldo Nihuſio, & Philippo Labbeo, ex plurimis Scriptoribus ſynchronis ejuſdem noni ſæculi, partim Græcis, quamvis Romanæ Eccleſiæ adverſariis, partim Latinis, rejecta fuit; ut proinde nemo heterodoxorum de cætero videatur id commentum venditaturus, aut revocaturus ea Orco, niſi qui omnem pudorem exuerit.

XXX. Succeſſit itaque Leoni poſt duos menſes, & dies quindecim Benedictus III. anno ipſo 855. de quo Platina ait: *Merito Benedictus appellatus eſt ob ſanctitatem vitæ, & rerum Divinarum gratiam. Sub Gregorio enim militans, cum ab eo Subdiaconatus gradum accepiſſet, ita deinceps vixit, ut mortuo Leone unus Benedictus tanti Pontificis dignus ſucceſſor haberetur. Ad hunc igitur concurrentes omnes, tanquam ad unicum, & benigniſſimum ſidus a Deo in terram miſſum, eum Pontificem decernunt. Qui flens, & Deum, ac Sanctos teſtes faciens, ſe nequaquam dignum eſſe, qui tantæ Sedi præferretur, dicebat. Acclamantibus itaque omnibus, & electionem approbantibus, invitus tandem Pontificiam munus ſuſcipiens, in atrium Lateranenſe perducitur.* Deinde plura alia elogia addit longa narratu, quæ omnem, vel leviſſimam, ſuſpicionem imperitiæ, aut negligentiæ excludunt in ſacris Canonibus ab illo ſanctiſſimo Præſule cuſtodiendis.

XXXI. Quin & Photius ille eviratus, quem paullo antea memoravi, quamvis Sedi Apoſtolicæ bellum alioqui indicens, pariter fere loquitur de Benedicto, ubi ſupra dicens: Ἀλλὰ δὲ ὁ πρᾶος, καὶ ἐπιεικὴς καὶ ἀσκητικοῖς ἀγῶσιν ἐναγλαϊζόμενος ὁ κλειτὸς Βενέδικτος &c. *Sed & mitis, & æquitatis amans, & aſceticis certaminibus illuſtris, inclytus Benedictus, poſt eum,* (nimirum Leonem IV.) *in Archieratico Throno ſucceſſor, hoc idem & amplectendo, & confirmando, haud ſecundus eſſe nitebatur, licet tempore ſecundus eſſet.* Ubi & mire laudat Benedictum, & obiter præcludit viam omnem fabulæ τῶν παπισσομανέντων pluribus poſtea ſæculis excogitatæ. Agnoſcit enim Benedictum immediatum Leonis ſucceſſorem: cum tamen fabulatores illi interjiciant utrique Joannam Papiſſam, eamque biennio, aut amplius ſedentem in Cathedra S. Petri.

XXXII. Denique de Photio ſufficiat generatim dicere, in ejus Libro citato de Spiritus Sancti proceſſione adverſus Latinos, extare pluſrimas laudes, & inſignia elogia ſanctitatis, prudentiæ, doctrinæque Pontificum Romanorum ſui temporis: ideſt, eorum, quos hactenus memoravimus. In quo longe melius ſe habuit homo ſchiſmaticus, quam videatur ſe gerere Baluzius Catholicus, qui ſæculum illud, quo vulgari cœpit, & recipi Collectio Iſidoriana, *ſtupendæ, & miſerabilis ignorantiæ in Epiſcopis, & reliquis Clericis* notat. Fatendum eſt, Sacros Præſules illius temporis longe minus operam dediſſe philologiæ, criſi, & eruditioni ameniori, quam Baluzium ipſum, & alios delicatos, atque hypecriticos noſtrorum temporum. Sed tamen religio eſſet diffiteri, illos fuiſſe longe ſuperiores in ſolida Scripturæ, & Sacrorum Canonum intelligentia, quam accurato ſtudio, ferventiori oratione, & inſigni pietate a Deo aſſecuti ſunt.

XXXIII. Quid? Quod eo ipſo tempore utriuſque Pontificis frequentia in Germania, & Gallia celebrabantur Concilia, variique Libri edebantur, præſertim circa Controverſias excitatas a Gotheſcalco, diverſis quodammodo Epiſcopis, & Synodis, præſertim Carliacenſi, & Valentina; & unaquaque partium doctiſſime ſuadente opinionem ſuam ex Sacris Literis, ac teſtimoniis innumeris Sanctorum Patrum. Cujus rei quamplurimi Tractatus eo ipſo tempore ſcripti extant intra, & extra Bibliothecam maximam PP. Anilonianam, ac manibus doctorum hominum teruntur. Sane eæ lucubrationes non ab Epiſcopis, non a Clericis ſtupenda, & miſerabili inſcitia laborantibus prodierunt, ſed a literatis, doctiſque Viris, qui in Scriptura, Canonibus ſacris, & Theologia Dogmatica impenſe ſtudium collocarunt. Quamvis, ut alibi ex inſtituto docui, contrarietas illa Synodorum, ſi attente expendantur (idemque eſt fortaſſe de Scriptoribus iis utrimque decertantibus) nulla ſit quoad rem ipſam, ſed dumtaxat quoad modum loquendi, præſertim circa geminam prædeſtinationem. Vide quæ circa id diximus Tomo III. Theologiæ S. Anſelmi Diſp. cxv. Sect. 6.

XXXIV. Ex dictis tota Diſſertatio concluditur adverſus Illuſtriſſimum Marcam, & D. Baluzium, nec toto ſæculo octavo, nec nono uſque ad annum 858. in quo Benedictus III. deſiderium ſui reliquit, introductum fuiſſe Jus novum Sacris Canonibus antiquis contrarium, occaſione Epiſtolarum Iſidorianæ Collectionis veteribus Pontificibus adſcriptarum, vel etiam *miſerabilis illius, ac ſtupendæ ignorantiæ,* præſertim Sacrorum Canonum, in Epiſcopis, & reliquis Clericis eorum temporum. Nullo enim ſolido fundamento innituntur ad id aſſerendum ſive ad affricandam tam tetram labem Clero utriuſque ejus ſæculi, præſertim ſub tot Romanis Pontificibus inſignis pietatis, ac doctrinæ, continuata ſerie Eccleſiam gubernantibus; qui certe non paterentur, ſuo tempore corruere diſciplinam Eccleſiaſticam, aut Epiſtolis ſpuriis a quopiam obſcuro homine intruſis exarmari Jura Sacrorum Canonum.

DISSERTATIO SEXTA.

An tempore Nicolai I. Papæ inductum fuerit Jus novum ex Epiſtolis Iſidorianæ Collectionis, ſacris Canonibus contrarium.

Cum Diſſertatione præcedenti ſatis oſtenſum fuerit, novum illud Jus, ſacris Canonibus contrarium, non fuiſſe introductum in Eccleſiam toto ſæculo octavo, nec nono uſque ad annum 858. in quo electus fuit Pontifex Nicolaus I. reſtat examinandum, an ejus tempore invectum fuerit, occaſione Epiſtolarum Collectionis Iſidorianæ.

EXCURSUS PRIMUS.

Qualiter loquantur recentiores aliqui de Nicolao I. Papa, in ordine ad everſionem Juris antiqui, & introductionem novi: quaſi contra illud vetus admiſerit appellationem Epiſcoporum a Synodis Provincialibus ad Apoſtolicam Sedem.

I. DEmonſtratum ſatis, ni fallor, relinquimus, teterrimam illam ſtupendæ ignorantiæ notam a D. Baluzio inuſtam Epiſcopis, & reliquis Clericis, quorum tempore pervulgata dicitur extra Hiſpaniam Collectio Iſidoriana, ne in ſpeciem quidem habere poſſe locum ab anno 772. uſque ad 858. in quo Benedictus III. obiit. Supereſt nunc, ut juxta illius opinionem incœperit a tempore Nicolai I. qui eodem anno Pontifex Romanus electus fuit. Nimirum, Riculphus Moguntinus Præſul initio ejuſdem noni ſæculi aſſeritur ex Hiſpania detuliſſe Collectionem prædictam in Germaniam, & variis ejus exemplaribus repleviſſe illas regiones, teſte Hincmaro Rhemenſi in Opuſculo ad alium Hincmarum Cap. 24. Riculphus vero Eccleſiam Moguntinam rexit ab anno 787. uſque ad 814. & Sedem Apoſtolicam devote coluit, ut teſtatur Auctor Præfationis ad Collectionem Benedicti Levitæ. Quare Iſidoriana Collectio cenſetur primo delata in Germaniam circa annum 805. & ſequentibus evulgata per regiones illas. Cumque non potuerit illa inducere novum Jus contra Sacros, & antiquos Canones uſque ad annum 858. in quo Benedictus III. deſiderium ſui reliquit, ut jam oſtenſum eſt; ſequitur plane, ut opinione Baluzii tantum id, & tam execrabile malum totius Eccleſiæ, incœperit, & radices miſerit ſub Pontificatu Nicolai I. nimirum ab anno DCCCLVIII. uſque ad DCCCLXVII.

III. Sed quid opus eſt conjecturis, ubi ipſe Baluzius palam Nicolao tribuit eam mutationem Juris Canonici, ſi non ut primo, ſaltem ut præcipuo auctori, ad præſcriptum Epiſtolarum Collectionis Iſidorianæ? Placet ipſius verba exſcribere ex loco citato §. VIII. ubi ita loquitur: *Tandem Nicolaus iſtius nominis I. in Sede Petri locatus eſt: Vir, ut ait R. P. Cellotius, ad ſuſcipiendas appellationes, etiam adverſus Concilia Provincialia, promptiſſimus, retinendæ præterea, propugnandæ, explicandæque auctoritatis ſuæ cupidiſſimus, & qui dexteritate, & audentia incredibili plurima magna, & difficilia negotia ad optatum finem perduxit. Pontificatu ejus Rhotadus Sueſſionenſis Epiſcopus judicio Gallicanorum Epiſcoporum in Synodo Sueſſionenſi congregatorum depoſitus eſt anno DCCCLXIII. nequicquam eum juvante appellatione Apoſtolicæ Sedis, Apoſtolici Præſulis; mox vero Epiſcopus alius in loco ejus ordinatus. Nolo cantilenam toties recantatam hic recinere, præſertim cum totam illam hiſtoriam eleganter, ac erudite pro ſuo more explicaverit magnus ille Petrus de Marca Archiepiſcopus Pariſienſis in Libro VII.* De Concordia Sacerdotii, & Imperii. *Illud tamen dicam, Nicolaum graviter ultum eſſe hanc* minutionem, & abominationem privilegiorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, *ut ipſa ejus verba ponamus, cum biennio poſt in Concilio Romano ageret de reſtitutione ejuſdem Rhotadi.*

IV. *Cuncta autem huc vergunt, ut oſtendat, iniquum fuiſſe Synodi Sueſſionenſis judicium, quæ, præterquamquod congregata erat ſine auctoritate Romani Pontificis* (quod nulli fas eſt, *inquit*) *Epiſcopum damnaverat appellantem Apoſtolicam Sedem. Et ut Epiſcopos Gallicanos facilius induceret ad reſtitutionem Rhotadi, aperit illis vaſtiſſimum campum impunitatis; privilegia, nimirum Eccleſiæ Romanæ, novo Jure reperta; ideſt, Jus appellandi Sedem Apoſtolicam in omnibus cauſis. Hæc ſunt ejus verba ad Epiſcopos Synodi Sueſſionenſis, digna profecto, quæ hic deſcribantur ad memoriam omnium ſempiternam:* Privilegia Sedis Apoſtolicæ, *inquit*, tegmina ſunt, ut ita dicam, totius Eccleſiæ Catholicæ. Privilegia, inquam, hujus Eccleſiæ munimina ſunt circa omnes impetus pravitatum. Nam quod Rhotado hodie contingit, unde ſcitis, quod cras cuilibet non eveniat veſtrum? Sic Apoſtolus admonet dicens: *Qui putat ſe ſtare, videat ne cadat.* Quod ſi contigerit, ut verbis utamur Propheticis, ad cujus, rogo, confugietis auxilium?

V. *Intellexit Hincmarus Laudunenſis Epiſcopus unus Epiſcoporum, ad quos ſcripta erat Epiſtola illa, vim, ponduſque iſtorum Nicolai verborum. Nam cum reus poſtea factus eſſet in Synodis apud Vermeriam, & apud Attiniacum congregatis, ſuorum ſcelerum conſcientia cruciatus, Sedem Apoſtolicam appellavit, ut ea pacta effugeret pœnas facinorum ſuorum. Iſta diſerte nos docet Hincmarus Rhemenſis in Epiſt. XXXV. quæ data eſt ad eundem Laudunenſem.* Quod dicis, te in Synodo apud Vermeriam, indeque apud Attiniacum licentiam eundi Romam petiiſſe, & impetrare non potuiſſe, omnes Epiſcopi, qui in eiſdem Synodis fuerunt, liquido ſciunt; quoniam cum de tuis inſolentiis increpabaris, timens regulare judicium, vel Regis caſtigationem, licentiam eundi Romam petebas.

tebas. Cum vero videbas, quia Rex, & Epiſcopi erant tibi placabiles, de ipſa licentia nihil dicebas, ſicut nec modo facis, donec aliquam novitatem, ut ſoles, quam ſemper timendo expecto, iterum facias, de qua compellatus ſolitam cantionem de licentia tua recantes. *Item in Cap. XVII. Concilii Duziacenſis*: Qui undecumque ſibi viſum fuit, cum de ſuis inſolentiis increpatus eſt, licentiam eundi Romam petit, vel Sedem Apoſtolicam appellat. Quando vero Rex, & Epiſcopi ſunt ſibi placabiles, de ipſa licentia nihil dicit, nec Sedem Apoſtolicam appellat.

VI. *Erat ſane parta iſta ſpecioſa, nihilque in ſpeciem favorabilius erat Epiſcopis. Sed quia res humanæ interdum volvuntur deorſum, contingere quoque poterat, ut magnifica illa Sedis Apoſtolicæ privilegia, quæ (ut Innocentius III. ait Lib. 1. Ep. 230. & Lib. 2 Ep. 13.) inſtituta ſunt ad præſidium oppreſſorum, implorarentur etiam ad opprimendos Epiſcopos.*

VII. Subdit deinde ſtatim Baluzius, qualiter Herimannum Epiſcopum Niverneuſem, ob dementiam, & ſcurrilitatem, ut ipſe loquitur, indignum eo gradu, Epiſcopi Gallicani deponere voluerint, & præſertim Vvenilo Archiepiſcopus Senonenſis, ipſius Metropolitanus; verum non fuiſſe auſos illum loco movere ob timorem Juris novi prævalituri, quo judicia Epiſcoporum reſervantur auctoritati Papæ Romani. Nimirum, circumferebatur tunc Epiſtola illa ſuppoſita Melchiadi Papæ ad Epiſcopos Hiſpanienſes, in qua omnium criminum Epiſcopalium cognitio interdicitur Synodis Provincialibus, verbis illis: *Epiſcopos nolite judicare, nolite condemnare, abſque Sedis hujus auctoritate. Quod ſi feceritis, irrita erunt veſtra judicia, & vos condemnabimini. Hoc enim privilegium huic ſanctæ Sedi a temporibus Apoſtolorum ſtatutum eſt ſervari; quod illæſum manet uſque ad hodiernum diem.*

VIII. *Itaque Vvenilo* (pergit Baluzius) *qui conſilia ſua in irritum caſura eſſe intelligebat, ſi de judicando Herimanno ageretur intra Gallias, adeoque potentiam externam ſibi implorandam; ſuo, Suffraganeorumque nomine conſuluit Nicolaum ſuper hac re, gnarus videlicet temporum ſuorum. Quia tamen negotium illud dexteritate quadam tractandum erat, ne juſtæ irarum cauſſæ ſubminiſtrarentur Epiſcopis Gallicanis, neve dum Herimannum opprimere ſtudebat, vana, & rei, quam agitabat, non profutura, ac libertati Eccleſiæ Gallicanæ vitioſa inciperet; ſic temperandum eſſe cenſuit actam ſuum, ut licet dubitare minime videretur de auctoritate Epiſtolæ Melchiadicæ, occaſionem tamen Epiſcopo Romano daret ad ſe trahendi cauſſam Herimanni, ratus ea ratione parum præſidii laturum Herimanno favorem Caroli.*

IX. *Igitur, ne quid inconſulto, ac temere ageret, eo flexit, ut per ſpeciem diligentiſſimæ inquiſitionis cauſſam revocaret ad examen Epiſcopi Romani, dum Nicolaum orat, ut exemplum authenticum illius Epiſtolæ ex armario Romanæ Eccleſiæ depromptum, ad ſe mittere dignaretur.* Unde ſupplicamus, *inquit*, ut ſtatuta illius integra, ſicut penes vos habentur, nobis dirigere dignemini.

X. *Æquiſſima profecto erat poſtulatio Vvenilonis, cum ſi quis fictam ſuſpicetur Romani cujuſpiam Pontificis Epiſtolam, requirere eam debeat in Eccleſiæ Romanæ chartario, ut monuit Hieronymus in Apologia adverſus Ruffinum.*

XI. *Suſpicacem tamen Nicolai animum perculit improviſa iſthæc, & importuna interrogatio. Timebat enim, ne ſpecie reverentiæ tentarentur arcana dominationis, & ſcire forte, an cupere Epiſcopos Gallicanos, quid de novis illis veterum Pontificum Epiſtolis ſentiret novus Pontifex Nicolaus, & an Melchiadis Epiſtolam ex Romanæ Eccleſiæ armario, ubi manifeſtum erat eam non extare, poſito omni pudore miſſurus eſſet. Ergo Vir prudentiſſimus, ne ſuſpicionis iſtius aut metus foret manifeſtus, neve eu per imprudentiam reſcriberet, per quæ ſuam famam dehoneſtaret, ſi falſus intelligeretur, Epiſcopos Senonenſes, quoad hoc, ſine reſponſo reliquit, poſtulataque eorum eluſit plurima ipſorum laudatione, & multum conteſtatus, Herimannum abſentem & inauditum damnari non debere.*

XII. *Sic inter metus Vvenilonis, & ſuſpiciones Nicolai, Herimannus tutus fuit, & in Sede ſua remanſit. Sed ſi religioſiſſimus iſte Pontifex ea tum audacia armatus fuiſſet, qua poſtea abundavit in cauſſa Rhotadi, Herimannus haud dubie oppreſſus, atque obrutus fuiſſet ſub tegmine privilegiorum Sedis Apoſtolicæ.*

XIII. *Nam licet Rhotadus Canonice a quinque Provinciarum Epiſcopis dejectus fuiſſet, aliuſque in loco ejus ſecundum regulas ordinatus; auſus eſt tamen Nicolaus eum Sedi ſuæ reſtituere, inſuper habito Synodi Gallicanæ graviſſimo judicio. Et qui ad Senonenſium Epiſcoporum interrogationem tremebundus, & plenus timoris reſcribere noluerat de auctoritate Epiſtolæ Melchiadicæ, quæ una eſt ex ſuppoſititiis Romanorum Pontificum Epiſtolis, ex quibus conflatum eſt novum Jus Canonicum; nunc audacior factus in gratiam Rhotadi, de reſtitutione ejus ſcribens ad Epiſcopos Gallicanos, non dubitavit aſſerere, ſanctam Romanam Eccleſiam penes ſe in ſuis archivis recondita habere Decretalia iſthæc priſcorum Pontificum conſtituta.* Abſit enim, *inquit*, ut cujuſcumque ipſorum, qui uſque ad ultimum vitæ ſuæ diem in Fide Catholica perſeveravit, vel Decretalia conſtituta, vel de Eccleſiaſtica diſciplina quælibet expoſita, debito cultu, & cum ſumma diſcretione non amplectamur Opuſcula, quæ dumtaxat & antiquitus Sancta Romana Eccleſia conſervans, vobis quoque cuſtodienda mandavit, & penes ſe in ſuis archivis, & vetuſtis rite monumentis recondita veneratur.

XIV. *Stabilito hinc novo Jure, Rhotadum, nequaquam cunctans, & diffidens, ut antea, ſed libere, & intrepide reſtituit gubernationi Eccleſiæ Sueſſionenſis, eumque mox ad Karolum Calvum Regem Francorum in comitatu Arſenii Legati ſui miſit tectum, ac munitum nuper inventis Sedis Apoſtolicæ privilegiis.*

XV. *Audacia tamen illa, quamvis feliciter Nicolao ceſſerit, effugere non potuit reprehenſionem vetuſti Scriptoris Annalium Bertinianorum, qui de reſtitutione Rhotadi agens ad annum DCCCLXV. his eam verbis, audaciam audaciæ opponens, perſtringit:* Circa

me-

medium Julium menſem, in Attiniacum palatium Arſenius veniens, Rhotadum CANONICE a quinque provinciarum Epiſcopis dejectum, & a Nicolao Papa non REGULARITER, ſed POTENTIALITER reſtitutum, ſecum ducens, Carolo præſentavit. Hucuſque D. Baluzius de Nicolao I. Papa, in cauſſis Heximanni, & Rhotadi, atque Hincmari Laudunenſis, de quo plura adhuc ſcribit §. XII. & XIII. quaſi & depoſitio illius ab Epiſcopis facta fuerit juxta Canones, & ejus appellatio jure repulſa fuerit ab Hincmaro Rhemenſi, veluti innixa *Decretis apocryphis Romanorum Pontificum, quæ uſque ad nauſeam recantabat*, nimirum, quæ extabant in Epiſtolis Collectionis Iſidorianæ.

E X C U R S U S II.

Nicolai I. Papæ ſanctiſſimi, & celeberrimi integritas, & juſtitia, præſertim in cauſſis Rhotadi, & Hincmari utriuſque, aſſeritur adverſus aliquot recentiores, non digne de illo loquutos. Ubi nonnulla de Hincmaro Rhemenſi, quem aliqui plus juſto reprehendere videntur.

XVI. QUiſquis D. Baluzium toto Excurſu ſuperiore loquentem audierit, ſi levis ſit corde, cito credet, ut verba ſapientis illius uſurpem. Cenſebit cum Cellotio, quem ille laudat, Nicolaum Papam *explicundæ auctoritatis ſuæ cupidiſſimum, & qui dexteritate, & audentia incredibili plurima magna, & difficilia negotia ad optatum finem perduxerit*. Putabit, ipſum protuliſſe verba aliqua in Reſcripto ad Epiſcopos Synodi Sueſſionenſis, quibus induxerit eos ad peccandum impune ſub prætextu patrocinii habendi in Apoſtolica Sede. Judicabit inſuper, Hincmarum Laudunenſem, cujus appellationem patrocinabatur Nicolaus, fuiſſe ſceleratum aliquem Epiſcopum, eo refugio indignum; utpote *qui ſuorum ſcelerum conſcientia cruciatus, Sedem Apoſtolicam appellavit, ut eo pacto effugeret pœnas facinorum ſuorum*, teſtante Baluzio. Herimannum quoque indigniſſimum quempiam Præſulem, & ſcurram e trivio, qui damnatus a Coepiſcopis, injuſte uſus fuerit beneficio appellationis: Rhotadum denique omnino juſte depoſitum ab Epiſcopatu, cui proinde nec mutire fas eſſet ad ſuum honorem tuendum, dignitatemque recuperandam, vel ſaltem minuendam graviſſimam depoſitionis pœnam.

XVII. Sed, ut initium faciamus a Nicolao Papa, poſtquam Cellotius illum depinxit, *explicandæ auctoritatis ſuæ cupidiſſimum*, quod nullatenus dignum laude apparet, ipſique tribuit *audentiam incredibilem*, quæ vix, juxta bonos Auctores, aut ne vix quidem uſurpatur, niſi in malam partem, Baluzius, Cellotio ipſo laudato, invehitur adverſus eundem Pontificem ſanctiſſimum multipliciter. Nam imprimis §. VIII. fine, verba illius ad Epiſcopos Synodi Sueſſionenſis exſcribit *ad memoriam omnium ſempiternam*, quaſi profecto Nicolaus in iis *vaſtiſſimum campum impunitatis aperiret*; ideſt, impunitatem, aut patrocinium ſaltem polliceretur quibuslibet peccantibus, ut ſic auctoritatem & poteſtatem Apoſtolicæ Sedis ultra debitos fines porrigeret. Subit animum recordatio Schiſmaticorum illorum, qui apud Ennodium in libello Apologetico criminati ſunt Synodum quartam Romanam, quod in ea Epiſcopi noluiſſent judicare Symmachum Papam, ab illis accuſatum; quaſi propterea cenſerent, Petrum, ac ſucceſſores ipſius ſimul cum dignitate Sedis Apoſtolicæ, licentiam peccandi impune a Deo accepiſſe. Hanc calumniam nervoſe refellit eo loco Ennodius. Eodem fere jure rejiciendus venit D. Baluzius, dum adeo præpoſtere interpretatur Nicolaum: quaſi ea verba non poſſent, & deberent intelligi de refugio, juſtitia, & miſericordia prædito in Apoſtolica Sede, ad tuendum injuſte oppreſſos, de quorum numero erat Rhotadus, vel ad ſublevandum plus juſto gravatos. Quippe id refugium decens omnino eſt, & in quo Stephanus Epiſcopus Tornacenſis Epiſt. 162. ait, *conſiſtere dignitatem Eccleſiæ Romanæ*. Ac Sanctus Bernardus, quem præpoſtero ſenſu pro ſe laudat Baluzius, hoc ipſum tradit Epiſt. 198. ad Innocentium II. ubi loquens de auctoritate Sedis Apoſtolicæ ad appellationes recipiendas, ait: *Hoc inter cætera veſtri ſingularis Primatus inſignia, ſpecialius illuſtriuſque nobilitat veſtrum & inclytum reddit Apoſtolatum, ſi eripitis pauperem de manu fortiorum ejus &c.* Atque eodem ſpiritu, ac ſenſu Sanctus Bonifacius I. Papa in Epiſt. ad Epiſcopos Theſſaliæ dixerat: *Tenet Sedes Apoſtolica Principatum, ut querelas omnium licenter acceptet*. Hoc igitur ſolum eſt, quod Nicolaus ſignificare voluit verbis illis ſiniſtre interpretatis a Baluzio.

XVIII. Deinde idem Auctor §. X. circa finem, cum præmiſiſſet, poſtulantibus Epiſcopis Gallicanis, ut mitteretur ad eos exemplar Epiſtolæ Melchiadis Papæ, cui innitebatur jus Epiſcoporum ad appellandam Sedem Apoſtolicam, addit, *Nicolaum timuiſſe, quia manifeſtum erat, eum non extare in Romanæ Eccleſiæ armario*: ideoque nec verbum circa hoc reſpondiſſe, ne falſus inveniretur. Subdit vero Baluzius de illo: *Sed ſi religioſiſſimus iſte Pontifex ea tum audacia armatus fuiſſet, QUA POSTEA ABUNDAVIT IN CAUSSA RHOTADI*, &c. Itaque Nicolao Papæ audaciam tribuit, nec in quovis gradu, ſed excedenti. Unde §. XI. ſequenti, ubi cauſſam ipſam Rhotadi memorat, non veretur dicere de Nicolao ipſo reſcribente ad Epiſcopos Galliarum, Rhotadi appellationem reſpuentes: *Qui ad Senonenſium Epiſcoporum interrogationem TREMEBUNDUS, AC PLENUS TIMORIS reſcribere noluerat de auctoritate Epiſtolæ Melchiadicæ, quæ una eſt ex ſuppoſititiis Epiſtolis, ex quibus conſtatum eſt novum Jus Canonicum. NUNC AUDACIOR FACTUS IN GRATIAM RHOTADI, de reſtitutione ejus ſcribens ad Epiſcopos Gallicanos, non dubitavit aſſerere, Romanam Eccleſiam penes ſe in ſuis archivis recondita habere Decretalia iſthæc priſcorum Pontificum conſtituta*. Hactenus ille poſt Cellotium. Habemus itaque duos recentes Nicolao-maſtygas, qui cæteris mortalibus oculatiores, in Pontifice illo detexerint nævos ingentis cupiditatis explicandæ ſuæ auctoritatis, audentiæ incredibilis, audaciæ, & prægran-

grandis audaciæ, præſertim in aſſeverando, extare apud Romanam Eccleſiam in archivis ea monumenta, quæ manifeſtum erat non extare.

XIX. Sed enim uterque multa peccat, & nimium excedit contra ſanctiſſimum illum Pontificem. Imprimis potuit vere dicere, ea monumenta ſervari in archivis S. R. E. ſaltem ab an. DCCLXXIV. ut uidimus Diſſert. V. n. 24. Deinde immerito ſugillatur Nicolaus, quaſi in una illa Epiſtola Melchiadi adſcripta niteretur ad recipiendam appellationem Rhotadi Epiſcopi; nec pro ſe haberet plurimas alias Pontificum, non modo Melchiade antiquiorum, ſed & poſteriorum per ſingula ſæcula; & has quidem exploratas, ac ſemper in tabulario S. R. E. repoſitas. Certe licet illarum veterum nutaret auctoritas, ex poſterioribus omnino germanis poſſet Nicolaus ampliſſime illud Jus Apoſtolicæ Sedis tueri. Vide ſupra Diſſert. IV. toto Excurſu quarto, quot argumentis, quo doctrinæ pondere, & qua eruditione, Nicolaus ipſe, etiam veterum illarum Epiſtolarum auctoritatem confirmaverit. Præterea tota Diſſertat. VII. ſequenti conſtabit palam, quidquid ea in re geſſit Nicolaus, conſentaneum fuiſſe, tum conſuetudini antiquæ in Eccleſia; tum decretis veterum, atque Univerſalium Conciliorum; tum denique germanis Epiſtolis Romanorum Pontificum, ſaltem ab ineunte quinto ſæculo uſque ad poſteriorem mediam partem noni, qua fluente, Nicolaus regebat Eccleſiam, & Rhotadum appellantem tuebatur. Quapropter, etiam ſine recurſu ad Epiſtolam illam Melchiadi adſcriptam, vel ad quaſdam alias fidei non omnino exploratæ, potuit Magnus ille Pontifex vere dicere, *Romanam Eccleſiam penes ſe in ſuis archivis recondere Decretalia priſcorum Pontificum conſtituta*; nimirum, non eorum dumtaxat, qui Siricium præceſſerunt, ſed & plurimorum ea ſequentibus, per quinque circiter ſæcula.

XX. Mirum itaque eſt, a Scriptoribus Catholicis & eruditis tot labes affricari Nicolao I. Papæ, quem & viventem, & vita functum, Eccleſia, tum Latina, tum Græca, ideſt, Catholica, ſemper ſuſpexit, veluti pietate, doctrina, prudentia, dexteritate, & omnibus animi dotibus clariſſimum: quem proinde plurimi Sanctorum faſtis adſcriptum volunt, & veluti talem ab antiquo tempore Eccleſia ipſa S. Petri in Vaticano, toti Orbi Chriſtiano veneranda, quotannis ritu duplici celebrat ad diem 13. Novembris, laudatque vel in iis rebus, in quibus a Cellotio, & Baluzio reprehenditur. Omnes certe, quotcumque aliquid de illo ſcriptis prodidiſſe inveniuntur, in tam longo ſæculorum curſu, ſummis in Cælum laudibus eum efferunt, & vix aliquis Romanorum Pontificum a tempore S. Gregorii Magni fuit, cujus plura præconia apud omnes extent, abſque minima nota, vel in iis cauſſis Epiſcoporum Galliæ appellantium, in quibus arguitur ab iis duobus recentioribus.

XXI. Potuiſſent ambo diſcere a Scriptoribus omnibus illius temporis, & nominatim a veteri Auctore Vitæ ipſius, quæ circumfertur in editionibus Conciliorum, quis, & quantus fuerit Nicolaus, quam admirandus, & irreprehenſibilis toto vitæ decurſu. Regino abbas eo tempore ſcribens, de illo ait: *Tyrannis imperavit, eiſque, ac ſi Dominus eſſet orbis terrarum, auctoritate præfuit. Epiſcopis, Sacerdotibus, religioſis, & Domini mandata obſervantibus, humilis, blandus, pius, manſuetus apparuit: irreligioſis, & a recto tramite exorbitantibus, terribilis, atque auctoritate plenus extitit: UT MERITO CREDATUR ALTER ELIAS, DEO SUSCITANTE, NOSTRIS TEMPORIBUS SURREXISSE &c.* Joannes Diaconus, etiam ſynchronus, teſtatur, Nicolaum jam cælitem una cum S. Gregorio apparuiſſe per viſum. Hadrianus II. ſucceſſor in literis ad Orientales, illum novum Eliam, novum Phineem vocat, & pluribus laudibus celebrat; ſicut & Anaſtaſius Bibliothecarius, & alii veteres. Ut nihil dixerim de Platina, Baronio, ac Spondano, aliiſque innumeris recentioribus: quibus horrori eſſent, quæ ambo Nicolao-maſtyges ſcribunt. Certe niſi ii, & alii ſimiles, majori cupiditate cierentur porrigendi Gallicanas libertates, quam Nicolaus explicandæ auctoritatis ſuæ, ceſſarent plurima, & ingentia mala quæ hiſce annis experimur, dolemuſque, Romæ præſertim, & a multo tempore in ipſa Gallia exinde orta fuiſſe, deplorant graviſſimi Scriptores, & ipſe Archipræſul Marca, Baluzio imprimis charus, in Libello Barcinone edito anno 1646 ut obſervavimus ſupra num. 6. ac longe antea in *Defenſione Cathedræ S. Petri*, præſertim Diſp. 34. & 40.

XXII. Quod Cellotium attinet, quam fidem mereantur ea, quæ ſcripſit de Nicolao Papa, utroque Hincmaro, & Rhotado, in Notis ad Concilium Duziacenſe, & variis Tractatibus ea de re editis ſub finem Tomi VIII. Conciliorum Collectionis Labbeanæ, aliis judicandum relinquo. Sane Cabaſſutius recens, & eruditus inter Gallos Scriptor, in *Notitia Eccleſiaſtica* prælo Aniſſoniorum edita anno 1680. omnia alia de iis tradit pag. 344. & quantum reprehendit Hincmarum Rhemenſem, tantundem fere excuſat, ac laudat Rhotadum, atque Hincmarum Laudunenſem, veluti innoxios, & illius odio, atque immanitate oppreſſos. Deinde poſt accuratam earum litium narrationem, per omnia fere contrariam Baluzianæ, invehitur pag. 353. his verbis contra Tractatus illos, ſive lucubrationes Cellotii, quamvis pepercerit ejus nomini: *Quam evidenter quæ hactenus breviter protuli, calumnioſa mendacia coarguunt, quibus ſcatet illud additamentum, quod noviſſime Conciliorum Collectioni acceſſit ad calcem Tomi octavi?* Nimirum eo loco ſcripta illa Cellotii habentur.

XXIII. Sane non auſim eam notam inurere tuti tractationi, ſeu additamento illi, quod video aliqua ſui parte innixum plurimis antiquorum inſtrumentorum teſtimoniis adverſus Hincmarum Laudunenſem, & pro Rhemenſi, quamvis pleraque eorum ſuſpecta ſint. Quin potius ſi ante editum Tomum *Defenſionis Cathedræ S. Petri*, quem luci publicæ dedi anno 1683 adverſus Declarationem Illuſtriſſimi Cleri Gallicani, legiſſem additamentum illud, longe mitius fortaſſe, ac moderatius loquutus eſſem de Hincmaro Rhemenſi, quam feci ibidem Diſp. XXVII. Sect. 2. Dabo tamen operam, ut in altera editione ejuſdem Operis longe correctiore, & auctiore, ſuus honor conſtet eidem Archipræſuli, quantum fieri poſſit. Nec dubito, Baro-

ronium, plureſque alios, graviſsime reprehendentes illum, benignius ſcripturos fuiſſe, ſi viderent Acta Concilii Duziacenſis, a Sirmondo detecta, & a Cellotio poſtea edita, ac Notis illuſtrata; quamvis fortaſſe iis non adhiberent plenam fidem, ſicuti nec ego integram, & exploratam habeo.

XXIV. Quidquid tamen ſit de accuſatione, aut excuſatione Hincmari Rhemenſis, ne quiſpiam narrationi Baluzianæ ſuperiori Excurſu exhibitæ, & levibus conjecturis adverſus Nicolaum Papam, in cauſſis Rhotadi Sueſſionenſis, & Hincmari Laudunenſis, fidem præſtet; viſum eſt Excurſu ſequenti Baluzio opponere laudatum Cabaſſutium, Gallo Scriptori pariter Scriptorem Gallum, exhibitis hujus verbis; & ſolum prætermiſſis iis, quibus initio, & fine acrius invehitur in Rhemenſem Hicmarum, veluti in hominem deploratæ conſcientiæ, ac rarum crudelitatis exemplar. Hoc enim potuit fortaſſis moderari, aut prætermittere D. Cabaſſutius, præſertim lecto additamento Cellotii: ſicuti & ego longe magis peperciſſem Hincmarianæ famæ loco citato, ſi illud legere contigiſset ante editam Diſputationem illam. Conferantur itaque in hoc certamine, & ad trutinam ponderentur a lectore ingenuo prædicti duo Scriptores Galli, quaſi apud Maronem olim duo alii,

. . . . *Arcades ambo,*
Et cantare pares, & reſpondere parati.

E X C U R S U S III.

Exſcribitur ad longum narratio Hiſtorica rerum Nicolai I Papæ in cauſſis Rhotadi, & utriuſque Hincmari, ex recenti Scriptore Gallo Joanne Cabaſſutio, prorſus contraria Baluzianæ narrationi.

XXV. EXſcribamus itaque verba Cabaſſutii longe aliter in media Gallia narrantis ea, quæ ad Nicolaum Papam, Rhotadum Sueſſionenſem, Hincmarum Laudunenſem, & Rhemenſem, Epiſcopos, ſpectant, quam a Baluzio memorentur. Porro, ut præmiſi, Cabaſſutius in *Notitia Eccleſiaſtica* p. 351. de Synodis Galliarum celebratis in utraque ea cauſſa, ita loquitur de Hincmaro Rhemenſi; *Rhotadum Sueſſionum Epiſcopum, Suffraganeum ſuum, optimum ſenem, eo quod Sacerdotem Sueſſionenſis Eccleſiæ moribus diſſolutum, & in ſtupro deprehenſum, Sacerdotio abdicaſſet, convocata Synodo Sylvanectenſi anno 863. cui ipſe Hincmarus præſidebat, quamque Hincmaro ſuaſore, & perverſi illius Sacerdotis, quem Rhotadus juſta depoſitionis ſententia perculerat, amico, & patrono, Rex ipſe Carolus celebrari juſſerat, Rhotadum ipſum perverſo Coepiſcoporum judicio, & Hincmari, Regis offenſam metuentium, Epiſcopatu depoſuerit, & degradatum in Monaſterium retruſerit, quamvis ad Romanum Pontificem appellaſſet, eaque appellatione debuiſſet ſuſpendi adeo nefaria ſententia. Quin etiam alium protinus in Rhotadi Sedem intruſit Epiſcopum.*

XXVI. *De his omnibus admonitus Nicolaus Papa, judicium omne ad ſe evocavit, mandavitque, ut interim libertas Rhotado aſſereretur, & utraque pars judicio Apoſtolico ſe ſiſteret. Nihil tamen Hincmarus, aut ejus Pſeudo-Synodus, eorum, quæ jubebat Pontifex, exequi dignati ſunt; ſed pro omni excuſatione aſſeverarunt, Rhotadi appellationem Imperatoris Caroli ſanctionibus eſſe adverſariam: ipſumque Carolum cum ſummo Pontifice adverſarium committere non ſunt veriti Præſules indigniſſimi.*

XXVII. *Poſt multas demum tergiverſationes Rhotado permiſſum eſt Romam proficiſci; ſed ejus condemnatores juſtum vadimonium nullatenus obiverant, nec quiſquam eorum Romæ ad dicendam cauſſam comparuit. Tandemque Nicolaus in Romano anni DCCCLXV Concilio Rhotadum, reſciſſis omnibus editis contra ipſum decretis, in ſuam reſtituit Eccleſiam: pœnamque excommunicationis quibuſcumque refractariis intentavit.*

XXVIII. *Extant Nicolai Epiſtolæ, una ad Carolum Regem, qua rogat, ut Rhotado faveat ſuam Eccleſiam reſumenti, ac ni pareat, æque ipſi excommunicationem comminatur: aliis rurſum literis Hincmarum Rhemenſem Rhotadi perſecutorem acerrimis objurgationibus coarguit. Scribit & gratulotoriam ad Sueſſionenſem Eccleſiam, quæ amantiſſimum erat receptura Paſtorem. Rhemenſis vero Hincmarus judicio tandem Nicolai acquievit, ſeque apud Nicolaum, prolixa, & apologetica Epiſtola excuſavit, quam refert integram Frodoardus Lib. 3. Hiſt. Rhemenſis Cap. 13.*

XXIX. *Vix ullum ab Apoſtolorum tempore ad noſtrum uſque ſæculum immanitatis, infenſique animi unius Catholici Epiſcopi adverſus alterum pariter Catholicum, exemplum reperire in toto Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ decurſu quis poſſit, tyrannidi par, quam Rhemenſis Hincmarus erga proprium nepotem Laudunenſem Hincmarum exercuit: Epiſcopus in Epiſcopum, patruus in nepotem, injuſtus in innocentem, refractarius adverſus Apoſtolicam Sedem, in eum, a quo illa reclamabatur.*

XXX. *Hincmarus Junior Laudunenſis Epiſcopus, cum videret patruum Rhemenſem Archiepiſcopum omnis impatientem ſubjectionis jura Sedis Apoſtolicæ minuere, & convellere conantem, ſcripta collegerat, quibus eadem roborare ſtudebat. Idem quoque Laudunenſis pro literis Apoſtolicis agens, conſenſum præbere noluerat excommunicationi, quam Rhemenſis in Carlo-manum promulgaverat, Caroli Regis filium, in præjudicium Sedis Apoſtolicæ, quam Carlo-mannus appellaverat, quæque hujus cauſſæ judicium ad ſe evocarat.*

XXXI. *Infeſtum etiam Laudunenſi Carolum Regem Rhemenſis fecerat, eo quod Laudunenſis Normannum quendam excommunicaſſet ideo, quia bona Eccleſiaſtica in beneficium a Carolo accepta reſtituere recuſaſſet Eccleſiæ. Et ſane Carolus hanc ſibi ſolitus erat licentiam vendicare, facultates Eccleſiarum in laicos transferendi, ut ſæpius conqueritur Meldenſe Concilium ſuperius adductum. Accuſabatur præterea Laudunenſis ſcripſiſſe ad ſupremum Pontificem contra præſtitum Regi juramentum, de crebra Eccleſiarum expoliatione, ſub obtentu Regiæ auctoritatis.*

XXXII. *Iſtiuſmodi accuſationes, & querelas, accuſator ſimul, & judex Rhemenſis, in nepotem ſtruxit, primum in Concilio apud Vermeriam, in agro Sueſſionenſi anno 869. Sed Lau-*

dun-

dunenſis factionem cernens, quam adverſum ſe vindicta Regis, & patrui moliebatur, eorum, utpote jure ſibi ſuſpectorum, judicium prævenit, Sedem Apoſtolicam appellans; & admonitus eorum, quæ gerebantur, Hadrianus Papa ſecundus mandavit, illam ad ſe deferri accuſationem, & vadimonium partibus indixit; ſed illi neque obtemperavit Rhemenſis, neque obtemperare potuit Laudunenſis a patruo detentus.

XXXIII. Secundum deinde ſubſecutum eſt adverſus Hincmarum Laudunenſem Concilium apud Attiniacum, Diœceſis Rhemenſis, præſente Carolo Rege anno 870. Præfuerunt Archiepiſcopi tres cum ſuis Comprovincialibus, aliiſque ſelectis Epiſcopis: tres, qui præfuerunt Archiepiſcopi ſunt, Remigius Lugdunenſis, Ardovicus Veſontienſis, & Bertulphus Trevirenſis. Coram hoc cœtu Rhemenſis ſuas adverſus Laudunenſem nepotem, tum proprio, tum Regis, qui aderat, nomine inſtauravit accuſationes.

XXXIV. Sed nulla in toto Regno ſpes Laudunenſi affulgebat obtinendi juris ſui, accuſantibus tanto vindictæ, atque odii æſtu, & Rege, & potentiſſimo callidiſſimoque totius Regni aulico, quibus nullus diſplicere impune poterat, vel audebat. Inſiſtit igitur Laudunenſis, ut ſibi liceat Romam pro defenſione proficiſci, mandante præſertim ſummo Pontifice. Sed vere latrecinans illa Synodus, nihil jura, nihil juſtam defenſionem, nihil Romanam provocationem, nihil Zachariæ Pontificis citationis edictum penſi habens, Laudunenſem ſuo dejectum Epiſcopatu in tetrum carcerem conjici mandat, ferreis onuſtum catenis. Expoſtulatio Laadunenſis Hincmari, quam Joanni Papæ Octavo in Concilio Trecenſi obtulit, meminit, ſecundum quædam exemplaria, facta hæc fuiſſe ſtatim a Concilio Attiniacenſi, ut Boronius & Binius obſervant; ſecundum autem alia quædam exemplaria ad Duziacenſe Concilium referuntur.

XXXV. Tertia demum inita eſt Synodus apud Duziacum Campaniæ vicum (vulgo Douzi) Rhemenſis Diœceſis, anno 871. Hic, perdurante Rhemenſis, & Caroli Regis implacabili vindicta, & utroque fortiter accuſante, invitis quidem, ſi ipſis tutum, ac liberum fuiſſet, ſed gravi formidine adductis, condemnatoribus, iteratæ ſunt priſtinæ infelicis rei damnationes. Et quamvis Laudunenſis ſuſpectos ſibi judices conſtanter recuſaret, ſuique judicium extra duorum infenſiſſimorum, & præpotentiſſimorum accuſatorum ditionem ex æquo fieri poſtularet, atque in ſua priſtina ad Summum Pontificem, qui dudum iſtam criminis cauſſam ſuum ad tribunal evocarat, appellatione perſiſteret; ipſo præſente, atque urgente Carolo Rege, Laudunenſis iterum damnatus, & Epiſcopatus gradu ejectus eſt.

XXXVI. Defuncto Hadriano II. Pontifice (cujus ultimo fere anno Synodus in Gallia Duziacenſis habita eſt) datus ſucceſſor fuit Joannes octavus, prædeceſſori ſuo longe diſſimilis. Cum enim Hadriani ab omnibus Scriptoribus laudetur invicta in rebus juſtis animi conſtantia, ex adverſo, tum a Baronio, tum ab aliis gravibus Scriptoribus, inſimulatur Joannes profuſioris facilitatis in obſequendo injuſtis potentiorum poſtulatis, ex nimia formidine, &, ut ait Baronius, prudentia caruis, ob quam exiſtimatur occaſionem fabulæ de Joanna Papiſſa, quam inanes aliqui Scriptores in hæc tempora intruſerunt, præbuiſſe.

XXXVII. Hic, mortuo ſine liberis Ludovico II. Imperatore, cum ſucceſſio Imperii ejus fratri Germaniæ Regi alteri Ludovico, non vero patruo Carolo deberetur, Carolum nihilominus in Auguſtum coronavit. Sed plus a Carolo potentiore, quam a Ludovico Joannes, & formidabat, & ſperabat. Simili poſtmodum facilitate Baſilio Græcorum Imperatori, ſtatim ab Ignatii Patriarchæ obitu per Legatos petenti, ut Photium mortalium deterrimum, olim Ignatii Viri ſanctiſſimi perſecutorem atrociſſimum, Sediſque illius invaſorem, Romanæ Eccleſiæ perpetuo infenſum, & ſchiſmaticum, quem ſancti prædeceſſores Pontifices Nicolaus & Hadrianus II. anathemati ſubjecerant, quique ipſos viciſſim excommunicare præſumpſerat; & quem iſte idem Joannes, cum eſſet Romanæ Eccleſiæ Archidiaconus, cum ipſis Pontificibus publico adhibito jurejurando nunquam eſſe recipiendum ſe obſtrinxerat; nulla præterea per Photium exhibita pœnitentia tantorum exceſſuum, vel levi ſignificatione, conſenſit tamen, ut ſacrilegus ille in Patriarchatum Conſtantinopolitanum promoveretur: addita etiam in omnes Photio communicare renuentes excommunicationis pœna.

XXXVIII. Quæ veriſimilis cauſſa eſt, cur Anaſtaſius, qui octavæ Oecumenicæ Synodo Conſtantinopoli interfuerat, eamdemque in Latinum tranſtulerat, qua Photius ſacrilegus, & invaſor diris devovebatur, mollitiem Joannis averſatus, noluerit Joannis Vitam ad prædeceſſorum, quas conſcripſerat, Vitas adjungere. Nihil eſt igitur, cur quis miretur, ſi poſtquam Carolus Calvus Romam adiit, quem Joannes Papa tam ſæpe repetitis literis ſollicitaverat, ut Romanæ Eccleſiæ Sarracenorum armis vexatæ, atque in extremum diſcrimen adductæ, ſuppetias ferret, tam mollis, & meticuloſus Pontifex præſentis, & armati Caroli Imperatoris, implacabilis Laudunenſis adverſarii petitionibus, nemiae pro iſto inſtanti defenſore, iſtud indulſit, ut judicium Duziacenſis Concilii confirmaretur ſine ulla judicii forma, ad ſolius infenſiſſimi ſimul & potentiſſimi accuſatoris petitionem, & ab Joanne literas ad Rhemenſem quoque pertinacem adverſarium, accuſatoremque extorſerit.

XXXIX. Hanc ſolam tantæ facilitatis cauſſam, omni rationi, & juſtitiæ adverſam, & perverſiſſimi exempli, quia accuſator ſimul & adverſarius hoc aſſerit, ergo fides illi adhibenda, & reus infenſus condemnandus, Carolus, *inquit*, invictiſſimus Imperator a nobis diligentiſſime percontatus, circumſtantiam judicii a Beatitudine tua, Coepiſcopiſque ſuis, in Hincmarum dudum Laudunenſem Epiſcopum prolaſl, Apoſtolatui noſtro retulit: agnovimus juſtum omnino fuiſſe judicium: neque enim tantus Princeps, niſi veritate fulſum, quidquam poterit affirmare. Unde nefas eſſe duximus, ejus relationi non præbere incunctanter auditum. Ita factum eſt, ut Rhemenſis, poteſtate ſibi facta, quam prædeceſſor Pontifex Hadrianus II. & Regi Carolo, & Conciliabulo, & Rhe-

menſi innixe petentibus,conſtanter recuſaverat, additis etiam ad iſtos, maxime vero Rhemenſem literis; nunc incunctanter curaverit Hadenulphum in locum dejecti Epiſcopum creari Laudunenſem, ne qua dejecto ſpes reſtitutionis ſupereſſet.

XL. *Veruntamen Laudanenſi ad imam dejectionem depreſſo, ſerenior demum lux ariſit,completumque in ipſo ſuit Divini Pſalmiſtæ oroculum:* Multæ tribulatiunes juſtorum, & de omnibus iis liberabit eos Dominus. *Mortuo Carolo Calvo, deſiit metuendi cauſſa, multumque imminuta eſt tyrannica illa Rhemenſis dominatio. Quapropter Joannes Papa in Galliam profectus, & a Rege Ludovico Balbo, qua decebat veneratione, exceptus, Synodum in Civitate Tricaſſina indixit novem & viginti Epiſcoporum, cui ipſe trigeſimus præfuit. Inter hos Hincmarus Rhemenſis, ſed deficiente tyrannica poſt obitum Caroli Calvi formidine, nihil de conquerente palam Laudunenſi mutire eſt auſus, ne priſtinæ iniquitatis ſuæ myſterium in apertam lucem proferretur.*

XLI. *Fuerat poſt Duziacenſe Concilium Laudanenſis in carcerem truſus, ferrea catena vinctus, deinde crudeliter ſine judicii forma excæcatus, ſicque oculis orbus in miſerum exilium deportatus. Haſce omnes ærumnas nihil diſſimulans, in auctorem refert Rhemenſem Archiepiſcopum: ab Epiſcopis invitis, immo etiam gementibus, quorum multi in Concilio tunc Tricaſſino erant, ſe damnatum dicit ac depoſitum: nec tamen quiſquam eorum huic Laudunenſi expoſtulanti contradixit.* Judicium, *inquit*, præfatus Archiepiſcopus ſuper me impoſuit,ut ab Epiſcopali removendus eſſem officio. Sed alii gemebant,flebantque, inter quos nullum merebar pati inimicum. Scripta quidem ab eodem Archiepiſcopo ipſis impoſita manibus tenentes, ſed ore proferre nolentes, inviti vix verba ſingultiebant; aditum tamen ad Sedem Apoſtolicam minime ſperantes mihi poſſe denegari. Unde ſalvo per omnia Sedis Apoſtolicæ judicio, ipſi finem lectionis terminavere. Poſt hæc tranſmiſſus ſum in exilium, in quo per duos annos ſanus, ſed aliquanto tempore ferro vinctus cuſtoditus ſum. Duobis annis ferme peractis inſuper cæcatus ſum, & uſque modo retentus ad vos, & ad veſtræ ſerenitatis piiſſimam præſentiam, mox ut venire dimiſſus potui, protinus acceſſi.

XLII. *Aimoini Hiſtoria continuata Lib. 5. Cap. 37. refert, non conſenſiſſe Pontificem aliquorum Epiſcoporum petitioni, ut Laudunenſis priſtinam Sedem reſumeret, ne proprio decreto adverſaretur cum aliqua famæ ſuæ diminutione, quia inſiſtenti Carolo Calvo Imperatori non fuerat auſus diſplicere: cujus amicitia ad coercendos hoſtes tota Italia graſſantes ſibi erat neceſſaria, ideoque Hedenulphus, ſic extorto Joannis conſenſu, creatus Laudunenſis Epiſcopus, quamvis abdicari humiliter peteret, in ſua conſervatus eſt dignitate. Quidquid vero potuit Laudunenſi Hincmaro concedi, libens Joannes indulſit, ut ſibi liceret, tametſi cæco, Miſſam celebrare, veſtibus amictum Pontificalibus, & proventuum Epiſcopalium parte potiri.*

XLIII. *Quanta vero eſſet Epiſcoporum in ipſum benevolentia, manifeſte apparuit: quia & Metropolitani & Provinciarum Epiſcopi, ſine præceptione Papæ, perinde ac ſolent famulantes Clerici, Hincmarum ſacris veſtibus induerant, & lætitia geſtientes in præſentiam ſummi Pontificis deduxerunt, indeque ſublatum cantantes in Eccleſiam illum duxerunt, & ſignum benedictionis ad populum dare fecerunt.*

XLIV. *Quam evidenter quæ hactenus breviter protuli, calumnioſa mendacia coarguunt, quibus ſcatet illud additamentum, quod noviſſimæ Conciliorum Collectioni acceſſit ad calcem Tomi VIII.? Illud numero ſecundum Tricaſſinam, ſeu Trecenſe Concilium anno Chriſti 878. Joanne VIII. Papa, regnante in Francis Ludovico Balbo, celebratum eſt.*

XLV. Hactenus Caballutius, præter plura alia contra Hincmarum Rhemenſem, quæ exſcribere nolo, nec de illo credere; quoniam aliqua eorum fortaſſe potius ex conjectura,quam ſolido alicujus veterum teſtimonio proferuntur. Quæ vero hactenus ex illo dedimus, ſufficient ſaltem, ne quiſpiam fidem ullam præſtet, vel Cellotio, vel Baluzio, dum Rhotadi, & Hincmari Laudunenſis famæ detrahunt; dum utriuſque appellationes, veluti juri Canonico contrarias, rejiciunt; & denique dum Nicolao ſanctiſſimo Pontifici illas admittenti,& Romam evocanti utrumque ad dicendam cauſſam, non verentur inurere notam *incredibilis audentiæ*, & inſuper *audaciæ*, qua *abundaſſe* ajunt. Longe aliter de illo ſenſerunt ac tradiderunt quotquot Hiſtorici hactenus de eo locuti ſunt, præſertim ſupra indicatos num. 22. & unuſquiſque eorum fidentius, aut ſecurius de Nicolao diceret, quam olim Niſus de Euryalo apud Maronem:

. . . . *Nihil iſte, nec auſus,*
Nec potuit: Cælum hoc, & conſcia ſidera teſtor.

XLVI. Hinc obiter reſpuendus venit Joannes Gerbaſius in Diſſert. *De Cauſſis Majoribus*, Art. 1. §. 4. ubi Leonem IX. & Gregorium VII. (ambos SS. Faſtis adſcriptos) pariter audaciæ notat, fere in hac controverſia; non erubeſcens dicere: *Gregorius VII. Leone* (nimirum IX.) *haud minus audax, rem etiam infinite definit, atque in famoſo illo Decreto, quod vulgo Dictatum vocatum, eam veluti legem figit: QUOD MAJORES CAUSSÆ CUJUSCUMQUE ECCLESIÆ AD SEDEM APOSTOLICAM REFERRI DEBEANT.* Didicit nempe Gerbaſius ab aliis depereuntibus Gallicanas Libertates, eam uſurpare ſcribendi licentiam, ut nec Divis parceret. Itaque Nicolaus Papa omnium teſtimonio præſtantiſſimus pietate, ac doctrina, & judicio multorum inter Sanctos relatus, dum admiſit appellationes illas in cauſſis Rhotadi & Hincmari utriuſque, nec Jus Canonicum violavit, nec metas ſuæ auctoritatis prætergreſſus fuit, neque *audentiæ incredibilis*, vel *audaciæ*, præſertim in gradu excedenti, notari jure poteſt. Quin potius in eo obſervavit Jus antiquum ſacrorum Canonum Sardicenſis Concilii, ut conſtabit ex Diſſert. proxime ſequenti; & exequutus fuit quod ipſius prædeceſſores, ac Sanctiſſimi Pontifices, Innocentius I. Bonifacius I. Leo I. Gelaſius I. Symmachus, & Gregorius Magnus, tradiderant, egerantque. Sane, Actore non probante, reum abſolvi debere, jura clamant. Atqui Baluzius cum Cellotio actor eſt, & nihil probat con-

contra Nicolaum, neque ullum antiquum & idoneum teſtem producit. Quidquid ex conjectura addit, rejicitur ab aliis probantibus geſta Nicolai, etiam in cauſſis illis Epiſcoporum appellantium. Nicolaus igitur ab iis accuſationibus liber, & innoxius pronunciari debet. Maneat itaque firmum, nec toto ſæculo octavo, nec nono, in quo Nicolaus humana poſuit anno 867. introductum fuiſſe in Eccleſia Jus aliquod novum ex Epiſtolis Iſidorianæ Collectionis, ſacris Canonibus contrarium; ac proinde opinionem D. Baluzii, aliorumque quorundam, eſſe prorſus voluntariam, & a veritate alienam. Quod ipſum uberius conſtabit ex Diſſert. ſequenti.

DISSERTATIO SEPTIMA

An Jus Epiſcoporum ad appellandum Sedem Apoſtolicam, traditum in Epiſtolis Iſidorianæ Collectionis, fuerit reipſa novum, & ſacris Canonibus contrarium. Ubi plura adhuc de Hadriano I. & iterum de Nicolao, Pontificibus Romanis.

Duabus Diſputationibus præcedentibus oſtenſum fuit, Pontifices ſæculi octavi, inſuper & noni, uſque ad annum 867. in quo Nicolaus I. humana poſuit, liberos fuiſſe ab ea nota inductionis novi Juris ex Epiſtolis Collectionis Iſidorianæ, quam iis inurit D. Baluzius. Neque enim eximia illorum pietas, & doctrina, communi Hiſtoricorum teſtimonio comprobata, permittit credere de aliquo eorum, vel talem ſtuporem ignorantiæ, vel ejuſmodi negligentiam, ut ſineret ſuo tempore obtrudi in totam Eccleſiam ab aliquo nebulone ex ſuppoſititiis veterum Pontificum Epiſtolis novum Jus, contrarium antiquis Canonibus Spiritu Dei conditis, & totius mundi reverentia conſecratis. Quareupereſt ſolum, ut examinemus, an Jus illud appellandi Sedem Apoſtolicam, conceſſum Epiſcopis in prædictis Epiſtolis Iſidorianæ Collectionis, vere ſit antiquis Canonibus contrarium, ac proinde novum, ſeu noviter intruſum a tempore octavi, aut noni ſæculi. Ubi plura occurrent in defenſionem Sanctiſſimorum Romanæ Eccleſiæ Præſulum Hadriani. I. & Nicolai I. præter ea, quæ in ſuperioribus dedimus.

EXCURSUS I.

Occaſio deſumpta a recentioribus ex Epiſtola Melchiadis Papæ ad Epiſcopos Hiſpaniæ, extante in Collectione Iſidoriana: ubi judicia Epiſcoporum dicuntur ſpectare ad Sedem Apoſtolicam. Oſtenditur, id non fuiſſe introductum novo aliquo jure, ſed veteri: utpote conforme antiquiſſimæ traditioni totius Eccleſiæ, ejuſdemque perpetuæ praxi, confirmatæ poſtea in Hadriani I. Papæ Capitulis, ex quibus plura obſervantur.

II. Præcipua Epiſtolarum Collectionis Iſidorianæ, ex qua D. Baluzius in Præfatione ad Dialogos Antonii Auguſtini §. X. contendit, inductum fuiſſe novum Jus in Eccleſia, eſt illa Melchiadis Papæ nomine edita ad Epiſcopos Hiſpanienſes, in qua omnis criminum Epiſcopalium cognitio videtur interdici Synodis Provincialibus: *Epiſcopos*, inquit, *nolite judicare, nolite condemnare abſque Sedis hujus auctoritate. Quod ſi feceritis, irrita erunt veſtra judicia, & vos condemnabimini Hoc enim privilegium huic Sanctæ Sedi a temporibus Apoſtolorum ſtatutum eſt ſervari, quod illæſum manet uſque in hodiernum diem*. Hæc fuit petra ſcandali, ſive lapis offenſionis Hincmaro Rhemenſi in cauſſis Rhotadi, & alterius Hincmari Laudunenſis. Hæc etiam occaſio controverſiarum illius cum Pontificibus Romanis Nicolao I. & Hadriano II. Hæc denique cauſſa, cur Baluzius, poſt Marcam, & alios quoſdam e Gallis, criminentur appellationes Epiſcoporum a Synodis Provincialibus ad Romanum Pontificem, veluti ſacris Canonibus contrarias.

III. Sed enim eas criminationes eſſe a jure, & ratione alienas, oſtendi imprimis poteſt ex plurimis aliis veterum Pontificum Melchiade antiquiorum Epiſtolis, in eadem Iſidori Collectione extantibus, quarum auctoritati neminem intentaſſe litem uſque ad Hincmarum ipſum, ſatis oſtenſum fuit ſupra Diſſert. IV. Idipſum enim fere, quod in ea Melchiadis Epiſtola, ſi recte intelligatur, extat, veluti ex Apoſtolica traditione receptum, & aſſidua conſuetudine ſervatum, legitur apud S. Anacletum Papam Epiſt. I. II. III. S. Eleutherium in Epiſt. ad Galliarum Epiſcopos, unde ſumitur 3. Q. 6. C. 7. S. Victorem, Epiſt. I. S. Xyſtum I. Epiſt. I. ad Epiſcopos per Hiſpaniarum provincias conſtitutos, ex quo habetur 3. Q. 6. Cap. 5. S. Zephyrinum Epiſt. I prout extat. 5. Q. 4. Cap. 2. S Lucium I. Epiſt. ad Epiſcopos Hiſpaniæ, & Galliæ. S. Marcellum Epiſt. I. unde eſt Cap. 15. Cauſſa 24 Q. I. & Epiſt II. unde ſumitur Cap. I. Diſt. 17. ut aliorum veterum Pontificum Epiſtolas omittam. Quin & illius Melchiadi adſcriptæ partem referunt S. Ivo Carnotenſis in Gallia Epiſcopus Par. 5. Cap. 46. Decreti, & Burchardus Lib. I. Cap. 2. Nimirum, omnibus iis locis majores cauſſæ, & judicia Epiſcoporum, ad Sedem Apoſtolicam referri præcipiuntur, ut ab ea terminentur, ſeu finem habeant. Incredibile autem apparet, omnes eas, & plures alias Epiſtolas, nomine veterum Pontificum ſcriptas tot retro ſæculis, in quibus eadem doctrina habetur; omnes, inquam, eſſe ſuppoſitas, & fictitias, nulla excepta; nam ſi vel una aliqua illarum germana ſit, vera cenſeri debet doctrina

illa. Eadem habetur palam tradita a plurimis RR. Pontificibus, tum antiquioribus, tum poſterioribus Melchiade: quorum teſtimonia habentur in Tractatu de Primatu Romanæ Eccleſiæ, qui ex Codice ms. editus fuit Coloniæ anno 1525. & poſtea Pariſiis anno 1609. ac tandem anno 1672. in Collectione Labbeana Concil. Tom. 1. col. 65. & ſeqq. & multa quidem eorum certa prorſus, & explorata apud omnes.

IV. Unde Hadrianus I. Papa graviſſimus, & Carolo Magno Francorum Regi imprimis charus, ex iis omnibus Epiſtolis eruit Capitulum tertium illorum, quæ Reges ipſi Galliarum in ſua Capitularia retulerunt: *Nullus Epiſcopus* (inquit) *niſi Canonice vocatus, & in legitima Synodo ſuo tempore APOSTOLICA AUCTORITATE CONVOCATA* (*cui juſſione Domini, & meritis B. Petri Apoſtoli, ſingularis congregandorum Conciliorum auctoritas, & ſanctorum Canonum, ac venerandorum Patrum decretis multipliciter privata tradita eſt poteſtas*) *ſuper quibuslibet criminibus pulſatus audiatur, vel impetatur. Si autem præſumptum a quibuslibet fuerit, in vanum deducetur, quod egerint &c.*

V. At, inquiunt ii recentiores, Epiſtolas omnes nuper laudatas eſſe prorſus commentitias. Addit Baluzius, Capitula nomine Hadriani edita, fuiſſe antea collecta ab Ingilramno Epiſcopo Metenſi, qui *primus omnium mortalium contra Divinos Canones convellere tentavit Jus antiquum, QUANDO PRO SUI CAUSSA AGEBATUR; ideſt* (ut ipſe conjicit) *quando accuſatus de aliquo crimine, ſubtrahere ſe voluit cognitioni ſuorum judicum.*

VI. Sed quam immerito ea nota inuratur iis omnibus Epiſtolis, aliiſque pluribus veterum Pontificum nomine editis, a graviſſimo Doctore S. Iſidoro Hiſpalenſi collectis circa annum 620. & in magna veneratione habitis, tum a Pontificibus Romanis ab eo tempore uſque modo, tum etiam ab omnibus orthodoxis, decurſu tot ſæculorum, jam ſatis conſtitit ſupra Diſſer. IV. & conſtabit amplius ex Notis ſuo loco edendis ad ſingulas earum, quotquot ad Hiſpaniam ſpectant, inter quas una eſt illa Melchiadis Papæ.

VII. Deinde, nullum eſt ſolidum fundamentum, ut Capitula illa adſcribantur Ingilramno Epiſcopo, & non potius Hadriano I. Papæ: utpote cui in omnibus exemplaribus tam manuſcriptis, quam impreſſis, tribuuntur, & nominatim in antiquiſſimo Codice 630. Bibliothecæ Vaticanæ, quod fuit olim Joannis Epiſcopi Attrebatenſis, & ſcriptum invenitur tempore Nicolai I. Ibidem enim pag. 310. extant Capitula ipſa ſub hac epigraphe: *Capitula collecta ab Ingilramno Medio-matricis urbis Epiſcopo ROMÆ AB PAPA TRADITA, ſub die 13. Octobris Indictione nona, quando pro ſui cauſſa agebatur.* Neque obſtat, quod Baluzius §. IV. opponit, in veteri Codice ms. Bibliothecæ S. Victoris Pariſienſis extare hæc verba: *Incipiunt Capitula collecta ex diverſis Conciliis, ſive Decretis Pontificum Romanorum, ab Ingilramno Metenſi Epiſcopo, & Hadriano Papæ oblata*, Nam imprimis tribuenda eſt potius fides reliquis omnibus manuſcriptis, quam uni ſoli. Præterea cum Carolus Magnus ea Capitula accepiſſet ab Hadriano Papa anno 773. aut 774. ut ſtatim dicemus, potuit Ingilramnus aliquod eorum exemplar nanciſci, & ſecum Romam deferre, *quando pro ſui negotii cauſſa agebatur.* Denique ſemper extorquetur, Hadrianum ea Capitula feciſſe ſua per illorum approbationem, & evulgationem ipſius nomine factam ab eo tempore. Nec vero putandum, iis Capitulis cæcam fidem datam ab Hadriano, graviſſimo, & integerrimo Pontifice; ſed potius diligenti examine præmiſſo, & collatis iis cum exemplaribus fide dignis Conciliorum, Epiſtolarumque Pontificiarum, inventa fuiſſe germana, & iis cohærentia.

VIII. Urgetur idipſum. Nam Hadrianus anno 774. obtulit Carolo Magno Romæ Compendium Canonum, quod habetur Tom. VI. Collectionis Labbeanæ col. 1800. & ſeqq. atque in iis Sardicenſium (col. 1810. & ſeqq.) Inter eos vero tertius eſt: *Ut inter diſcordes Epiſcopos, comprovinciales Epiſcopi audiant. Quod ſi damnatus appallaverit Romanum Pontificem, id obſervandum eſt, quod ipſe cenſuerit.* Quartus vero ſic habet: *Ut nullus appellantis Epiſcopi Sedem uſurpare præſumat.* Illa ergo Capitula collecta fuerunt ab Hadriano, aut ſaltem probata, veluti conſentanea ſacris Canonibus, præſertim Concilii Sardicenſis. Idem dicendum de Capitulo illo ſeptimo Hadriani: *Quod Provincialis Synodus per Vicarios Romani Pontificis retractari poſſit, ſi ipſe ita decreverit.* Hæc autem ſunt præcipua dogmata, ob quæ Epiſtolæ Collectionis Iſidorianæ impugnantur ab iis recentioribus.

IX. Hoc loci obiter ἀκολουθίαν D. Baluzii deſidero. Si enim, ut ipſe alibi ſæpe ait, Epiſtolæ illæ nov-antiquæ fabricatæ fuerunt ab Iſidoro circa finem ſæculi octavi, neque umquam notæ extra Hiſpaniam uſque ad initium noni, quando Riculphus Præſul Moguntinus Collectionem Iſidorianam detulit, & per finitimas regiones promulgavit: quomodo Ingilramnus multo ante finem ſæculi octavi (nimirum tempore Hadriani I. Papæ, qui Eccleſiam rexit ab anno 772.) jam collegerat ea Capitula ex iiſdem Epiſtolis in Urbe Metenſi? Extabant igitur aliis locis, antequam ex Hiſpania deſerretur in Germaniam Iſidoriana Collectio; ac proinde non fuerunt in Hiſpania fabricatæ in fine ſæculi VIII. aut initio noni. Si Hadrianus anno 774. Capitula illa tradiderat Carolo Magno, & ante Hadrianum Ingilramnus Epiſcopus, juxta Baluzium, ea collegerat: quomodo primus eorum Capitulorum fabricator eſſe potuit Iſidorus Mercator, qui pluribus poſtea annis vixiſse, & ſcripſiſse dicitur? Sane omnia hæc ἀσύστατα ſunt. Vide quæ præmiſimus Diſſert. V. num. 14.

X. Sive autem Hadrianus Papa collegerit ea Capitula ex Conciliis, & Decretis Pontificum Romanorum (ut palam conſtat ex mſs. antiquiſſimis, & ſupra num. 7. præmiſimus) ſive antea, aut poſtea ab Ingilramno collecta fuerint; id certum eſt, Hadrianum ipſum ea probaſse, & obſervanda tradidiſse, tum toti Eccleſiæ, tum Carolo Magno Francorum Regi anno 774. Non eſt autem veroſimile, tantum, & talem Pontificem, pietate, doctrina, & integritate inſignem, aliquid tradidiſse toti Eccleſiæ, vel ſpeciatim Carulo Magno, contrarium ſacris Canonibus, Dei ſpiritu conditis, & totius mundi reverentia conſecratis. Nec Baluzius, qui Epiſcopis, & Cle-

Clericis ævo Caroli Magni tribuit *ſtupendam ac miſerabilem inſcitiam , & vetuſtorum Canonum ignorantiam* , audebit Hadriano inurere eam notam imperitiæ ſacrorum Canonum , vel negligentiæ circa eorum obſervationem : utpote de quo alia omnia leguntur apud hiſtoricos probatæ fidei .

XI. Sufficiat audire veterem illum , qui ſcripſit ejus Vitam extantem in Collectionibus Conciliorum , ac nominatim in Labbeana Tom. VI. Col. 1726. & ſeq. ubi initio hæc de illo habentur : *Vir fuit valde præclarus , & nobiliſſimi generis proſapia ortus , atque potentiſſimis parentibus Romanis editus , elegans , & nimis perſona decorabilis : conſtans etiam , atque fortiſſimus orthodoxæ Fidei, ac patriæ ſuæ, & plebis ſibi commiſſæ defenſor ; viriliter cum Dei virtute inimicis ſanctæ Dei Eccleſiæ , ac Reipublicæ impugnatoribus reſiſtens ; pauperum etiam , omniumque indigentium , miſericordiſſimus ac copioſus conſolator. ECCLESIASTICÆ QUOQUE TRADITIONIS, ET SANCTORUM PATRUM INSTITUTIONUM OBSERVATOR* . Ac paullo poſt de illo, dum adhuc eſſet Diaconus , dicitur : *Multipliciter ſpiritualibus pollens ſtudiis , maximam , tam ad evangelizandum populum ſolerter , ac clare , Divina atque Evangelica verba , quam ad exercendam ſolerter Eccleſiaſticam traditionem , geſſit curam .*

XII. Mitto plurima alia ex eadem Vita Hadriani ſatis longa , quæ procul ab eo pellunt omnem ſuſpicionem ignorantiæ ſacrorum Canonum , aut negligentiæ in iis cuſtodiendis Mitto epitaphium ipſi compoſitum a Carolo Magno undeviginti diſtichis , in quibus ſummæ ipſius laudes leguntur . Itaque non niſi atroci injuria Hadriano Papæ I. tribui poſſet ea labes , aut imperitiæ, aut negligentiæ circa ſacros Canones. Igitur Jus Epiſcoporum ad appellandum Sedem Apoſtolicam , teſtatum paſſim in Epiſtolis Pontificis Iſidorianæ Collectionis , & in pluribus aliis indubitatis poſtea allegandis , ac traditum ab Hadriano in iis Capitulis , non fuit noviter ab eo inductum , vel intruſum ejus tempore , contra Jus antiquum ſacrorum Canonum .

E X C U R S U S II.

Demonſtratur id ipſum ex Primatu Apoſtolicæ Sedis in omnes Eccleſias , non Occidentis modo , ſed Orientis ; & ex perpetuo uſu appellationum ex iis ad illam , præſertim in gravioribus cauſſis , ſive judiciis Epiſcoporum , confirmato in Concilio Generali Sardicenſi .

XIII. VErum ſinamus , omnes illas Epiſtolas veteribus Pontificibus Romanis adſcriptas , non eſſe auctoritatis certæ, & exploratæ , nec vel unam aliquam illarum in quibus judicia Epiſcoporum, ſicuti & omnes majores cauſſæ , *præcipiuntur* referri ad Apoſtolicam Sedem , ut ab ea finem habeant . Sinamus , illas non debere *venerabiliter recipi*, quod tamen Hincmarus Rhemenſis , adeo laudatus a Baluzio , & aliis quibuſdam recentioribus , nunquam auſus fuit dicere , ſed potius contrarium , ne palam contradiceret decreto notiſſimo S. Gelaſii Papæ . Demus etiam, exſibilandas eſſe , veluti nothas , ſuppoſititiaſque , & contemnendas , uti effutiit David Blondellus, profeſſione Calvinianus , auctor Pſeudo-Iſidori editi anno 1628. propterea reprehenſus ab Archipræſule Marca , licet nobis alioqui contrario : adhuc tamen plurima , ac plane decretoria ſuppetunt , ut cauſſæ majores , & in iis judicia Epiſcoporum , juxta ſacros , & antiquos Canones , ac decreta indubitata aliorum Romanorum Pontificum , imo & attento jure Divino, ſpectent ad Apoſtolicam Sedem , & ab ea terminari debeant , quoties interponitur appellatio.

XIV. Hoc poſtremum , quod caput eſt , & fundamentum cæterorum , conſtat imprimis ex ordine Eccleſiaſticæ Hierarchiæ a Deo inſtituto prudentiſſime ſuo regimine Monarchico Pontificis Romani , non autem Ariſtocratico , ut antiqui Apoſtolicæ Sedis hoſtes ſomniarunt , & recentes Monarchomachi effutiunt ; propterea jure ab ipſa rejecti , & doctiſſimis Catholicorum Doctorum ſcriptis impugnati . Monarchicum enim regimen Romani Pontificis innititur Divinæ Inſtitutioni, qua Chriſtus Dominus commiſit Petro regimen totius Eccleſiæ ſuæ abſque ulla locorum limitatione , verbis illis : *Tu es Petrus , & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam &c.* Nec in re adeo obvia , & explorata immorandum nobis eſt adverſus impium Apoſtatam Marcum Antonium de Dominis , & alios Monarchomachos , Eccleſiæ Romanæ hoſtes , ſive manifeſtos , ſive occultos . Legendi præſertim circa id , Sanctus Thomas in Opuſculo contra errores Græcorum , S. Antoninus 3. Part. Summæ , Vvaldenſis Lib. 2. Doctrinæ Fidei & Patrum , Turre cremata Lib. 2. Summæ , Emmanuel Calecas Græcus Scriptor , ſimiliter & Beſſarion Cardinalis; atque ex Auctoribus præcedentis ſæculi quinque Cardinales , Roffenſis , Cajetanus , Contarenus , Polus , Oſius : præterea Catharinus , Echius , Pighius, Latomus , Faber , Cochlæus , Campegius , Delphinus , Petrus Soto , Melchior Canus , Alphonſus de Caſtro, Franciſcus Turrianus, Joannes a Lovanio , Remundus Ruffus , Ruardus Tapper , Nicolaus Sanderus : ex Scriptoribus denique hujus ſæculi , Cardinales , Baronius , Bellarminus , Perronius ; ac præterea Gretſerus , Petavius , Sirmondus , Leo Allatius ; & noviſſime duo lumina Benedictinæ Religionis , Cæleſtinus Sfondratus Abbas Sancti Galli , & Auguſtinus Rheding , ambo S. R. Imperii Principes , & Scriptores celebres , ut alios prætermittam . Omnes enim ii Primatum Sedis Apoſtolicæ , ſive auctoritatem ejus Monarchicam in totam reliquam Eccleſiam , tam valide confirmarunt ex ſacris literis , traditionibus , teſtimoniiſque veterum Patrum , & Conciliorum , ut nemo refragari poſſit , niſi qui ſponte cæcutire velit , & proprio judicio prædamnari .

XV. Ex eo jure , perpetua traditione confirmato a tempore Apoſtolorum , ortus fuit uſus aſſiduus appellandi Sedem Apoſtolicam omnibus ſæculis , quoties quis ſe gravatum injuſte cenſet a quolibet judice Eccleſiaſtico , & ab ipſis Synodis Provincialibus , non modo celebratis in Occidente , cujus ſpecialis Patriarcha eſt Pontifex Romanus , ſed etiam in Oriente . Id enim teſtatiſſimum habetur in Conciliis,& Hiſtoriis Eccleſiaſticis ; quidquid olim contenderent Euſebiani , jurati Apoſtolicæ Sedis , ſicut & τοῦ ὁμοουσίου , hoſtes ; quorum errorem quoad

illam

illam partem poſtea alii plures Græci ex orco ſuſcitarunt, & in iis veluti Schiſmaticorum dux Theodorus Balſamon. Hic enim ſolum admittit appellationem Occidentalium ad Pontificem Romanum, jure Patriarchico ſpeciali: Orientalium vero rejicit. Unde in verba illa Hoſii, *Petri Apoſtoli memoriam honoremus*, quæ extant in tertio Canone Sardicenſi, dicere audet: *Hujus Canonis decreto ſummi Sacerdotes antiquæ Romæ in quacumque cauſſa ab Epiſcopis provocationem ad ipſos dari jactant, ac eundem in prima Nicæna Synodo conditum fuiſſe, neque ad ipſum provocationes ab omnibus Epiſcopis, ſed ab iis tantummodo, qui eidem ſubjecti erant, dari oportere, decernit. Romanæ autem Eccleſiæ ditioni eo tempore omnes fere Occidentis Eccleſiæ ſubjiciebantur; Macedoniæ nimirum, Theſſaliæ, Illyrici, Peloponneſi, & ejus, quæ Epirus dicitur; ut proinde ad illam provocationes ex his locis referri ſit conſentaneum.*

XVI. Gratulandum eſt homini Schiſmatico, quod iis verbis ſaltem fateatur in omnibus Occidentalibus Eccleſiis admitti debere appellationes ad Sedem Apoſtolicam. Hoc enim ipſum non ſatis, non plane profitentur hodie nonnulli ex impugnatoribus Collectionis Iſidorianæ, qui tamen ſe ab omni ſchiſmate, nedum hæreſi, immunes volunt. At in eo, quod idem Balſamon negat de Eccleſiis Orientalibus, rejicitur palam perpetuo earum uſu, & appellatione crebra Epiſcoporum a Synodis, in quibus damnati fuerunt.

XVII. Ex plurimis exemplis ſufficiat nonnulla indicare omnino certa, & explorata. Ut enim refert Euſebius Cæſarienſis Lib. 5. Cap. 15. & 18. ex antiquo Claudio Apollinario Epiſcopo Hierapolitano, Montanus, Florianus, Baſtus, & alii ipſorum ſequaces, damnati fuerunt in variis Synodis regionum Antiochenæ, Aſiaticæ, & Ponticæ (quæ plane inter Orientales cenſentur) appellarunt vero Zephyrinum Pontificem Romanum, ut ſibi ablatam communionis pacem reddi præciperet, teſte Tertulliano Lib. contra Praxeam Cap. 1. ubi acriter reprehendit eundem hæreticum quod a Pontifice circumvento feciſſet revocari literas communicatorias jam emiſſas, quibus diſſolverat ſententias earum Synodorum.

XVIII. Paullus Samoſatenus Epiſcopus in Oriente dejectus fuit a ſua Sede, non tamen abſque auctoritate Romani Pontificis; quidquid contra garrierint poſtea Euſebiani hæretici. Conſtat id ex relatione Synodi Antiochenæ ad Dionyſium Papam, apud Euſebium Cæſarienſem Lib. 7. Cap. 24. ubi & hæc habet de Aureliano Auguſto, quamvis ethnico, benigno tamen erga Chriſtianos: *Cum Paullus ex Epiſcopi domo, ejus Eccleſiæ propria, exire nollet, Imperator Aurelianus ea de re rogatus ſententiam, ſanctiſſime quid eſſet agendum decrevit. Præcepit enim, ut domus Eccleſiæ illis tribueretur, quibus Chriſtiani Italiæ, & Urbis Romæ Epiſcopi per literas tribuendam præſcriberent. Sic demum Paullus cum ſummo dedecore, ſæcularis Imperii, ac poteſtatis auctoritate, ab Eccleſia penitus extruditur. Quo quidem tempore talem, & tam benigne erga nos animatum ſe Aurelianus declaravit.* Itaque Imperator ille juſſit ut cauſſa Paulli, quamquam Præſulis in Oriente, immo & Patriarchæ Antiocheni, retractaretur a Romano Pontifice, juxta Chriſtianorum ritum.

XIX. Nimirum ex traditione Apoſtolorum, & conſuetudine perpetua, omnes Eccleſiæ Patriarchales, autocephalæ Orientis, ſubjacuerunt ſemper judicio Eccleſiæ Romanæ, ſive Apoſtolicæ Sedis. Ideoque Juvenalis Hieroſolymæ Epiſcopus, in Concilio Epheſino Oecumenico Actione IV. dixit: *Ex Apoſtolico ordine, & traditione mos eſt, ut Antiochena Sedes per Romanam dirigatur, & judicetur.* Et inter Canones Apoſtolis adſcriptos, trigeſimus ſeptimus ex Arabico, juxta recentiorem verſionem Abrahami Ecchellenſis, ait de Patriarchis Orientalibus: *Sit princeps, ac præpoſitus ipſis Dominus Sedis Divi Petri Romæ, ſicut præceperunt Apoſtoli.* Quapropter Dionyſius Patriarcha Eccleſiæ Orientalis Alexandriæ in prima inſtantia delatus fuit ab Epiſcopis Pentapolitanæ Provinciæ ad Dionyſium Papam, & ab eo judicatus, teſte S. Athanaſio in Libro de ſententia ejuſdem Dionyſii. Similiter alii Epiſcopi Orientis, a Romanis Pontificibus judicati fuerunt, veluti Polycrates Epheſiorum a Victore I. & Firmilianus Cappadociæ a Stephano I. Tandem id ipſum generatim poſtea declaratum fuit in Synodo Nicæna, ut affirmat Julius I. in Epiſtola ad factionem Euſebianam, prorſus germana (de qua infra num. 26.) aliique RR. Pontifices, & præſertim confirmatum fuit in Concilio Sardicenſi. Athanaſium quoque a judicio Orientalium Epiſcoporum iniquo appellaſſe Romanum Pontificem, teſtatur Sozomenus Lib. 3. Cap. 7. & res notiſſima eſt.

XX. Similiter qui in Oriente ab Epiſcopis hæreſeos nomine damnati fuerant, ſoliti ſunt Sedem Apoſtolicam appellare, veluti ad quam referendæ eſſent, & devolvendæ cauſſæ majores. Quare Marcion ab Epiſcopo ſuo in Ponto excommunicatus, Romam venit, ut a Pontifice abſolutionem impetraret, ut refert S. Epiphanius Hæreſi 41. Origenes damnatus in Oriente, Romam venit, imperante Philippo, ut teſtatur Porphyrius in Vita Plotini, ſive quia S. Fabianus Papa ipſum vocaverat ad cauſſam coram ſe dicendam, ſive quia ipſe ultro appellavit Romanum Pontificem, ut ſententia illa relaxaretur. Lege Euſebium, Lib. 6. Hiſt. Cap. 20. & 28. Mitto plurima alia exempla obvia apud Baronium ad annum Chriſti CLV. CLXXX. CCVII. & CCCL. præter ea quæ ſparſim dedi in *Defenſione Cathedræ S. Petri*, Diſp. VIII. Sect. 2. & 3.

XXI. De Eccleſiis Occidentalibus nemo dubitare poteſt, idipſum perpetuo in uſu fuiſſe, ut Epiſcopi damnati in Synodis Provincialibus, aut Nationalibus, appellarent Romanum Pontificem. Unde Fortunatus & Felix in Africa depoſiti, ut teſtatur Sanctus Cyprianus Lib. 1. Epiſt. 3. & 4. ac Baſilides in noſtra Hiſpania, aliique plurimi a primis ſæculis uſque modo, eo refugio uſi ſunt.

XXII. Quare non aliquo jure, ſed juxta antiquum Eccleſiæ morem, & Apoſtolicam traditionem, id ipſum in Concilio Oecumenico Sardicenſi confirmatum, ſeu potius declaratum fuit Canone tertio, verbis illis: *Si quis autem Epiſcoporum in aliquo negotio condemnandus viſus fuerit, & exiſtimet, ſe non malam, ſed bonam cauſſam habere, ut etiam judicium reno-*

novetur, ſi veſtræ dilectioni videtur, *PETRI APOSTOLI MEMORIAM HONOREMUS: ut ab eis, qui judicaverint, ſcribatur Julio Romanorum Epiſcopo, ut per propinquos provinciæ Epiſcopos, ſi opus ſit, judicium renovetur*. Nimirum ex ipſo divino jure, quo Eccleſia Romana eſt caput cæterarum, oritur, ut ad illius Præſulem deferantur per appellationem ex toto orbe Chriſtiano judicia, & cauſſæ omnes majores. Ideoque Innocentius III. Papa doctiſſimus, & ſacrorum Canonum conſultiſſimus, edixit, prout habetur Libro 1. Decretalium Tit. 7. Cap. 3. *Cum ex illo generali privilegio, quod Beato Petro, & per eum Eccleſiæ Romanæ, Dominus noſter indulſit, Canonica poſtmodum manaverint conſtituta, continentia, MAJORES ECCLESIÆ CAUSSAS AD SEDEM APOSTOLICAM REFERENDAS, ac per hoc translationes Epiſcoporum, & Sedium mutationes, ad Summum Apoſtolicæ Sedis Antiſtitem de jure pertineant: miramur, quod L. Apamenſem electum in Tripolitanam Eccleſiam tranſtuliſti &c.* Quæ ſane doctrina, & collectio Innocentii innititur axiomati certiſſimo, & antiquiſſimo in Eccleſia, de cauſſis majoribus Romano Pontifici reſervatis, inter quas præcipue cenſentur, quæ ad delicta, & depoſitionem Epiſcoporum ſpectant.

XXIII. Unde præter exempla paullo ante indicata, S. Athanaſius damnatus injuſte in Synodis Tyria & Antiochena, innumeriſque calamitatibus afflictus, appellavit Julium Romanum Pontificem. Id ipſum fecerunt alii Epiſcopi, ut Paullus Conſtantinopolitanus, Marcellus Ancyranus, Aſclepas Gazenſis, Lucius Adrianopolitanus, & alii multi. Ideoque factionem Euſebianam, iniqui judicii rationem, aut pœnas daturam, evocavit Romam Julius Papa, τῷ τῆς Ἐκκλησίας ἑπόμενος νόμῳ, ut loquitur Theodoretus Lib. 2. Cap. 5. ideſt, *Canonem Eccleſiæ ſecutus*. Et quidem is Canon Eccleſiæ non erat Sardicenſis nuper exſcriptus, nec tertius, & quartus ejuſdem Synodi, utpote quæ poſtea celebrata fuit; ſed vel Nicænus antiquior, vel etiam Apoſtolica traditione acceptus. Cum vero Euſebiani cauſſæ diffiſi timerent comparere Romæ, allegarentque excuſationes varias, Julius Papa Epiſcopos illos appellantes recepit in communionem, & Sedibus ſuis reſtituit, indicta de cætero graviſſima pœna iis, qui ſimilia attentarent contra Epiſcopos Catholicos.

XXIV. Mitto intolerabilem Euſebianorum ſuperbiam, qua Julii literis reſtiterunt, & auctoritatem Romanæ Eccleſiæ negarunt ad retractanda judicia Synodorum Antiochenæ, & Tyriæ; in quibus Athanaſius, Marcellus, aliique Epiſcopi Catholici, damnati fuerant. Quin & Papam ipſum communione privarunt Intolerando auſu, & eouſque nunquam viſo, ut conſtat ex Epiſtola Synodali eorundem Euſebianorum ſcripta in Conciliabulo Philippopolitano, in odium venerandi Concilii Sardicenſis. Nimirum, ſicuti ii Epiſcopi erant refractarii, & perduelles adverſus Divinitatem ſolidam Chriſti filii Dei: ita etiam ejus Vicarii auctoritatem deprimere conabantur, quaſi nulla eſſet ad recipiendum appellationes ex Eccleſiis, & Synodis Orientalibus. Quem illorum errorem ex ipſis Græcis damnant Hiſtorici ejus rei narratores, Theodoretus Lib. 2. Cap. 5. Sozomenus Lib. 3. Cap. 7. dum de Julio Papa evocante ad ſe cauſſam Athanaſii ex Oriente, ait: *Propter Sedis dignitatem cura omnium ad ipſum ſpectat*. Et Socrates: *Eccleſia Romana privilegium habet præ cæteris*. Nimirum a Deo ipſo conceſſum, & a Concilio Sardicenſi declaratum, quo præeminet omnibus aliis Eccleſiis, etiam Orientalibus, & earum Synodis.

XXV. Itaque nulla diſtinctione facta inter Eccleſias Orientales, & Occidentales, Concilium Sardicenſe vult, quoties aliquis Epiſcopus in negotio aliquo condemnandus viſus fuerit, & exiſtimet, ſe non malam, ſed bonam cauſſam habere, ut etiam renovetur judicium, & *Petri memoriam honoremus* (ideſt, habeatur reverentia debita Apoſtolicæ Sedi) *ut ab iis, qui judicaverint, ſcribatur Julio Romanorum Epiſcopo, & per propinquos provinciæ Epiſcopos, ſi opus ſit, judicium renovetur, & cognitores ipſe præbeat*. Quæ verba ita exponit S. Innocentius I. Papa in Epiſt. ad Victricium Rhotomagenſem, ut ſignificent, *in omnibus cauſſis cuſtodiendam Romanæ Eccleſiæ reverentiam.* Additque: *Si autem majores cauſſæ in medium fuerint devolutæ, ad Sedem Apoſtolicam, ſicut Synodus* (nimirum Nicæna, ſive Sardicenſis, quæ illius quaſi appendix fuit) *ſtatuit, & beata conſuetudo exigit, poſt judicium Epiſcopale referatur.* Scilicet, in omnibus cauſſis ſervari debere Romanæ Eccleſiæ reverentiam appellationis: in majoribus vero cauſſis (ac proinde in iis, quæ ad ſtatum Epiſcoporum ſpectant) etiam reverentiam relationis, & hanc poſt judicium Epiſcopale. Quod ipſum declarat Julius I. Papa Epiſt. 4. dum reprehendit factionem Euſebianam, quæ Athanaſium, & Marcellum Epiſcopos damnaverat.

XXVI. Ne vero Julius ipſe eo loco negans Athanaſium deponi, ſive damnari potuiſſe a Synodo Provincialium Epiſcoporum, ſine prævia relatione ad Sedem Apoſtolicam, ejuſque licentia, videatur aliquid decreviſſe contrarium prædicto Canoni Sardicenſi, aut Innocentio I. in Epiſt. mox citata, & multis poſt annis ſcripta ad Victricium; obſervare oportet, longe aliam fuiſſe cauſſam Athanaſii, quam ſit aliorum Epiſcoporum. Ille enim præerat Eccleſiæ Alexandrinæ, autocephalæ, Patriarchali, & ſubjectæ abſque medio ullo Sedis Apoſtolicæ Romanæ: ac proinde ne in prima quidem inſtantia, ut ajunt, damnari poterat ab Epiſcopis, vel Synodo ipſorum Provinciali, ſed ſolum a Romano Pontifice. Quod ipſum antea in Synodo Nicæna Can. IV. ſtatutum fuerat de Patriarcha Antiocheno, in quo urget eadem ratio. Quapropter jure S. Athanaſius recuſavit judicium Epiſcoporum factionis Euſebianæ, & in patrocinium receptus fuit a Julio Romano Pontifice, qui ſolus illum judicare poterat. Unde circa finem ejus quartæ Epiſtolæ, quæ prorſus germana ab omnibus cenſetur, & extat in Collectione Labbeana Tomo II. tam Græce quam Latine, inquit Julius: διατί δὲ περὶ τῆς Ἀλεξανδρέων πόλεως μάλιστα οὐκ ἐγράφετο ἡμῖν, &c *Cur igitur imprimis de Alexandrina Civitate nihil nobis ſcribere voluiſtis? An ignari eſtis, hanc conſuetudinem eſſe, ut primum ſcribatur nobis: ut hinc quod juſtum eſt definiri poſſit?*

Qua-

Digitized by Google

Quapropter ſi iſtbic hujuſmodi ſuſpicio in Epiſcopum (Athanaſium) *concepta fuerat , id huc ad noſtram Eccleſiam referri oportuit . Nunc autem nos , quos certiores minime fecerunt , poſtquam jam egerint quod libuit , ſuffragatores ſuæ damnationis , cui non interfuimus , eſſe volunt* . Et ut oſtendat , hanc Sedis Romanæ prærogativam non eſſe recentem , aut præſumptione aliqua uſurpatam , ſubdit ſtatim contra eoſdem Orientales : *Non ita ſe habent Paulli ordinationes: non ita Patres docuerunt, ſed faſtus iſte , ac novum ſtudium eſt . Obſecro vos , cum alacritate audite , pro publico bono iſta ſcribo : QVÆ ENIM ACCEPIMVS A B. PETRO APOSTOLO , EA VOBIS SIGNIFICO* . Alii vero Epiſcopi inferiorum Eccleſiarum , judicari quidem poterant a Coepiſcopis in Synodo Provinciali , ſalva tamen relatione , & jure appellationis ad Romanum Pontificem , ob reverentiam S. Petri , ut in dicto Canone Sardicenſi decernitur . Et hoc ipſum eſt , quod Innocentius Papa fieri vult in Epiſtola citata , nimirum , ut quoties Epiſcopus aliquis judicatur ab aliis comprovincialibus , non ſolum ſit damnato jus appellandi Sedem Apoſtolicam (hoc enim de omnibus judiciis fieri poteſt) ſed etiam judices ipſi relationem ad eam mittant , propter rei gravitatem .

XXVII. Habemus itaque ex Concilio Sardicenſi, & Innocentio I. in majoribus cauſſis, qualia ſunt judicia Epiſcoporum , referendum eſſe ad Sedem Apoſtolicam , poſt judicium Epiſcopale; & propterea damnatum Epiſcopum poſſe illam appellare, ut judicium renovetur. Quod ſane fecit Rhotadus , fecit & Hincmarus Laudunenſis: ideoque Nicolaus Papa jure antiquo,& Canonice utriuſque appellationem admiſit: non autem novo aliquo Jure intruſo ex Epiſtolis ſubdititiis, & mercibus Collectionis Iſidorianæ , ut ii recentiores imaginantur . Vide Diſſert. VIII. ſequenti Excurſu quarto num. 39. & duobus ſeqq.

EXCURSUS III.

Exſcribitur,& expenditur Canon quartus ejuſdem Concilii Sardicenſis in eundem ſcopum: pluraque ab Iſidoro tradita in ſua Præfatione contra idipſum , variis obſervationibus illuſtrantur , præſertim ex doctrina , & praxi Sanctorum Pontificum , Innocentii I. Bonifacii I. Leonis I. Hilari , & Gregorii Magni .

XXVIII. POſtquam magnus ille Hoſius in Concilio Generali Sardicenſi edixit Canonem tertium ſuperiori Excurſu prolatum, additus fuit Canon quartus ſub hiſce verbis : *Gaudentius Epiſcopus dixit : Si videtur , neceſſe eſt adjici huic ſententiæ , quam ſyncera dilectione plenam protuliſti , ut ſi quis Epiſcopus fuerit depoſitus judicio Epiſcoporum , qui ſunt in vicinis, & dicat rurſus , ſibi defenſionis negotium competere ; NON PRIVS IN CATHEDRAM ALIVS SVBSTITVATVR , QVAM ROMANVS EPISCOPVS CAVSSA COGNITA SENTENTIAM TVLERIT* . Nimirum,non ſatis viſum eſt Gaudentio,ut quoties aliquis Epiſcopus damnatus appellat Sedem Apoſtolicam , ejus juſſu renovetur judicium ab Epiſcopis provinciæ vicinis,niſi etiam adderetur, ut in ſecunda inſtantia appellante Epiſcopo damnato Apoſtolicam Sedem , non prius in ejus Cathedram ſebſtituatur alius , quam Romanus Pontifex cognita cauſſa ſententiam tulerit .

XXIX. Cum hic Canon editus fuiſſet in Concilio Sardicenſi anno Chriſti CCCXLVII. Romani Pontifices ſequentes, illum obſervandum curarunt : atque imprimis S. Innocentius I. qui Epiſt. 29. & 30. deleri juſſit e tabulis Eccleſiaſticis nomen Arſacii , jam vita functi , atque omnium , qui cum eo communicarant , quod ſuperordinatus fuiſſet in locum S. Joannis Chryſoſtomi Epiſcopi Conſtantinopolitani , pendente hujus appellatione ad Apoſtolicam Sedem . S. Bonifacius Papa Epiſt. 2. quæ eſt ad Epiſcopos Galliæ , loquens de Maximo Epiſcopo , Manichæiſmi notato , & aliorum ſcelerum reo , jubet imprimis , ut habeatur in provincia Synodus , ubi cauſſa illius judicetur ; ac deinde ſubjungit : *Quidquid autem veſtra charitas de hac cauſſa dixerit diſcernendum , cum ad nos relatum fuerit , NOSTRA , VT CONDECET , NECESSE EST AVCTORITATE FIRMETVR* . Rationemque univerſe reddit idem S. Pontifex in Epiſtola ad Epiſcopos Theſſaliæ , dicens : *Tenet Sedes Apoſtolica principatum , ut querelam omnium licenter acceptet.* Similiter cum Dioſcorus Epiſcopus Alexandrinus contra eundem Canonem ſuperimpoſuiſſet Anatolium Flaviano Præſuli Conſtantinopolitano appellanti Sedem Apoſtolicam , S. Leo Magnus Epiſt. 22. ſcripſit ad Eccleſiam ejus Urbis Imperialis : *Quiſquis incolumi, atque ſuperſtite Flaviano Epiſcopo veſtro , Sacerdotium ejus fuerit auſus invadere , nunquam in communione noſtra habebitur , nec inter Epiſcopos poterit numerari* . Eodemque modo ſe geſſit Sanctus Pontifex in reſtituendis Epiſcopis , Theodoreto , Iba Edeſſeno , & Lupicino Africano , depoſitis iis , qui in eorum locum fuerant ordinati . S. Hilarus Papa Epiſt. 8. quæ eſt ad plures Metropolitanos Galliæ , inquit : *In dirimendis ſane gravioribus cauſſis , & quæ illinc non potuerint terminari , Apoſtolicæ Sedis ſententia conſulatur* . Idipſum aperte confirmavit Vigilius Papa tum Epiſt. II. ad Eucherium (lege Profuturum) Epiſc. Bracarenſem, tum VII. ad Aſcanium Arelatenſem . Quin & longe poſtea S. Gregorius Magnus Libro II. Epiſt. LII. quemdam ſuperordinatum Januario Malacitano in Hiſpania Epiſcopo puniendum decrevit , præſertim verbis illis : *Is, qui eo ſuperſtite,Epiſcopus perverſe , & contra Canones , in Eccleſia ejus ordinari præſumſit , Sacerdotio privatus , ab omni Eccleſiaſtico miniſterio repellatur* . Deinde Epiſt. LV. profert in eum ſententiam depoſitionis , & reſtituit Januarium Eccleſiæ ſuæ . Vide etiam ipſum Lib. 4. Epiſt. LII. ad univerſos Galliarum Epiſcopos , ubi eandem doctrinam confirmat .

XXX. Hinc manifeſte conſtat , Nicolaum I. Papam jure merito indignatum fuiſſe Hincmaro Rhemenſi Archipræſuli , qui in locum Rhotadi Epiſcopi Sueſſionenſis , damnati ab eo, aliiſque Galliæ Epiſcopis, & appellantis Sedem Apoſtolicam , alium ſuperordinari fecit . Nimirum Hincmarus exceſſit in eo adverſus Canonem præjactum , & Romanæ Eccleſiæ jura, conſue-

ſuetudinémqua longævam, ut nemo in locum damnati Epiſcopi ſufficiatur, interpoſita appellatione ad Sedam Apoſtolicam, ſad axpectetur ejus judicium. Unda non apparet, qua veri ſpecie D. Baluzius dicat, Nicolaum in ea parte inſuper habuiſſa antiqua ſacrorum Canonum jura, novo alio invecto; cum manifeſtum ſit, totum id gallum ab eo fuiſse juxta Canonem quartum Synodi Sardicanſis, in quo varſamur, & juxta conſuatudinem Romanorum Pontificum, Sanctorum Innocentii, Boniſacii, Leonis, Hilari, & Gregorii, quos paullo anta laudavimus, ſicut & Vigilii, cum jam eſsat verus Papa.

XXXI. Unde raſpuandus aſt Scriptor Annalium Bartinianorum, qui da reſtitutione Rhotadi agans ad annum DCCCLXV. ſcribere auſus fuit: *Circa medinm Julium menſem in Attiniacum Palatium Arſenius venient, Rhotadum CANONICE a quinque provinciarum Epiſcopis dejectum, & a Nicolao Papa NON REGULARITER, SED POTENTIALITER RESTITUTUM ſecum reducent, Carolo præſentavit.* Quomodo enim ii Epiſcopi Galli ſe geſseſerunt *CANONICE* cum Rhotado Epiſcopo appellanta Sedam Apoſtolicam, dum alium in ejus loco ordinara auſi ſunt? Quomodo atiam Nicolaus Papa NON REGULARITER, ſed POTENTIALITER ſe geſſiſse canſaatur, qui juxta Canonem Sardicenſam, & antiquum Romanorum Præſulum uſum, irritam declaravit ſuperordinationam alterius Epiſcopi in locum Rhotadi appellantis?

XXXII. Nimirum, cum injuſta fuiſſat ſententia dapoſitionis lata in Gallia adverſus Rhotadum, & hic ab ea appallarat Sedam Apoſtolicam, debuiſſent plane Epiſcopi li ſuperſedere judicio, nac progredi ad ordinandum alium Epiſcopum loco Rhotadi: quoniam appallatio ad Romanum Pontificem, non modo devolvit cauſsam, varum atiam ſuſpendit omnas prioris ſantantiæ affectus: ipſumque judicem omni potaſtata axutum mutat in raum, accuſatoremque. Quapropter Hincmarus, & alii Galliæ Præſulas ſuperordinantas alium Epiſcopum loco Rhotadi appellantis Sadam Apoſtolicam, abſque dubio commiſerunt latrocinalam axpoliationem, & attantatum ſacris Canonibus contrarium. In quo crimine imitatores axtitarunt Euſabianorum contra Athanaſium, Dioſcori contra Flavianum, & quorundam aliorum erga Januarium Malacitanum, ut vidimus num. 29. Unde Nicolaus Papa in aa reſtitutiona Rhotadi ad Ecclaſiam ſuam, imitatus fuit Sanctiſſimos Pontificas Julium, Leonam, & Gragorium; ac proinde ſine gravi ipſorum injuria reprahandi nequit, aut audaciæ notari.

XXXIII. Unde S. Ignatius Patriarcha Conſtantinopolitanus in Libello appallationis ad eundam Nicolaum Papam ait: *Poſtulavimus ut legerentur Epiſtolæ, quæ Canonicas pro Sancto Joanne Chryſoſtomo ſanctionet continebant: Ipſum Concilium judicam non prius ſubeundum, quam is loco ſuo, Threnoque eſſet reſtitutus.* Nimirum, ita juſsarat S. Innocentius Papa adverſus injuſtos ſpoliatoras S. Joannis Chryſoſtomi, ut vidimus ſupra num. 29. Quapropter Nicolaus ipſe in litaris ad Epiſcopos Conſtantinopolitanæ diœceſeos marito decarnit, ut Epiſcopus appellans, inique ſpoliatus *Sede propria, necnon & omnibus ſuis, certaminis rampum*, *& litigii conflictum poſſit arripere.* Idque cunfirmat argumanto, quod a fortiori dicunt, dum ſubdit: *Quod cum in mundanis negotiis legibus fieri cenſeatur, multo magis, ut in Eccleſiaſticis, atque Divinis obſervetur, debet provideri.*

XXXIV. Et hoc ipſum eſt, quod Iſidorus multo anta Nicolaum Papam obſervarat in Præfatione ſua num. 8. dicans: *Nullus enim, qui ſuis eſt rebus ſpoliatus, aut Sede propria, vi, aut terrore pulſus, antequam omnia ſibi ublata, ei legibus reſtituantur, & ipſe pacifice diu ſuis fruatur honoribus, SEDIQUE PROPRIÆ REGULARITER RESTITUTUS, ejus multo tempore libere potiatur bonore, JUXTA CANONICAM accuſari, vocari, judicari, aut damnari INSTITUTIONEM poteſt. Unde & Eccleſiaſtica Hiſtoria ab Euſebio Cæſarienſi Epiſcopo confecta de muliere quadam, quæ pra caſtitate a marito accuſabatur, ait: PRÆCEPTUM, VEL INDICTUM EST AB IMPERATORE LEGE LATA, UT PRIMO PERMITTERETUR EI REM FAMILIAREM LIBERE DIUTIUS ORDINARE, TUM DEINDE RESPONDERE OBJECTIS. Hæc omnes Leges, tam Eccleſiaſticæ, quam & vulgares, publicæque præcipiunt.*

XXXV. Hæc ibi Iſidorus, qui certe reſtitutionem Epiſcupi appellantis, in Sedem, qua ſpoliatus a.t, antequam judicium ultarius progrediatur, *regulariter* faciendam monet, & juxta *Canonicam inſtitutionem*; utpota quæ non modo conſantanaa ſit ſacris Canonibus, ſed atiam Legibus Civilibus, ſau Cæſareæ Conſtitutioni allagatæ ax Hiſtoria Euſabii Cæſarienſis. Nac dubitandum, in ea axtitiſſa olim id Decretum, quamvis nos, avoluta Hiſtoria ipſa, prout hodia axtat, & circumfertur ax editione Pariſienſi anni 1581. apud Michaelem Sonnium, illud non invenerimus. Credandum autam eſt, quemadmodum alia diverſorum taſtimonia fideliter ab Iſidoro allegata fuerunt, ita atiam illud. Nicolaus igitur raſtituans Rhotadum Sede ſua motum ab Epiſcopis Galliæ, atiam appallatione illius interpoſita, non ſa gaſſit *potentialiter*, ut loquitur Scriptor Annalium Bartinianorum; ſed *Canonice, & Regulariter.* Allegando aſſent plura hoc loco ax iis, quæ de raſtitutione ſpoliatorum decreta ſunt Legibus, præſertim Canonicis, niſi obvia eſſant Lib. 2. Decratalium Gregorii IX. Tit. 13. tum in Sexto, tum ſæpe alibi. Vide infra num. 47. & 48.

XXXVI. Doctrinam eandam non ſolum uſu, & functione probavit laudatus S. Leo Papa raſtituto in Sadam Flaviano, ſed atiam generatim tradidit celebri illa Epiſtola ad Synodum Chalcadonanſem, quæ allegatur ab Iſidoro in hac Præſationa num. 9. & extat Græce, ac Latina in Collectione Labbeana Conciliorum Tom. IV. col 70. & incipit Græce: Ἐβουλόμην μὲν ἀγαπητοί. Latine autem: *Optaveram quidem*; in qua circa finem S. Pontifex hæc habet ab Iſidoro axſcripta: *Quia vero non ignoramus, per pravas æmulationes multarum Eccleſiarum ſtatum fuiſſe turbatum, PLURIMOSQUE FRATRES INJUSTE SEDIBUS SUIS PULSOS, & in exilia deportatos; his primitus vulneribus adhibeatur medicina juſtitiæ; ne quiſquam ita careat propriis, ut alter*

alter utatur alienis. Quem ita errorem omnes relinquant, ut nemini quidem perire honor debeat; ſed prioribus Epiſcopis cum omni privilegio jus proprium reformetur. Hactenus ibi, prout exſcribit Iſidorus.

XXXVII. In editione vero Græco-Latina mox citata, paullo aliter id habetur, nimirum Latine hæc leguntur: *Quia vero non ignoramus, per pravas æmulationes, multarum Eccleſiarum ſtatum fuiſſe turbatum, plurimoſque Epiſcopos, qui hæreſim non receperint, Sedibus ſuis pulſos, & in exilia deportatos, ATQVE IN LOCVM SVPERSTITVM ALIOS SVBSTITVTOS*: (Græce eſt: εἰς τόπους περιόντων ὑποκατέστησαν ἑτέρους) *vulneribus his primitus adhibeatur medicina juſtitiæ, ne quiſquam ita careat propriis, ut alter utatur alienis: eum ſi, ut cupimus, errorem omnes relinquunt, nemini quidem perire honor debeat; ſed illis qui pro Fide laborarunt, cum omni privilegio, jus proprium reformari.*

XXXVIII. Utrovis autem modo legatur, ex eo loco, & praxi S. Leonis jam memorata, conſtat ſatis, ſtatum multarum Eccleſiarum quorundam pravis æmulationibus turbatum fuiſſe, plurimoſque Epiſcopos Sedibus ſuis pulſos, ſubſtitutis aliis in locum ipſorum: ideoque curandis iis vulneribus opus fuiſſe medicina juſtitiæ: ut nec Epiſcopi careant propriis Sedibus, nec alii in eas intrudantur, ſive ſuperordinentur. Hoc autem eſt, in quo deliquerunt Hincmarus Rhemenſis, & alii Galliarum Epiſcopi, deponentes Rhotadum a Sede Sueſſionenſi, & intrudentes alium loco ipſius appellantis Pontificem Romanum, cujus judicio potius totum id remittere deberent. Immerito itaque a nuperis quibuſdam Criticis notatur Nicolaus Papa ob eam reſtitutionem, veluti antiquo juri contrariam.

XXXIX. Subdit Iſidorus num. 10. Præfationis: *Eadem & antiqui Apoſtolici, qui fuerunt ante Synodum Nicænam, ſanxerunt*, nimirum, Romani Pontifices, quos ſupra indicavimus num. 3. Omnes enim ii rexerunt Eccleſiam ante Concilium Nicænum, & plurimis Epiſtolis teſtati ſunt, majores cauſſas, & judicia Epiſcoporum ſpectare ad Apoſtolicam Sedem.

XL. Addit ſtatim: *Eadem Synodus, quæ habita eſt in Lariſſa, ſub Valeriano loquitur.* Sed enim nulla omnino Synodus invenitur celebrata apud Lariſſam, ſive Thraciæ, ſive Cretæ, ſive Italiæ, ſive alterius cujuslibet memoratæ a Geographis. Itaque ejuſmodi lectio vitiata apparet.

XLI. Alii Codices a Labbeo indicati non habent *in Lariſſa ſub Valeriano*; ſed, *in Lampſaco, ſub Valentiniano*. Et hæc quidem Synodus vere celebrata fuit tempore Valentiniani Augusti, ſub Damaſo Papa, apud Lampſacum Urbem ſitam in litore Helleſponti, in ora Aſiatica, cujus mentio eſt apud Ciceronem 3. Verr. & Plinium Lib. 5. Cap. 32. Celebrata, inquam, fuit anno circiter 368. & quamvis non inveniantur integra ejus Acta, nec ſpeciatim aliquid conſtitutum circa appellationes Epiſcoporum ad Sedem Apoſtolicam, extat tamen ſumma illius in Libro Synodico verbis illis apud Collectionem Labbei Tomo II. col. 887. Ὁμοίως δὲ καὶ οἱ πρεσβεύοντες ἐξ ἑῴας τὸ ὁμοούσιον, &c. idest, *Similiter vero, qui ex Oriente miſſi fuerunt ad deferendum Homouſion, cum ad Valentinianum veniſſent, Synodum Lampſaci indicendam poſtularunt, qua & Decreta Nicæna confirmarentur, & Hypatius Heracleæ Perinthi exauctoraretur. Cum igitur conveniſſent, & menſes duos ibi finiſſent, irrita manere decernunt quæ Eudoxius, & Acacius Conſtantinopoli egiſſent: Eam vero, quæ Seleuciæ edita fuiſſet Fides, imprudenter confirmant. Quod ubi cognovit Valens, omnia Acta abolevit, Epiſcopos omnes exilio multavit, & Eccleſias Eudoxio tradidit.*

XLII. Ex iis verbis habemus, in ea Synodo irrita fuiſſe declarata, quæ Acacius, & Eudoxius Conſtantinopoli egerant: deponentes, ſcilicet, multos Epiſcopos, qui tam Seleuciæ, quam Conſtantinopoli, Acacianis reſtiterant, ſub prætextu quorundam criminum, de quibus accuſabantur, ut legere licet apud Theodoretum Lib. 2. Cap. 27. ac Sozomenum Lib. 4. Cap. 23. & 24. Occaſione vero ejus Decreti par eſt exiſtimare, Synodum Lampſacenam aliquid tradidiſſe adverſus ſuperordinationes in locum Epiſcoporum appellantium, quamvis verba ipſa non extabant.

XLIII. Pergit Iſidorus eodem numero Præfationis: *Eadem plurimæ Romanæ Synodi teſtantur*. Nimirum, Romana ſecunda ſub Julio I. Papa, habita in cauſſa Athanaſii, aliorumque Epiſcoporum, quos Euſebiani in Synodo Tyria depoſuerant, ſubſtituto in locum illius Gregorio Cappadoce Ariano. Similiter in Synodo Romana tertia ſub eodem Julio, cautum fuit indemnitati eorum Epiſcoporum, & aliorum Sedem Apoſtolicam appellantium. In ea vero iterum S. Athanaſius innocens, & liber pronunciatus fuit. Vide ſummam utriuſque ejus Synodi in Collectione Labbeana Conciliorum Tom. II. col. 598. & 599. præſertim erutam ex verbis ipſius S. Athanaſii in ſua Apologia II. Mitto alias Synodos Romæ celebratas, & nominatim illam, quæ ſub Gelaſio I. Papa coacta fuit anno 494. Nam in ea apertiſſime, & univerſe declaratur Jus appellandi undecumque locorum Apoſtolicam Sedem, veluti conſentaneum Canonibus ſacris, ut poſtea videbimus. Vere itaque dixit Iſidorus, eam doctrinam teſtatam haberi in plurimis Synodis Romanis. Quod amplius conſtabit Excurſu ſequenti.

EXCURSUS IV.

Auctoritas Symmachi Papæ, laudati ab Iſidoro contenta in Synodis Romanis quarta, & quinta, celebratis initio ſæculi ſexti, expenditur in eundem ſcopum reſtitutionis Præſulum expoliatorum, & pro Nicolao I. Papa, adverſus Baluzium, & alios. Unde & illuſtratur plurimum Iſidori Præfatio.

XLIV. SUbdit Iſidorus ſtatim: *Eadem Papa Symmachus, & cæteri Patres ſanxerunt, quorum ſtatuta, prolixitatem vitantes, hic inſerere diſtulimus.* Quod veriſſime dictum fuiſſe a Collectore ipſo, patet. Nam in primis dum accuſato ab impiis, & ſchismaticis hominibus optimo atque innoxio Papa Symmacho, quaſi multa, & gravia perpetraſſet, Theodericus Italiæ Rex judicium ejus cauſſæ remiſiſſet ad Synodum Epiſcoporum, ſi ipſi in Relatione ad eundem Regem teſtati ſunt,

Sym-

Symmachum non vi, aut, jure, ſed ſponte ſua & ultro ſe ſummiſiſſe illi judicio , veluti qui in prima Sede conſtitutus , a nullo infra Deum judicari poſſet . Huc enim ſpectant verba ipſius ab Epiſcopis relata : *Primo ad conventum veſtrum , quando Romæ veniſtis , ſine aliqua dubitatione properavi* , *ET PRIVILEGIA MEA VOLUNTATI REGIÆ SUMMISI , ET AUCTORITATI SYNODI DEDI , &c.* Quoniam a priſcis Eccleſiæ ſæculis certum , & exploratum erat , primam Sedem a nemine judicari poſſe . Itaque Symmachus cedens privilegio , permiſit ſe judicari ab Epiſcopis ; & ut inquit Ennodius in Apologetico pro quarta Synodo , occurrit ad cauſſam dicendam comitante ad judicium cum lacrymis plurima utriuſque ſexus plebe : *Et, quod poſſet fidelium corda doloris juſti aculeis excitare , VENERANDO CONCILIO AUCTORITATEM ETIAM CONTRA SE , SI MERERETUR , INDULSIT .*

XLV. Et hoc ipſum confirmare Epiſcopi pergunt , ſubjungentes doctrinam ſibi exploratam de appellationibus quarumlibet cauſſarum ad Romanum Pontificem juxta ſacros Canones . Propterea enim ajunt : *IPSI* (Romano Pontifici) *PER CANONES APPELLATIONES OMNIUM EPISCOPORUM COMMISSÆ SUNT* ; *& cum ipſe appellat* (id eſt , ſi ipſe judicari renuit) *ecquid faciendum ? nec in abſentem valeamus* (valemus) *ferre ſententiam . nec contumacis locum deputare , qui ſe judicibus occurriſſe proclamat . MAXIME CUM NOVA RES EST , PONTIFICEM SEDIS ISTIUS APUD NOS AUDIRE . NULLUM ENIM CONSTAT EXEMPLUM* Unde & concludunt , ſe nihil poſſe ea in cauſſa ordinare : ideoque facultatem petunt regrediendi ad proprias Eccleſias . Hæc ſunt , quæ conſtant ex Relatione illa , quamvis exſcriptorum vitio depravata , prout extat Tomo IV. Collectionis Labbeanæ col. 1330. & ſeqq. Mitto Notas Severini Binii in eadem Acta ; & in rem noſtram ſolum obſervo , agnitum ab iis Epiſcopis antiquum , & inconcuſſum privilegium Romanæ Sedi a Deo conceſſum , & ſacris Canonibus ſeitatum , ut APPELLATIONES OMNIUM EPISCOPORUM ad eam dirigantur . Neque id Jus negare auſus fuit Theodericus Rex , quamvis Arianus , qui & in literis ſuis profitetur, ſuum non eſſe , aliquid de Eccleſiaſticis cenſere negotiis: ac deinde id Concilium legitime congregatum eſſe ait, quia non abſque conſenſu Romani Pontificis habitum fuit (lege Sirmondum in Notis ad Apologeticum Ennodii num. 9.) & denique rem totam , ſive diſcuſſam , ſive indiſcuſſam , Epiſcoporum conſcientiæ permittit .

XLVI. Verum illuſtriora multo in rem noſtram ſunt , quæ unanimi ejuſdem Symmachi , & aliorum ducentorum quindecim , ſive duodeviginti (ut alii numerant) Epiſcoporum , partim Latinorum , partim Græcorum , declarata, & teſtata fuerunt in Synodo quinta Romana tempore ejuſdem Theoderici Italiæ Regis , indictione nona , anno Domini quingenteſimo tertio . Ibidem enim imprimis Apoſtolica , ſimul & Synodali omnium Patrum auctoritate , probatur, & confirmatur libellus Apologeticus jam laudatus Ennodii in defenſionem ejuſdem Symmachi Papæ , ſimul & venerationem Apoſtolicæ Sedis , cujus Rectores judicio ſolius Dei ſubjacent . Inter alia vero ab Ennodio ſcripta in eum ſcopum , aurea illa ſunt , quæ profert col. 11. editionis Labbeanæ 1352. *Aliorum forte hominum cauſſas Deus voluerit per homines terminare . Sedis iſtius Præſulem ſuo, ſine quæſtione , reſervavit arbitrio . Voluit B. Petri Apoſtoli Succeſſores Cœlo tantum debere innocentiam , & ſubtiliſſimi diſcuſſoris indagini inviolatam exhibere conſcientiam , &c.* Lege Notas Sirmondi in Epiſtolam Aviti Epiſcopi Viennenſis ad Senatores Urbis Romæ , ubi Decretum refert ea de re editum in Synodo alia Romana , habita anno præcedenti 011. Fauſto Avieno Conſule . Verum hæc obiter dicta velim , de quibus alias latius , & opportunius fortaſſe .

XLVII. Deinde Symmachus, tota Synodo audiente , & probante , ac poſtea ſubſcribente , tradit manifeſte eandem doctrinam adverſus expoliatores Epiſcoporum, quam Iſidorus hoc loco eidem Pontifici nominatim acceptam fert . Ait enim : *Nec ulles Epiſcopos ſuis rebus exſpoliatos , vel a Sedibus vi, aut dolo , aut quocumque ingenio pulſos , ſicut & vos de nobis judicaſtis , aut ad Synodum tam Provincialem, quam Generalem , poſſe convocari , AUT IN ALIQUO JUDICARI , antequam cuncta , quæ eis ablata ſunt , legibus poteſtati eorum pacifice per omnia redintegrentur, decernimus. Prius ergo oportet omnia illis legibus redintegrari , & Eccleſias , quæ ſublatæ ſibi ſunt , cum omni privilegio ſuo reſtitui , & poſt non ſub anguſto ſpatio temporis , ſed tantum ſpatium temporis eis indulgeatur , quantum expoliati, vel expulſi eſſe videntur , antequam ad Synodum convocentur , & ab omnibus quibuſque Provinciæ ſuæ Epiſcopis audiantur . Nam nec convocari ad cauſſam , nec dijudicari poteſt expoliatus , vel expulſus : quia nullum eſt privilegium , quo expoliari poſſit jam nudatus .* Quæ omnia plane conſonant verbis , & doctrinæ Iſidori circa reſtitutionem Præſulum expoliatorum , jure allegantis pro ea teſtimonium Symmachi .

XLVIII. Proſequitur ſtatim idem Symmachus : *Unde & antiquitus decretum eſt , omnes poſſeſſiones , & omnia ſibi ſublata , atque fructus exactos ante conteſtatam litem , perceptor aut primas* (fortean, *perceptos primo*) *poſſeſſori reſtituat . Et alibi ſcriptum habetur : Ille qui violentiam pertulit, univerſa in ſtatu , quo fuerant , recipiat ; & quæ poſſidet* (alias *poſſedit*) *ſecurus teneat . Et alibi : IN SYNODALIBUS PATRUM DECRETIS , ET REGUM EDICTIS , legitur ſtatutum : REDINTEGRANDA SUNT OMNIA SPOLIATIS , VEL EJECTIS EPISCOPIS , præſentialiter ordinatione Pontificum , & in eorum , unde abſceſſerunt , poteſtatem funditus revocanda , quacumque conditione temporis , aut dolo , aut captivitate , aut virtute majorum , aut per quaſcumque injuſtas cauſſas res Eccleſiæ , vel proprias , aut ſubſtantias ſuas perdidiſſe noſcuntur ante accuſationem , aut regularem ad Synodum convocationem eorum &c.*

LXIX. Deinde idipſum confirmare pergit , tum teſtimoniis Scripturæ , tum edictis

legum humanarum: ac prateraa rogat Epiſcopos in ea Synodo congragatos, ut ſententiam ſuam pro Eccleſiaſlica quiete, vel indamnitate proferant: *Univerſa autem Synodus dixit: Epiſcopalem perſecutionem, & Eccleſiarum abſciſſionem, vel vaſtationem, atque Servorum Dei inſectationem*, *FULTI FRÆDICTA AUCTORITATE* (nimirum, Eccleſiæ, ſiva Sadis Apoſtolicæ) *& omnium Sanctorum Patrum prohibitione, veſtraque conſolatione, communi tractatu pariter in futurum, robuſte, ac veraciter amputantes, Sanctorumque Patrum ſtatuta firmantes, expreſſis ſententiis ſancimus, ne unquam talia a quoquam noſtris, vel futuris temporibus præſumantur*. Itaqua totius ejus Synodi Decreto, juxta præcedentia Ecclaſiæ ſtatuta, & SS. Patrum doctrinam, cautum fuit indemnitati Epiſcoporum, qui Sadibus ſuis, aut bonis ſpoliantur, & ipſorum reſtitutioni in integrum, quocumque modo id attentatum fuarit ante accuſationem aorum, aut regularem ad Synodum convocationam. Id ipſum autam eſt, quod Iſidorus in ſua Præfatione, ex Symmacho Papa, & Patrum doctrina, fieri debere obſervat. Recta igitur Iſidorus ſa habuit in aa doctrina tradenda.

L. Nec ſatis viſum Symmacho inſtaurare id Decretum, niſi & pœna conveniens indiceretur transgreſſoribus. Quare ſtatim additur: *Et ſilentio ſacto, Symmachus Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ Urbis Romæ dixit: Quod ſi aliqui hæc transgreſſi fuerint, & talia præſumpſerint, quid ſuper his vobis videtur pari adunatione manifeſtare? Cumque ſurrexiſſent, & paullo poſt iterum conſediſſent, una voce dixerunt: Si quis hæc, quæ hodie in Sancta Synodo prohibita ſunt, infringere præſumpſerit, aut voluntarie transgredi tentaverit, ſi Clericus eſt, gradu proprio penitus careat: ſi vero Monachus, aut laicus fuerit, Communione privetur, & ſi non emendaverit vitium, anathemate feriatur*, &c. Rogant dainda Symmachum Papam, ut ea, quæ ſcripſit Ennodius in liballo, eorundem Epiſcoporum nomine, firmetur Apoſtolica auctoritata. Symmachus judicium probat Synodi, quæ tota variis acclamationibus in ajus laudes prorumpit, additis imprecationibus advarſus quemlibet contra faciantem. Subſcribit Pontifax primo loco, & deinde Epiſcopi ducanti quindecim Ecclaſiarum variarum Occidentis & Orientis. Quinto vero loco legitur: *Staphanus Epiſcopus Cordubenſis ſubſcripſi*. Quamvis probabila admodum ſit, eas ſubſcriptiones non fuiſſe ejuſdem Synodi, ſed alterius longe præcadantis: quoniam multi aorum Epiſcoporum inveniuntur quinquaginta duobus retro annis ſubſcribentas Concilio Generali Chalcadonanſi coacto ſub S. Laone I. Papa. Non eſt autem veroſimile, quempiam eorum tamdiu in Epiſcopatu perſtitiſſe. Adi Baronium ad annum DII. num. 9.

LI. Quidquid vero ſit, an tot, an paucioras Epiſcopi intarvanerint, id certum, omnas eos qui illam calabrarunt, ſimul eum ipſo Symmacho Papa decreviſſa, ſeu potius inſtauraſſe antiquum Eccleſiæ Decretum, ut Epiſcopi expoliati, antea in priſtinum ſtatum reſtituantur, quam vocentur ad cauſſam dicendam coram aliis Epiſcopis. Unda Iſidorus in hac Præfationa jure marito allegat Symmachum, & alios Ecclaſiæ Patras, pro ea doctrina. Quod uberius adhuc conſlabit Excurſu ſaquenti.

LII. Poſſat quoque expendi in aundem ſcopum Canon. v. Concilii Generalis Sardicenſis, in quo *Oſius Epiſcopus dixit: Placuit, ut ſi quis Epiſcopus delatus fuerit, & congregati ejuſdem regionis Epiſcopi eum gradu moverint, & veluti appellans confugerit ad Beatiſſimum Romanæ Eccleſiæ Epiſcopum, & velit ipſum audire, & juſtum eſſe exiſtimaverit, ejus rei examinationem renovari, Coepiſcopis ſcribere dignetur, qui ſunt propinqui Provinciæ, ut ipſi accurate, & diligenter ſingula perſcrutentur, & ex veritatis fide de re ſententiam ferant. Si quis autem poſtulet, ſuum negotium rurſus audiri, & ad ſuam ſupplicationem Romanorum Epiſcopum judicare viſum fuerit, ut a proprio latere Presbyteros mittat*, *ERIT IN POTESTATE IPSIUS QUODCUMQUE RECTE HABERE PROBAVERIT*. *Et ſi decreverit, oportere eos mitti, qui cum Epiſcopis ſint judicaturi, habentes auctoritatem ejus, a quo miſſi ſunt, & hoc ponendum eſt. Si autem ſufficere putaverit ad rei cognitionem, & Epiſcopi ſententiam*, *FACIET QUOD PRUDENTISSIMO EJUS CONSILIO RECTE HABERE VIDEBITUR*. *Reſponderunt Epiſcopi*: *QUÆ DICTA SUNT, PLACUERUNT*. Poſſet, inquam, axpendi is Canon in manifaſtam comprobationam eorum, quæ Iſidorus hoc loco dixit, & varii Pontifices Romani antea, ac poſtea egerunt. Verum cum nupar Chriſtianus Lupus Tom. 1. pag. 147. & ſaqq. eundem Canonem ſatis arudite illuſtraverit, prout rem noſtram attinat, viſum remittere lectorem illuc, ut plene conſulat, & axinde uberius diſcat, quam immerito D. Baluzius, & alii quidam, vellicent Sanctiſſimum Pontificem Nicolaum, veluti inſuper habantem ſacros, & antiquos Canonas.

EXCURSUS V.

Idipſum comprobatur ex celebri Decreto S. Gelaſii I. & ex Epiſtola memorabili Vigilii Papæ ad Profuturum Epiſcopum Bracarenſem: Itemque ex alia ſancti Gregorii Magni.

LIII. REgrediamur ad verba Iſidori: *Eadem*, inquit, *Papa Symmachus, & cæteri Patres ſanxerunt, quorum ſtatuta, prolixitatem vitantes, hic inſerere diſtulimus*. Porro in iis generatim allegat ſtatuta aliorum Pontificum Romanorum, qui palam tradiderunt, & reipſa axecuti ſunt eandem doctrinam circa judicia Epiſcoporum: quorum aliquos a Synodis depoſitos reſtituerunt, etiam nulla Synodo ad id coacta: alios vero depoſuarunt, quod injuſte judicaſſant, & in locum depoſitorum Præſulum, Sedem Apoſtolicam appellantium, quoſdam ſuperordinare auſi fuiſsant, adverſus Canones Concilii Sardicenſis in ſuparioribus laudatos. Audiendus imprimis S. Gelaſius Papa in Epiſt. tartia dacima, quæ eſt ad Epiſcopos Dardaniæ. In ea late, & ex inſtituto oſtendit, ac multipliciter damonſtrat, Acacium Eccleſiæ CP. Præſulam, jura marito ſolius Apoſtolicæ Sedis judicio fuiſſe

ſe damnatum. Notanda autem ſunt præſertim verba illa, quæ habentur col. 5. ejuſdem Epiſtolæ (apud Labbeum Tom. IV. col. 1203.) & paſſim a Profeſsoribus Canonici Juris circumferuntur: *Cuncta per mundum novit Eccleſia, quoniam quomodolibet ſententiis ligata Pontificum, Sedes B. Petri Apoſtoli Jus habeat reſolvendi: utpote quæ de omni Eccleſia fas habeat judicandi, neque cuiquam liceat de ejus judicare judicio: SIQVIDEM AD ILLAM DE QVALIBET MVNDI PARTE CANONES APPELLARE VOLVERVNT: AB ILLA AVTEM NEMO SIT APPELLARE PERMISSVS.* Hæc ibi generatim, quæ ſola evincerent, Nicolaum I. Papam jure, ſive juxta Canones, admiſiſse appellationes Rhotadi, & Hincmari Laudunenſis Epiſcoporum.

LIV. Verum urgentiora ſunt, quæ ſequuntur paullo poſt: *Sed nec illa prætermimus, quod Apoſtolica Sedes FREQVENTER, ut dictum eſt, more majorum, etiam ſine ulla Synodo præcedente, & abſolvendi quos Synodus inique damnaverat, & damnandi, nulla exiſtente Synodo, quos oportuit, habuerit facultatem. Sanctæ memoriæ quippe Athanaſium Synodus Orientalis addixerat, quem tamen exceptum Sedes Apoſtolica, quia damnationi Græcorum non conſenſit, abſolvit. Sanctæ memoriæ nihilominus Joannem Conſtantinopolitanum Synodus etiam Catholicorum Præſulum certe damnarat: quem ſimili modo Sedes Apoſtolica, etiam ſola, quia non conſenſit, abſolvit. Itemque ſanctæ memoriæ Flavianum Græcorum Pontificum congregatione damnatum, pari tenore, quoniam non conſenſit, SOLA SEDES APOSTOLICA ABSOLVIT.* (ita certe legendum, prout in periodis præcedentibus: non vero, ut variæ editiones habent, *quoniam ſola Sedes Apoſtolica non conſenſit, abſolvit.* Nam *non conſenſit*, ſemper accipitur de Epiſcopo damnato, *non conſentiente*, ideſt, appellante). *Potiuſque qui illic receptus fuerat, Dioſcorum ſecundæ Sedis Præſulem ſua auctoritate damnavit, & impiam Synodum, non conſentiendo, ſummovit, ac pro veritate, ut Synodus Chalcedonenſis fieret, SOLA DECREVIT: in qua Pontificibus innumeris, qui latrocinia corruerant Epheſino, veniam poſcentibus, SOLA CONCESSIT, & in ſua perfidia remanentes, nihilominus ſua auctoritate proſtravit, &c.*

LV. Hæc inibi habentur; ea quibus omnibus palam eſt, Nicolaum Papam non POTENTIALITER, uti effutiit Scriptor Annalium Bertinianorum, ſed CANONICE ſe geſſiſſe, tum id admittendis appellationibus Epiſcoporum, Hincmari Laudunenſis, & Rhotadi Sueſſionenſis: tum præterea in reſtitutione Rhotadi ad Sedem ſuam, qua expoliatus fuerat in Synodo Provinciali Galliæ, quamvis appellans Romanum Pontificem. Id enim contra ſacros Canones Concilii Generalis Sardicenſis, ut ſupra a num. 28. vidimus, attentatum fuit; & a Sede Apoſtolica, etiam abſque Synodo, ſive SOLA, ut ſæpe inquit Sanctus Gelaſius, corrigi, ſeu irritum declarari potuit: ſicuti ipſe obſervat factum ſæpe in ſimili, quando Sede ſua pulſi, atque expoliati fuerunt ſancti Epiſcopi, Athanaſius, Chryſoſtomus, & Flavianus, reſciſſis Actis Synodorum illarum, in quibus injuſte damnati fuerunt, & alii ſuperordinati in locum ipſorum. Lege apud Collectionem Labbei Tomo II. col. 1311. ac ſeqq. exemplum Sacræ Honorii Auguſti miſsæ ad Arcadium Principem Orientis, in qua Imperator illa lamentatur, inter plura alia, Iniquum judicium Conſtantinopoli prolatum contra Sanctum Joannem Chryſoſtomum, cujus cauſſa, & aliorum Epiſcoporum cum eo communicantium, Romam delata per Legatos, non poterat rite terminari, niſi auctoritate interveniente Apoſtolicæ Sedis. Huc enim ſpectant verba illa Honorii: *Erat inter Epiſcopos cauſſa, quæ tollat, tractatoque conſilio, deberet abſolvi: miſſi ad Sacerdotes Urbis æternæ (nimirum, Romæ) atque Italiæ utraque ex parte Legati. Expectabatur ex omnium auctoritate ſententia informaturu regulam diſciplinæ. Integrum nempe eſſe debuerat, neque quidquam novari, dum definitio deliberata procederet: cum interea mirum quoddam præcipitium feſtinationis exarſit, ut non expectatis literis Sacerdotum, qui fuerant mutua partium legatione conſulti, non examinatis rebus, in exilium truderentur Antiſtites; animadverſioni prius addicti, quam ſententiam judicii Epiſcopalis experti.* Nimirum, ſenſentiam Innocentii Papæ, cujus judicium appallaverant. Et hæc quidem initio fere ſæculi quinti. Sed & notatu maxime digna ſunt verba Arcadii Imperatoris reſcribentis Innocentio I. Papæ, ac ſe quodammodo excuſantis in procella illa adverſus Chryſoſtomum excitata, in Epiſtola apud Labbeum extante Tomo eodem II. columna 1313. Ὅλως οὐδὲν, ἀρχιερεῦ τοῦ Θεοῦ, ἔτι τῶν ὡς τοὺς πρέσβεις τετολμημένων διέγνωκα, καὶ δῆλον ἐξ ὧν τοὺς αἰτίους οὐκ ἔτι πάρεργον ἠμυνάμην, ὑπὲρ δὲ ὅτι τὸν μέγαν Ἰωάννην καθαιρέσεως κατέστην ὑπαίτιος, ἀλλ᾽ ἐπίσκοποι δείλαιοι, οἱ κανόνας δῆθεν ἐκκλησιαστικοὺς προτεινάμενοι, τὸ κρίμα τῆς ἐκείνου καθαιρέσεως ἐπὶ τὰς ἑαυτῶν βουλὰς κεφαλὰς ἀνεδέξαντο. *Nihil omnino, Dei Pontifex, eorum mihi notum fuit, quæ in Legatos admiſſa fuerunt, idque manifeſtum ex eo eſt, quod auctores facinoris non negligenter ultus ſum: nec oblatam de magni illius Joannis abdicatione ſententiam culpandus venio, ſed viles illi Epiſcopi, qui Canones Eccleſiaſticos prætexendo, judicium de ipſo diris devovendo in proſana capita ſua receperunt.* Uſque adeo explorata erat apud Imperatores doctrina de cauſis Epiſcoporum, ſive judiciis ad Sedem Apoſtolicam referendis, & ab ea finiendis.

LVI. Præterea illuſtris eſt in eundem ſcopum Epiſtola Vigilii Papæ ſcripta, non ad Eutherium, ſive Eutherum, ut in frequentibus Conciliorum editionibus habetur, ſed ad Profuturum Epiſcopum Bracarenſem, cujus conſultationibus reſpondet. Qua de re nos admonuit per Epiſtolam VII. Idus Octobris Romæ ſcriptam anno 1685. V. CL. Joannes Mabillon, & poſtea veriſſime ab eo obſervatum deprehendimus, lecto attentius Concilio Bracarenſi I. ubi ejuſdem Epiſtolæ ad Profuturum aperta & iterata mentio fit. In ea itaque hæc, inter alia, habentur Cap. 7. (apud Labbeum Tomo V. col. 313.) plane decretoria: *Sancta Romana Eccleſia ejus* (nimirum Sancti Petri) *me-*

merito Domini voce conſecrata, & SS. Patrum auctoritate roborata, Primatum tenet omnium Eccleſiarum: ad quam TAM SUMMA EPISCOPORVM NEGOTIA, ET JVDICIA, ATQVE QVERELÆ, QVAM ET MAJORES ECCLESIARVM QVÆSTIONES, QVASI AD CAPVT, SEMPER PERFERENDA SUNT. Nam & qui ſe ſcit aliis eſſe præpoſitum, non moleſte ferat, aliquem ſibi eſſe prælatum. Ipſa namque Eccleſia, quæ prima eſt, ita reliquis Eccleſiis vices ſuas credidit largiendas, ut in partem ſint vocatæ ſolicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis, VNDE OMNIVM APOSTOLICAM SEDEM APPELLANTIVM EPISCOPORVM JVDICIA ET CVNCTARVM MAJORVM NEGOTIA CAVSSARVM, EIDEM RESERVATA ESSE LIQVET; PRÆSERTIM CVM IN HIS OMNIBVS EJVS SEMPER SIT EXPECTANDVM CONSVLTVM, cujus tramiti ſi quis obviare tentaverit Sacerdotum, cauſſas ſe, non ſine honoris ſui periculo, apud eandem Sanctam Sedem noverit redditurum.

LVII. Hæc ibi: quibus nihil illuſtrius eſſe poteſt ad demonſtrandum, veriſſimum eſſe, & exploratis Pontificum Romanorum antiquiorum Iſidoro teſtimoniis traditum, quidquid ille in hac Præfatione docet circa judicia Epiſcoporum. Præterea juſtum fuiſſe, & priſcis Sedis Apoſtolicæ Decretis conſentaneum, quidquid Nicolaus I. geſſit in cauſſa Hincmari Laudunenſis & Rhotadi Epiſcoporum, Apoſtolicam Sedem appellantium a judicio Synodorum Gallicanarum, a quibus depoſiti fuerant; præſertim ſuperordinato alio Epiſcopo in locum Rhotadi, adverſus Sardicenſes Canones.

LVIII. Quapropter mirari ſubit præfidentiam, qua Baluzius, poſt Cellotium, criminari audet ſanctiſſimum Papam Nicolaum in ea parte, quaſi obtrudentem novum Jus, præſertim inductum ex ſuppoſititiis veterum Pontificum Epiſtolis. Dato enim, quod aliquæ, immo omnes extantes in Collectione Iſidoriana eſſent tales, ac nonnullæ aliæ interpolatæ, extabant aliæ indubitatæ Sanctorum Pontificum Julii I. (apud Athanaſium & alios) Innocentii I. Bonifacii I. Leonis I. Gelaſii I. ac Symmachi, & mox allegata Vigilii, in quibus idem ſancitum legebatur, atque in uſum, functionemque deductum, quod Nicolaus poſtea egit. Neque obſtat, quod poſt ſcriptas Diſſertationes has legere contigit in nova Collectione Baluzii recens ad nos Pariſiis allata, Tom. I. col. 1468. ubi ille Epiſtolam prædictam Vigilii ad Profuturum exhibet ſine Capite de Primatu Romanæ Eccleſiæ nuper a nobis exſcripto: quoniam, ut ipſe teſtatur, extat illa ſine eo Capite in Codice optimo, & antiquiſſimo Bibliothecæ Colbertinæ. Non, inquam, obſtat, quia potius habenda eſt fides omnibus aliis Codicibus tum manuſcriptis, præſertim antiquiſſimis, & incorruptis, quibus uſus fuit Illuſtriſſ. Loaiſa in editione Conciliorum Hiſpaniæ; tum excuſſis, in quibus Caput id habetur. Cenſeri etiam debet, ſchiſmaticum aliquem, ſive refractarium in Sedem Apoſtolicam, jugulaſſe Epiſtolam Vigilii in illo Codice, abſciſſo Capite, in quo de Primatu Eccleſiæ Romanæ agitur. Facilius enim creditu id eſt, quam centonem aliquem fuiſſe additum innumeris exemplaribus ejuſdem Epiſtolæ, tum ſcriptis, tum impreſſis decurſu undecim ſæculorum. Verum ne inde vel apparens effugium Baluzio ſit, extat alia Epiſtola, alias ſeptima ejuſdem Vigilii ad Auxanium Arelatenſem, in qua ait: *Si quæ vero certamina de religione Fidei (quod Deus auferat) aut de quolibet negotio, quod ibi PRO SVI MAGNITVDINE TERMINARI NON POSSIT, evenerint; totius veritatis indagine diligenti ratione diſcuſſa, Relationis ad nos ſeriem deſtinantes, APOSTOLICÆ SEDI TERMINANDA SERVATE.*

LIX. Præterea Sanctus Gregorius Magnus id ipſum luculentiſſime docet variis locis, prout legere eſt in Tractatu de Primatu Romanæ Eccleſiæ toties edito, & noviter recuſo in Collectione Labbei, Tom. I. col. 68. Delibando autem ex iis præcipua ſolum, in Epiſtola ad omnes Epiſcopos per diverſas Provincias conſtitutos ait: *Quia cunctarum diſpoſitione Divina curam gerimus Eccleſiarum, omnibus noſtra poſcentibus ſuffragia, Apoſtolica auctoritate ſubvenire optamus: quoniam Divinæ virtutis, & infirmitatis humanæ ſanctio eſt, ut Eccleſiarum negotia ad noſtræ reparationis tendant effectum. Quapropter has ad vos literas deſtinamus, in quibus Decreto noſtro veſtram rogantes charitatem, mandamus, VT NIHIL PRIVS DE EO, QVOD* torrean QVI *AD SINVM SANCTÆ ROMANÆ CONFVGIT ECCLESIÆ EJVSQVE IMPLORAT AVXILIVM, DECERNATVR, QVAM AB EJVSDEM ECCLESIÆ FVERIT PRÆCEPTVM AVCTORITATE, quæ vices ſuas aliis ita impertivit Eccleſiis, ut in partem ſint vocatæ ſolicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis. Si autem (quod non arbitramur) a quoquam ſecus præſumptum fuerit, ab officio Cleri ſubmotus, Apoſtolicæ auctoritatis reus ab omnibus judicetur.*

LX. Vides hoc loco Gregorium Magnum, mitiſſimum certe Pontificem, nec cupidum explicandæ ſuæ poteſtatis, eadem ſtatuiſſe, quæ olim Melchiades, quæ poſtea Julius I. in cauſſa Athanaſii, quæ deinde Innocentius, Bonifacius, Leo, Gelaſius, Symmachus, & alii RR. Pontifices, ſæculis quarto, quinto, ac ſexto; quæ denique labente nono Nicolaus I. & Hadrianus II. obſervanda decreverunt erga Epiſcopos appellantes. Et ne videretur aliquid in eo adverſus Canones ſtatuere Gregorius, ait (habeturque Diſt. 12. Cap *Præceptis*) *Non novum aliquid præſenti juſſione præcipimus, ſed illa, quæ olim indulta videntur, firmamus: CVM NVLLI DVBIVM SIT, QVOD NON SOLVM PONTIFICALIS ACCVSATIO* (ecce Quæſtio noſtra) *SED OMNIS SANCTÆ RELIGIONIS RELATIO, AD SEDEM APOSTOLICAM, QVASI AD CAPVT ECCLESIARVM, DEBEAT REFERRI, ET INDE NORMAM SVMERE, VNDE SVMPSIT EXORDIVM &c.* Quæ verba mutuavit plane S. Gregorius ex veteribus RR. Pontificum Epiſtolis, quas poſtea Iſidorus ſuæ Collectioni inſeruit. Vide ſupra Diſſert. IV. illuſtre teſtimonium Gregorii IV.

LXI. Quod vero aliqui reponunt, nec Rhotadum, nec Epiſcopos Gallicanos, qui eum depoſuerunt, Romam evocari potuiſſe ad cauſ-

ſam

ſam dicendam , ſed judicium intra Provinciam terminari debuiſſe, eſt vetus cantilena ab Euſebianis mutuata in cauſſa Athanaſii , & poſtea ex parte recantata ab Hincmaro Rhemenſi Epiſt. XVII. ubi ſiniſtre interpretatur Canonem quintum Concilii Sardicenſis , in quo Euſebiani ipſi reprehenſi, & damnati fuerunt. Nam eadem Synodus in literis ad Julium Papam reprehendit eos , quoniam noluerunt Romam accedere ad reddendam ſui rationem in Athanaſium, & alios Epiſcopos , qui Sedem Apoſtolicam appellaverant. Deinde in literis ad omnes ſub Cælo Epiſcopos ait , Euſebianorum Sycophantiam jamdiu inde notam fuiſſe , quod Romam evocati comparere nollent : *Acceſſiſſent enim , ſi ſui , & actorum ſuorum fiduciam habuiſſent* . Et eadem videtur fuiſſe vera cauſſa Hincmaro Rhemenſi, aliiſque Galliæ Epiſcopis , Romam evocatis ad cauſſam dicendam , ſimul cum Rhotado Sedem Apoſtolicam appellante inſtar Athanaſii . Non enim ſatis fidere videbantur juſtitiæ ſuæ . Unde Rhotadus tandem Romam accedere permiſſus , nemine adverſariorum comparente , a Nicolao Papa Sedi ſuæ reſtitutus fuit .

LXII. Sane ea poteſtas evocandi Romam, quoties Papa id conveniens judicaverit , ſatis indicatur iis verbis V. Can. Sardicenſis circa judicium Epiſcoporum : *Erit in poteſtate ipſius quodcumque recte habere probaverit* . Ac præterea: *Faciet quod prudentiſſimo ejus conſilio recte habere videbitur* . Verum & ipſe Primatus Romano Pontifici a Deo ἀμέσως conceſſus in totam Eccleſiam, id extorquet. Unde illud Bernardi ad Mediolanenſes Epiſt. 131. *Romana Eccleſia poteſt a finibus terræ quaſcumque perſonas Eccleſiaſticas evocare , & ad ſuam præſentiam cogere, non ſemel , aut bis , ſed quoties expedire videbit* . Unde Maximo Salonitanæ Eccleſiæ Epiſcopo prævaricatori, detrectanti ut Romæ fieret de ſe judicium, & inſtanti, ut intra ſuam Provinciam per Vicarios Romani Pontificis ageretur , reſpondit Sanctus Gregorius Papa Lib. 5. Ep. 25. *Quod poſtulas , ut illuc perſonam dirigere debeamus, qua præſente , de iis, quæ dicuntur , poſſit eſſe probatio; eſſet utcumque excuſabile , ſi unquam ratio ei , qui accuſatur , neceſſitatem probationis imponeret . Et poſtquam non tibi, ſed accuſantibus hoc onus incumbit , ad nos dilatione ceſſante venire non deſinas.* Hiſce verbis Gregorius plane præoccupavit effugium , quo multo poſtea uſus fuit Hincmarus Rhemenſis in cauſſa Rhotadi erga Pontificem Nicolaum .

LXIII. Ex dictis manet fidei ſuæ , ut opinor , ſatis reſtitutum quidquid Iſidorus in Præfatione ſua dixit circa judicia Epiſcoporum , & appellationes ad Sedem Apoſtolicam . Simul etiam oſtenſum eſt , quam inaniter a Baluzio , & aliis impetantur Epiſtolæ Collectionis Iſidorianæ , priſcis Pontificibus adſcriptæ, & num. 3. indicatæ, quod in iis ea doctrina tradatur, quam hactenus oſtendimus ſacris Canonibus conſentaneam, & Decretis omnino exploratis aliorum Pontificum Iſidoro ipſo antiquiorum. Dato etiam & minime conceſſo , Nicolaum Papam in cauſſa Rhotadi aliter ſe geſſiſſe , quam ſacris Canonibus decretum eſſet ; id facere potuit ex juſta aliqua ratione utilitatis , & neceſſitatis , diſpenſando in iis , ut oſtendimus late in *Defenſione Cathedræ Sancti Petri* Diſp XXVII. Idque exigere videbatur nimia oppreſſio Rhotadi in Gallia , & perſecutio illata a potentiſſimis adverſariis , quibus nemo reſiſtere audebat : ut propterea ab Epiſcopis Gallicanis nihil non lævum , & violentum expectari poſſet , ſi iis permitteretur integra , & abſoluta poteſtas ad terminandam cauſſam illam .

DISSERTATIO OCTAVA.

An jure Iſidorus in hac Præfatione dixerit, plura quam viginti Capitula Concilii Nicæni in multis inveniri locis.

P*Roſequitur Iſidorus ſuam Præfationem , & ait* : Scire autem vos octoginta Epiſcopos , qui hoc Opus me incipere , & perficere coegiſtis , & cunctos reliquos Domini Sacerdotes oportet , quod plura, quam illa viginti Capitula , quæ apud nos habentur , Nicænæ Synodi reperimus ; & in Decretis Julii Papæ ſeptuaginta eſſe debere legimus . Quam Epiſtolam in ſuo ordine inter cætera Decreta Apoſtolicorum poſuimus , hæc ſcrutantibus , & cunctis noſſe volentibus rimanda : *Hæc , & plura alia eodem ſpectantia Iſidorus : quæ occaſionem miniſtrant excitandæ controverſiæ , tamdiu , & tam ſæpe vexatæ inter doctos , & eruditos quotlibet , circa numerum Capitulorum , ſive Canonum Concilii Nicæni ; an ſit vicenarius ſolum , ut plerique tradunt ; an potius vicenario major, uti Iſidorus hoc loco videtur aſſerere . Studebimus autem brevitati in re adeo prolixa ab aliis tractata , & ea ſolum proferre , quæ videantur obſervatione digna .*

EXCURSUS I.

Eruditorum fere omnium hujus ſæculi opinio , ejuſque potiora fundamenta , quibus ſuadetur , Canones Nicænos non fuiſſe plures , quam viginti .

II. CAnones Concilii Nicæni ſolum fuiſſe viginti, communis fere doctorum hominum ſententia eſt , tam Latinorum , quam Græcorum, præeuntibus Ruffino Lib. 1. Cap. 6. & Theodoreto lib. 1. Cap. 8.

III. Imprimis id ſuadere conantur , quia Epiſtola Julii I. Papæ teſtantis fuiſſe ſeptuaginta eos Canones , quam hoc loci allegat Iſidorus, communiter cenſetur ſuppoſititia , & propterea rejicitur ab omnibus fere recentioribus, qui plures in ea [illegible] , & vitia deprehenderunt , propter quæ nullam fidem mereatur .

IV.

IV. Deinde videtur palam refelli, quod in ipſa habetur initio columnæ tertiæ cap. 1. *Semper majores cauſſæ ad Sedem Apoſtolicam multis auctoritatibus referri præceptæ ſunt.* Id enim eſſe falſum patet ex conſuetudine Eccleſiæ Africanæ, repellentis ejuſmodi appellationes, ac negantis, illas fuiſſe præſcriptas in Canone aliquo Concilii Nicæni. Cum enim Zoſimus Papa, qui an. CDXVI. regebat Eccleſiam, contenderet apud Patres Concilii Carthaginenſis VI. ut appellationes ab Epiſcoporum Africanorum judiciis ad Sedem Apoſtolicam admitterentur, juxta præſcriptum Nicæni Concilii; Patres ipſi non acquieverunt Pontificiæ huic juſſioni: miſeruntque Legatos ad Atticum Conſtantinopoleos, & ad Cyrillum Alexandriæ Epiſcopos, ut ipſis copiam facerent omnium Canonum in Nicæna Synodo conditorum. At ii ſolos viginti circumferri ſolitos miſerunt, in quibus ne litera quidem erat de appellationibus ad Apoſtolicam Sedem. Solum ergo viginti Canones Nicæni a principio fuerunt, ſiquidem non plures inventi, neque in Africa, neque Conſtantinopoli, nec Alexandriæ; idque nonaginta tribus annis, ſolum poſt ipſam Synodum Nicænam, cujus Acta integra cenſendum in aliqua ſaltem earum Eccleſiarum eouſque perſtitiſſe.

V. Huc etiam ſpectat, Africanos Patres idipſum didiciſſe longæva conſuetudine a tempore Sancti Cypriani, qui in Epiſt. 58. editionis Pamelii, ejuſmodi appellationes improbare videtur. Si autem in Nicæno Concilio poſtea fuiſſent probatæ, nullatenus Patres Africani poſteriores in citato Concilio VI. illas detrectare auſi fuiſſent. Quare etiam videtur falſum, quod in dicta Julii Epiſtola Cap. 2. de Judicis Epiſcoporum ſpectantibus ad Romanum Pontificem habetur.

VI. Accedunt teſtimonia Scriptorum ejuſdem ſæculi quinti, ac temporis fere, in quo Zoſimus Papa vixit. Ruffinus enim in Hiſtoria, licet viginti duos Canones numeret, reipſa tamen ſolos viginti exhibet, quatenus duos eorum bipartito ſecat, in quibus nihil omnino additur. Theodoretus quoque Lib. I. Hiſtor Eccl. Cap. 8. fine teſtatur, Nicænos Canones non fuiſſe plures, quam viginti. Patres deinde Concilii Carthaginenſis VI. in relatione fidem faciunt, Cæcilianum Epiſcopum Carthaginenſem, qui interfuerat eidem Concilio Nicæno, viginti eorum dumtaxat Collectionem ſecum Carthaginem adduxiſſe ex Nicæa. Quare iidem dixerunt Aurelio Præſidi, Capitulo IX *Exemplaria Fidei, & ſtatuta Nicænæ Synodi, quæ ad noſtrum Concilium per beatæ recordationis olim prædeceſſorem tuæ Sanctitatis, qui interfuit, Cæcilianum Epiſcopum, allata ſunt, ſed & quæ Patres, ea exemplaria ſequentes, hic conſtituerunt, vel nunc communi tractatu ſtatuimus, bis geſtis Eccleſiaſticis inſerta manebunt &c.* Deinde Notarius ex ipſo Cæciliani Codice legit confeſſionem Fidei Nicænæ: *Statuta quoque Nicænæ Fidei in viginti capitulis ſimiliter recitata ſunt.* Denique Gelaſius Cyzicenus, qui inclinante eodem ſæculo, nimirum circa annum CDLXXVI. ſcripſit tribus Libris Hiſtoriam de Actis Nicænæ primæ Synodi ſolum commemorat viginti illius Canones.

VII. Præterea idipſum comprobant antiquiſſima exemplaria Nicænorum Canonum, quotquot inveniri potuere. Inter quæ duo potiſſimum cenſeri poſſunt, viſa ab Illuſtriſs. D. Petro Marca: alterum apud Chriſtophorum Juſtellum, excedens ut minimum nongentos antiquitatis annos: alterum pariter antiquiſſimum apud Monaſterium Rivi-Pollenſe Benedictinum in Catalonia: in quorum utroque ſolum habentur viginti Canones Nicæni, & poſtea continuati cum iis totidem Sardicenſes Canones: prout legere eſt in Diſſertatione peculiari de hoc, inter Opuſcula ejuſdem Marcæ edita anno MDCLXXXI. a Stephano Baluzio, & in hujus Præfatione ad illa, ubi narrat ea, quæ contigerunt circa inventionem ms. apud Juſtellum extantis, veluti αὐτόπτης. Videtur itaque omnino certum, illos non fuiſſe plures, nec ullo ſolido fundamento niti, quotquot eorum numerum majorem volunt. Quare hanc ſententiam tuentur frequenter recentiores pene omnes ingenti numero, quotquot de numero Canonum Nicænorum diſſeruere.

EXCURSUS II.

Profertur ſententia Iſidori affirmantis, ejuſque argumenta examinantur; & aliqua quidem levia eſſe oſtenduntur; alia vero majoris momenti urgentur, & confirmantur multipliciter.

VIII. VErum Iſidorus in Præfatione hac plures fuiſſe Nicænos Canones, quam viginti, confirmat variis argumentis, ac primum quidem ex Epiſtola Julii Papæ, quam ille in Collectione ſua exhibuit. Nimirum in ea, quæ eſt ad Orientales Epiſcopos, hæc habentur: *Conciliorum convocandorum jura, & majores cauſſas, ad Sedem Apoſtolicam, Evangelicis, Apoſtolicisque inſtitutis referri oportet. Id a Sanctis Apoſtolis, & Succeſſoribus eorum, ID A NICÆNA SYNODO DEFINITUM EST.* Atqui inter viginti Canones Nicænos circumferri ſolitos, nihil ejuſmodi legitur. Plures ergo ii, quam viginti, fuerunt. Deinde in Epiſtola ad Epiſcopus congregatos Antiochiæ citat Canonem XVIII. ejuſdem Concilii, quaſi in eo dictum fuerit: *Omnes Epiſcopi in gravioribus cauſſis libere Apoſtolicam appellent Sedem, atque ad eam quaſi matrem confugiant: cujus diſpoſitioni omnes majores cauſſas antiqua Apoſtolorum auctoritas reſervavit.* In Canone autem XVIII. Nicæno, quem omnia exemplaria proferunt, nec verbum ejus rei apparet, immo nec in ullo ex omnibus viginti. Id ipſum conſtat ex Canone XIX. quem ibidem allegat Julius, nullatenus extante inter viginti vulgatos, ac proinde diverſo ab iis.

IX. Hoc argumentum Iſidori nullam vim habet, judicio fere communi recentiorum, qui eam Epiſtolam rejiciunt, veluti ſuppoſitam Julio Papæ. Et certe ipſius Iſidori Collectoris tempore jam a nonnullis dubitabatur de auctoritate illius, ut patet ex ipſo contextu Præfationis, in qua verſamur: ubi ille tanto conatu eam tuetur veluti germanam. Fortaſſis vero impugnata fuit ab iis, qui etiam tunc contendebant, Canones Nicænos non fuiſſe plures quam viginti: ut propterea Iſidorus, oſtenſo, & comprobato majori numero, illam ab impugnationibus vindicaverit.

X. Id tamen certum haberi volo, Iſidorum Collectorem, ſummæ auctoritatis virum, ac celeberrimum ſuo tempore apud omnes Epiſcopos,& Sacerdotes Hiſpaniæ, ut ex ipſa Præfatione conſtat, & ſuo loco oſtenſum fuit, nullatenus e ſuo cerebro finxiſſe Epiſtolam illam nomine Julii editam, aliaſve Pontificum ſimiles; ſed bona fide a majoribus accepiſſe, qualiter apud plurimos circumferebantur. Quin & ipſi occurriſſe difficultates aliquas adverſus αὐθεντίαν ejus, quamvis communiter receptæ, patet ex hoc loco, ubi illam confirmare multiplici via conatur; veluti quæ iis præſidiis indigeret, ne adulterina cenſeretur. Unde Chriſtianus Lupus Tom. I. in Concilia pag. 112. hanc ſententiam tribuit palam S. Iſidoro.

XI. Non tamen omittendum, ea, quæ in prædicta Epiſtula dicuntur de Primatu Eccleſiæ Romanæ, veriſſima eſſe, & a primis ſæculis communi judicio fidelium comprobata (ut ſæpe alias oſtendimus, præſertim Diſſert. præcedenti, ex doctrina, & praxi Summorum Pontificum uſque ad tempus Sancti Iſidori) nec parum conſentanea Canoni ſexto indubitato Concilii Nicæni, præſertim juxta vetuſtiſſimum exemplar Chriſtophori Juſtelli, in quo legitur: *Antiquus mos eſt, ut urbis Romæ Epiſcopus habeat principatum, ut ſuburbicaria loca, ET OMNEM PROVINCIAM ſua ſolicitudine gubernet.* Cui reſpondet plenius Canon trigeſimus nonus ex Arabicis Nicænis apud Collectionem Labbeanam To. II. col. 303. in quo dicitur: *Ille qui tenet Sedem Romæ, caput eſt, & princeps omnium Patriarcharum: quandoquidem ipſe eſt primus, ſicut Petrus, cui data eſt poteſtas in omnes Principes Chriſtianos, & omnes populos eorum: ut qui ſit Vicarius Chriſti Domini noſtri ſuper cunctos populos, & univerſam Eccleſiam Chriſtianam; & quicumque contradixerit, a Synodo excommunicatur* Hæc ibi, ſicuti primum a Turriano edita fuerunt. Juxta verſionem vero recentiorem Abrahami Ecchellenſis ibidem col. 327. eſt Canon XXXVII. in quo dicitur de Patriarchis Orientalibus: *Sit Princeps, ac Præpoſitus ipſis dominus Sedis D. Petri Romæ, ſicut præceperunt Apoſtoli.*

XII. Secundo Iſidorus idipſum probat, dicens num. 12. Præfationis: *Legitur enim in Conſtantinopolitano Concilio ita: Manifeſtum eſt, quod illa, quæ ſunt per unamquamque Provinciam, ipſius Provinciæ Synodus diſpenſat, ſicut Nicæno conſtat decretum eſſe Concilio;* nimirum, ita habetur in ſecundo Canone Concilii I. Conſtantinop. ideſt, Oecumenici II. celebrati ſub Damaſo Papa anno CCCLXXI. verbis illis: ἔυδηλον ὡς τὰ καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν ἡ τῆς ἐπαρχίας σύνοδος διοικήσει, κατὰ τὰ ἐν Νικαίᾳ ὡρισμένα.

XIII. At enim ex hoc Canone nihil jure potuit colligere Iſidorus pro ſua ſententia, nam id vere legitur ſtatutum Canone quinto Concilii Nicæni ibidem allegati, etiam juxta verſionem, qua idem Iſidorus uſus fuit. Ubi enim Nicæni Patres dicto loco ajunt: ἵνα ἐν τούτῳ τὴν πρέπουσαν ἐξέτασιν λαμβάνῃ, καλῶς ἔχειν &c. Iſidorus ipſe Latine vertit, aut legit: *Ut ergo digne hæc poſſint examinatione perquiri, recte viſum eſt, per ſingulos annos, ſingulis quibuſque Provinciis, bis in anno Epiſcoporum Concilium fieri: ut ſimul in unum convenientes ex communi Provincia, hujuſmodi examinent quæſtiones &c.* Ut autem doctrina illa, & allegatio Concilii Conſtantinopolitani ad rem eſſet, profecto opus erat, ne in aliquo ex viginti Canonibus Concilii Nicæni extantibus id decretum fuiſſet.

XIV. Tertio idem Iſidorus nititur in Epiſtola S. Innocentii I. Papæ ad Victricium Rothomagenſem Epiſcopum ajentis: *Si quæ cauſſæ, vel contentiones inter Clericos & laicos, vel inter Clericos, tam majoris ordinis, quam etiam inferioris, fuerint exortæ, placuit, ut ſecundum Synodum Nicænum congregatis omnibus ejuſdem Provinciæ Epiſcopis, judicium terminetur*, & reliqua.

XV. Cæterum neque inde aliquid habetur, ut numerus Canonum Nicænorum ſit pluſquam vicenarius. Nam in quinto illorum nuperrime allegato id ſtatutum legitur; ut propterea mirum appareat, Iſidorum ejus Canonis conſcium, hoc & præcedenti argumento uſum. Neque obeſt quod in eo Canone quinto nulla fiat mentio cauſſarum, vel contentionum exortarum ſpeciatim *inter Clericos, & laicos, vel inter Clericos tam majoris ordinis, quam etiam inferioris*, prout Innocentius in ea Epiſtola loquitur. Satis enim Nicænum Concilium in eo Canone initio declaravit, ſe loqui de omnibus ejuſmodi contentionibus: de exortis quidem inter Clericos, & Laicos, primis illis verbis Canonis: *Servetur & iſta ſententia, ut ii, qui ob aliis excommunicentur, ab aliis ad communionem non recipiantur*. Hoc certe locum habet ubi Clerici laicos excommunicant. De exortis vero inter Clericos, tam majoris, quam minoris ordinis, ſatis commode intelliguntur verba ejuſdem Canonis ſtatim adjecta: *Requirantur ſane, ſi forte aliqua indignatione, aut contentione, aut qualibet commotione Epiſcopi ſui excommunicati ſunt*. Quippe hæc non modo accidere poſſunt Epiſcopis erga laicos, ſed etiam circa Clericos ſibi inferiores. Deinde ſubduntur illico verba illa paullo ante a nobis exſcripta, quibus decernitur, *bis in anno Epiſcoporum Concilium fieri, ut ſimul in unum convenientes ex communi Provincia, hujuſmodi examinent quæſtiones*. Ubi τὸ *hujuſmodi* generatim omnes eas contentiones Clericorum cum laicis, & inter ſe, comprehendit. Aliunde vero argumentum ipſum urgeri poteſt, quia Innocentius in eadem Epiſtola ſubdit: *Si autem majores cauſſæ in medium fuerint devolutæ, ad Sedem Apoſtolicam, ſicut Synodus ſtatuit, poſt Epiſcopale judicium referantur*. Ubi nomine Synodi intelligit Nicænam paullo ante citatam. Et tamen id in nullo Canone ex viginti illis legitur. Alius igitur præter illos a principio fuit.

XVI. Quarto allegat Iſidorus pro ſe teſtimonium S. Theophili Epiſcopi Alexandrini, qui in ſuis Epiſtolis ait, ſtatutum fuiſſe in Concilio Nicæno, *ut ab octavo Idus Martii uſque in diem Nonarum Aprilis, diebus ſcilicet viginti octo, qualiſcumque luna nata fuerit, in quolibet medio ſpatio perhibet facere initium primi menſis, xiv. vero a xii. Kalendas Aprilis uſque in xviij.* (alias ad XIV.) *Kalendas Maji ſolerter inquiri; & ſi etiam die Sabbathorum inciderit, conſequenti die Dominico, ideſt luna xv. Paſcha celebrare conſcripſit; & ſi die Dominico luna xiij.* (alias XIV.) *ejuſdem men-*

ſis, ideſt primi menſis, evenerit, ipſa hebdomada tranſmiſſa, in alterum diem Dominicum Paſcha ſine dubio celebrare conſcripſit. Inducto vero hoc Theophili teſtimonio de ejuſmodi Decreto Concilii Nicæni, colligit ſtatim Iſidorus: *His & aliis quamplurimis exemplis patet, plura eſſe quam viginti Concilii Nicæni Capitula, & veram eſſe prædictam Julii Papæ Epiſtolam.*

XVII. Porro inter omnes Epiſtolas Sancti Theophili Alexandrini, quotquot extare inveniuntur, & nuper editæ fuerunt anno Chriſti MDCLXXVII. Tomo V. Bibliothecæ Maximæ Antiſonianæ Patrum, nihil ejuſmodi extat, etiam in tribus primis Paſchalibus a S. Hieronymo Latine redditis, ubi id opportunum habebat locum. Quin potius circa finem uniuſcujuſque earum, deſignat Theophilus menſem, ac diem, in quo celebrandum ſit feſtum Paſchæ, nulla facta mentione Concilii Nicæni, immo & verbis nullam ſimilitudinem habentibus cum iis, quæ ab Iſidoro allegantur. Exempli gratia profero verba tertiæ & poſtremæ Epiſtolæ Paſchalis ad calcem pag. 858. prædicti Tomi, ubi ita loquitur: *Incipient ſanctæ Quadrageſimæ jejunia ab undecimo die menſis Phamenoth, & hebdomadæ Dominicæ Paſſionis, ſextadecima die menſis Pharmuthi. Et finiamus jejunia veſpere Sabbathi, vigeſima die prima ejuſdem menſis Pharmuthi, & ſequenti die Dominicum Paſcha celebramus vigeſima ſecunda die ejuſdem menſis. Poſt quæ jungamus ſeptem hebdomadas ſanctæ Pentecoſtes*. Hæc ibi, quæ ad rem ſint, & nihil amplius. Sed cum aliæ plures Epiſtolæ ejuſdem Theophili, ac variæ lucubrationes periiſſe cenſeantur, fortaſſis in aliqua earum poſtea id Decretum Concilii Nicæni de Paſchæ celebritate allegavit; nec dubitandum, eam Epiſtolam tempore Iſidori extitiſſe. Id certum eſt, Theophilum ipſum, adhuc Presbyterum anno CCCLXXX. (quippe ſolum ab anno CCCLXXXV. aut circiter, electus fuit Alexandrinus Præſul) ſcripſiſſe de Paſchali Cyclo; in quo, ut inquit Gennadius, Paſchæ recurſum, quem magna Nicæna Synodus poſt XCV. annos agi in tempore & die & luna, ſecundum ſtatum ſuum invenerat, additis quibuſdam feſtivitatis rationibus, & expoſitionibus, Theodoſio Imperatori obtulit.

XVIII. Certum præterea eſt, in eadem magna Synodo Nicæna ſtatutum fuiſſe diem, in quo feſtum Paſchæ celebrandum eſſet, licet Canon illius ea de re non extet intra viginti illos. Ita enim conſtat ex Epiſtola Synodali Nicænorum Patrum ad Eccleſiam Alexandrinam, & Epiſcopos Ægypti &c. quam affert Socrates Lib. I. Hiſtoriæ Cap. 6. prout habetur Tomo VII. citatæ Bibliothecæ Maximæ Patrum, pag. 271. ubi hæc leguntur: *Quod autem ad omnium conſenſum de ſacratiſſimo feſto Paſchatis celebrando attinet, ſcitote, quod veſtris precibus controverſia de re ſuſcepta, prudenter, & commode ſedata eſt: ita, ut omnes Fratres, qui Orientem incolunt, quique Judæorum conſuetudinem ante in eo feſto ſervando imitari ſolent, jam Romanos nos, & omnes vos, qui eundem morem, quem nos, in illo recolendo a primis temporibus tenuiſtis, ſunt conſentientibus animis in eodem celebrando deinceps ſedulo ſecuturi*. Deinde in Epiſtola III. Conſtantini Imperatoris ad Eccleſias, quam idem Socrates affert (& habetur ibidem pag. 272.) hæc habentur de Synodo Nicæna: *Ibi cum de ſanctiſſimo feſto die Paſchatis diſceptaretur, communi omnium ſententia rectum eſſe videbatur, ut omnes ubique uno eodemque die illud celebrarent*. Legendus præterea idem Socrates Cap. ſeptimo ſequenti, unde idipſum patet ex colloquio ejuſdem Conſtantini cum Aceſio ſectæ Novatianorum Epiſcopo.

XIX. Unde Athanaſius in Epiſtola de Synodo Ariminenſi & Seleucienſi inquit: *Nicæna Synodus non temere habita eſt: ut quæ habet graviſſimos uſus, & legitimam rationem. Syri enim, Cilices, Meſopotamiani, in feſti cauſſa claudicabant, atque una cum Judæis Paſcha celebrabant*: nimirum, abducti falſa exiſtimatione Polycratis arbitrantis, ita debere fieri ex Apoſtolica traditione. Nicæna vero Synodus, ut inquit Euſebius Cæſarienſis in Vita Conſtantini Lib. 3. Cap. 14. ſtatuit, *ut non modo Fidei conſtantia apud omnes obtineret; verum etiam unum idemque tempus in ſalutaris feſti celebratione ab omnibus firmaretur*.

XX. Nimirum, ſanctiſſimi illi trecenti decem & octo Patres, qui Nicæam convenerant ad primum Concilium Oecumenicum celebrandum, ad concordiam omnium Eccleſiarum ſtabiliendam, extinxere penitus opinionem Quarta-decimanorum, quam olim a Victore Papa repreſſam, ac damnatam in variis Conciliis, excitaverunt denuo Syri inſiſtentes cuidam veteri apud ſuos traditioni. Itaque denuo præceptum fuit, ut poſt decimam quartam lunam primi menſis, in ipſum æquinoctium vernum incidentem, vel ipſum proxime ſequentem, prima Dominica, omnes ubique terrarum Chriſtiani uno eodemque die Paſcha celebrarent, communi apud omnes ritu.

XXI. Conſtat præterea id ex Canone primo Concilii Antiocheni, paſſim hactenus reputati Arianorum Conciliabuli, nunc autem primum auctoritati ſuæ reſtituti teſtimoniis, & argumentis multis a Clariſſ. Viro D. Emmanuele Schelſtrate, Bibliothecæ Vaticanæ Præfecto, integro volumine ea de re. Nimirum, in prædicto Canone dicitur: *Omnes, qui auſi fuerint diſſolvere definitionem ſancti & magni Concilii, quod apud Nicæam congregatum eſt ſub præſentia piiſſimi & venerandi Principis Conſtantini, de ſalutifera ſolemnitate Paſchæ, excommunicandos, & de Eccleſia pellendos eſſe, cenſemus &c.* Mitto antiquum epitomatorem Græcum, & Zonaram, Ariſtenum, Balſamonem, atque epitomen Hadriani I. Papæ, apud eundem Schelſtratem; ac præterea Epiphanium Hæreſi LXIX. Gelaſium Cyzicenum in Hiſt. Concilii Nicæni, Gregorium Cæſareenſis Cappadociæ Presbyterum in Actis ejuſdem Synodi a Combefiſio excerptis e Photio, Theodoretum Lib. I. Cap. 9. & Bedam Lib. 3. Hiſt. Eccleſiaſticæ Cap. 25. ex quibus conſtat, vere ita in Nicæna Synodo cautum fuiſſe, prout Iſidorus hoc loco ſtatuit ex teſtimonio Theophili.

XXII. Præterea iidem Patres Nicæni, ad vitandum periculum diſparitatis, quæ ex varia, ac diverſa temporum ſupputatione in tot regnis oriri poterat, decreverunt, ut quod antea Romanis Pontificibus curæ erat, deinceps Alexandro, ejuſque ſucceſſoribus Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopis demandaretur, veluti harum rerum peritiſſimis; nimirum, ut diligenter perqui-

quirerent, quonam die ſingulis annis Paſcha celebrandum eſſet, idque Romanis Pontificibus ſignificarent, a quibus ſingulæ inferiores Eccleſiæ certiores redderentur. Itaque nunciato ab Epiſcopis Alerandrinis die, Romani Pontifices literas ſuas per omnes Eccleſias ea de re promulgabant, quæ ipſo Epipbaniæ feſto quotannis inter Miſſarum ſelemnia a Diaconis legebantur. Cum itaque Theophilus Alexandrinus eſſet ſucceſſor Alexandri in eo Epiſcopatu, ad ipſum ſpectabat inquiſitio diei Paſchatis, & ut Eccleſias ditionis ſuæ quotannis per literas admoneret, quod & fecit tribus Paſchalibus Epiſtolis ſupracitatis. Unde & certum videtur, prout Iſidorus teſtatur hoc loco, ipſum alicubi meminiſſe ejus Decreti, quod Patres Nicæni ediderunt.

XXIII. Hinc autem vires ſumit argumentum Iſidori, ut probet, Canones Nicænos fuiſſe plures, quam viginti. Nam in nullo illorum legitur quidquam ſtatutum de ſolennitate Paſchæ; cum tamen, teſte Theophilo, Canon ea de re ibidem cunditus fuerit. Quod ipſum palam pronuciat Zonaras ſcriptor ſæculi duodecimi circa an. MCXX. in Commentariis Conciliorum editis Pariſiis anno MDCXVIII. dum interpretatur primum Canonem Antiochenum num. a t. erſcriptum, dicens: *Decretum a ſanctis Patribus in prima Synodo* (ipſa eſt Nicæna) *congregatis, QUOD TAMEN INTER CANONES EJUS SYNODI NON EXTAT, de Paſchæ ſolenni die editum fuiſſe, hujus Synodi* (Antiochenæ) *Auctores aſſerunt*. Itaque vere editum fuit in Nicæna Synodo Decretum de celebrando Paſchate, quamvis non eatet inter Canones illius. Aliunde vero conſtat, in exemplari aliquo viſo a Balſamone Patriarcha Antiocheno circa finem ejuſdem ſæculi duodecimi, extitiſſe adhuc prædictum Canonem de Paſchate celebrando inter Nicænos. Nam in Commentariis ad prædictum Canonem Antiochenum, ait: *Præſentis Synodi Sancti Patres dicunt, de hoc feſto a prima Synodo fuiſſe definitum, atque hoc in Canonibus Patrum primæ Synodi invenitur*.

XXIV. Sed & Nicephorus lib. 8. Cap. 16. initio inquit: *Fidei dogmate rite, atque ordine confirmato, rurſum convenere* (nimirum Patres Nicæni) *ut de ſacris Paſchæ feriis diſceptarunt. Placuitque omnibus, ut eodem tempore ab omnibus feſtus is dies celebraretur*. Deinde vero Cap. 24. exſcribit verba Synodi ea de re ad Alexandrinos Ægyptios,

XXI. Unde & confirmatur idem argumentum Iſidori. Nam licet in exemplaribus frequentibus, & obviis Nicænæ Synodi, non extarent pluſquam viginti Canones, in uno, aliove inveniebantur plures, atque in iis ille, quo dies Paſchatis celebrandi præſcribebatur. Vere ergo Nicæni Canones a principio conditi, pluſquam viginti fuerunt. Sane hoc argumentum, ſaltem prout a nobis explanatum, & confirmatum fuit, videtur ineluctabile, & quod nullam exceptionem patiatur.

EXCURSUS III.

Examinatur quintum argumentum Iſidori, & roboratur multiplici ex capite, Acta Concilii Nicæni a principio grande volumen impleviſſe: quod proinde pluribus longe Canonibus, quam viginti, conſtaret.

XXVI. QUinto idipſum confirmat Iſidorus, dicens: *Nobis autem quidam e conſortio Fratrum noſtrorum Orientales teſtati ſunt, ſe vidiſſe Concilium Nicænum, habens potiorem quatuor voluminum Evangeliorum magnitudinem, continens in ſe Seſſiones Epiſcoporum, & introductiones, judiciaque querimoniarum, atque definitiones, & conſtitutiones, necnon & ſubſcriptiones eorum &c.* Si autem in Nicæna Synodo ſolum ſtatuti fuiſſent viginti illi Canones circumferri ſoliti, non fuiſſet locus, ut illius Acta tam grande volumen occuparent, ſed potius brevi Codice comprehenderentur cum omnibus introductionibus, quæ Synodum ipſam præcedunt in frequentibus exemplaribus. Vere ergo longe plures quam viginti Canones initio conditi fuerunt in Nicæna Synodo, quorum proinde introductiones, tractationes, conſultationes, & plura alia eodem ſpectantia, implerent aliquod volumen majus, quam ſit Liber compactus ex quatuor Evangeliis. Quare licet exemplaria obvia, quæ extabant tempore Iſidori, ſolos viginti Canones Nicænos haberent; adhuc inter Orientales inveniebatur unum, vel aliud, in quo legerentur plures.

XXVII. Ut autem vis hujus argumenti, quæ certe magna eſt, recte æſtimetur, nonnulla in anteceſſum obſervare oportet, ex quibus ut minimum probabilitas ſententiæ Iſidori, ejuſque bona fides, palam colligitur. Primum eſt, pleraque exemplaria Actorum Synodi Nicænæ, prout primo concepta fuerunt Græce apud Nicæam, paſſa fuiſſe ingentem perſecutionem ab Arianis, Catholicæ Fidei, & τῦ ὁμουσίυ juratis hoſtibus; qui in ea ſævientes inuſitata rabie, quotquot invenire poterant, flammis tradebant. Indeque effectum eſt, ut in archivis Eccleſiarum Alexandrinæ, & Conſtantinopolitanæ non potuerint inveniri plures ex Nicænis Canonibus, quam viginti, prout teſtantur Patres Concilii Carthaginenſis VI. poſtquam id per Legatos ſuos diligenter examinari curaverunt. Quapropter jure ſapientiſſimus Antonius Auguſtinus in Capitulum 39. alias 41. Hadriani Papæ, inquit: *Negabant Afri, in ſuis Libris inveniri Canones Nicænos; ſed neque in Attici Conſtantinop. neque in Cyrilli Alexandrini Libris extare. Quod quamvis verum eſſet, nihilominus tamen fuiſſe olim potuerunt ab hæreticis deleti, ut Julius, & Felix II. & Athanaſius cum Alexandrinis teſtati ſunt*. Immo & ipſi Canones viginti, qui in iis archivis remanſerant, videntur ab ipſis Arianis fraudulenter poſiti ſeorſum ab aliis, ne abſumptis omnibus deprehenderetur ipſorum furtum, dum non omnes deerant, ſed aliqui, aut præcipui illorum integre aſſervabantur. Et vero plures ex iis ablatos fuiſſe, præter ea, quæ ſuperiori Excurſu dicta fuerunt, conſtabit plane ex iis, quæ in hoc, ac ſequenti proferemus.

XXVIII. Secundum eſt, quamvis tanta Arianorum væſania, & ſuror exarſerit adverſus exemplaria Canonum Nicænorum, non tamen potuiſſe irruere, ac ſævire in omnes prorſus Bibliothecas, & chartophylacia quarumlibet nationum totius Orbis Chriſtiani, quippe ex omnibus iis, etiam barbaris, & plurimarum linguarum varietate diſcretis, confluxiſſe Epiſcopos ſimul cum Græcis & Latinis, affirmat Gelaſius Cyzicenus in Commentar. Par. 2. Cap. 5. ex teſtimonio Euſebii Pamphili oculati teſtis Lib. 3. Hiſtoriæ, ubi de eadem Synodo Nicæna inquit: *Velut Dei nutu adaucta intra parietes ſuos, Syros pariter, & Cilicas, Phœnicas & Arabas, Palæſtinos, Ægyptios porro, Thebanos, Afros, alioſque ex Meſopotamia profectos recepit. Aderat in Concilio una Perſidis Epiſcopus, nec ab hoc eboro Scytha abſuit. Pontus item, & Aſia* (Euſebius eo loco addit Galatiam, & Cappadociam) *Phrygiaque, & Pamphilia, Viros apud ſe lectiſſimos ſuppeditarunt. Quin etiam Thraces, Macedones, Achæi, & Epirotæ, & quorum domicilia multo longiore locorum intervallo diſtabant, eo advenerunt.* Similia habet Nicephorus totidem pene verbis Lib. 8. Hiſtoriæ, Cap. 15. juxta interpretationem, & partitionem Joannis Langi, qua utor. Additque ſtatim ex eodem Euſebio: *Ab ipſis quoque Hiſpanis, Oſius videlicet celeberrimus ille una cum aliis ibi conſidebat.* Et quamvis præcipui Patres in Concilii adyta admiſſi fuerint ſolum CCCXVIII. ut communiter aſſeritur; longe plures confluxiſſe leguntur ad Synodum celebrandam, nimirum, ut habet Alexandrinæ editionis Præfatio, ii trecenti decem & octo ſelecti fuerunt ex duobus mille trecentis quadraginta octo; ſive ex duobus mille quadraginta octo, ut habent Melchitarum, & aliorum editiones.

XXIX. Certum autem videtur, tot graviſſimos variarum nationum, & linguarum Patres, ad Eccleſias ſuas remeantes, ſibi deſcripſiſſe, ac detuliſſe ſecum tanti Concilii Acta, Decreta, Canones, & diatypoſes, idque vernacula propriarum regionum lingua, ut uſui eſſent, & facile ab omnibus intelligerentur. Quod præter quam per ſe videtur manifeſtum, ſatis indicatur ab eodem Gelaſio. Nam Cap. decimo octavo, poſt Patrum Nicænorum ſubſcriptiones, addit: *Hi omnes Sancti & Apoſtolici Viri, omnibus ſub Cœlo Sanctis Dei Eccleſiis, quæ in Nicæna ſancta magna Generali Synodo decreta ſunt, tranſmittentes, ubique tradiderunt.* Quamvis autem Arianorum ſævitia, qui pene omnes Græci, aut Latini erant, abſumere poſſet omnia fere exemplaria Græca, & Latina; non tamen reliqua, & plurima exoticis, aut barbaris Libris conſcripta, quæ ſecum detulerunt Epiſcopi varii, præſertim Syri, Perſæ, Ægyptii, & Arabes: qui certe, ſicuti ſecum exemplaria propriis linguis deferre curarunt ad communem ſuarum Diœceſeωn utilitatem; ſic & ea ſolicite cuſtodiſſe cenſendi ſunt: ut propterea Arianorum furor in ea tam procul diſtantia non poſſet deſævire.

XXX. Rem optime confirmat Abrahamus Ecchellenſis Maronita e Monte Libano in Diſſertatione eruditiſſima de auctoritate Canonum, & Conſtitutionum Nicænæ primæ Synodi, a ſe ex Arabico verſorum, e qua ſummatim potiorem hujus Excurſus partem delibamus. Nam certum eſt in Bibliothecis Arabum, aliarumque nationum exoticarum, conſervata fuiſſe ipſarum linguis plura monumenta Librorum Græcorum, Latinorumque, quæ Græcis, ac Latinis penitus interierant. Idque exemplis aliquot, relictis pluribus aliis, oſtendit: ac primum quidem trium Librorum Apollonii Pergæi e poſterioribus quatuor Libris de Sectionibus Conicis, qui jam dudum Græcis perierant, & ab eruditis hominibus deplorati habebantur: ipſi tamen apud Arabes inventi, & a Magnis Ætruriæ Ducibus ingenti pretio redempti, ab ipſo Abrahamo Latinitate donati ſunt, & Reipublicæ literariæ reſtituti. Deinde plures Ariſtotelis Libros, qui Græce, & nonnullas Livii Decadas, quæ Latine non extant, ac partem Hiſtoriarum Taciti a noſtris deſideratam, inveniri modo apud Arabes, oculatorum teſtium aſſeveratione confirmat. Denique quiſquis variorum Pontificum Romanorum, Imperatorum Germaniæ, Philippi II. Catholici Hiſpaniarum Monarchæ, quorundam Chriſtianiſſimorum Galliæ Regum, Sereniſſimæ Chriſtinæ Suevorum & Gotthorum Reginæ, Magnorum Etruriæ Ducum, aliorumque quorundam Pontificum, & S. R. E. Cardinalium, atque in iis Eminentiſſimi Franciſci Barberini, perpenderit exquiſitam curam in perveſtigandis ex Aſia, & Africa variis Libris, multiplici Orientalium lingua ſcriptis, & magno pretio redimendis; ſperare poteſt, inveniendа tandem exemplaria aliquot integra, & germana Nicænæ Synodi ex tam multis, quæ ſinguli Patres ſecum ad proprias Eccleſias detulerunt.

XXXI. Tertium eſt, Acta omnia Concilii Nicæni, prout a principio tractata, & literis conſignata fuerunt, non fuiſſe brevi aliquo Codice contenta, ſed integro aliquo volumine, æquante, aut excedente molem quatuor Evangeliorum, prout Orientales ab Iſidoro allegati, ſe id vidiſſe teſtantur. Et ſane Acta ipſa non fuiſſe rem unius, vel alterius exigui Codicis, evincit laudatus Abrahamus Ecchellenſis ex ipſa Præfatione Nicænæ Synodi præfixa omnibus editionibus, in qua legitur: *Deinde diſceptare cœperunt cum hæreticis, & hypocritis: perduravitque hujuſmodi congreſſus trium annorum ſpatio, donec iſti coacti ſunt veritatem ore fateri: quæ vero corde, & animo fovebant, ſolus noverat Deus, deſcriptum autem quidquid cum hæreticis, & Fidei impugnatoribus diſputatum eſt, & quidquid Patres inter ſe ſunt colloquuti, atque diſcuſſerunt, quadraginta Libris. Singulorum vero SS. Patrum ſententiæ, ſermones, & Fidei profeſſiones, quas ediderunt aliis Libris quindecim, qui nomine Apoſtolicarum dignoſcuntur, conſervanturque in Eccleſiarum Bibliothecis: ſiquidem hæc omnia deſcripta ſunt, & per univerſas orbis terrarum Provincias promulgata, præter Canones* (preme hæc) *& Conſtitutiones, quæ aliis tribus Libris congeſta ſunt. Ex quibus deſcripta ſunt ea, quibus Chriſtiani indigent Orientales, & eſt hic Liber.* Quid illuſtrius in confirmationem ſententiæ Iſidori de longe pluribus, quam viginti, Nicænæ Synodi Canonibus, & Conſtitutionibus, utpote contentis triplici Libro; & de volumine grandiuſculo Actorum Concilii?

XXXII. Subjungitur ibidem poſt pauca: *Conſtitutiones autem, quas poſuerunt, quamplu-*

plurimæ quidem ſunt. Etenim ſancitæ ſunt Imperatoribus, Regibus, Sacerdotibus, Principibus, Judicibus, Rectoribus, & Provinciarum Præſidibus, ut ſingulis expedit regionibus, ſecundum mores, & naturas: Item Monaſteriis, eorumque habitatoribus, Abbatibus, & Monialibus, & ſingulis ipſorum ordinibus tam virorum, quam mulierum; necnon Eccleſiaſticæ Hierarchiæ (obſerva hæc pro dictis ſupra Excurſu 11.) *Præterea Ducibus, militibus, mercatoribus, civibus, nautis, nummulariis quoque, artificibus, fornicariis, adulteris, ſodomitis, concubinariis, & polygamis. Nec quidquam parvum, vel magnum prætermiſerunt, cujus non fecerant mentionem, & cujus legem non ſtatuerunt*. Deinde additur ratio opportuna condendi tot Leges, Conſtitutiones, & Canones: *propterea, quia Imperator, & Magnates, Duces, Milites, Patricii, & ipſius Curiæ ordines, necnon familiares, & domeſtici, & imperii ejus incolæ, recens ad Chriſtianam Fidem converſi erant. Adeoque Canonibus indigebant, & Conſtitutionibus ad ſuam ſtabiliendam Religionem*. Cum igitur tot ejuſmodi Canones, & Conſtitutiones non habeantur inter viginti, nec haberi poſſint, niſi in numero longe majori; reliquum eſt, ut Nicæna Synodus valde plures Canones a principio ediderit, quam illos viginti.

XXXIII. Idipſum confirmant multorum teſtimonia ab Abrahamo citata; atque imprimis Eutychii Patriarchæ Alexandrini in ſuo Chronico, ubi agens de Patribus hujus Concilii, ait: *Compoſuerunt etiam ipſi Libros quadraginta, qui Conſtitutiones, & Leges continebant*. Libri autem quadraginta, quamvis breves eſſent, aliquod mediocre volumen implere poterant. Similiter Abuharcus Mohamedanus Scriptor, Parte altera ſuæ Apologiæ adverſus Chriſtianos ait: *Et poſuerunt Nicæni Conſtantino Fidem, itemque quadraginta Libros, quos Canones appellaverunt*. Certe id non aliunde compertum habere potuit, quam ex Chriſtianorum Libris tunc extantibus. Georgius quoque Homaidius, Parte prima ſui Chronici ex Conſtantino Magno, inquit: *Tum benedixerunt ei* (Conſtantino), *& compoſuerunt ipſi Librum Eccleſiæ, continentem quidquid ſpectat ad judicia, & lites*. Id autem nequit eſſe verum, ſi Canones Nicæni non fuerint longe plures, quam ii viginti, utpote in quibus non extant plurima ad judicia, & lites Eccleſiæ ſpectantia. Quare fateri oportet, Canones a Concilio Nicæno fuiſſe editos ingenti numero; ut proinde ex iis, & cæteris Actis, juſtum volumen conſurgeret, prout teſtati fuerunt Orientales ab Iſidoro citati.

XXXIV. Accedit illuſtris, & plane decretorius locus Gelaſii Cyziceni, qui centum quinquaginta circiter annis poſt Synodum Nicænam, in Præludiis ad Commentaria Actorum ipſius ait: *Omnia, quæ in præclara illa, & ſancta Synodo facta, & conſtituta fuerant, jam pridem, cum adhuc in paterna domo vitam degerem, legi, cum illa inveniſſem in antiquiſſimo Libro in membranis pene integris deſcripta: qui fuit divini, & celebris Dalmatii, in illuſtri Cyzicenorum Metropoli ſanctæ Catholicæ Eccleſiæ Archiepiſcopi; quique tandem ad familiæ noſtræ dominum devenit, patrem meum dico ſecundum carnem, dignum habitum, qui in ordinem Presbyterorum ejuſdem Eccleſiæ cooptaretur. In quem ſacrum Librum cum perveniſſem, multumque in eo poſuiſſem ſtudii, nec potuiſſem memoria omnia retinere (nemo enim hominum immenſum illud mare omnium, quæ in eo recondebantur, memoriter in ore habere poterit) plurima annotavi ſanctorum noſtrorum Patrum*. Cum vero Gelaſius centum quinquaginta annis poſt eam Synodum ſcribens, teſtatur, Librum a ſe viſum Actorum ipſius fuiſſe prægrandem, & antiquiſſimum, patet, ſcriptum eſſe tempore ejuſdem Synodi, & ſecum delatum a Dalmatio in propriam Eccleſiam: in quo alia a ſanctis Patribus Nicænis tractata, ac conſtituta legebantur.

XXXV. Sed & Photius Conſtantinopolitanus pſeudo-Patriarcha quidem, verum Librorum helluo, ubi recenſet Libros a ſe perlectos, ait, ſe legiſſe quendam Actorum Synodi Nicænæ diviſum in tres partes. Præterea teſtatur, ſe inveniſſe alium Codicem eadem Acta continentem ſub nomine Gelaſii Epiſcopi Cæſareæ Palæſtinæ.

XXXVI. Quod ſi vero aliquis roget, quomodo Patres Nicæni potuerint tot Acta, Canones, diatypoſes, & leges edere, ut Libros, ſive prægrande volumen implerent; huic objectioni occurrit laudatus Ecchellenſis ex eo, quod Concilium ipſum perduraverit ſaltem tribus annis. Ita enim teſtatur Gelaſius paullo ante citatus in Commentariis Actorum ejuſdem Synodi Parte ſecunda, dicens de Conſtantino: *Sexto quidem decimo anno, & ſexto menſe Regni ſui, juxta veteres Hiſtorias, ut ſupra diximus* (nimirum Cap. 5.) *ſanctum Epiſcoporum Concilium congregavit: anno vero vigeſimo, cum Synodi conventum diſſolviſſent, in ſuas Parœcias, ut dictum eſt, unumquemque dimiſit*. Similiter Nicephorum Lib. 8. Hiſtoriæ Cap. 14. & 16. allegat Ecchellenſis, veluti dicentem ibi: *Concilium Nicænum annis tribus paullo amplius celebratum fuit*. At enim nihil ejuſmodi invenio in utroque eo Capite juxta editionem ex Græco in Latinum Joannis Langi, quam ob oculos habeo. Extant tamen verba ipſa Cap. 26. prope finem, ubi deſcribens Nicephorus finem Concilii Nicæni, non ſolum ait, accidiſſe vigeſimo anno Imperii Conſtantini, ſed ſtatim addit: *Synodus vero ipſa Nicææ annis tribus, & paullo longius eſt acta; & res Nicææ talem habuere finem*. Potuiſſet quoque in idem confirmandum allegare Scriptorem Anonymum apud Metaphraſten (prout legere eſt Tomo VI. Lipomani) qui aſſerit, Nicænam Synodum perduraſſe ſex menſes ultra triennium, idque probat teſtimonio Alexandri, quem ait ſcripſiſſe Acta ejuſdem Concilii. Scio eam opinionem rejici veluti fabuloſam a Baronio ad ann. cccxxv. ex Euſebio ſæpe ajente, Concilium id abſolutum fuiſſe in ipſis Conſtantini Vicennalibus, & cœptum Paullino, ac Juliano Coſs. ac proinde intra eundem annum. Sed quid ſi forte Euſebius ſolum loquatur de præcipuis ejus Synodi Actis, & controverſia circa ὁμοούσιον, quæ potiſſimum iis Patribus curæ fuit? Neque enim reliqua omnia a Gelaſio, & aliis congeſta, videntur tractari potuiſſe intra eundem annum a die XI. aut XIII. ante Kalendas Julii uſque ad diem octavum ante Kalendas Septembris: quibus die-

diebus ea Synodus cœpta, & inchoata eſt. Si autem ii ſanctiſſimi, & graviſſimi Patres pluſquam tres annos inſumpſere in celebrando eo Concilio, quid mirum, quod ipſorum Acta, Canones, Decreta, & Leges, aliquot Libros implerent, & grande aliquod volumen ex iis coaleſcens? Immo potius mirandum foret, quod veluti deſides, & otioſi in tam longo tempore nihil aliud, quam illos viginti Canones condidiſſent, circumferri ſolitos.

XXXVII. Credendum itaque, aut probabile cenſendum eſt, plurimos alios ab iis editos fuiſſe, quotquot neceſſarii viſi ſunt ad bonum regimen totius Eccleſiæ, jam tunc latiſſime patentis; nec aliud exiſtimandum de tot ſanctiſſimis Patribus, iis præſertim, de quibus laudatus Nicephorus Cap. 14. ait: *In Synodo ea multi Apoſtolicis donis pollebant: non pauci etiam propter Chriſtianam conſtanter obitam confeſſionem, ſtigmata, & notas in carne circumferebant: præſertim ex Epiſcopis Paphnutius ſuperioris Thebaidis, & Spiridion Cyprius Trimytuntis, & Oſius Corduba, & Jacobus Niſibis ..... qui etiam mortuos reſuſcitans in vitam reduxit, & innumera alia miracula edidit: Meletius Sebaſtiæ, Baſileus Amaſeæ, Nicolaus Myrorum, Gregorius Majoris Armeniæ, Paullus Neo-cæſareæ in Euphratis ripa conditæ, qui umbarum manuum uſu, Licinii improbitate, ignita ferro venis, atque nervis, quibus vis movendi ineſt, peruſtis, orbatus fuerat: & aliis quibus partim alter oculus ſtridenti ferro ademtus erat, partim poplites dextri cauterio mutilati, pedes ad gradiendum inutiles reddiderant. Inter quos & Pabnutius Ægyptius fuit, ſicut & de Spiridione poſtea dicemus. Atque, ut ſimpliciter dicam, Martyrum plane populus in unum convenit locum.* Quare certum videtur, tot Viros ſanctiſſimos, & Deo afflatos, condidiſſe quamplurimos alios Canones, Decreta, ac Leges, toto eo temporis intervallo, pro bono totius Eccleſiæ regimine, qualiter ex Divina illuſtratione, ratione recta, & experimento oportere didicerant.

XXXVIII Vere itaque, aut ſaltem probabiliter, cenſet Iſidorus, Canones Nicænos fuiſſe longe plures; & verum debet exiſtimari teſtimonium Orientalium illorum, qui eidem dixerunt, *ſe vidiſſe Concilium Nicænum, habens potiorem quatuor voluminum Evangeliorum partem; continens in ſe Seſſiones Epiſcoporum, & introductiones, judiciaque querimoniarum, atque definitiones, & conſtitutiones, necnon & ſubſcriptiones eorum &c.*

EXCURSUS IV.

Argumento alio pene ἀναντιῤῥήτῳ, eruto ex duabus authenticis Epiſtolis Julii I. & Leonis I. Romanorum Pontificum ſuadetur, Canones Nicænos plures, quam viginti, fuiſſe. Exceptiones recentiorum exploſæ.

XXXIX. NUnc addamus oportet plura alia in confirmationem ſententiæ ejuſdem Iſidori de majori numero Canonum Nicænorum, quam viceſimo. Et ſane licet argumenta ſtatim proferenda, non legantur diſtincte apud ipſum in Præfatione, quam præ manibus habemus, videntur multa ſaltem ex iis perſpecta ipſi fuiſſe, dum ſubdit ſtatim: *His & aliis quamplurimis exemplis patet, plura eſſe, quam viginti Concilii Nicæni Capitula, & veram eſſe prædictam Julii Papæ Epiſtolam*; nimirum in aliis quamplurimis exemplis de induſtria prætermiſſis ab Iſidoro, Viro multæ lectionis, & valde verſato in hiſce rebus, par eſt credere, contineri multa, aut pleraque ex iis, quæ poſtea eruditi Conciliorum Interpretes obſervarunt, & nos ſtatim proferemus.

XL. Imprimis Julius Romanus Pontifex, qui undecim annis poſt inchoatum Concilium Nicænum electus fuit, anno nimirum Chriſti cccxxxvi & duobus poſt obitum S. Sylveſtri Papæ, ſub quo illud fuit celebratum, ac noſſe potuit omnes fere Nicænos Patres, & eum iis intereſſe Synodo, in Epiſtola certa, & explorata ad Orientales, quam refert Athanaſius Apologia ſecunda, meminit Decreti cujuſdam Nicænæ Synodi, de prioris Concilii Actis in poſteriori Concilio examinandis. Huc enim ſpectat, quod ibidem circa finem columnæ ait Julius: διὰ τῦτο οἱ τῇ κτὶ Νικαίαν μεγάλῃ Συνόδῳ συνελθόντες ἐπίσκοποι, ἐκ ἄνευ Θεῦ βελήσεως συνεχώρησαν ἐν ἑτέρᾳ συνόδῳ τὰ τῆς προτέρας ἐξετάζεσθαι, &c. *Quocirca* (ut interpretatur Petrus Nannius) *Epiſcopi in Magna Synodo Nicææ congregati, non ſine Dei conſilio permiſerunt, prioris Synodi Acta in alia Synodo examinari, &c.* Indeque probat Julius rite ſuſceptam fuiſſe a Sede Apoſtolica cauſſam Athanaſii poſt judicium Tyriæ Synodi, ut in Concilio Romano iterum tractaretur. At nihil ejuſmodi legitur inter viginti Canones Nicænos nunc extantes, Vere ergo alius Canon ab iis initio editus apud Nicæam fuit.

XLI. Neque eſt quod aliquis excipiat, non fuiſſe opus, ut Nicæna Synodus Canonem ea de re ederet: nam a tempore naſcentis Eccleſiæ in uſu fuerat, ut Epiſcoporum judicia ad Sedem Apoſtolicam deferrentur finienda, ac proinde damnatio Athanaſii facta ab Epiſcopis Arianis per appellationem, remitteretur ad Julium Papam.

XLII. Non, inquam, ad rem eſt ejuſmodi effugium. Nam quamvis certum ſit, & antea fuiſſet a tempore Apoſtolorum, ut cauſſæ majores, & judicia Epiſcoporum, ex toto Orbe Chriſtiano ad Romanum Pontificem referrentur (ut ſæpe, & ex inſtituto oſtendimus in Defenſione Cathedræ S. Petri, præſertim Diſp. xxxvi. & xxxvii. & recentius adhuc Diſſert. vii. proxime præcedenti, ac ſatis conſtat ex eiſdem Julii literis) adhuc tamen ipſe teſtatur, eam conſuetudinem retractandi in poſteriori Concilio quod in alio priore judicatum fuerat, in Synodo Nicæna renovatam, & ſcripto traditam fuiſſe, nimirum, paullo poſt verba citata, ſubjungit: εἰ δὲ τὸ τοιῦτον ἔθος παλαιὸν σύγχαρε, &c. *Quod ſi iſtinſmodi conſuetudo olim fuit, ejuſque memoria renovata eſt, ET SCRIPTO PRODITA IN MAGNA SYNODO* (nimirum, Nicæna, de qua loqui pergit) *eamque apud vos valere non ſinitis; rem profecto indecoram facitis. Morem enim, QUI SEMEL IN ECCLESIA OBTINUIT, ET A SYNODO CONFIRMATUS EST, iniquum eſt a paucis ABROGARI.* At ubinam eſt aliquid in Actis Nicænæ Synodi nunc

extan-

extantibus ea de re? Vere igitur in ea alius ejuſmodi Canon editus fuit. Et hæc quidem habentur in ea Julii Epiſtola apud Athanaſium quæ nulli erudito ſuſpecta fuit, & de qua Philippus Labbé, alioqui ſeverus expunctor Epiſtolarum ab Iſidoro collectarum, ad marginem ſcribit Tomo II. ſuæ editionis Conciliorum columna 494. *Hac ſincera* (Epiſtola) *non ſecus, ac ſequens, nulloque Mercatoris mangonio fucata eſt*.

XLIII. Idipſum palam conſtat ex S. Leone Papa I. Epiſt. XLIV. ad Theodoſium Juniorem Auguſtum, poſtulante retractatorium Concilium in cauſa Flaviani appellantis a Conciliabulo, ſeu Latrocinio Epheſino, juxta Decretum Concilii Nicæni: *Quam autem*, inquit Pontifex, *poſt appellationem interpoſitam hoc neceſſario poſtuletur, CANONUM NICÆÆ HABITORUM DECRETA TESTANTUR, quæ a totius mundi Sacerdotibus ſunt conſtituta*. Et tamen nihil ejuſmodi in iis viginti Canonibus legitur.

XLIV. Quod autem recentiores multi, & nominatim Illuſtriſs. Marca in Opuſculis nuper editis a Stephano Baluzio, Diſſertat. *De veteribus Collectionibus Canonum*, Cap. I. reſpondent, ibidem a Leone nomine Canonum Nicænorum intelligi Sardicenſes poſtea conditos, rejicitur multipliciter. Imprimis, quia citat Leo eundem Nicænum Canonem ea de re, quem allegaverat Julius Epiſtola paullo ante laudata in pari cauſa Athanaſii, ac poſtea fuit Flaviani. Canon autem citatus a Julio palam fuit Nicænus, non Sardicenſis, nimirum, ut ipſe inquitit, ſcripto proditus *IN MAGNA SYNODO*, quo nomine ſolam Nicænam intelligi apud veteres, non vero Sardicenſem, nemo doctorum hominum ignorat. Deinde patet ex verbis ipſis Leonis allegantis, *Canonum Nicææ habitorum Decreta*. Atqui Sardicenſes Canones non fuerunt Nicææ habiti: neque id de iis ulla veri ſpecie dici potuit, præſertim a S. Leone, graviſſimo, & ſapientiſſimo Pontifice. Canon igitur ille ab ipſo allegatus, non Sardicenſis, ſed Nicænus proprie eſt. Præterea conſtat ex poſtremis verbis ejuſdem Leonis: *Quæ a totius mundi Sacerdotibus ſunt conſtituta*. Hoc enim ſolum habet locum in Canonibus Nicænæ Synodi, ad quam ex totius mundi partibus confluxiſse Epiſcoporum, & Sacerdotum, non modo CCCXVIII. ſed etiam ſupra bis millia eorum, ex antiquis Scriptoribus conſtat, ut in ſuperioribus obſervavimus; licet ſoli CCCXVIII. ad Concilii adyta admiſſi fuerint. Ulterius, incredibile eſt, Julium Papam electum undecim annis poſt celebratam Synodum Nicænam, & ante coactam Sardicenſem, ita hallucinatum fuiſse, ut Canonem Sardicæ conditum citaret veluti Nicææ habitum viginti duobus annis retro. Nam Nicæna Synodus an. CCCXXV. Sardicenſis vero an. CCCXLVII. celebrata eſt. Quin immo ſi ita hallucinati fuiſsent ambo Pontifices in ea allegatione, ſe exponerent riſui, aut ludibrio; Julius quidem Orientalium Epiſcoporum, qui damnarant Athanaſium; Leo vero Epheſinorum, qui Flavianum depoſuerant. Reponerent enim facile ii Epiſcopi refractarii, nihil ejuſmodi IN MAGNA SYNODO, ſive NICÆÆ, conſtitutum fuiſse; idque demonſtrarent plane, exhibitis in medium viginti Canonibus Nicænis, nihil circa id decernentibus. Ruſus ex Theodoreto Lib. 2. Hiſtoriæ Cap. 4. conſtat, appellationem Athanaſii ad Julium Papam, fuiſſe ante coactam Synodum Sardicenſem. Nam cum Capite quarto narraſset ſecundum Athanaſii exilium, & iter ſuſceptum in Italiam, & cauſsam ab ipſo Romæ dictam coram Julio; poſtea interjicit nonnulla Capita, & deveniens ad ſeptimum, refert, qualiter congregata fuerit Synodus Sardicena. Quin & ex ſolo Capite quarto, ſi attente legatur, idipſum elicitur: cum in eo poſt appellationem Athanaſii ad Julium Papam, & cauſsam coram eo dictam, innocentiamque comprobatam, palam habeatur, ipſum adhuc exagitatum inſidiis Arianorum, Roma profectum ad Conſtantem Auguſtum, ab eo impetraſse, ut indiceret Synodum. Et ſtatim ſubdit: *His literis adductus Conſtantius, Conventum indicit Sardicæ, ea eſt Illyriæ Urbs, Metropolis Dalmatiæ gentis, ubi adeſſe jubet Epiſcopos, tam Orientis, quam Occidentis, &c.* Cum ergo Julius admittens appellationem citet Canonem ea de re conditum antea IN MAGNA SYNODO, hæc non fuit Sardicenſis. Denique huc ſpectant plurima, & authentica Conciliorum, Patrum, ac veterum Hiſtoricorum teſtimonia ſtatim indicanda Excurſu ſequenti, quæ plane, ac diſtincte loquuntur de Synodo Nicæna, quaſi uno ore: ut non niſi violenter, & abſurde accipi a quoquam poſſit de Sardicenſi. Vide infra num. 63. & 64.

EXCURSUS V.

Pluribus aliis veterum teſtimoniis certis, & exploratis comprobatur eadem Iſidori ſententia. Ubi de editione Canonum Nicænorum longe uberiore Turriani, & Ecchellenſis ex Arabico, quam fidem mereatur.

Sunt & alia teſtimonia certa, quibus extorqueatur major numerus Nicænorum Canonum, quam vicenarius. Ea vero curſim proponenda duximus, ne Diſſertatio prolixior evadat.

XLV. S. Ambroſius (qui certe potuit noſſe de facie, & colloquio nonnullos Patrum Nicænorum, & longe plures Sardicenſium, ac præſertim magnum illum Oſium, qui utrique Concilio præfuit, vixitque uſque ad annum circiter CCCLXV.) Epiſtola ad Vercellenſem Epiſcopum, ait: *Sed prius cognoſcamus, non ſolum hoc Apoſtolum de Epiſcopo, & Presbytero ſtatuiſſe, ſed etiam Patres in Concilio Nicæno tractatus addidiſſe, neque Clericum quenquam debere eſſe, qui ſecunda conjugia ſortitus ſit*. Nihil tamen ejuſmodi legitur in aliquo ex vulgatis illis viginti Canonibus Nicænis, ſicuti neque in Sardicenſibus.

XLVI. S. Hieronymus, qui pariter, dum Romæ eſſet tempore Damaſi Papæ, potuit noſſe aliquos Sardicenſium Patrum, & Oſium ipſum antea, Epiſtola tertia aperte indicat, in Nicena Synodo Canonem de Scripturis authenticis fuiſſe editum. Loquens enim de Libro Judith, inquit: *Sed quia hunc Librum Synodus Nicæna in numero ſanctarum Scripturarum legitur computaſſe, acquievi poſtulationi veſtræ*. Nec tamen aliquod ejus rei veſtigium in-

invenies apud Canones illos, ſicuti neque apud Sardicenſes. Unde præcluditur locus effugio illi Archipræſulis Marcæ, Chriſtiani Lupi, & aliorum ajentium, nomine Canonum Nicænorum intelligi Sardicenſes.

XLVII. Canonem Nicænum prohibentem, ut duo Epiſcopi in eadem Eccleſia ſedeant, citari ab Auguſtino Epiſt. 118. inquit Binius in Notis ad eandem Synodum, §. xx. *Canonum*. Verum in tota ea Epiſtola, quæ ſane lectu digniſſima, & ſuaviſſima eſt, nec verbum circa id habet S. Doctor. Quin nec in Indice Operum ipſius Plantinianæ editionis, nec in Concordantiis editis a Davide Lenfant, aliquid ejuſmodi invenire potui. Cæterum poſt ſeripta hæc id inveni in ipſo S. Doctore, non quidem Epiſtola illa 118. quam etiam male citat Ecchellenſis, ſed centeſima decima, cui in editione recenti, & pulcherrima Pariſienſi Monachorum Congregationis S. Mauri reſpondet ducenteſima tertia decima. In ea enim Notarii referunt electionem Heraclii in Epiſcopum deſignati ab Auguſtino dicente: *Adhuc in corpore poſito beatæ memoriæ Patre & Epiſcopo meo ſene Valerio, Epiſcopus ordinatus ſum, & ſedi cum illo. QUOD CONCILIO NICÆNO PROHIBITUM NESCIEBAM* &c. At ubinam inter viginti Canones?

XLVIII. S. Innocentius I. Papa Epiſt. viceſima tertia ad Synodum Toloſanam (verius Toletanam, vide Tomum II. Collectionis Conciliorum Labbeanæ col. 1279. & ſeqq.) reſtituta a Jacobo Sirmondo, hanc regulam commemorat, veluti in Nicæna Synodo editam: *Ne quiſpiam qui poſt Baptiſmum militaverit, ad Ordinem debeat Clericatus admitti: neque qui cauſſas poſt Baptiſmum acceptum egerint.* Nihil autem ea de re apud viginti Canones. Idem dicendum de pluribus aliis, quæ veluti ſtatuta a Nicæna Synodo, referuntur ab eodem Innocentio, præſertim Epiſtola ſexta ad Agapitum Diaconum, de generibus non ordinandorum, & de pœnitentibus.

XLIX. Gelaſius Cyzicenus, quamvis ſolos viginti Canones Nicænos proferat, fatetur tamen Lib. 2. Cap. 30. ab iis Patribus editum Decretum novem capita continens. I. De Chriſtiana vita ſancte & religioſe inſtituenda. II. Laudabilem eſſe propriarum manuum laborem, & aſpernandos eſſe, qui eum aſpernantur. III. De ordine, & Hierarchia Eccleſiaſtica, & quanta ſanctitate Clerici præfulgere debeant. IV. Laicum non debere in ſuggeſtum aſcendere. V. De gratia, quæ per Baptiſmum comparatur. VI. De menſa Euchariſtica, in qua Chriſtus adeſt, & vere ac re ipſa immolatur incruente. VII. Reſurrectionem Chriſti eſſe pignus reſurrectionis, quam expectamus in perennem vitam. VIII. Unicam eſſe Eccleſiam, & Fidem, extra quam nulla ſit ſalus. IX. De providentia Dei, quæ per gratiam Sanctos diſponit ad conſecutionem æternæ gloriæ. Hiſce enumeratis, procedit Gelaſius ad viginti Canones ſingillatim recenſendos, in quibus tamen vix aliquid ejuſmodi legitur. Quis ergo neget, vere a principio plures in Synodo Nicæna, quam viginti Canones, editos fuiſſe?

L. Sozomenus Lib. 3. Cap. 19. fine ait, ex Decreto Concilii Nicæni, poſt illa verba ab Apoſtolis inſtituta, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto*, addita fuiſſe hæc ſequentia: *Sicut erat in principio &c.* eo quod Ariani blaſphemantes effutiebant, Filium a Patre in tempore factum, & fuiſſe tempus, quando non erat. Patet vero, id prætermiſſum eſſe in iis viginti Canonibus.

LI. S. Leo I. Papa Epiſtolis 53. 54. & 55. multa profert ex Synodo Nicæna adverſus Anatolium Conſtantinopolitanum Epiſcopum, uſurpantem ſibi jus ſupra Eccleſias Alexandrinam, & Antiochenam: quorum tamen parum, aut nihil ex iis viginti Canonibus elicere potuit. Dicere vero, a Leone nomine Concilii Nicæni intelligi Sardicenſe, abſurdiſſimum eſt, & ſupra ſatis confutatum num. 45.

LII. Concilium Arelatenſe II. celebratum anno CDLII. juxta Labbeum To. IV. col. 1010. Canone XXIV. hæc habet: *Eos qui falſo fratribus ſuis capitalia objeciſſe convicti fuerint, placuit uſque ad exitum non communicare, ſicut magna Synodus ante conſtituit, niſi digna ſatisfactione pœnituerint.* Nomine autem MAGNÆ SYNODI, καθ' ὑπεροχὴν, Nicænam intelligi, eruditi ſciunt: in cujus tamen viginti Canonibus nec verbum quidem ejus Decreti extat.

LIII. In Concilio Epheſino Actione ſeptima allegatur privilegium Eccleſiæ Cypriæ collatum a Nicænis Patribus: cujus nec veſtigium eſt in iis viginti Canonibus.

LIV. In Concilio Chalcedonenſi ad finem, Atticus refert determinatam fuiſſe in Synodo Nicæna rationem ſcribendarum Formatarum: de quo etiam legendus Optatus Milevitanus Lib. 2. contra Parmenianum. At de hoc nec verbum invenies in vicenario illo Canonum numero. Vide Bellarminum Lib. 2. de Romano Pontifice Cap. 25.

LV. S. Baſilius Magnus, qui & aliquot Nicænos Patres, & pleroſque Sardicenſes videre, ac convenire potuit, Epiſt. 78. ait, in Synodo Nicæna quædam fuiſſe ſtatuta ad correctionem noxiorum, quædam vero ad præmonitionem eorum, quæ in poſterum occurrere poſſunt. At, ubinam, quæſo, invenies, ſi in eo Concilio ſoli viginti illi Canones ſtatuti aſſerantur?

LVI. In Capite *Pervenit* 3. 7. & 16. allegatur Decretum Concilii Nicæni adverſus Simoniacos: cujus μηδὲ γρῦ extat in iis Canonibus, ſeu Græce, ſeu Latine editis.

LVII. Hæc omnia, ſicuti & alia quæ præmiſi, plena ſunt totidem fere irrefragabilibus argumentis, aut ſaltem urgentiſſimis, quibus demonſtrari videtur, longe plures Canones, vel Decreta, aut conſtituta, ſi ita appellare velis, a principio fuiſse editos in Magna illa Synodo: ipſorumque omnium multa exemplaria olim extitiſse, non modo apud Arabes, Ægyptios, aliaſque barbaras nationes, propriis ipſarum linguis ſcripta, ut ſupra Excurſu tertio demonſtratum fuit; ſed etiam Græce, & Latine. Nam pleraque, aut omnia teſtimonia a nobis indicata, ſunt deſumpta ex Conciliis, Patribus, & Hiſtoricis Græcis, Latiniſque, qui exemplaria ipſa habuiſse, & legiſse alterutram earum linguarum cenſendi ſunt. Cum quo tamen cohæret, quod pauciſſima ea fuerint relate ad innumera alia, quæ furore væſano, & impotenti Arianorum, aliorumque Catholicæ

Fidei

Fidei hoſtium, flammis tradita, aut aliter abſumpta fuerunt.

LVIII. Quapropter mirari ſatis nequeo præſidentiam plurium ex eruditis, qui hoc ſæculo in quatuurdecim ſedent, dum veluti rem exploratam, non tam confirmare pergunt, quam ponunt, aut præmittunt, Canones Nicænos non plures quam viginti fuiſſe: cum oppoſitum videatur adeo certum, & irrefragabilibus teſtimoniis antiquorum comprobatum, ut nullam vel apparentem exceptionem admittat.

LIX. Nec propterea definiendum a nobis, vel quopiam alio, quot illi re ipſa fuerint, an ſeptuaginta, an octoginta, an plures, vel pauciores; nimirum, eam quæſtionem in medio relinquo, de qua legendi potiſſimum Franciſcus Turrianus, & Abrahamus Ecchellenſis in Canones Arabicos ejuſdem Nicæni Concilii, ex variis Orientalium mſs. editos, & latinitate donatos, quos ii, quantum licuit, illuſtrandos, & vindicandos curarunt, adverſus pleroſque recentiores; eos præſertim, qui pro vicenario numero decertant, nec ampliorem cenſeri patiuntur, quamvis fide dignis, denſiſque antiquorum teſtimoniis impetantur.

LX. Id autem certo ſtatuendum, multos e Canonibus ex Arabico editis a Turriano, præſertim vero ab Abrahamo, eſse maxime conſentaneos iis, quos prædicta Veterum teſtimonia authentica allegant nomine Nicænæ Synodi; quod poſterior ex iis accurate, & ſingulatim oſtendit: ut propterea par ſit exiſtimare, illos primo omnium erutos fuiſse ex antiquiſſimis illis exemplaribus Actorum, quæ varii Epiſcopi Arabes ſecum Nicæa detulerunt ad ſuas Eccleſias, juxta probata ſuperius Excurſu tertio, præſertim num. 28. & 29.

LXI. Alii vero Canones plane ſuppoſititii irrepſerunt exemplaribus Arabicis ab utroque eo Scriptore editis, etiam a poſteriore eorum, quod ipſe palam fatetur, & præmonet initio. Nimirum prima illa veluti autographa Epiſcoporum Arabum ex Nicæa revertentium ad proprias Sedes, vitiata, & interpolata fuerunt tot ſæculorum curſu, & longe magis varietate ſectarum, ac ſchiſmatum poſt ea emergentium inter Orientales: ideoque licet in iis major pars, ſive ſeptuaginta, ſive octoginta Canonum a principio Nicææ editorum extet, multi adhuc reliquorum deſiderantur.

LXII. Quin & inter Arabicos eſſe aliquos, qui viginti Canonibus indubitatis Nicænis contradicant, videtur certum. Imprimis enim Canon triceſimus ſextus apud Turrianum ſic habet: *Ut non poſſint Æthiopes creare, nec eligere Patriarcham: quin potius eorum Prælatus ſub poteſtate ejus ſit, qui tenet Sedem Alexandriæ, &c.* Id tamen videtur non ſatis conſonum Canoni ſexto ex viginti Nicænis, in quo dicitur: τὰ ἀρχαῖα ἐπικρατείτω, τὰ ἐν Αἰγύπτῳ, καὶ Λιβύῃ, καὶ Πενταπόλει, ὥστε τὸν Ἀλεξανδρίας ἐπίσκοπον πάντων τούτων ἔχειν τὴν ἐξουσίαν. Ideſt, juxta verſionem Gentiani Herveti: *Antiqui mores ſerventur, qui ſunt in Ægypto, Libya, & Pentapoli, ut Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem.* Itaque juxta illum Canonem Arabicum, Epiſcopus Æthiopicus ſubjicitur Alexandrino: juxta hunc vero Nicænum, Alexandrini poteſtas non porrigitur in Æthiopiam, ſed intra Ægypti, Libyæ, & Pentapoleos fines coercetur.

LXIII. Deinde Arabicus Turriani Canon triceſimus ſeptimus decernit, ut Antiochenus Patriarcha conſtituat Archiepiſcopum Cypri. Cui atteſtatur *Canon Synodi Epheſinæ ſeptimæ Græce* (inquit Binius ibidem in Notis) *ait enim antiquum morem eſſe, ut Patriarcha Antiochiæ ordinationes in Cypro faciat.*

LXIV. Sed tamen eum morem nondum fuiſſe introductum tempore Concilii Nicæni, conjicitur exinde, quod in Synodo Epheſina Oecumenica, excitata fuerit quæſtio inter Metropolitam Conſtantienſem Cypri, & Epiſcopum Antiochenum. Contendebat hic, jus ſibi eſſe ad ordinandum Metropolitam Conſtantienſem, qui e contrario cum cæteris Epiſcopis Cypriis allegabat pro ſe Canonem ſextum Nicænum, in quo decernitur, ut κατὰ τὴν Ἀντιόχειαν, καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις ἐπαρχίαις, τὰ πρεσβεῖα σώζεσθαι ταῖς ἐκκλησίαις. *Ut in Antiochia, & in aliis Provinciis, ſua privilegia, ac ſuæ dignitates, & auctoritates* (totidem pene ſynonimis vertit Gentianus, τὰ πρεσβεῖα) *ſerventur Eccleſiis.* Epheſina autem Synodus utraque parte audita, ſententiam tulit pro Conſtantienſi Metropolita adverſus Antiochenum, idque ad præſcriptum illius Canonis Nicæni, hiſce verbis: *Memor ſit ſancta Synodus Canonis ſanctorum Patrum in Nicæa congregatorum, qui conſervat unicuique Eccleſiæ propriam dignitatem.* Si autem in Nicæno Concilio vere editus fuiſſet is Canon Arabicus 37. quem Turrianus affert, Synodus Epheſina debuiſſet juxta illum ſententiam ferre potius pro Epiſcopo Antiocheno.

LXV. Denique in Canone Arabico Turriani triceſimo tertio, mentio fit Patriarchæ Conſtantinopolitani ſemel, & bis Antiocheni. Similiter in triceſimo octavo, qui ipſi reſpondet juxta editionem Ecchellenſis ex Arabico, idipſum fere habetur, verum hiſce verbis: *Transferatur Patriarchatus Epheſi ad Urbem Regiam* (nimirum, Conſtantinopolim) *ut honor ſit Regno, & Sacerdotio ſimul, & honoretur Epiſcopus ejus* (nempe Epheſi) *nec parvipendatur propter translationem Patriarchatus ejus; honoreturque nomine Primatis, id eſt, Catholici. Neque etiam ſubjiciatur Epiſcopus Hieroſolymitanus aliis Epiſcopis, ſed honoretur, & in veneratione habeatur: quia præeſt ſanctæ Civitati, & in poteſtate ejus Crux Chriſti eſt, & locus illius reſurrectionis. Honoretur quoque dominus Sedis Seleuciæ, quæ eſt in regione Orientis, vocaturque Almodaien, nomine Catholici: & ex nunc permittatur ei conſtituere Metropolitanos, quemadmodum faciunt Patriarchæ; ne damnum patiantur Orientales Patriarcham adeuntes, inveniantque Gentiles occaſionem nocendi eis: quia Patriarcha Antiochenus in hoc præbuit conſenſum, poſtquam rogavit eum Synodus, ne ipſi diſpliceret de ſublata ab eo poteſtate Orientis. In hoc enim nihil aliud quærebatur, niſi pax, & quies Chriſtianorum Perſidis. Honoretur etiam dominus Sedis Theſſalonicæ, quia ita decet.*

LXVI. Exhibui integrum Canonem, in quo multa occurrunt, quæ plane confictum evincant. Ideoque idem Ecchellenſis fatetur,

To I. R ura-

manifeſte intruſum fuiſſe a Melchitis, ſive Græcis, ad conciliandam majorem Patriarchæ ſuo Conſtantinopolitano auctoritatem, qui eouſque ſimplex Epiſcopus erat. In quo ſane is Auctor, ſicuti in aliis plerîſque, ingenue, & erudite loquitur. Imprimis enim frequens Patriarcharum denominatio in eo Canone uſurpata, non habuit locum tempore Concilii Nicæni, immo nec integro poſt ſæculo, & eo amplius elapſo, uſque ad Concil. Chalcedonanſe. Deinde nec ulla veriſimilitudine dici poteſt, Præſulem Urbis Regiæ, ideſt CP. tunc, aut multo tempore poſtea, Patriarchali dignitate decoratum: quia & S. Leo Papa, qui an. CDLI. prædictam Synodum Chalcedonenſem confirmavit, Patriarchatum ab Epiſcopis ejuſdem Urbis Regiæ prætenſum, impedire ſtuduit, veluti contrarium Nicenæ Synodo. Tam procul vero ab eo fuit, ut Epiſcopum Hieroſolymitanum omni ſubjectione eximeret, ut potius Canone ſeptimo confirmaverit poteſtatem Metropolitani, nimirum Cæſareenſis, ſupra illum. Nimirum, Canonis ejus verba ſunt: Ἐπειδὴ συνήθεια κεκράτηκε καὶ παράδοσις ἀρχαῖα, &c. *Quoniam obtinuit conſuetudo, & antiqua traditio, ut qui eſt in Ælia* (ſcilicet, Hieroſolyma Grecis Αἰλία eſt, nomine deſumpto ex Ælio Hadriano Imperatore, quod illam ædificaverit, poſt devaſtationem a Romanis illatam) *Epiſcopus honoretur; habeat honoris conſequentiam, Metropoli propria dignitate ſervata*. Nimirum, ut ſit primus honore inter omnes Epiſcopos Metropolitano Cæſareenſi ſubjectos. Denique neque umbra veri eſt in eo, quod Seleucienſis Epiſcopus dignitatem Primatis habuerit, niſi multis poſt Nicænam Synodum ſæculis. Quare in citata Synodo Chalcedonenſi centum viginti ſex annis poſt Nicænam celebrata, ſub initium Actionis I. poſt tres Legatus Romani Pontificis Leonis I. poſt quatuor Patriarchas Orientales, poſt alios inſuper octo Præſules, & in iis Corinthiorum, legitur ſubſcriptum nomen Βασιλείου Σελευκείας Ἰσαυρίας. *Baſilii Seleuciæ Iſauriæ*, nimirum, in Aſia minori, juxta Ciliciam, ad Taurum montem. Quod ſi vero in eo Canone ſit ſermo de Seleucia Syriæ, in eadem Synodo invenitur longe inferius, nimirum poſt alios quadraginta Præſules ſubſcriptio Γεροντίου Σελευκείας Συρίας *Gerontii Seleuciæ Syriæ*. Neutrum autem eorum cohæret, præſertim hoc poſterius, cum dignitate Primatis, qui certe ſuperiori loco legi debuiſſet.

LXVII. Quidquid vero ſit de numero ſeptuagenario, aut octogenario, majori, aut minori, & circa αὐθεντίαν Canonum Arabicorum, ſatis jam, ſuperque confirmata fuit ſententia Iſidori. Is enim ſolum contendit, Nicænos plures quam viginti fuiſſe, quod aperte confirmant aliquot ipſius argumenta, quamvis non omnia, & pleraque alia a nobis obſervata. Circa Epiſtolam vero illam Julii Papæ ad Orientales, cujus γνησιότητα eiſdem argumentis extorquere ſtudet, jam ſupra num. 8. plura præmiſimus, & antea Diſſert. IV. ubi de Epiſtolis Decretalibus Iſidorianæ Collectionis diſputatum fuit.

EXCURSUS VI.

Occurritur argumentis Auctorum contrariæ opinionis. Ubi de diſceptatione Patrum Concilii Carthaginenſis VI cum Zoſimo Papa, ejuſque ſucceſſoribus circa appellationes, & judicia tranſmarina. Oſtenditur adverſus Illuſtriſs. Marcam, judicia Synodorum Provincialium nunquam fuiſſe, aut eſſe ſuprema.

LXVIII. EX ſtatutis tota Diſſertatione occurrimus jam objectis initio pro contraria opinione. Imprimis, quod attinet Epiſtolam illam Julii ad Orientales, rejectam a pleriſque recentioribus veluti notham, defenſam tamen ab Iſidoro ipſo, aliiſque; jam ſupra num. 8. & antea Disſert. IV. plura præmiſimus. Nunc ſatis ſit dicere, dato quod fides illius Epiſtolæ nutet propter centones quoſdam aſsutos, & parachroniſmos poſtea intruſos aliena manu; quidquid tamen in ea aſseritur, præſertim circa numerum Canonum Nicænorum longe majorem viceuario, veriſsimum eſse, & comprobatum ex alia indubitata Epiſtola ejuſdem Julii apud Athanaſium Apologia ſecunda (ut ſupra oſtenſum fuit Excurſu IV. a num. 41.) & ex aliis pluribus teſtimoniis authenticis, quæ in ſuperioribus produximus.

LXIX. Majoris momenti eſt, quod objicitur ex Patribus Coucilii ſexti Carthaginenſis, & in quo mirum quantum recentiores pro utraque parte inſudarunt, & præſertim Illuſtriſs. Marca in Opuſculis poſthumis prælo editis a D. Baluzio anno MDCLXXXI. Nos autem breviter reſpondemus, imprimis hæſitationem illam Patrum Carthaginenſium, & cunctationem, non fuiſse ortam ex eo, quod dubitarent, in cauſſis majoribus, & judiciis Epiſcoporum, licere appellationem ad Sedem Apoſtolicam, ut ab ea finiantur. Id enim ex perpetua Eccleſiæ traditione certum ubique fuiſse, conſtat ex plurimis teſtimoniis a nobis ſæpe expenſis in Defenſione Cathedræ Sancti Petri Diſput. XXXVI. & XXXVII. ac recentius Diſſert. VII. præcedenti, & nominatim apud Africanos Patres exploratum fuiſſe, evincit tum Card. Baronius ad annum 419. num. 49. uſque ad 90. tum præterea, atque ubertime Schelſtrate in Eccleſia Africana Diſsert. I. Cap. 7. poſt Binium in Notis ad idem Concilium VI. ubi id probant ambo exemplo indubitato Antonii Fuſsalenſis Epiſcopi appellantis, & ex Epiſtola Auguſtini 261. Plantinianæ editionis. Dubitatio itaque illa, & cunctatio ſolum fuit *de modo proſequendæ appellationis* per Legatos a Latere, quos Antonius ipſe contendebat ſtipatos militibus a Romano Pontifice mittendos, ut invitis cæteris Africanis Epiſcopis, illum ſuæ Sedi reſtituerent. Poterat enim eſse locus appellationi ad Sedem Apoſtolicam, ut Pontifex alio modo uteretur; vel mittendo quidem Legatos, qui ſimul cum Epiſcopis Africanis rem diligentet, & ſine ſtrepitu militum, aut apparitura Magiſtratuum inveſtigarent; vel demandando iis ipſis novum examen accuratius, ut eo præeunte cauſsa demum a Romano Pontifice definiretur. Neutrum autem horum detrectabant Patres Carthaginenſes, ſed ſolum id quod Antonius Epiſcopus jactabat, a Romano Pontifice per vim, & ſtrepitum armorum faciendum.

LXX.

LXX. Quia vero Zoſimus Papa allegabat Canonem Nicænum ea de re editum, cujus nulla mentio erat in exemplari Canonum Nicænorum extante apud Patres Carthaginenſes, hi Romanum Pontificem rogarunt, ut ſineret, ab ipſis quæri in Oriente vetera exemplaria Nicænorum Canonum. Verum cum interea Zoſimus humana poſuiſſet, re infecta, iidem ad Bonifacium Succeſſorem ſcripſere: *Literis noſtris ad eundem venerabilem Zoſimum Epiſcopum datis, inſinuari curavimus, ut ea ſervari ſine ulla ejus injuria ſineremus, uſque ad inquiſitionem ſtatutorum Concilii Nicæni*. Itaque miſerunt Legatos ſuos ad Atticum Conſtantinopolitanum, & ad Cyrillum Alexandrinum, pro authenticis Nicænæ Synodi Canonibus exquirendis. Verum cum redirent, aut jam Bonifacius Papa diem obierat, & Cæleſtinus in ejus locum ſucceſſerat, ut inquit Binius: aut verius adhuc ſupererat Bonifacius, ut conjicit Cardinalis Perronius, & cum ipſo recenter Schelſtrate in Eccleſia Africana Diſſert. III. Cap. 12. num. 4. quoniam Legati a Patribus Carthaginenſibus miſſi, redierunt eodem anno CDXIX. menſe Novembri, indeque 6. Kalendas Decembris miſſi ſunt Romam ad ipſum Bonifacium Papam, ut probat titulus ipſe Symboli Nicæni in Concilio vulgo Africano num. 104. ubi dicitur: *Exemplaria Concilii Nicæni directa ſub die 6. Kalendas Decembris poſt Conſulatum glorioſiſſimorum Imperatorum Honorii XII. & Theodoſii IX. Auguſtorum, Bonifacio Urbis Romæ Epiſcopo*. Cumque in exemplaribus Conſtantinopolitano, & Aleſandrino non eſſet is Canon inter Nicænos, rogarunt ſummiſſo animo, ut de cætero Romani Pontifices majore cautela, & judicio maturiore cauſſas Epiſcoporum tranſmarinas definiri curarent: non quidem ita, ut independenter a Sede Apoſtolica finirentur, ſed ut hæc propter diſtantiam ingentem, ac maris pericula, id committeret Epiſcopis Africanis, veluti Legatis ſuis, & Commiſſariis, qui ejuſdem nomine iis controverſiis ſine apparatu, aut ſtrepitu militum finem imponerent.

LXXI. Hæc fere ſunt, quæ colliguntur ex Epiſtola eorundem Patrum Synodali. Quare impoſturæ hæreticorum, aut ſchiſmaticorum quorundam tribuendum, quod effutiunt, Eccleſiam Africanam jam a tempore Sancti Cypriani diſceſſiſſe ab obedientia Apoſtolicæ Sedis, vel omnino rejeciſſe appellationes ad illam; ſicuti & quod habetur in commentitia illa, aut ſaltem interpolata Epiſtola nomine Bonifacii II. circumferri ſolita de ſchiſmate, ſeu diviſione Eccleſiæ Africanæ a Romana a tempore Bonifacii I. ideſt, centum, & eo amplius annis; cum certum, & multipliciter exploratum ſit, Africanam Eccleſiam omnibus ſæculis Romanæ conjunctam, & obedientem fuiſſe, Quod de ſuo tempore teſtatur Cyprianus in Epiſtola ad Cornelium Papam, dicens, ſeſe admonuiſſe ex Africa Romam navigantes, *ut Eccleſiæ Catholicæ matricem, & radicem cognoſcerent, & tenerent*. Et Epiſt. 55. ipſam Cornelii Sedem appellat *Petri Cathedram, atque Eccleſiam principalem, unde unitas ſacerdotalis orta eſt*. Ac tandem Libro, *De unitate Eccleſiæ*, refellens quoslibet a communione Sedis Apoſtolicæ ſeparatos ait: *Qui Eccleſiæ renititur, & reſiſtit, qui Cathedram Petri, ſuper quam fundata eſt Eccleſia, deſerit, in Eccleſia ſe eſſe non confidat*. De tempore vero hujus Concilii Carthaginenſis VI. & aliorum præcedentium ſæculi ejuſdem quinti, ipſa eorum Acta clamant, & Epiſtolæ ad Romanos Pontifices, horumque Reſcripta, Africanos Patres ſemper dependentiam, & ſubjectionem profeſſos erga Apoſtolicam Sedem, quamvis circa modum appellationum aliquandiu dubitaverint.

LXXII. Quod autem Illuſtriſs. Marca Lib. 6. *De Concordia* Cap. 14. §. 4. & Lib. 7. Cap. 1. & Cap. 16. §. 5. contendit, & ſuadere conatur ex Africanis Patribus, & Conciliis, judicia Eccleſiaſtica Conciliorum Provincialium tempore Eccleſiæ veteris fuiſſe ſuprema, nec ab iis licuiſſe appellationem ad Sedem Apoſtolicam; omnino alienum a veritate eſt, & quod Schiſmaticis non levem anſam præſtet, ut in ſua rebellione, & diſceſſu a Romana Eccleſia pertinaces ſint; quin & contrarium eſſe eiſdem Patribus, & Conciliis Africanis, palam probat, poſt Chriſtianum Lupum Tomo IV. ad Canonem XX. Dictatus Gregorii VII. ſupra laudatus dominus Emmanuel Schelſtrate Diſſert. 1. jam citata Cap. 7. per totum fere. Neque in hoc immorari nunc e re noſtra eſt, præſertim cum jam ſatis Diſſert. proxime præcedenti, & in Defenſione Cathedræ S. Petri. oſtenſum fuerit adverſus eundem Archipræſulem Marcam. Sane D. Auguſtinus Epiſtola illa citata CCLXI. ad Cæleſtinum Papam tria exempla recentia (aliis antiquioribus prætermiſſis) commemorat, ex quibus patet, judicia Epiſcoporum prolata in Synodo Provinciali, aut etiam Nationali, poſtea finita fuiſſe, *ipſa Sede Apoſtolica judicante, vel aliorum judicia firmante*. Quod non ita eſſet, ſi judicia Synodorum ejuſmodi eſſent ſupremæ auctoritatis, aut non fuiſſent per appellationem delata ad Apoſtolicam Sedem. Mitto judicium, & exemplum in cauſſa Lupicini Epiſcopi prorſus ſimile, apud Sanctum Leonem I. Papam Epiſt. LXXXVII. extans, quam fruſtra, & præfidenter Queſnel contendit, aut ſuppoſititiam, aut interpolatam ſaltem quoad partem illam, quæ de Lupicino tractat. Etenim integra, & plena habetur in omnibus Codicibus antiquiſſimis, qui juxta exemplar oblatum Carolo Magno nongentis retro annis ab Hadriano I. Papa, videntur exſcripti, & hodie extant Pariſiis in Bibliothecis, Regia, San-Germanenſi, Thuanea, & Segueriana; ac præterea in San-Gallenſi. Inſuper Dionyſios Exiguus, qui ſeptuaginta ſummum annis poſt Leonem ipſum ſcripſit, & authenticis Codicibus Apoſtolicæ Sedis uſus fuit ad ſuam Collectionem edendam, in ea exſcripſit prædictam Leonis Epiſtolam, & illi epigraphen poſuit: *In cauſſa Lupicini Epiſcopi*.

LXXIII. Itaque certiſſimum eſt, quod in Epiſtola illa Julii Papæ I. ad Orientales, laudata, & defenſa ab Iſidoro in hac Præfatione, traditur illis verbis: *Semper majores cauſæ ad Sedem Apoſtolicam multis auctoritatibus referri præceptæ ſunt*. Similiter & quod in ea ſubditur Capite 2. de judiciis Epiſcoporum, auctoritate Sedis Apoſtolicæ finiendis. Circa quod plurima, eaque decretoria, ut opinor, præmiſimus Diſſertatione VII. late, præſertim Excurſu IV. & V. Immo & de judiciis Synodorum Provincialium idem fere habetur in Capitulis Hadriani Papæ, adeo celebribus apud Gallos.

los. Nam Cap. XLII. alias XXXIX. dicitur: *Ut Provincialis Synodus retractetur per Vicarios Romani Pontificis, ſi ipſe decreverit.* Quamvis non propterea negemus, in more fuiſſe apud Africanos multo tempore, ut judicia Clericorum Epiſcopis inferiorum, quamvis Presbyteri eſſent, finirentur intra Africam, nec Romam deferrentur, de quo legendus idem Schelſtrate loco citato. Neque id contradicit verbis illis Epiſtolæ Julii, loquentis ſolum de cauſſis majoribus, & judiciis Epiſcoporum, quo nomine nullatenus comprehendi cauſſas Presbyterorum, & aliorum inferiorum e Clero, tam apertum eſt, mirum ut ſit, quemquam oppoſitum cenſuiſſe, aut ex hoc poſteriori ad illud fuiſſe argumentatum. Graviora enim negotia profecto digniora ſunt, quæ ad Sedem Apoſtolicam referantur.

LXXIV. Jam quod obiicitur de ſolis viginti Canonibus Nicænis, extantibus apud Patres Africanos in Codice Cæciliani Epiſcopi, & præterea in exemplaribus Conſtantinopolitano, & Alexandrino; fatemur, ita eſſe. Cauſſa vero non in eo ſita eſſe videtur, quod Marca, & alii recentiores cum Binio ajunt, Zoſimum Papam citaſſe Canonem Sardicenſem circa appellationes editum, ſub nomine Nicæni Concilii, ſive Canonis. Hoc enim jam ſupra num. 45. multiplici nomine refutatum fuit. Nec ſine ſumma imperitia, aut negligentia Zoſimi Papæ, aut Leonis Magni, evenire potuiſſet, quod ubi diſceptabatur gravi utrimque controverſia de appellationibus a judicio Synodali Conciliorum Provincialium, citarent Canonem aliquem nomine Concilii Nicæni non extantem vere in illo, ſed in Sardicenſi, prorſus diſtincto, viginti duobus annis poſteriore, & in quo pauciſſimi forſan ex Patribus Nicænis interfuerunt, cum jam pene omnes diem obiiſſent. Itaque recurſus ad Sedem Apoſtolicam per appellationem, præſertim in cauſſis majoribus, & judiciis Epiſcoporum, confirmatus quidem fuit in Concilio Sardicenſi; verum jam antea ſtabilitus fuerat in Concilio Nicæno. Quapropter Innocentius I. Papa in Epiſtola celebri ad Victricium Rhotomagenſem Epiſcopum Cap. 2. cum commemoraſſet Canonem quendam vere editum a Concilio Nicæno ſub ejus nomine, ſubdit paullo poſt: *Si autem majores cauſſæ in medium fuerint devolutæ ad Sedem Apoſtolicam, SICUT SYNODUS STATUIT, poſt Epiſcopale judicium deferantur.* Ubi plane nomine Synodi, non Sardicenſem, ſed Nicænam intelligit, quam paullo antea citaverat.

LXXV. Dicendum itaque eſt, in exemplari illo, quo Romani Pontifices, Sylveſter, & Julius, aliique eorum Succeſſores intra ſæculum quartum, & poſtea ab initio ſæculi quinti ad finem, Innocentius I. Zoſimus, Bonifacius, Cæleſtinus, Leo, ac tandem Gelaſius I. (ut alios poſteriores mittam) uſi ſunt, vere fuiſſe plures quam viginti Nicænos Canones, & in iis illum, qui conditus fuerat circa appellationes ad Sedem Apoſtolicam. Unde præ oculis habuiſſe putandus eſt, non modo Sardicenſes Canones, ſed etiam Nicænos idem Sanctus Gelaſius Papa, dum circa finem ejus quinti ſæculi ſcripſit ad Epiſcopos Dardaniæ: *Cuncta per mundum novit Eccleſia, quoniam quorumlibet ſententiis ligata Sedes Beati Petri Apoſtoli, jus habet reſolvendi; utpote quæ de omni Eccleſia jus habeat judicandi; neque cuiquam liceat de ejus diſceptare judicio. Siquidem ad illam de qualibet mundi parte Canones appellari voluerunt; ab ea autem nemo ſit appellare permiſſus.*

LXXVI. Dices cum Hincmaro Rhemenſi Epiſtola XXXII. ad alium Hicmarum Laudunenſem Cap. 20. Canonem de appellationibus ad Sedem Apoſtolicam undecumque admittendis, fuiſſe conditum in Concilio Sardicenſi, nulla facta mentione Nicæni præcedentis, ac proinde in hoc nihil circa hoc ſtatutum fuiſſe: *Si de appellatione* (obiicit ille) *ſicut in Sardicenſi Concilio coſtitutum eſt, in Nicæno fuiſſet antea ſtatutum; nulla foret neceſſitas, ut iterum in hoc Concilio idem conſtitueretur; ſed ſicut in aliis Conciliis legitur, ſcriberetur; videlicet ut ea, quæ ſunt in Nicæno Concilio conſtituta, ab omnibus conſerventur.*

LXXVII. Reſpondeo, enerve prorſus eſſe hoc argumentum, & quod ineluctabilem inſtantiam, ut ajunt, patiatur in ipſis duobus Conciliis: nam translatio Epiſcoporum vetita fuit ſpeciali Canone in Concilio Nicæno; & tamen Sardicenſe poſtea duplici Canone idipſum decrevit, nulla mentione facta Nicænæ conſtitutionis. Idem ergo dicendum circa Canonem de appellationibus, in utroque Concilio editum. Niſi forte quiſpiam velit, Canonem Nicænum circa appellationes, ſolum eſſe, & fuiſſe a principio, qui ſextus inter viginti habetur, & juxta interpretationem Iſidori incipit: *Mos antiquus*; juxta Hervetianam vero: *Antiqui mores ſerventur.* Nimirum, in eo declaratur poteſtas Romani Pontificis in Eccleſia, abſque limitatione ulla, quæ tamen Alexandrinis, & Antiochenis Epiſcopis adhibetur certis terminis clauſa. Propterea ibidem additur: τὰ πρεσβεῖα σώζεσθαι ταῖς ἐκκλησίαις. Ideſt, juxta verſionem Iſidorianam: *Honor ſuus unicuique ſervetur Eccleſiæ.* Honor autem Romanæ Eccleſiæ debitus, tanquam cæterarum omnium matrici, & capiti, eſt, ut ad illam ex toto orbe Chriſtiano appellari poſſit, præſertim in cauſſis majoribus. Quod certe ipſi non a Concilio Nicæno datum, vel a Sardicenſi, ſed ſolum declaratum: cum jam antea a principio ei competeret jure Divino, ex quo caput totius Orbis Chriſtiani conſtituta a Deo fuit in Petro, ejuſque Succeſſoribus. Propterea que Stephanus Tornacenſis Epiſcopus Epiſt. CLXII. recte dixit, in eo communi aſylo appellantium ex toto Orbe *conſiſtere dignitatem Eccleſiæ Romanæ.* Et Sanctus Bernardus Epiſt. CXCVIII. ad Innocentium II. Papam, eodem ſpectans, ajebat: *Hoc inter cætera veſtri ſingularis Primatus inſignia, ſpecialius, illuſtriuſque nobilitat veſtrum Apoſtolatum, & inclytum reddit, ſi eripitis pauperem de manu fortiorum ejus. Nulla, meo judicio, in Corona veſtra pretioſior gemma zelo illo veſtro, quo amulari conſueſtis oppreſſos, nec relinquitis virgam peccatorum, ſuper ſortem juſtorum.* Forte, inquam, aliquis verbis illis ſexti Canonis opinari poteſt, declaratum fuiſſe jus appellandi ad Apoſtolicam Sedem, & breviſſime indicatum, veluti rem omnibus Catholicis, tunc manifeſtam, in Concilio Nicæno; ideoque non fuiſſe opus alio Canone expreſſiore.

LXXVIII. Quid autem cauſſæ ſit, cur in exemplaribus illis Africano, Conſtantinopolitano,

no, & Aleaandrino, ſolum extarent viginti Canones Nicæni, jam indicavimus num. 27. ex odio Arianorum, & aliorum Fidei Catholicæ hoſtium deſævientium in Acta Nicænæ Synodi, & ea concremantium ubicumque fere habebantur apud Græcos & Latinos. Nunc ea conjectura addimus, illos xx. Canones circumferri ſolitos fuiſſe præcipuos, & primum Nicææ editos a Patribus; ideoque plurima eorum exemplaria facile ab omnibus exſcribi potuiſſe, & pleraque integra ſervari ab Arianorum rabie. Cæterum cum plurimi alii poſtea additi fuiſſent decurſu trium annorum, & quorundam menſium, quibus celebrata eſt Synodus Nicæna, juxta teſtimonia Gelaſii Cyziceni, Nicephori, & Alexandri, num. 37. allegati; vel ſaltem duobus menſibus, & aliquot diebus, prout Baronius colligit ex Euſebio; non ita facile erat tot exemplaria ſcribi, aut in unum Corpus coaleſcere, præſertim interjectis tot Actis, Conſultationibus, & Diſputationibus ibidem additis inter Canonem, & Canonem. Ac quicumque demum additi fuerunt eo tempore, potuerunt ab Arianis, & aliis Eccleſiæ Romanæ hoſtibus dividi ab illis prioribus viginti; ab iis ſaltem, qui Græce, aut Latine ſcripti erant; quamvis & horum aliqua remanſenſerint, præſertim Romæ, nam ibibi aliquod eorum integrum permanſiſſe, argumento ineluctabili eſt tot Pontificum conſenſus in Canonibus aliquot nomine Concilii Nicæni citandis, qui vere non ſunt inter illos viginti.

LXXIX. Quod initio opponebatur ea Theodoreto, Ruffino, & Gelaſio Cyziceno, laudantibus ſolos viginti Canones Nicænos, nihil obeſt ſententiæ noſtræ. Loquuntur enim juxta exemplaria Græca & Latina, qualia frequenter inveniebantur; non autem qualiter a principio concepta fuere in Synodo Nicæna. Præterea intelligendi ſunt de præcipuis Canonibus, quos fatemur viginti ſolum fuiſſe: non autem de omnibus prorſus Nicææ conditis, comprehendendo etiam minus præcipuos. Sic enim plures Canones fuiſſe quam viginti, quamplurimis teſtimoniis oſtendimus. Deinde conſtat ex eodem Theodoreto ſpeciatim Lib. 2. Hiſtoriæ, tum Capite quarto, tum præterea ſeptimo (ut jam obſervavimus ſupra num. 45.) appellationem S. Athanaſii ad Julium Papam fuiſſe anteriorem Synodo Sardicenſi; & tamen juxta ipſum Cap. 4. citato, Julius ipſe appellationem admiſit, τῷ τῆς ἐκκλησίας ἑπόμενος νόμῳ; ideſt, *Eccleſiæ Canonem ſequutus*. Ergo ille Canon de Appellationibus Epiſcoporum a judicio Synodi ad Sedem Apoſtolicam, fuit antiquior Concilio Sardicenſi; ac proinde Nicænus, quamvis non extet inter prædictos viginti Canones. Denique Gelaſium Cyzicenum prædicto ſenſu loqui, patet ex aliis ipſius teſtimoniis ſupra exſcriptis numero 35. 37. & 50. Minus autem obeſt, quod Archipræſul Marca opponit ea aliquot exemplaribus antiquiſſimis, quale ait eſſe illud Chriſtophori Juſtelli, & quædam alia. Antiquiora enim fuere, & pleniora, quibus uſi ſunt Pontifices Romani, & plurimi alii Patres longe viciniores Concilio Nicæno, in ſuperioribus laudati pro majori numero Canonum. Ex quibus omnibus comprobata manet fides Iſidori, immerito a tot recentioribus impetita, aut in quæſtionem vocata.

E X C U R S U S VII.

Exhibentur κατὰ πόδας viginti præcipui Canones Nicæni, prout extant in antiquis Codicibus ex interpretatione Iſidori Collectoris.

Quamvis Iſidorus in Præfatione hac arbitretur, immo & multipliciter confirmet, Canones Nicænos vicenarium numerum exceſſiſſe, non ideo prætermiſit morem aliorum Collectorum, apud quorum exemplaria frequentiora is dumtaxat numerus habebatur. Placet itaque hoc loci illos exhibere, prout extant in exemplaribus Collectionis Iſidorianæ, nimirum præcipuos viginti illorum; nam plures alios præterea fuiſſe, veluti ſubſecundarios, aut minus principales, ſatis ex ipſius mente, & aliorum judicio in ſuperioribus oſtenſum eſt. Adjungam variantes in aliquibus verbis Lectiones, quæ apud Collectionem Labbeanam Tomo 11. col. 45. & ſeqq. legi poſſunt.

C A N O N E S N I C Æ N I

I. Si quis (1) in ægritudine a medicis ſectus eſt, vel a barberis caſtratus, placuit, ut iſte permaneat in Clero. Si quis autem ſanus ſe ipſum abſcidit, etiam ſi eſt in Clero, ceſſare debet: & ex hoc (2) nullum talem oportet ordinari. Sicut autem de his, qui affectaverunt, vel auſi ſunt ſe ipſos abſcindere, hæc quæ diximus, ſtatuta ſunt; ita ſi qui vel a barbaris, vel a dominis ſuis (3) ſecti, & probabilis vitæ ſunt, tales ſuſcipit Eccleſiaſtica regula in Clerum.

II. Quoniam multa, ſive per neceſſitatem, ſive (4) ex quacumque cauſſa contra regulam (5) geſta ſunt, ita ut homines ex vita Gentili nuper adhuc (6) catechizati, vel inſtituti, ſtatim ad ſpiritalem Baptiſmum veniſſent, & continuo cum baptizati ſunt, etiam ad Epiſcopatum, vel ad Presbyterium provecti ſunt: (7) recte igitur viſum eſt, de cætero nihil tale debere fieri. Nam & tempore opus eſt, ut ſit catechumenus, & poſt Baptiſmum multa probatione indiget. Evidens namque eſt Apoſtolicum præceptum, dicens: (8) *Non neophytum, ne forte elatus, in judicium incurrat, & laqueum Diaboli*. Si vero procedente tempore aliquod (9) peccatum admiſerit, & convictus duobus, vel tribus teſtibus fuerit; ceſſet a Clero qui hujuſmodi eſt. (10) Si quis vero præter hæc (11) facit, tanquam contraria ſtatutis

(1) Per ægritudinem ſectus eſt. (2) Jam. (3) Eunuchi facti ſunt. (4) aliis cogentibus cauſſis. (5) Eccleſiaſticam. (6) Accedentes ad fidem, & qui primo tempore. (7) rectum eſſe. (8) *Timoth. 3. verſu 6.* (9) mortale. (10) In C. H. Canonis tertii locum occupat hæc clauſula cum hoc titulo: *De vindicta eorum, qui contra Canones fecerint*. (11) fecerit de ſtatus ſui ordine.

tutis Sancti Concilii gerens, etiam ipſe (1) periclitabitur de ſtatu ſui Cleri.

III. Omnibus modis interdixit Sancta Synodus, neque Epiſcopo, neque Preſbytero, neque Diacono, neque ulli Clericorum omnino licere habere ſecum mulierem extraneam, niſi forte mater, aut ſoror, aut avia, aut amita, vel matertera ſit. In his namque ſolis perſonis, & harum ſimilibus, omnis quæ ex mulieribus eſt, ſuſpicio declinatur. Qui autem præter hæc agit, periclitabitur de Clero ſuo.

IV. Epiſcopum oportet ab omnibus Epiſcopis, ſi fieri poteſt, qui ſunt in Provincia ejus, ordinari. Si vero hoc difficile fuerit, vel aliqua urgente neceſſitate, vel itineris longitudine, certe tres Epiſcopi debent in unum eſſe congregati, ita ut etiam cæterorum, qui abſentes ſunt, conſenſum (2) literis teneant, & ita faciant ordinationem. (3) Poteſtas ſane, vel confirmatio pertinebit per ſingulas Provincias ad Metropolitanum Epiſcopum.

V. Servetur & iſta ſententia, ut hi, qui ab aliis excommunicantur, ab aliis ad communionem non recipiantur. Requiratur ſane, ſi forte aliqua indignatione, aut contentione, aut qualibet commotione (4) Epiſcopi ſui (5) excommunicati ſint. (6) Ut ergo digna hæc poſſint examinatione perquiri, recte viſum eſt, per ſingulos annos in ſingulis quibuſque Provinciis, bis in anno Epiſcoporum Concilium fieri; ut ſimul in unum convenientes ex communi Provincia, hujuſmodi examinent quæſtiones: ut ita demum hi, qui ob culpas ſuas, Epiſcoporum ſuorum offenſas merito contraxerunt, digne etiam a cæteris excommunicati ſimiliter habeantur, quouſque in communi, vel ipſi Epiſcopo ſuo viſum fuerit humaniorem circa eos ferre ſententiam. Habeatur autem ſemel Concilium ante dies Quadrageſimæ; ut omnibus, ſi quæ ſunt, ſimultatibus amputatis, mundum, & ſolemne Deo munus poſſit offerri; ſecundum vero agatur circa tempus autumni.

VI. Mos antiquus (7) perdurat in Ægypto, vel Lybia, & Pentapoli, ut Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem, (8) quoniam quidem & Epiſcopo Romano (9) parilis mos eſt. Similiter autem & apud Antiochiam, cæteraſque Provincias, honor ſuus unicuique ſervetur Eccleſiæ. (10) Per omnia autem manifeſtum eſt, quod ſi quis præter voluntatem, & conſcientiam Metropolitani Epiſcopi fuerit ordinatus, hunc Concilium magnum, & ſanctum cenſuit, non debere eſſe Epiſcopum. (11) Sane ſi communi omnium conſenſu rationabiliter probato ſecundum Eccleſiaſticam regulam, duo, vel tres animoſitate ducti per contentionem contradicant, obtineat plurimorum ſententia Sacerdotum.

VII. Quoniam mos antiquus obtinuit, & vetuſta traditio, ut Æliæ, ideſt Hieroſolymæ Epiſcopo honor deferatur, habeat conſequenter honorem ſuum, (12) manente tamen Metropolitanæ Civitati propria dignitate.

VIII. Si qui (13) voluerint venire ad Eccleſiam Catholicam ex Novatianis, placuit Sancto Concilio, ut ordinentur, & ſic maneant in Clero. Ante omnia autem (14) hanc habeant confeſſionem, quam per ſcripturam exigi oportet, ut fateantur, ſe communi conſenſu Catholicæ (15) Eccleſiæ ſtatuta obſervaturos; ideſt, communicaturos ſe & his, qui forte ſecundas nuptias experti ſunt, vel his, qui perſecutionis tempore lapſi ſunt: quibus tamen lapſis pœnitentiæ modus, & tempus adſcriptum eſt, ut in omnibus ſequantur ea, quæ in Eccleſia Catholica obſervantur. Et ſicubi iidem ipſi fuerint inventi ſive in vicis, ſive in Urbibus Clerici ordinati a Catholicis, ſic etiam in Clero perſiſtant, unuſquiſque tamen in ſuo ordine. Si vero Epiſcopus, vel Presbyter Eccleſiæ Catholicæ fuerit, ad quem aliqui ex his accedunt, certum eſt, quod Epiſcopus quidem Catholicus ſuam habeat dignitatem, ſimiliter autem Presbyter, & Diaconi habeant. Hi vero, qui ab iſtis veniunt, ſi forte Epiſcopus fuerit, habeat Sacerdotii dignitatem: niſi forte placeat Catholico Epiſcopo concedere ei etiam Epiſcopalis nominis honorem. Si vero non placuerit, inveniat ei locum, (16) ut ſit in Parochia Chorepiſcopus, aut in Clero Presbyter: ut in Civitate una non videantur duo Epiſcopi eſſe, & ille omnimodis in Clero permanere videatur.

IX. Si qui ſine examinatione promoti Presbyteri ſunt, & poſtea examinati, confeſſi ſunt peccata ſua; & cum confeſſi fuiſſent, contra regulam venientes homines

(1) præcipitabitur. (2) & ſententias per literas. (3) ſeparantur in C. H. hoc titulo: *De poteſtate Epiſcopi Metropolitani*. (4) ſtomachi abdicetur. (5) abſtenti. (6) Proprio titulo hæc ſejunguntur in C. H. *De Synodo bis in anno*. (7) perduret. (8) quandoquidem &. (9) Hæc eſt conſuetudo (10) Sejunguntur hoc titulo præfixo: *De infirmanda ordinatione, quæ ſine Metropolitani conſenſu fit*. Ita V. C. Hardiaous. (11) ſuus quoque & ſequenti ſententiæ titulus: *De ſequendo majori numero, cum de ordinatione contenditur*. (12) ſed & Metropolitano ſua dignitas ſalva ſit. (13) Hi, qui ſeipſos Catharos, ideſt mundos vocant, ſi veniant. (14) hoc eis per Scripturam convenit profiteri. (15) & Apoſtolicæ, (16) ubi.

mines manus eis temere impoſuerunt, hos Eccleſiaſticus ordo non recipit. In omnibus enim quod irreprehenſibile eſt, ſancta defendit Eccleſia.

X. Quicumque ex (1) lapſis per ignorantiam ſunt ordinati, vel contemptu eorum, qui eos ordinaverunt; hoc non præjudicat regulæ Eccleſiaſticæ: cum enim compertum fuerit, deponantur.

XI. De his, qui (2) negaverunt præter neceſſitatem, aut præter ablationem facultatum (3), aut præter periculum, vel aliquid hujuſcemodi (quod factum eſt ſub tyrannide (4) Lycinii) placuit ſanctæ Synodo, licet indigni ſint miſericordia, tamen aliquid circa eos humanitatis oſtendi. Si quos ergo ex animo pœnitet, tribus annis inter (5) pœnitentes habeantur: ſi tamen fideles ſunt, ſeptem annis aliis inter pœnitentes ſint, duobus autem annis (6) iidem ſine oblatione in Oratione ſola participent populo. (7) Si qui vero per Dei gratiam vocati, primo quidem oſtenderunt fidem ſuam, depoſito militiæ cingulo; poſt hæc autem ad proprium vomitum ſunt reverſi, ut & pecunias darent, & ambirent redire rurſum ad militiam; iſti decem annis ſint inter pœnitentes, poſt primum triennium, quo fuerint inter (8) audientes. Ab omnibus vero illud præcipue obſervetur, ut animus (9) eorum, & fructus pœnitentiæ attendatur. Quicumque enim cum omni timore, & lacrymis perſeverantibus, & operibus bonis, converſionem ſuam non verbis ſolis, ſed opere, & veritate demonſtrant; (10) cum tempus ſtatutum (11) etiam ab his fuerit impletum, & Orationibus jam cœperint communicare; licebit Epiſcopo humanius etiam circa eos aliquid cogitare. Qui vero indifferenter habuerunt lapſum, & ſufficere ſibi quod Eccleſiam introierunt, arbitrantur; iſti omnimodo tempora ſtatuta complebunt.

XII. De his vero, qui recedunt ex corpore, antiquæ legis regula obſervabitur etiam nunc, ita ut ſi forte quis recedit ex tempore, (12) neceſſario vitæ ſuæ viatico non defraudetur. Quod ſi deſperatus aliquis recepta communione ſupervixerit, ſit inter eos, qui in ſola Oratione communicant. (13) De omnibus tamen his, qui a corpore recedunt, (14) in tradendo eis communionem, cura, & probatio ſit Epiſcopi.

XIII. Placuit hoc ſancto, & magno Concilio de Catechumenis, qui lapſi ſunt, ut tribus annis inter audientes verbum ſint tantummodo, poſt hæc vero orent cum Catechumenis.

XIV. Pervenit ad ſanctum Concilium, quod in locis quibuſdam, & Civitatibus, Presbyteris Sacramenta (15) Diaconi porrigant. Hoc neque regula, neque conſuetudo tradidit, ut hi, qui offerendi Sacrificii non habent poteſtatem, his, qui offerunt, Corpus Chriſti porrigant. Sed & illud innotuit, quod quidam Diacones etiam ante Epiſcopos Sacramenta (16) ſumunt. Hæc ergo omnia amputentur, & maneant Diacones intra ſuam propriam menſuram, ſcientes quia Epiſcoporum quidem miniſtri ſunt, Presbyteris autem inferiores. Accipiant ergo (17) ſecundum ordinem poſt Presbyteros ab Epiſcopo, vel a Presbytero ſacram communionem. Quod ſi non fuerit in præſenti vel Epiſcopus, vel Presbyter, tunc ipſi proferant, & edant. Sed nec ſedere quidem licet in medio Presbyterorum Diacones, extra regulam enim eſt, (18) ut hoc fiat. Si quis autem non vult (19) his ſufficiens eſſe poſt hanc definitionem, ceſſet eſſe Diaconus.

XV. Propter multas perturbationes, & frequentes tumultus ſeditionum, quæ fieri ſolent, placuit omnimodo iſtam abſcindi conſuetudinem, quæ contra regulam eſt, ſicubi (20) tamen ſit, ideſt, ne de Civitate ad Civitatem tranſeat, vel Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus. Si quis vero poſt hæc ſtatuta ſancti hujus Concilii tale aliquid (21) agere tentaverit, infrigetur omni genere hujuſcemodi conatus, & reſtituatur propriæ Eccleſiæ, in qua (22) ordinatus eſt.

XVI. Si qui vero ſine reſpectu Dei agentes, & timorem Dei ante oculos non habentes, neque Eccleſiaſtica ſtatuta cuſtodientes, receſſerint ab Eccleſia ſua, ſive Presbyter, ſive Diaconus, vel in quocumque Eccleſiaſtico ordine poſiti fuerint, non debent ſuſcipi in alia Eccleſia; ſed cum omni neceſſitate cogantur, ut redeant ad Eccleſiam ſuam. Quod ſi permanſerint, excommunicare eos oportet.

XVII. Si quis auſus fuerit aliquem, qui ad alterum pertinet, ordinare in ſua Ec-

(1) his, qui lapſi ſunt. (2) prævaricati ſunt ſine ulla neceſſitate (3) patrimonii. (4) in noviſſima.
(5) audientes. (6) extra communionem in oratione ſola participes ſiant popolo. (7) titulus in C. H. *De pœnitentia eorum, qui baptizati ad ſæcularem militiam redeunt.* (8) auditores.
(9) ac propoſitum. (10) hi tempora ſtatuta complentes merito orationibus communiculo junguntur.
(11) audiendi. (12) ultimo &. (13) donec tempus ſtatutum a Sancta Synodo compleatur.
(14) & Euchariſtiam, poſtulant. Canon hic in verſione Dionyſii ponitur pro XVIII. & in C. H.
(15) a Diaconibus dentur. (16) contingunt. (17) Euchariſtiam. (18) & extra ordinem. (19) eſſe ſubjectus Eccleſiæ. (20) reperta fuerit in aliquibus partibus. (21) audere. (22) vel Presbyter, vel Epiſcopus, aut Diaconus.

Eccleſia, cum non habeat conſenſum Epiſcopi ipſius, a quo receſſit Clericus, irrita ſit hujuſmodi ordinatio.

XVIII. Quoniam multi Clerici, avaritiæ cauſſa, turpia lucra ſectantes, obliti ſunt Divini præcepti, quo dictum eſt: *Qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram*; fœnerantes centeſimas exigunt: ſtatuit hoc ſanctum Concilium, ſiquis inventus fuerit poſt hanc definitionem uſuras accipere, vel ex quolibet tali negotio turpia lucra ſectari, vel etiam ſpecies (1) frumentorum ad ſeſcuplum dare; omnis, qui tale aliquid conatus fuerit ad quæſtum, dejiciatur ex Clero, & alienus ab Eccleſiaſtico habeatur gradu.

XIX. Si quis confugit ad Eccleſiam Catholicam de Paullianiſtis, & (2) Cataphrygis, ſtatutum eſt, rebaptizari eos omnino debere. Si qui vero Clerici erant apud eos, ſiquidem inculpati fuerint, & irreprehenſibiles, baptizati rurſus etiam ordinentur ab Epiſcopo Eccleſiæ Catholicæ. Si vero examinati, minus fuerint apti deprehenſi, deponi eos oportet. Similiter autem & circa Diaconos, & de omnibus, qui in eodem Clero inveniuntur, eadem forma ſervabitur. Commemoravimus autem Diaconiſſas, quæ in hoc ordine inventæ ſunt, quæ nec manus impoſitionem aliquam habent, ut & omnino inter laicas habeantur. Similiter autem Diaconiſſæ, quæ in Catholico Canone non habentur, ſimili modo, ideſt, laicæ, & tanquam non conſecratæ deputentur.

XX. Quoniam ſunt in die Dominica quidam ad orationem genua flectentes, & in diebus (3) Pentecoſtes; propterea itaque ſtatutum eſt a ſancta Synodo, quoniam conſonans, & conveniens per omnes Eccleſias cuſtodienda conſuetudo eſt, ut ſtantes ad orationem vota Domino reddamus.

JOSEPHI CATALANI ADDITIO

Antiquiſſima eſt controverſia, an Canones Nicæni viginti dumtaxat fuerint, vel potius numerum excellerint vicenarium. Cauſam controverſiæ videtur dediſſe Appiarius Siccenſis Preſbyter, qui ab Epiſcopo ſuo excommunicatus, Romam appellavit, uti rem fuſe narrat Natalis Aleſander Diſſertatione XVIII. in Hiſtoriam Eccleſiaſticam Seculi V. Egimus & nos de eadem controverſia noſtro I. Tomo Commentariorum ad Concilia Oecumenica in Hiſtoria Concilii Nicæni, Capite VI. quod inſcriptum eſt, *De numero Canonum Nicæni Concilii*, ſecutique communiorem eruditorum Scriptorum ſententiam, variis argumentis oſtendimus, non plures editos fuiſſe in ipſo primo Nicæno Concilio Canones, quam viginti. Porro quod præter Decreta vulgatis viginti Canonibus contenta, alia a Patribus citentur, ut edita ab ipſo Concilio Nicæno; reſpondimus jam loco citato & ad hanc objectionem, hujuſmodi ſcilicet Decreta, non ad Canones quidem pertinuiſſe, verum ad alios tractatus, & diatypoſes, quæ erant in Actis Concilii. Hinc S. Ambroſius in Epiſtola ad Vercellenſem Epiſcopum, ubi loquitur de bigamorum irregularitate ſtabilita in Nicæno Concilio, diſerte ait, *Patres in Concilio Nicæno tractatus addidiſſe, neque Clericum quemquam debere eſſe, qui ſecunda conjugia ſortitus ſit*. Tractatum vero nihil aliud eſſe, quam diatypoſim, fuſe demonſtrat eruditus Joannes Dartis in Decretum Gratiani, Parte 1. ubi agit de Synodo Nicæna in fine.

Jam non deſunt, qui noſtro ævo eam propugnarint ſententiam, præter viginti, alios etiam fuiſſe editos Canones alia Eccleſiaſticæ diſciplinæ capita continentes a Concilio ipſo Nicæno. Hujus non ita pridem opinionis fuit, ut alios omittam, eruditus Pater Joannes Chryſoſtomus a S. Joſeph ex Clericis Regularibus Scholarum Piarum, peculiari Opere Inſcripto, *De numero Canonum, quos Sancti Patres in magna Synodo Nicæna conſtituerunt*, ubi contendit, excelliſſe Patres Nicænos numerum Canonum viginti. Sed hæc opinio, & argumenta, quibus eam propugnare conatur, jam dudum a variis eruditis Scriptoribus explicata fuere; nihilque novi laudatus Auctor attulit, quod nova explicatione, confutationeve indigeat. Videri a curioſo Lectore poterunt, quæ nos pro vicenario Nicænorum Canonum numero ſcripſimus in citato Capite VI.

Ceterum ſi antiquiſſimas Nicænorum Canonum verſiones conſulamus, profecto conſtat, in iis non plures, quam viginti recenſeri. Id enim in primis liquido apparet ex duabus illis, quæ incerto Auctore Tomo I. Conciliorum extant. Item ex ea, quam Dionyſius Exiguus adornavit, dicavitque Stephano Epiſcopo Salonitano, ac tandem ex alia, quæ ſub Attico Epiſcopo Conſtantinopolitano elaborata fuit a Theilone, & Thariſto, quando ab eodem Attico iidem Canones miſſi ſunt ad Concilium VI. Carthaginenſe, cui annexi fuerunt, & hactenus extant. In quibus omnibus editionibus viginti tantummodo Canones enumerantur; qui licet a Ruffino Lib. I. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, Cap. VI. viginti duo recenſeantur, iidem tamen eſſe noſcuntur, cum ab eo duo ex illis in duas ſecti partes, effecerint quatuor, ut recte obſervat Baronius ad annum 325. Num. CLVI. Sed & Theodoretus, & Gelaſius Cyzicenus, & alii antiqui Auctores viginti tantum a laudata Synodo ſtatutos fuiſſe Canones conſtanter affirmant. Meminit & ejus numeri vicenarii Codex, ſeu Liber Canonum Orientalium in Concilio Chalcedonenſi laudatus Actione XI. cujus & nos mentionem fecimus in memorata Hiſtoria Concilii I. Oecumenici Nicæni, Cap. VI. ubi & alia vetera monumenta, & graviſſimos, doctiſſimoſque Scriptores attulimus ad comprobandum magis magiſque vicenarium numerum Canonum prædicti Concilii Nicæni.

DIS-

(1) frugum. (2) Vox eſt merito ſuſpecta, nec reperitur in Græco Canone, aut apud Dionyſium. (3) quinquageſimæ

DISSERTATIO NONA

An tribus primis ſæculis Eræ Chriſtianæ, præſertim poſt obitum S. JACOBI Apoſtoli, a Diſcipulis ejus, vel eorum ſucceſſoribus, celebrata fuerint Concilia aliqua intra Hiſpaniam, prætermiſſa in Collectione Iſidori.

UBI DE PRÆDICATIONE S. JACOBI IN HISPANIA.

I. *ILLUSTRISSIMUS Loaiſa, qui tot, & tam antiqua exemplaria mſs. Collectionis Iſidorianæ Conciliorum vidit, & obſervavit, nullum in Hiſpania celebratum invenit ante celeberrimum illud Eliberritanum, quod omnium judicio intra quartum Sæculum fuit coactum. Similiter nec ullum ejuſmodi invenitur in mſs. aut in Collectionibus excuſis uſque modo. Verumtamen aliqui Scriptores Hiſpani, præſertim ab anno* 1594. *in quo apparere cœperunt Chronica illa tributa Dextro, Maximo, Helecæ, Eutrando, ſive Luitprando, Juliano Perez, & tandem Hauberto Hiſpalenſi, memorant plurima Concilia, veluti in Hiſpaniis celebrata, præſertim Toleti, & Hiſpali, tam tribus primis Eræ Chriſtianæ Sæculis, quam ſequentibus. Nos potiſſimum de iis, quæ intra triplex primum Sæculum celebrata dicuntur a Diſcipulis S. JACOBI Apoſtoli Hiſpaniarum, hoc loco diſſeremus. Et quoniam ad antiqua monumenta ſacra ipſarum (quæ in hoc Opere nobis curæ ſunt) ſpectat adventus ejuſdem Apoſtoli in Hiſpaniam, nonnulla proferemus in illius confirmationem, prætermiſſis pluribus aliis, quæ apud innumeros Scriptores habentur.*

EXCURSUS PRIMUS.

De duobus Conciliis, quæ dicuntur celebrata in Hiſpania primo Sæculo ſub perſecutione Neronis, juxta Chronicon Dextro adſcriptum. Porro illum certo affirmari ex columna quadam extante in Hiſpania; non autem ex Actis Græco-Latinis S. Photinæ, ut Bivarius, & alii volunt.

II. CHronicon Dextri nomine evulgatum, & quorundam Hiſpanorum obſervationibus, præſertim vero eruditiſſimi Franciſci Bivarii Ciſtercienſis monachi Commentariis illuſtratum (circa cujus γνησιότητα, aut potius ſuppoſitionem, toto fere hoc ſæculo doctorum hominum hinc inde decertantium acerrima controverſia eſt) ita habet ad annum Chriſti quinquageſimum ſeptimum, ab Urbe autem condita octingenteſimum octavum: *Horum S. Jacobi Diſcipulorum* (nimirum, de quibus antea egerat) *nonnulli ſub Aloto, Neronis judice, dum ad Concilium liberri conveniunt, flammis exuſti, ſpoliati fuit; ſuorumque bonis omnibus, generoſe morientes pro Chriſti Fide, coronati ſunt.* Veritatem ejuſdem ipſorum martyrii multis confirmat Bivarius; præſertim ex tabulis plumbeis prope Granatam detectis paullo poſtquam Dextri Chronicon apparuit; & ex Breviario Gotthico S. Iſidori, in Feſto eorondem Sanctorum, ubi Oratione tertia Matutinali dicitur: *Hi ſunt, Domine, ſeptem ſacula hujus Heſperiæ finibus indita, ad effugandum ejus terræ noctis infidelitatem cælitus miſſa.* Nimirum Martyres illos a Dextro memoratos abſque certo numero, Bivarius ſeptenario comprehenſos vult, additis præterea eorum nominibus.

III. Præterea ad annum Chriſti ſexageſimum, U. C. octingenteſimum undecimum, hæc inibi leguntur num. 2. *Eodem tempore cum convenissent in Cherroneſi Urbe prope Valentiam in Hiſpania, Concilii cauſſa, Sancti Pontifices, Diſcipuli quoque S. Jacobi Apoſtoli, Baſilius Carthaginis Spartariæ Diſcipulus ejus primus, Eugenius Valentinus, Pius Hiſpalenſis, Agathodorus Tarracone ſis, Elpidius Toletanus, Etherius Barcinonenſis, Capito Lucenſis, Ephrem Aſturicenſis, Neſtor Palentinus, Arcadius Juliobrigenſis: ſub eodem judice* (nimirum, Aloto Neronis judice, ut antea præmiſerat) *bonis ſpoliati, necati ſunt.* Obiter nota, longe alia eſſe nomina eorum, qui primi ad Hiſpanias miſſi fuerunt ab Apoſtolis, ex Urbe, juxta vetuſtiſſimum Martyrologium Eccleſiæ Lugdunenſis, cujus verba infra num. 6. proferemus. Præterea Pelagius Epiſcopus Ovetenſis, in Hiſtoria ſexcentis circiter retro annis ſcripta, Jacobi Diſcipulos facit Calocerum, Baſilium, Pium, Chryſogonum, Theodorum, Athanaſium, & Maximum. Mirum autem eſt, inter tot Epiſcopos ab antiquis ſæculis memoratos, tum apud Maryrologium citatum, tum a Pelagio Ovetenſi, veluti deſignatos ab Apoſtolis Hiſpaniæ Epiſcopos, & Jacobi Diſcipulos, prorſus neminem legi eorum, qui in Chronico Dextri nomine edito memorantur. Unde, vel ex eo capite, ſuſpectum id redditur. Quare Joannes Mariana antiquiratum Hiſpaniæ diligens veſtigator, & ingenuus ſcriptor, nullam rationem habuit Lib 4. Cap. 2. eorum nominum, quæ ex Dextro retulimus, quamvis eodem ipſius tempore Toleti diceretur apparuiſſe Chronicon illud Dextri. Vide infra num. 50. Verum quidquid de hoc ſit.

IV. Ejus narrationis fidem oſtendere conatur, & multis illuſtrat Bivarius, præſertim ex crudeliſſima Chriſtianorum in Hiſpania perſecutione ſub imperio Neronis; cujus, inter alia, authenticum teſtimonium profert vetus inſcriptio marmoreæ columnæ adhuc extantis Cluniæ Coloniæ (vulgo, *Corunna del Conde*) poſitæ a miniſtris Neronis, memoratæ ab Aldo Manutio

in Orthographia, Ambroſio Morale Lib. 6. Hiſtoriæ Cap. 17. ac Baronio ad ann. Chriſti 69. Verba ibidem ſculpta hæc ſunt.

NERONI. CL. CÆS. AVG. PONT. MAX.
OB. PROVINCIAM. LATRONIBUS. ET. HIS. QUI. NOVAM. GENERI. HUMANO. SVPERSTITIONEM.
INCVLCARANT. PVRGATAM.

V. Porro erectio columnæ, veluti triumphalis, in Neronis honorem, *ob Provinciam purgatam latronibus, & his, qui novam generi humano ſuperſtitionem inculcarant*, plane oſtendit, perſecutionem illam ſub Neronis Imperio illatam fuiſſe in Hiſpania Chriſtianis, perinde ac latronibus: ac proinde in ea procella pati potuiſſe direptonem bonorum, mortemque, Epiſcopos illos, qui tunc Fidem in Hiſpania prædicabant. Porro in ea columnæ verba doctiſſimus Baronius jure inquit: *Conſidera ex his, vehementiſſimam perſecutionem Neronis: ut creditum fuerit, Chriſtianam Religionem ab eo penitus extirpatam*. Et inſuper: *Potes ex his quoque, Lect r, probe conjicere, FUISSE HISPANIARUM ECCLESIAM HIS TEMPORIBUS FLORENTISSIMAM; dum tanquam ingens qu ddam ab impiis æſtimatum eſt collatum a Nerone beneficium, quod Chriſtionis eam Provinciam expurgaſſet*. Hæc cum ita ſint, mirum non eſt in tanto Chriſtianorum numero ac fervore congregatos fuiſſe Epiſcopos Hiſpaniæ (quicumque ii fuerint, ſive a Dextro, ſive in Lugdunenſi Martyrologio, ſive a Pelagio Ovetenſi Epiſcopo nominati) Concilii celebrandi cauſſa, ut Chriſtianæ Fidei documenta, ac Religionis, & diſciplinæ Eccleſiaſticæ Decreta congrua ſtabilirent. Cum vero tot Prælatorum conventus haberi difficile poſſent, quin a Neronis judice, ejuſque miniſtris, oculatiſſimis in Chriſtianorum perniciem, reſciretur; nihil mirum, quod ii Epiſcopi bonorum jactura, & crudeli morte mulctarentur.

VI. Addit Bivarius pro confirmatione ejus Neronianæ perſecutionis, fragmentum memorabile de Samaritana Evangelica, ejuſque filiis, & ſororibus, tunc temporis in Hiſpania Fidem Chriſtianam prædicantibus, & ob id martyrium paſſis, deſumptum ea Hiſtoria Græca eorundem Martyrum, Latine reddita anno milleſimo quingenteſimo octogeſimo a Hieremia Conſtantinopolitano Patriarcha, & dono data Oratori Rodulphi III. Imperatoris, a quo illam accepit D. Adamus Dietriſtam ejuſdem Cæſaris Majordomus: qui & per manum D. Joannis de Borgia Oratoris Philippi II. apud Germaniam, dedit eam Auguſtiſſimæ Imperatrici in Parthenone Excalceatarum apud Matritum degenti. Ibidem igitur plurima memoratu digna habentur de Photina (hoc enim nomen Samaritanæ mulieri tribuitur) ejuſque ſororibos, Anatolia, Photi, Photide, Paraſceve, & Cyriaca, ac duobus filiis, Joſepho, & Victore: quorum ille matrem in miniſterio prædicandi comitabatur: hic vero Neroni charos ob militarem artem, & re geſtas in bello adverſus Avaros io Scythia, decoratus fuerat titulo Ducis copiarum, ſeu Archiſtrategi apud Italicam Hiſpaniæ.

VII. Sed enim, ut ingenue dicam quod ſentio, & res ipſa eſt, in eſemplaribus Latinis, & in Græcis, unde Hieremias Conſtantinopolitanus Patriarcha eam Photinæ, & ſociorum hiſtoriam haurire potuit, nulla Hiſpaniæ, vel Italicæ Urbis in ea ſitæ, mentio ſuiſſe videtur. Non enim in Martyrologio Romano, ubi de eiſdem Martyribus agitur ad diem 20. Martii, neque in Menologio Græcorum, quod Baronius ibidem allegat, juxta verſionem eruditiſſimi Cardinalis Syrleti: neque in veteri Martyrologio Caſſinenſi. Porro in Menologio alio Græcorum ſcripto ſub finem ſæculi decimi juſſu Baſilii Imperatoris Conſtantinopolitani, habetur quidem eadem fere hiſtoria, & paſſio dictorum Martyrum; ſed palam dicitur, demandatum fuiſſe Victori Præfecto militiæ, ut Chriſtianos in Galilæa occideret. In Synaxario ms. Græco eſtante apud Collegium Claromontanum Pariſienſe, quod allegant Bollandiani ad prædictum diem, vice Galilææ, *Gallia* ponitur. De Præfecto enim Victore dicitur: *Accepit mandatum omnes in Gallia Chriſtianos occidendi*. Irrepſit autem id erratum, ex contractione literarum in Synaxario Græco, accipiendo Galliam pro Galilæa. Aliunde vero in Menæis palam perhibetur, Victorem Præfectum in Italiam miſſum fuiſſe, non autem in Italicam. Dicitur enim ibi: ὑπὸ τῦ βασιλέως ἐν Ἰταλίᾳ ςρατιλάτης πέμπεται, idest: *Ab Imperatore Præfectus militiæ in Itali ammititur*. Præterea ibidem legitur: ὁ Βίκτωρ ὁ ςρατυλάτης Ἰταλίας, καὶ Σεβαςιανὸς ὁ τῆς πόλεως Δὺξ κήρυττουσι τὸ κήρυγμα Πέτρου: *Victor Præfectus militum Italiæ, & Sebaſtianus Dux Urbis, prædicant prædicationem Petri*. Subditur ibidem, Neronem miſiſſe milites ἐν Ἰταλίᾳ quod reddere licet, *per Italiam*; ſive, ut habet Maximus Cythereus, εἰς τὴν Ἰταλίαν, *in Italiam*. Vides in ea hiſtoria toties Italiam nominari, nullatenus vero Italicam, ſicut neque ullibi Hiſpaniam.

VIII. Porro Bivarius, opinione omnium Vir notæ pietatis, & integræ fidei, non eſt putandus depravaſſe, aut interpolaſſe narrationem illam; ſed eſcripſiſſe, aut legiſſe juxta exemplar aliquod vitiatum verſionis a Hieremia Patriarcha factæ. Hic etiam, Græcus licet, ac Schiſmaticus, in Sede ſua Conſtantinopolitana degens, non habebat opus adulandi Hiſpanis hominibus in vertendo *Italicam* pro *Italia*, nec *Italirenſes Gentiles*, ut in ea verſione apud Bivarium legitur, pro *Italis Gentilibus*. Quare credendum, translationem illam e Conſtantinopoli prodeuntem germanam, poſtea alteratam fuiſſe a quopiam ſciolo, aut in Germania, aut, quod magis crediderim, in Hiſpania, ubi jam tum erat nonnemo ejuſmodi mangoniorum, & falſationum peritiſſimus artiſes, qui phantaſias, & deliramenta ſua pro veritatibus antiquis, & venerandis, ingenti Hiſpanicæ hiſtoriæ detrimento, plebeculæ, aut etiam ſemidoctorum hominum vulgo venditare cogitabat, ut & paullo poſtea fecit. *Pſeudo-Julionum* illum appellat Bollandus ad prædictum diem viceſimum Martii pag. 81. & non uno nomine falſitatis, aut potius falſationis illum convincit in ea parte, ac ſæpiſſime alibi, quod tamen nemo hactenus de Bivario dixit, aut ſuſpicatus eſt.

IX. Itaque regrediendo ad propoſitum noſtrom, non ex Actis illis S. Photinæ, & ſociorum depravatis, ſed ex ſupra memorata columna, & ſerie ipſa temporum ſub crudeliſſimo Nerone, certa haberi debet perſecutio illa Chriſtianorum in Hiſpania, & forſan commiſſa judici cuipiam, Aloro nomine, ut legitur in utroque illo loco

Dex-

Dextri nomine edito. Unde quamvis non poſſimus id affirmare de facto, videtur veroſimile, quod imminente tam dira perſecutionum procella, Epiſcopi illi Hiſpaniæ ſanctiſſimi utrumque id Concilium celebraverint, ad Fidem, & diſciplinam Chriſtianam altius Hiſpanorum animis infigendam: ut & fragiles roborarentur adverſus minas, ac tormenta tyranni, & fortes confirmarentur ad illa alacri, & invicto animo perferenda. Sic certe ſub initium ſæculi quarti, ubi ex ultima Diocletiani ac Maximiani perſecutione exundabat Roma, & aliæ regiones finitimæ, innumerabilium Martyrum innoxio ſanguine; Epiſcopi Hiſpani, audito impio Imperatorum edicto, ſtatim Illiberrim convenere ad celebrandum Concilium illud memorabile, & Canones edidere opportunos tempori, perſecutioni imminenti, & ſtatui Eccleſiarum, ac populorum Hiſpaniæ. Porro nomina Diſcipulorum S. Jacobi, qui ſupra num. 3. memorantur congregati in Cherronenſi Urbe ad Concilium celebrandum, longe alia ſunt, quam eorum, qui in vetuſtiſſimo Eccleſiæ Lugdunenſis Martyrologio ad Idus Majas memorantur miſſi ab Apoſtolis in Hiſpanias Epiſcopi. Ita nimirum ibidem legitur: *Natalis SS. Confeſſorum Torquati, Thyſefontis* (alias Cteſiphontis) *Secundi; Indaletii, Cæcilii, Eſicii, Euphraſii; qui Romæ a SS. Apoſtolis Epiſcopi ordinati, & ad prædicandum verbum Dei ad Hiſpanias, tunc Gentili adhuc errore implicatas, directi ſunt.* Ac quibuſdam interjectis, ſubditur: *Torquatus Acci, Thyſefon Vergii, Euphraſius Eliturgii, Secundus Abulæ, Indaletius Urci, Cæcilius Eliberi, Eſicius Carſeca quieverunt.* Quorum ſingulorum antiquiſſima eſt veneratio apud diverſos Hiſpaniæ populos. Cohæret vero forſan, quod tam hi ſeptem, quam plures alii num. 3. indicati, fuerint Diſcipuli S. Jacobi, & apud Hiſpaniam Epiſcopi, licet id difficile ſit.

EXCURSUS II.

Examinantur eadem Chronici verba circa utrumque id Concilium veluti celebratum ab Epiſcopis Diſcipulis S. JACOBI. Porro id veroſimile eſſe: cum certus ſit, & omni teſtimoniorum genere comprobatus, ejuſdem Apoſtoli adventus in Hiſpaniam, ac prædicatio, ſicuti & Diſcipulorum. Expenduntur in eum ſcopum loca aliquot Patrum ſecundi, ac tertii ſæculi, veluti S. Juſtini, S. Irenæi, Tertulliani, & S. Hippolyti.

X. Oportet aliquanto amplius expendere verba illa num. 2. exſcripta nomine Dextri, quibus aſſeritur, *Diſcipulos S. Jacobi Apoſtoli, dum convenirent Illiberri ad Concilium, flammis uſtos, ſpoliatos ſuis, ſuorumque bonis omnibus, generoſe morientes pro Chriſti Fide, coronatos fuiſſe.* In verbis his ſubintelliguntur, aut indicantur plura alia, quæ præmiſſa fuerant de prædicatione S. Jacobi, & Diſcipulorum ipſius in Hiſpania, juxta idem Chronicon ad annos præcedentes intra idem primum ſæculum Eræ Chriſtianæ poſt Domini aſcenſum in Cælos, & Spiritus Sancti deſcenſum. Ea vero hoc loco examinare placuit, ne jaciamus inania aliquot, ſive aerea fundamenta dicendorum in hoc Opere, deſtinato illuſtrandis antiquitatibus ſacris Hiſpaniarum, præſertim Conciliorum. Unde & facile conſtare poterit inde, an locus fuerit, ut intra primum ſæculum Concilia aliquot in Hiſpania a Diſcipulis S. Jacobi celebrarentur.

XI. Præmittendum, in ſortitione, ac deputatione Apoſtolorum ad diverſas Orbis terrarum partes, contigiſſe JACOBO Majori Hiſpaniam, in qua proinde prædicaverit, & Diſcipulos habuerit, & aliquos infidelium converterit. Hoc ipſum premiſſum fuerat in eodem Chronico ad annum Chriſti triceſimum quartum, præſertim verbis illis: *Contigit S. Jacobo Zebedæi filio Hiſpania, Joanni Aſia, Matthæo Æthiopia, Thomæ India, Philippo Scythia, &c.* Deinde ad annum 35. num. 6. *A Beato Jacobo eliguntur Urbium* (nimirum Hiſpaniæ) *Pontifices, & Paſtores.* Præterea ad annum 36. num. 2. *Jacobus S. Apoſtolus, Zebedæi filius, peragratis Urbibus Hiſpaniæ, multiſque erectis Eccleſiis, & Epiſcopis creatis ex advenis, Petrum Bracaræ primum reliquit Epiſcopum, ac Templum, vel Oratorium B. Virgini ex ejus juſſu, præſentiaque ſuper columnam Cæſarauguſtæ erexit.*

XII. Verum nemo exiſtimet, communem, & antiquiſſimam perſuaſionem Hiſpanorum, immo omnium fere Chriſtianorum, paucis quibuſdam exceptis, de adventu S. Jacobi Majoris in Hiſpaniam, inniti præcipue iis teſtimoniis Dextri nomine editis, aut Maximi, aliorumque ſimilium, a fine ſæculi præcedentis. Habemus plurima alia longe firmiora, & inconcuſſa. Hac cautione præmiſſa, legendus eſt Philippus Labbè in Compendio Tempor. Tomo 1. pag. 148. dum dixit: *De Jacobo Zebedæo, de Columna Cæſarauguſtana, ac ſimilibus, viderint Hiſpani, quibus Flavii Dextri, & Juliani Chronica, ſimileſque Libri fabulis refertiſſimi, ſæpius illuſere; & cum hiſtorica veritate componant.* Non eſt Hiſpanis opus ad Chronica ſuſpecta, aut nullius fidei confugere. Antequam illa a quopiam ſciolo ex conjecturis formarentur, aut apparerent ſub finem ſæculi præcedentis, dixerat Thomas Stapletonius (ut alios pariter exteros omittam) Cap. 3. de magnitudine Rom. Eccleſiæ: *VERUM, ET INDUBITATUM EST, toto terrarum orbe velut in Provincias diſtributo, facta primum in Judæa, & Samaria verbi prædicatione juxta ordinem a Chriſto præſcriptum, Petrum in Italia, Paulum in Græcia, Andream in Achaja, Joannem in Aſia, ET JACOBUM IN HISPANIA, hoc Evangelium, cujus eſt caput Roma, latiſſime propagaſſe.*

XIII. Idipſum alte inſederat doctiſſimo Cardinali Baronio, ſicut & aliis fere omnibus, in Notis Martyrologii Romani ad diem 25. Julii, quod in lucem edi permiſſum fuit anno milleſimo quingenteſimo octogeſimo quarto, Januarii die 14. ut patet ex Diplomate Gregorii XIII. & paullo poſtea luci publicæ datum. Ubi præterea ejus communis traditionis veritatem confirmat multis veterum teſtimoniis, & reſpondet ad quorumdam objecta, ſive difficultates, quæ aliquid negotii faceſſere videbantur.

XIV. In ea veluti pacifica poſſeſſione ab immemorabili, non dico annorum, ſed ſæculorum curſu, perſiſtebat traditio eadem, cum Cl. V. Garſias Loaiſa, Canonicus Toletanus,

& magiſter ſereniſſimi Hiſpaniarum Principis (poſtea PHILIPPI III. Regis) novem poſt annis, ideſt, A. C. 1593. edidit Concilia Hiſpaniæ, & eorum occaſione Tractatum, ſive Diſſertationem de Primatu Eccleſiæ Toletanæ: in cujus defenſionem affert narrationem quandam (neſcio unde acceptam) concertationis habitæ in Concilio Lateranenſi Ganerali celebrato ſub Innocentio III. anno MCCXV. inter Archiepiſcopum Toletanum D. Rodericum ex una parte, & Archiepiſcopos Bracarenſem, Tarraconenſem, ac Compoſtellanum ea alia, circa Primatum Eccleſiarum Hiſpaniæ, contendente unoquoque eorum, nulli alii, quam ſuæ Eccleſiæ deberi. Licet autem Loaiſa ad illum aſſerendum Eccleſiæ ſuæ Toletanæ (cujus tunc Canonicus erat, & poſtea Archiepiſcopus fuit) haberet plura, & validiſſima fundamenta; adhuc tamen novum aliud adjicere voluit ea narratione quadam eorum, quæ inter Archipræſules prædictos in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. ultro citroque circa eam controverſiam dicta, allegata, ac diſputata fuerunt. Inter ea autem unum eſt, quo adventus S. Jacobi in Hiſpaniam, atque in ea prædicatio videtur in dubium vocari ab Archiepiſcopo D. Rodetico, aut potius inter aniles fabulas reputari. Hæc cum legiſſet Cardinalis Baronius, & vera crediſſet, dubitare admodum cœpit de prædicatione S. Jacobi in Hiſpania, non auſus perſiſtere in antiqua ſententia. Baronium imitati ſunt ſtatim fere nonnulli Scriptores Galli, veluti Guillelmus Roſeus, Joannes Lorinus, Johannes Boſcus, & Ludovicus de Majerne Turquet in Hiſtoria Hiſpaniæ, Libro 4. pag 151. aliique ejuſdem nationis, palam refutantes traditionem prædictam.

XV. Sed enim mirum eſt, doctiſſimum Loaiſam habuiſſe rationem ullam ejus narrationis, eouſque a nullo mortalium inventæ, aut memoratæ, quæque tot fere falſitates, anachroniſmos, contradictiones, & abſurda habet, quot verba: uti poſt Franciſcum Macedo, & alios, immo præ aliis ex inſtituto demonſtravit Excellentiſſimus Marchio Mondexarenſis Libro inſcripto: *Predicacion de Sant-Jaga en Eſpana*, in lucem edito anno 1682. Mirabilius autem eſt, graviſſimum Cardinalem Baronium, qua pollebat eruditione, ac criſi, ad diſcernendum inter germana ſcripta, & notha, nihil ſuppoſitionis, aut fraudis in ea narratione ſobodoratum fuiſſe: immo ob illam potiſſimum mutaſſe ſententiam, quam prius in Notis ad Martyrologium Romanum ſolide ſtabilierat, & nemo eouſque impugnaverat. Sane licet Græcorum effatum celebre ſit: μία χελιδὼν οὐ ποιεῖ τὸ ἔαρ, unius Baronii judicium tanti fuit, ut prædicatio S. Jacobi in Hiſpania, quæ antea in Breviario Romano abſolute proferebatur, a tempore ſaltem B. Pii V. poſtea ſub Pontificatu Clementis Octavi ad traditionem ejuſdem Regni reſtringeretur: donec conquerentibus eam ob cauſſam Hiſpaniæ Regibus, ac Scriptoribus magni nominis, re utrimque mature, ac diu examinata, tandem ſub Urbano Octavo antiqua illa clauſula Breviario Romano inſerta, aut reſtituta fuit ad diem 25. Julii in Feſto S. Jacobi: *Mox in Hiſpaniam profectus, ibi aliquos ad Chriſtum convertit, ex quorum numero ſeptem poſtea Epiſcopi a Beato Petro ordinati in Hiſpaniam primi directi ſunt*. Unde Cornelius a Lapide (homo nequaquam Hiſpanus) dixit in Cap. 12. Actor. v. 2. *Jacobum in Hiſpania prædicaſſe, univerſalis eſt, immemorabilis, non tantum Hiſpaniæ, ſed & Fidelium ubique traditio, CUI REFRAGARI NEMO POTEST*. Hæc ille anno ᴍᴏᴄᴀxᴠɪ. antequam ſententia Romæ in ſavorem Hiſpaniæ ferretur.

XVI. Actum videbatur de nova Baronii opinione, concepta potiſſimum ea fabuloſa illa narratione apud Loaiſam extante, cum utraque multis poſt annis placuit quibuſdam recentioribus, præſertim Gallis, parum æquis erga res Hiſpaniæ, atque in iis Natali Alexandro Ordinis Prædicatorum, Scriptori ſatis noto, & erudito; ſed ejus tamen conditionis, ut omnia ejus Opera, id eſt, *Selecta Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ capita, & in loca ejuſdem inſignia Diſſertationes Hiſtoricæ, Criticæ, ac Dogmaticæ*, publico ſacræ hujus, ac ſupremæ Congregationis Decreto prohibita fuerint, antequam nos inter ipſius Cardinales Inquiſitores Generales numeraremur. Porro is ad inſtaurandam, & veluti poſtliminio revocandam opinionem illam, adeo profligatam, & ab omnibus fere rejectam poſt tempus Urbani Octavi, vix aliquid cujuſpiam momenti affert, quod jam a Baronio, aliiſque paucis objectum non fuiſſet; ſolutum vero, & diſſipatum ab aliis Scriptoribus, tum Hiſpanis, tum exteris, hujus ſæculi. Cum vero præſertim innitatur narrationi illi a Loaiſa memoratæ, in qua tot ἄτοπα & ἀσύστατα ſunt, quot clauſulæ; ſolum supereſt nobis lectorem mittere ad laudatum Marchionis Mondexarenſis Librum, in quo illam decretoriis argumentis νοθείας convincit, & veluti fabulam omnium, quæ hactenus prodiere, fabuloſiſſimam relegat in Morboniam, ut ajunt, aut Utopiam Inſulam. Nobis ea in re, ne videamur actum agere, immorari non licet. Satis ſit, non dico Roderico Præſuli Teletano, qui erat Vir literatus, immo & præſtantior inter Hiſtoricos ſui ævi, ſed omnibus fere hominibus alicujus momenti, eo tempore certiſſimam fuiſſe prædicationem S. Jacobi in Hiſpania, ac cantari ſolitam in ipſa Eccleſia Toletana, aliiſque totius Regni ad diem 25. Julii, juxta Breviarium, quo uſi fuerant tot ſæculis antea Toletani Præſules, ſaltem a tempore Concilii IV. Toletani, cui præfuit S. Iſidorus anno ᴅᴄxxxɪɪɪ. ut poſtea videbimus a num. 44. Unde apertiſſime mentitus fuit veterator ille, qui primus dixit, Rodericum inter aniles fabulas recenſuiſſe prædicationem S. Jacobi in Hiſpania.

XVII. Liceat vero traditionem eandem breviter confirmare ſelectis quibuſdam teſtimoniis antiquitatis Chriſtianæ, relictis aliis multis, quæ Scriptores Hiſpani hoc ipſo ſæculo protulerunt. Atque imprimis antiquiſſimus S. Juſtinus Philoſophus, & Martyr, qui ſcripſit anno centeſimo quinquageſimo a Chriſti nativitate, & noſſe potuit multos ex Diſcipulis Apoſtolorum, in Apologia 2. inquit generatim de iis: *Ad omne mortalium genus profecti, iſta promulgarunt, & Apoſtoli, atque Legati ſunt nominati*. Quidni iis verbis abſque ulla exceptione prolatis comprehendatur Jacobus, juxta antiquiſſimam totius fere orbis Chriſtiani traditionem? Ut quemadmodum alii Apo-

Sto-

Google

ſtolorum ad diverſas regiones miſſi ſunt, ita etiam ad Hiſpaniam Jacobus?

XVIII. Idipſum colligere licet ex S. Irenæo Epiſcopo ac Martyre, qui inclinante eodem ſæculo ſecundo floruit, ac ſcripſit, & eodem modo loquitur, immo & ſuggerit nobis fundamentum non leve ad quæſtionem hanc dirimendam Lib. 3. adverſus hæreſes Cap. 4 dum inquit: *Si quibus de aliqua modica quæſtione diſceptatio eſſet, nonne oporteret in antiquiſſimas recurrere Eccleſias, in quibus Apoſtoli converſati ſunt, & ab eis de præſenti quæſtione ſumere quod certum, & liquidum eſt? Quid autem ſi neque Apoſtoli quidem Scripturas reliquerunt nobis? Nonne oportebat ordinem ſequi traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant Eccleſias.*

XIX. Juxta quam Irenæi doctrinam, quæſtio noſtra de prædicatione Jacobi Apoſtoli in Hiſpania, decidenda eſt ex traditione ejuſdem antiquiſſimæ Ecclesiæ, ſicuti & prædicatio reliquorum Apoſtolorum in aliis, quamvis nulla illorum ſcripta, aut teſtimonia extent. Sic certiſſimum habetur, Petrum, ac Paullum Romæ martyrium ſubiiſſe: quoniam licet id modo non legatur ſcriptum, neque in ſacris Literis, neque ab aliquo Auctore ejus temporis, & fortaſſe nec ſequentis uſque ad Tertullianum, qui id palam tradit; creditur tamen, aliorum ſcripta periiſſe, in quibus id habebatur. Idem dixerim de Cathedra S. Petri apud Antiochiam, nullum teſtimonium antiquius habente, quam Clementis Alexandrini ſub finem ſæculi ſecundi, qui id accepit ex traditione Eccleſiæ Antiochenæ. Et ſive præceſſiſſent alii Scriptores id affirmantes, ſive non potior ratio haberi debet perpetuæ, & antiquiſſimæ traditionis apud Romanos, & Antiochenos, quam cujuſvis extraneæ ſcriptionis, vel teſtificationis. Unde idem Irenæus, teſte Euſebio Lib. 3. Cap. 33. inquit: *Neque enim ea, quæ ex Libris petebantur, tantum mihi ſubſidii allatura exiſtimavi, quantum ea, quæ accepi ex voce, & ſermone eorum hominum, qui adhuc in vita manebant.* Hæc omnia pariter fere locum habent in prædicatione S. Jacobi apud Hiſpanos, conſtante ex perpetua, & antiquiſſima ſæculorum traditione apud ipſos.

XX. Similiter Tertullianus, qui initio tertii ſæculi florebat, licet nec Jacobi, nec Hiſpaniæ nominatim meminerit Libro de Præſcriptionibus Cap. 20. eam tamen generatim de diſperſione, ac prædicatione Apoſtolorum doctrinam tradit, unde adventus Jacobi in Hiſpaniam, non minus quam aliorum ex Apoſtolis in diverſas nationes, colligi poſſit. Huc enim, nulla vi illata, trahi poteſt quod ibidem de Chriſto Domino ait: *Duodecim præcipuos lateri ſuo adlegerat deſtinatos nationibus magiſtros. Itaque uno eorum decuſſo, reliquos undecim, digrediens ad Patrem poſt reſurrectionem, juſſit ire, & docere nationes.* Deinde generatim eorum prædicationem in Judæa, poſtea vero diviſionem in varias orbis regiones, atque Evangelii in iis promulgationem deſcribit, ſubdens: *Statim igitur Apoſtoli (quos hæc appellatio* miſſos *interpretatur) aſſumpto per ſortem duodecimo Mathia in locum Judæ ex auctoritate Prophetiæ, quæ eſt in Pſalmo David, conſecutam promiſſam vim Spiritus Sancti ad virtutes, & eloquium, primo per Judæam conteſtata Fide in JESUM CHRISTUM, & Eccleſiis inſtitutis. Dein in orbem profecti, eandem doctrinam ejuſdem Fidei nationibus promulgaverunt.*

XXI. In quonam præ aliis nationibus peccavit Hiſpania? Chriſtus dixit Apoſtolis: *Prædicate Evangelium omni creaturæ*; & inſuper; *Euntes ergo DOCETE OMNES GENTES.* Præterea Marcus Evangeliſta de iiſdem Apoſtolis ait: *Illi autem profecti PRÆDICAVERUNT UBIQUE.* Nulla ibi exceptio Hiſpaniæ eſt. Nullam indicant, vel Juſtinus, vel Irenæus ſæculo ſecundo ſcribentes, ſicut nec Tertullianus ſub initium tertii, immo neque Innocentius I. (ſi recte intelligatur) ſub initium quinti, ut conſtabit infra a num. 124. Nulla denique ullus alius Patrum, vel Hiſtoricorum gravium, qui a principio epochæ Chriſtianæ ſcripſere uſque ad initium hujus ſæculi, in quo Baronius aliorum omnium antiquiſſimam ſententiam, immo & ſuam, dereliquit, abductus præſertim narratione illa Toletana, a quopiam veteratore obtruſa, & incaute publicata a D. Loaiſa anno 1593. ideſt, eodem tempore, quo illa pſeudo-Chronica Toleti apparere cœperunt. Credamus igitur, veram eſſe, & nullo prudenti fundamento in dubium vocari poſſe, antiquiſsimam de prædicatione Jacobi Apoſtoli in Hiſpania traditionem.

XXII. Proſequitur ſtatim Tertullianus: *Et proinde Eccleſias apud unamquamque Civitatem condiderunt, a quibus traducem Fidei, & ſemina doctrinæ, cæteræ exinde Eccleſiæ mutuatæ ſunt, & quotidie mutuantur, ut Eccleſiæ fiant, ac per hoc & ipſæ Apoſtolicæ deputantur, ut ſoboles Apoſtolicarum Eccleſiarum. Omne genus ad originem ſuam recenſeatur neceſſe eſt. Itaque tot, ac tantæ Eccleſiæ, una eſt ab Apoſtolis prima, ex qua omnes.* Nulla eſt pars ejus teſtimonii, quæ non congruat perpetuæ traditioni de prædicatione Jacobi, & Diſcipulorum in Hiſpania, atque erectione quarundam in ea Ecclesiarum (ſaltem poſtquam mortuo magiſtro ſuo, Roma miſsi fuerunt a D. Petro, & ordinati Epiſcopi, ut Eccleſias in Hiſpania conſtituerent, ut dicemus a num. 117.) a quibus reliquæ totius vaſtiſſimi Regni traducem Fidei, ac doctrinæ Evangelicæ ſemina, mutuatæ fuerint, & quotidie mutuentur per eorum Succeſſores. Quapropter Eccleſia Hiſpanica, juxta phraſim Tertulliani, Apoſtolica cenſeri debet, veluti a Jacobo Apoſtolo plantata, ſive tanquam *una ab Apoſtolis prima, ex qua omnes* totius Regni originem quodammodo habuerunt.

XXIII. Eodem ſæculo tertio ineunte floruit S. Hippolytus Martyr, & Epiſcopus Portuenſis, cujus aliquot monumenta Romæ habemus, præſertim in Bibliotheca Vaticana. Is igitur, Tertulliano, & Clementi Alexandrino ſynchronus, in Libro, quem de Vitis Apoſtolorum, & eorum prædicatione ſcripſit Græce, affirmare dicitur S. Jacobum in Hiſpania Evangelium prædicaſſe. Liber is manuſcriptus fuit primum apud eruditiſsimum, ac piiſsimum Cardinalem Syrletum, poſtea vero penes Cardinalem Sylvium Antonianum, qui & manu propria id teſtatus eſt in Epiſtola quadam ad Excellentiſsimum Ducem Seſſæ, Oratorem Majeſta-

jeſta-

jeſtatis Catholicæ in Urbe. Idem Liber citatur a Georgio Cedreno Tomo 1. pag. 247. fuitque apud Franciſcum Turrianum, ut ipſe fidem facit in Euchariſt. Lib. 2. Part. 1. Cap. 21. Quin & Cardinalis Baronius in Notis ad Martyrologium die 22. Martii, 9. Aprilis, & 1. Maji, illum laudat, veluti extantem in Bibliotheca Syrleti.

XXIV. Sane ſi apud Auctorem adeo antiquum, & gravem, haberetur palam Sancti Jacobi prædicatio in Hiſpania, nihil opportunius deſiderari poſſet ad eam traditionem comprobandam, & redarguendum Baronium. At enim poſtea aliud exemplar ejuſdem Libri extans apud Bibliothecam Regiam Pariſienſem, luci publicæ datum fuit a Franciſco Combeffiſio, ubi ſolum leguntur de Jacobo verba iſthæc, poſtquam Hippolytus egerat de Joanne ipſius fratre: Ἰάκωβος ἀδελφὸς αὐτοῦ ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ κηρύσσων, ὑπὸ Ἡρώδου τοῦ τετράρχου ἀναιρεῖται μαχαίρᾳ, καὶ θάπτεται ἐκεῖ. Ideſt: *Jacobus ejus frater prædicans in Judæa, ab Herode Tetrarcha gladio occiditur, ibique ſepelitur*. Hæc ibi apud Combeffiſium in Hiſtoria Monothelitarum col. 831. quæ ad rem non ſpectant. Cum vero Cardinalis Antonianus in prædictis Literis ad Ducem Seſſæ teſtatus fuerit, prædicationem Sancti Jacobi apud Hiſpanos teſtatam haberi in illo Libro apud ſe extante, videtur ipſi adhibenda fides, potius quam alteri exemplari in Gallia invento, & edito ab homine Gallo. Quid enim ſi vel primus exſcriptor, vel poſterior, ſuppreſſerit ea verba, in decus aliquod Hiſpaniarum ceſſura?

XXV. Dicet quiſpiam, aut Cardinalem Antonianum, aut Ducem Seſsæ hallucinatum fuiſſe, intelligendo de Jacobo, quod Hippolytus in eo Libro firmiter ac nominatim ait de Paullo Apoſtolo, prædicaſse ſcilicet Evangelium in Hiſpania. Quod ipſum conſtare videtur ex aliis duobus exemplaribus Græcis ejuſdem Libri, *De Vitis SS. Apoſtolorum, & Diſcipulorum Domini noſtri JESU CHRISTI*, nunc extantibus in Bibliotheca Vaticana, nomine ipſius S. Hippolyti Martyris. Alterum enim eorum inter mſs. num. 1177. pag. 468. alterum vero num. 1226. pag. 35. ſolum habet, Sanctum Paulium in Hiſpania Evangelium prædicaſse; de Jacobo autem nihil ejuſmodi affirmat. Porro verba Hippolyti juxta prius illud exemplar Vaticanum, quod olim fuit in Bibliotheca magni viri Antonii Auguſtini, hæc ſunt, pag. 468. Παῦλος μετ' ἐνιαυτὸν ἕνα τῆς τοῦ Κυρίου ἀναλήψεως, εἰσῆλθεν εἰς τὴν ἀποστολὴν, καὶ ἀρξάμενος ἀπὸ Ἱερουσαλὴμ προῆλθεν ἕως τοῦ Ἰλλυρικοῦ καὶ Ἰταλίας καὶ Ἱσπανίας κηρύσσων τὸ Εὐαγγέλιον. ἐπὶ δὲ Νέρωνος ἐν Ῥώμῃ τὴν κεφαλὴν ἀποτμηθεὶς θάπτεται ἐκεῖ, ideſt: *Paullus poſt annum unum a Domini aſſumptione munus Apoſtolicum aggreſſus eſt, ac a Jeruſalem initium ducens, uſque ad Illyricum, Italiam, Hiſpaniamque pervenit Evangelium prædicans. Sub Nerone autem Romæ capite plexus, ibi ſepelitur*. Hæc ibi ſolum. Porro eandem Paulli prædicationem in Hiſpania, veluti rem certam, tradunt Sanctus Athanaſius in Epiſtola ad Dracontium, Sanctus Hieronymus in Cap. 12. Iſaiæ, & 5. Amos, atque in Epiſtola ad Lucinium Bæticum, Sanctus Epiphanius in Panario, Hæreſi XXVII. S. Cyrillus Hieroſolymit. Catecheſi 17. Sanctus Chryſoſtomus in Proœmio Commentarii in Epiſtolam Paulli ad Hebræos, & Homilia 7. de laudibus Paulli, Theodoretus in 2. Paulli ad Philippenſes Cap. 1. Sanctus Gregorius Magnus Lib. Moralium 31. Cap. 22. in fine, Sanctus Iſidorus Lib. De vita, & obitu SS. Patrum Cap. 71. Sophronius Epiſcopus Hieroſol. in Sermone Natalitio Apoſtolorum, & plurimi alii ex poſterioribus. Videtur itaque, nihil ex Hippolyto haberi circa prædicationem Sancti Jacobi apud Hiſpanos, quæ nunc ſola nobis curæ eſt.

XXVI. At enim magnus ſtupor fuiſſet, ſive Cardinalis Antoniani, ſive Ducis Seſſæ, intelligere, aut teſtari de Libro tunc Romæ extante longe aliud quam in eo eſſet; ac potiſſimum eo tempore, quo apud ſanctam Sedem tam accurate, ac ſerio de prædicatione Sancti Jacobi in Hiſpania diſceptabatur. Perhonorificum quidem eſt, & decoris magni Regni Hiſpaniarum, quo gloriamur, habuiſſe tantum, ac talem Prædicatorem, quantus, & qualis fuit Apoſtolus Paullus, antonomaſtice DOCTOR GENTIUM. Verum id eſt commune pluribus aliis nationibus Aſiæ, atque Europæ. At vero quod a Iacobo Zebedæo Apoſtolo Hiſpania acceperit prima Fidei Chriſtianæ lumina, ſingulare decus illius eſt præ omni alia natione Gentilium. Privilegium porro Hiſpaniæ ſpeciale eſt, non modo perpetua traditione, ſed ingentibus beneficiis, ſtupendis miraculis, & iteratis apparitionibus ipſius Iacobi in ejus defenſionem confirmatum. Quare non ſatis eſt quod Baronius, & aliquot ipſius in Gallia ſectatores illud prius fateantur, quod exploratum omnibus eſt, niſi & hoc ſecundum ultro admittant, quod cæteri alii conſtanter credunt.

XXVII. Hiſce in utramque partem breviter diſputatis, fateor ingenue, mihi adhuc hærere aquam, ut proinde quæſtionem in medio relinquam, donec contingat invenire Codicem illum Cardinalis Syrleti, ex cujus ſola lectione illam dirimere oportet. Quæſivi ſæpius, & injunxi curam hanc viris Græce, & Latine eruditis, ac valde verſatis in hoc ſtudii genere, qui hortatu meo, tum in Bibliotheca Vaticana, tum in aliis inſignibus, & manuſcriptorum copia refertis, illum exquirentes, hactenus non invenerunt. Solum itaque reperta ſunt exemplaria ſuperius memorata num. 25. ex quibus dumtaxat habetur prædicatio Sancti Paulli, non autem Sancti Iacobi, in Hiſpania. Si contigerit invenire Codicem Syrleti tandem aliquando, proferam ingenue quidnam ibi habeatur, abſque ullo præjudicio, neque enim mihi tanti eſt rerum noſtratium amor, quanti ſtudium veritatis. Dum autem Galli Scriptores, atque in iis Archipræſul Marca Epiſt. ad Valeſium num. 4. ac Natalis Alexander Sæculo 1. Diſsert. XIV. tam impenſe firmant prædicationem Sancti Paulli in Hiſpania; rem propriam agunt, ut inde conſtet, in Gallia etiam prædicaſſe, uti bene obſervat ſummo Vir ingenio D. Franciſcus Quevedo in Vita Sancti Paulli.

EX-

EXCURSUS III.

Examinantur paullo accuratius quædam teſtimonia S. Hieronymi, S. Aprigii, & Venantii Fortunati, ſpectantia ad ſæculum quintum, & ſextum Eræ Chriſtianæ, circa prædicationem S. Jacobi Apoſtoli in Hiſpania. Ubi nonnibil obiter de Beato Presbytero, & Calliſto II. tum de Anaſtaſio Sinaita.

XXVIII. VEniamus ad ulteriora ſæcula, in quibus facilius fortaſſe invenientur teſtimonia Patrum, ac Scriptorum gravium, qui perpetuam traditionem de prædicatione Sancti Jacobi in Hiſpania confirment. Occurrit imprimis circa finem quarti ſæculi, aut ſub initium quinti Sanctus Hieronymus, qui in Cap. 34. Iſaiæ verſ. 12. loquens de Apoſtolis, inquit: *Spiritus illius congregavit eos, deditque eis ſortes, atque diviſit, ut alius ad Indos, alius ad Hiſpaniam, alius ad Illyricum, alius ad Græciam pergeret, & unuſquiſque in Evangelii ſui, atque doctrinæ provincia requieſceret.* Quibus verbis, præter illum Apoſtolum, qui in Illyrico prædicavit, comprehenditur unus aliquis, qui in Hiſpania promulgaverit Evangelium. Is vero alius non fuit, nec legitur, quam Jacobus. Paullum autem in Illyrico prædicaſſe, teſtatum habemus ab ipſo. Roman. 15. v. 19. Supereſt itaque, ut Jacobus, judicio Hieronymi in Hiſpania prædicaverit. Quin & ſolus ille in Hiſpania, juxta phraſim Hieronymi, tanquam *in Evangelii ſui, atque doctrinæ provincia requievit*: ſicuti alii Apoſtolorum in provinciis ſibi commiſſis; nam licet in Judæa pro Chriſto occubuerit, ſtatim fere Corpus ipſius in Hiſpaniam a Diſcipulis traslatum fuit, ut toti orbi Chriſtiano notum eſt. Itaque juxta Hieronymi ſententiam, ipſa requies Corporis S. Jacobi in Hiſpania, denotat, illum in ea prædicaſſe.

XXXIX. Præterea idem Doctor maximus in Cap. 42. ejuſdem Iſaiæ v. 10. ait: *Apoſtolos videns Jeſus in litore juxta mare Genezareth reficientes retia ſua, vocavit, & miſit in magnum mare: ut de piſcatoribus piſcium, faceret hominum piſcatores, qui de Hieruſalem uſque ad Illyricum, & Hiſpanias Evangelium prædicarunt.* Conſtat autem ex Matthæi Cap. 4. v. 21. & Marci Cap. 1. v. 19. Apoſtolos illos a Chriſto vocatos, dum retia ſua reficerent, fuiſſe Jacobum, & Ioannem, filios Zebedæi. Unus igitur amborum prædicavit in Hiſpania, judicio Hieronymi; ac certe Iacobus, cum id nemo dixerit de Ioanne. Quæ duo Hieronymi teſtimonia ita expendimus, ut adverſariorum interpretationes, & evaſiones Natalis Alexandri præclodant. Quidam Scriptores allegant pro noſtra ſententia Concilium quoddam Bracarenſe celebratum ineunte eodem quinto ſæculo circa annum ccxi. quod ſæpe ab aliis excuſum, edidit denuo Labbè in ſua Collectione Tomo II. In eo palam aſſeritur prædicatio Sancti Iacobi in Hiſpania. Verum id Concilium multis hominibus eruditis ſuſpectum eſt, & mihi pariter, ut ſuo loco oſtendam, neque illo egemus ad inſtitutum præſens.

XXX. Ex Patribus ſexti ſæculi allegari ſolet in eundem ſcopum Sanctus Aprigius Epiſcopus Pacenſis in Luſitania, cujus honorifica mentio eſt inter illuſtres Viros apud Sanctum Iſidorum: quaſi ille in Commentariis ſuper Apocalypſim ſcripſerit de Apoſtolis: *Hi duodecim ſunt Chriſti Diſcipuli, Prædicatores Fidei, & Doctores gentium: qui, dum omnes unum ſint, ſinguli autem eorum ad prædicandum in mundo ſortes proprias acceperunt: Petrus Roma, Andreas Achaia, Thomas India, JACOBUS SPANIA, Joannes Aſia, Matthæus Macedonia, Philippus Gallia, Bartholomæus Licaonia, Simon Zelotes Ægypto, Jacobus frater Domini Hieruſalem, Paullo autem cum ceteris Apoſtolis nulla ſors traditur propria, quia in omnibus gentibus Magiſter, & Prædicator eligitur*, Quibus verbis, ut vides, palam tribuitur Iacobo Hiſpania, veluti in qua prædicaverit, perinde, ac reliqui Apoſtoli in nationibus iis, quæ ſibi ſorte contigerunt.

XXXI. Notandum autem eſt, quidquid nonnulli aliter ſenſerint, ea verba non eſſe S. Aprigii, ſed Beati Libanienſis Presbyteri (ſic illum ſæpe nominat Alvarus Cordubenſis diſcipulus S. Eulogii Epiſtola I. ad Aurelium Flaccum ms.) longe poſterioris, qui inclinante ſæculo octavo, inter alia ſuo tempore a nobis proferenda, ſcripſit Commentarios in Apocalypſim, & direxit ad Etherium Epiſcopum Uxamenſem amicum ſuum, ac ſocium in refellendo errore Elipandi Archiepiſcopi tunc Toletani circa filietatem Chriſti adoptivam. Nimirum, varia exemplaria eorum Beati Commentariorum ſub finem ſæculi præcedentis extabant antiquiſsimo charactere apud doctiſsimos Viros Ioannem Baptiſtam Perea Epiſcopum Segubricenſem, & Ambroſium Morales, ſimulque apud Bibliothecam Sancti Iſidori Legionenſis, & nunc apud Excellentiſs. D. Marchionem de Mondexar, ac D. Joannem Lucam Corteſium Majeſtatis Catholicæ Conſiliarium: quæ palam oſtendunt, ea Commentaria non eſſe Aprigii, ſed Beati, vel hoc ſolo nomine, quod hic in Præfatione teſtetur, ſe illos collegiſſe ex Libris Victorini, Iſidori, atque Aprigii, idque in gratiam prædicti Etherii.

XXXII. Unde laudatus Joannes Baptiſta Perez in Notis ad Scripta Eccleſiaſtica S. Iſidori Cap. 17. ait: *Ejus nomine* (nimirum S. Aprigii) *extat opus ingens manuſcriptum in Apocalypſim. Sed ego cum vidiſſem Codicem Gotthicum Legionenſem, ſcriptum Era milleſima octava* (ſcilicet, anno Chriſti nongenteſimo ſeptuageſimo) *animadverti de Auctoris nomine inde non conſtare, ſed editum potius in gratiam ejuſdem Etherii. Quin & in Præfatione Auctor ille ait, SE COLLEGISSE SUA EX LIBRIS VICTORINI, ISIDORI, ET APRIGII.* Plura alia huc ſpectantia lege apud laudatum Marchionem Mondexarenſem in prædicatione Sancti Jacobi vindicata adverſus dubia Chriſtiani Lupi, & argumenta Natalis Alexandri, ubi accuratiſſima criſi rem examinat, & apertiſſimam eam reddit, cum antea valde obſcura, & implicata eſſet.

XXXIII. Itaque, licet antea Aprigius, ineunte ſæculo ſexto, ſcripſerit Commentarios in Apocalypſim, uti fidem facit Sanctus Iſidorus, *De viris Illuſtribus* Cap. 17. & quorum meminit poſtea Honorius Auguſtodunenſis Lib. *De Scriptoribus Eccl.* Cap. 19. ac noſtro tempore

Phi-

Philippus Labbé in nova Bibliotheca mſ. Par. I. pag. 25. aliique plurimi Hiſpani, & exteri; non tamen in iis meminiſſe invenitur prædicationis Sancti Jacobi in Hiſpania; fortaſſe quoniam Opus ipſum tot ſæculorum decurſu magna ex parte mutilatum fuit, & interpolatum Scriptis Victorini Epiſcopi, non quidem Pictavienſis in Aquitania, ut communiter credebatur, ſed Pitabonienſis in Pannonia ſuperiore, & Martyris, uti dicitur in Bibliotheca Magna PP. Aniſſoniana ſæculo III. Tom. III. ubi Commentarii in Apocalypſim exhibentur pag. 414. Id patet ex politiſſimo, & ad miraculum erudito in rebus iis D. Nicolao Antonio Par. I. Biblioth. Hiſpanæ Lib. 4. Cap. 2. qui nactus aliquod ejus Scripti exemplar, invenit mutilum, & a Cap. 5. Apocalypſeos uſque ad 17. interpolatum Commentariis Victorini, *αὐτολεξεὶ* ſcriptis, ac propterea dixit: *Commentarium Aprigii in hac parte mancum, & hiantem ab aliquo Codicis poſſeſſore ſuppletum, ſeu potius infarctum fuiſſe*. Porro Sanctus Gennadius Epiſcopus Aſturicenſis in teſtamento ſuo (quod condidit anno Chriſti DCCCCV. & affertur ab Ambroſio Morale Tomo I. pag. 15. & ſeqq.) inter alios Libros, quos legat Monaſterio ſuo, nominat *Librum Aprigii*. Neſcimus vero, an is eſſet integer, an vero mutilus, vel interpolatus.

XXXIV. Quapropter non ex teſtimonio S. Aprigii florentis ſæculo ſexto, ſed Beati ſcribentis ſub finem octavi, comprobatur prædicatio Sancti Jacobi in Hiſpania. Porro Beatus fuit Vir egregie doctus, immo & ſermonis exculti (habita ratione ſui ævi) ut conſtat ex Libris ipſius, atque Etherii contra Elipandum, quos nos ipſi Gotthico charactere ſcriptos vidimus anno 1685. in Bibliotheca Toletana, & jam alii ediderunt præſertim Aniſſonii Tomo XIII Bibliothecæ Maximæ PP. pag. 353. & ſeqq. Præterea fuit Vir ſpectatiſſimæ pietatis, ut propterea ipſius memoria ab antiquiſſimo tempore ſancta habeatur apud Eccleſiam Aſturicenſem die 19. Februarii, ut patet ex Actis ipſius apud Ioannem Tamajum Tomo I. Martyrologii Hiſpani, licet interpolatis, & vitiatis, quæ inde acceperunt Bollandus, & Henſchenius in Actis SS. Februarii Tomo III. pag. 147. & deinde Lucas d'Acherius, ac Ioannes Mabillon in Actis SS. Benedictin. Sæculo IV. Par. I. pag. 738. Corpus ejuſdem Beati, cum magno cultu ſervatur in Eccleſia Oppidi dicti Valcabado prope Saldaniam, ad radices montium Liebanenſium. Itaque teſtimonium tam docti, & ſancti Viri, præſertim conjunctum aliis, nequit non eſſe firma comprobatio prædicationis S. Iacobi in Hiſpania

XXXV. Meliore jure, quam S. Aprigius allegatus, cenſeri ſolet intra ſæculum idem ſextum Venantius Fortunatus Epiſcopus Pictavienſis, ſanctitate, & doctrina conſpicuus circa annum Chriſti DLXX. Nimirum plerique Hiſpani recentiores ſcribunt, Calliſtum II. Papam in Sermone quodam de S. Iacobo allegaſſe Fortunatum prædictum, veluti de ipſo canentem.

Gentiles vocat hic, Judæos increpat ipſe,
Fructificanſque Deo terminat orbe Fidem.

Quibus verbis poſtremis ſignificari volunt, non ſolum Jacobi prædicationem ad Gentiles, quæ palam ibidem traditur, ſed inſuper veluti factam in Hiſpania, quæ tunc terminus Orbis cenſebatur. Vide infra num. 67. Priori autem carmine ſatis declaratur, prædicationem Jacobi, non ſolum ad Judæos factam fuiſſe, verum etiam ad Gentiles, quod e re noſtra eſt. Sane ii verſus non extant inter Poemata Fortunati ultimo edita in Bibliotheca PP. Aniſſoniana ſæculo VI. Par. 2. ideſt Tomo X. a pagina 528. uſque ad 615. ne quidem Libro quinto, quem inchoat Epiſtola quadam ad Martinum Epiſcopum (abs dubio Bracarenſem, ſatis in Hiſpania notum, ac Canonum Græcorum Collectorem) & carmine ad eundem; licet ſub initium ejuſdem Poematis mentionem faciat Jacobi Apoſtoli, dum accinit:

Martino ſervata novo, Gallæcia, plaude,
Sortis Apoſtolicæ Vir tuus iſte fuit.
Qui virtute Petrum præbet tibi, dogmate Paulũ
Hinc Jacobi tribuens, inde Joannis opem.

Similiter nec prædicationis S. Iacobi in Hiſpania meminit Libro octavo, Poemate quarto, paullo ante medium, ubi indicat quonam loco quiſque Apoſtolorum prædicaverit.

XXXVI. Certum autem eſt, Calliſtum II. (qui aliquandiu apud Compoſtellam verſatus fuit, dum eſſet Legatus Apoſtolicæ Sedis in Hiſpania) inde reverſum, in Sermone tertio de D. Jacobo extante apud laudatam Bibliothecam Tom. XX. pag. 1288. allegare plura diſticha Venantii in laudem ejuſdem Apoſtoli, & inter ea illud, quod paullo ante exſcripſimus. Neque obſtat quod Chriſtophorus Brovverus, qui Opera Venantii colligenda, atque edenda curavit, nec Aniſſonii, qui eadem recuderunt, ullam faciant mentionem ejus Poematiis in laudem Sancti Iacobi. Cenſeri enim debet, tam ex ſtylo eorum verſuum, plane Venantiano, quam attenta Calliſti II. Papæ auctoritate, id Poema vere ſcriptum fuiſſe a Venantio, & extitiſſe tunc in uno, aliove exemplari. Verum fateri oportet, pentametrum illius, modo ibi non extare iiſdem omnino verbis; non enim ibi dicitur:

Fructificanſque Deo terminat orbe Fidem.

Sic enim inde certo conjiceremus ex mente Venantii, Sanctum Iacobum prædicaſſe in Hiſpania, quæ tunc terminus orbis habebatur, ſive finis terræ. Unde & hodie portus in Gallæcia eſt prope Compoſtellam, qui FINIS TERRÆ appellatur. Pentametrum autem id in editione Aniſſoniana ſic habetur:

Fructificanſque Deo ſeminat orbe Fidem.

Verum licet non tam perſpicue ex verbo, *ſeminat*, quam ex verbo, *terminat*, conſtet ex mente Venantii, Sanctum Iacobum in Hiſpania, tunc extrema orbis parte, prædicaſſe; ſatis tamen ex contextu totius diſtichi colligi videtur. Siquidem in priori verſu accinit Venantius, Iacobum non modo Iudæos ob duritiam increpaſſe, ſed etiam Gentiles vocaſſe ad Fidem; quod plerique adverſariorum negant. In poſteriori autem verſu denotat, Iacobum ſeminaſſe Fidem in remotis mundi partibus, quas ſub Orbe comprehendiſſe videtur, licentia quadam poetica, & anguſto loquendi genere. Fortaſſe in quopiam alio veteri mſ. invenietur verbum, *terminat*, quod magis e re noſtra eſſet.

XXXVII. Intra idem ſæculum ſextum floruit Sanctus Anaſtaſius Sinaita, quem nonnulli Hiſpani allegant pro eadem Sancti Iacobi prædicatione, in Libro, *De Paſſionibus Martyrum*. At revera nuſquam invenio eum Librum ab Anaſtaſio ſcriptum. Nec illius videntur meminiſ-

miniſſe ii, qui de Scriptoribus Eccleſiaſticis egerunt. Adi Bellarminum in ipſo Anaſtaſio, & Labbeum in Diſſert. Hiſtorica To. 1. pag. 68. & ſeqq. ac Caſimirum Oudin in Supplemento pag. 143. uſque ad 152. Profecto ii tres, & multi laudati ab eiſdem, altum ſilent de prædicto Libro. Unde non auſim tam incerto teſtimonio Anaſtaſii inniti ad aſſerendam Sancti Jacobi in Hiſpania prædicationem, neque illa eget inanibus, aut aereis præſidiis.

EXCURSUS IV.

Eadem traditio de prædicatione S. Jacobi in Hiſpania confirmatur apertiſſimo S. Iſidori teſtimonio in Libro, DE ORTU, ET OBITU PATRUM, *cujus γνησιότης comprobatur adverſus recentiores quoſdam. Confirmatio ex Miſſali, & Breviario Hiſpanico, probatis in Concilio IV. Toletano, cui idem Iſidorus præfuit anno DCXXXIII. Teſtimonium aliud luculentiſſimum S. Juliani, immo & omnium Toletanorum Præſulum ejuſdem ſæculi, ac ſequentium. Monumenta quædam eodem ſpectantia ex antiquiſſimo ms. Regii Monaſterii S. Æmiliani.*

XXXVIII. Septimo ſæculo ineunte, apertiſſime comprobatur prædicatio Sancti JACOBI in Hiſpania luculento teſtimonio S. Iſidori Archiepiſcopi Hiſpalenſis, qui initio illius jam florebat, in Libro, DE ORTU, ET OBITU PATRUM, ubique fere terrarum ſparſo. Præmittendum vero eſt adverſus nonnullos recentiores, Librum prædictum eſſe germanum ejuſdem Sancti Doctoris fœtum, teſte S. Ildephonſo ipſius diſcipulo, immo & aliquandiu Hiſpali convictore, ut quidam ajunt, in additione ad ejus Opuſculum, *De Viris illuſtribus*. Et quamvis ibidem appelletur, *De ortu, & obitu Prophetarum*, juxta exemplar, quo uſus fuit D. Loaiſa, in aliis tamen pluribus non legitur *Prophetarum*, ſed *Patrum*. Unde S. Braulio ejuſdem Iſidori diſcipulus pariter, & amicus, juxta exemplar germanum, & purum elogii, quo illum laudat, teſtatur ſcripſiſſe, *De ortu, & obitu Patrum, Librum unum, in quo eorum geſta, dignitatemque, & mortem eorum, ſententiali brevitate ſubnotavit*. Eodem titulo invenitur ſcriptus Lutetiæ ad S. Germani de Pratis antiquiſſimus Codex, teſte Illuſtriſs. D. Petro Marca in Epiſtola ad Valeſium, ubi inquit: *His adjungendum putavi teſtimonium vetuſtiſſimi Codicis manuſcripti ex Bibliotheca Sancti Germani Pariſienſis, in quo iſte Tractatus Iſidori ante octingentos annos deſcriptus, una cum aliis Auctoris Libris continetur*. In Anglia quoque fuit antiquiſſimus Codex Iſidori nomine inſcriptus: *Paſſiones Apoſtolorum*, quem Monaſterio Exonienſi legavit Lofredus Epiſcopus Exeſtrenſis anno MLXXI. vita functus, cujus teſtamentum veteri lingua Anglo-Saxonica luci dederunt Rogerius Dodſuvart, & Guillelmus Dugdal, in Monaſtico Anglicano, Tomo 1. pag. 223. Is autem Liber non videtur alius ab eo, qui inſcribi ſolet: *De ortu, & obitu Patrum*, licet in illo ſumatur denominatio a nobiliori parte, nimirum a Paſſionibus Apoſtolorum. Pariter idem Liber citatus invenitur nomine Iſidori, Sermone quodam in Feſto Aſſumptionis, qui in editionibus antiquis tribuebatur perperam Auguſtino, ſed jam diu ex mſs. reſtitutus fuit vero Auctori; id eſt, Fulberto Carnotenſi, qui ſub initium hujus millenarii poſterioris florebat, ſeptem circiter retro ſæculis. Sed & Sigebertus Gemblacenſis, qui ſexcentis retro annis circiter ſcripſit, inter lucubrationes Iſidori palam recenſet Librum, *De ortu, & obitu Patrum, qui in Scripturarum laudibus efferuntur*.

XXXIX. Similiter Petrus Lambecius Biblioth. Cæſareæ Lib. 2. Cap. 8. Codice 257. teſtatur, in ea aſſervari unum illius exemplar membranaceum, inter plures alios Codices, quos olim apud Budam collegit Mathias Corvinus Hungariæ Rex; illud vero anno 1471. exſcriptum fuiſſe ex alio antiquiore, ſub hac epigraphe: *Egregii Viri ISIDORI HISPALENSIS EPISCOPI, De ortu, & obitu Patrum, qui in veteri, & novo Teſtamento claruerunt, Liber*. Atque in Notis marginalibus ad hæc verba, cum retuliſſet opinionem Baronii, ac Philippi Labbè in oppoſitum, ſubdit: *Quæ autem mea hac de re ſit ſententia, aliàs aperiam peculiari Diſſertatione, De diverſis antiquis Codicibus mſs. Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ, IN QUIBUS IDEM LIBER EXTAT, ET ISIDORO HISPALENSI TRIBUITUR*.

XL. Denique, ut plura alia mittam in confirmationem ejus apertiſſimæ veritatis, legenda apud Clar. V. Nicolaum Antonium Tomo II. Bibliothecæ Hiſpanæ, & Excell. Marchionem Mondexarenſem, loco ſupra allegato Cap. 20. Petrus Fontidonius (vulgo Fuentiduenna) Canonicus Pœnitentiarius Salmanticenſis, & inſignis Theologus, qui cum magna ſui nominis celebritate Concilio Tridentino interfuit, Librum ipſum Iſidori nomine extantem, *De ortu, & obitu Patrum*, vidit in octo veteribus exemplaribus, & iis collatum invicem, correctiſſimum reliquit: ut nulla jam prudens dubitatio ejus rei ſupereſſe poſſit; nec Natalis Alexander ſine ingenti temeritatis nota valeat perſiſtere in opinione contraria quorundam aliorum, quam avide amplexus fuit, iniquiore, ut aſſolent plerique Galli, erga res Hiſpanas affectu.

XLI. ISIDORUS igitur in eo Libro, *De ortu, & obitu Patrum*, Cap. 73. inquit: *JACOBUS filius Zebedæi, frater Joannis, quartus in ordine, duodecim Tribubus, quæ ſunt in diſperſione Gentium, ſcripſit; atque Hiſpaniæ, & Occidentalium locorum Gentibus Evangelium prædicavit*. Eadem verba habentur in aliis mſs. jam ſupra indicatis, & nominatim in illo vetuſtiſſimo San-Germanenſi nuper laudato ab Archipræſule Marca, qui & ſubdit: *Nec diſſimulandum eſt, in eodem Codice legi, Hiſpaniam Jacobo Apoſtolo datam, eumque Hiſpanis Fidem prædicaſſe. Quæ vetuſti Codicis auctoritas a quibuſdam conceptam opinionem eximere debet, vitiatæ forſan eo loco lectionis in prioribus editionibus ab aliquo Hiſpanicarum partium ſtudioſo*. Vellem, ut hæc legiſſet, ac ruminaſſet eruditiſſimus Natalis, priuſquam ad ferendum ea de re judicium ſeſe accingeret. Vellem pariter, ut traditionem hanc ſerio, & citra præjudicium ullum contuliſſet cum alia Maſſilienſium circa Magdalenam, & Martham. Certe longe majorem illius antiquitatem, & multo plura, ac firmiora veterum teſtimonia in-

Digitized by Google

inveniret. Attamen vel rerum Gallicarum, vel cujuſdam Cœnobii ſuæ Religionis prope Maſſiliam ſtudio abductus, tantundem laboris contulit adverſus Launojum in ea aſſerenda, quam in illa impugnanda. Iniquum hoc critices genus, & alienum ab ingenuo Sceiprore, expendant, rogo, quotquot in Quatuordecim ſedent, & impenſe veritatem amant.

XLII. Pocro Iſidorus iis verbis, *duodecim Tribubus, quæ ſunt in diſperſione Gentium, ſcripſit*, palam videtur adſcribere Jacobo Zebedæo Epiſtolam illam Canonicam, quæ communiter tribuitur Jacobo Minori Hieroſolymorum Epiſcopo. Unde quidam Hiſpanorum, ac præſertim Bivarius in Commentariis ad Chronicon Dextri, multipliciter illam aſſerere conantur Jacobo Zebedæo, & argumentis contrariis reſpondere. Verius autem eſt, vecbum illud, *ſcripſit*, irrepliſſe auſu, vel temeritate cujuſpiam ſcioli, ut attente obſervavit doctiſſimus Epiſcopus Ioannes Baptiſta Perez, ac Ioannes Grial, qui Iſidori Opera edidit, monuitque prius laudatus Fontidonius, quem nuper diximus habuiſſe, & contuliſſe octo vetera exemplaria ejuſdem Libri. Itaque dempto unico illo verbo, propoſitio germana, & pura S. Iſidori eſt: *Duodecim Tribubus, quæ ſunt in diſperſione Gentium, atque Hiſpaniæ, & Occidentalium locorum Gentibus Euangelium prædicavit.*

XLII. Prioc ejus propoſitionis pars, invenitur longe prius tradita a S. Hieronymo, Libro *De ſcriptoribus Eccleſiaſticis*, ubi de noſtro Iabobo Majore inquit: *Duodecim Tribubus, quæ erant in diſperſione, omnibus prædicavit Evangelium Domini noſtri JESU CHRISTI.* Atque in Menologio Sancti Baſilii de eodem Iacobo Zebedæo legitur: *Omnes Iſraeliticas Tribus peragrans, Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM prædicabat.* Verum quid opus eſt alio teſtimonio, quam Iſidori, ut conſtet Epiſtolam illam Canonicam, judicio Ipſius, non a Jacobo Zebodæo, ſed Jacobo Minoce ſcriptam fuiſſe? Etenim in Prooemio ad Librum veteris, & novi Teſtamenti diſerto ait: *Jacobus frater Domini ſcripſit unam Epiſtolam, ad ædificationem Eccleſiæ pertinentem.* Patet vero, Jacobum illum, qui fratec Domini dictus ſemper fuit, alium eſſe a Iacobo Zebedæo.

XLIV. Accedit urgentiſſima confirmatio prædicationis S. Jacobi in Hiſpania, ſimulque ſententiæ S. Iſidori, in celebri Concilio Toletano IV. cui ipſe præfuit anno Chriſti DCXXXIII. & interfuere LXII. Epiſcopi *Hiſpaniæ, & Galliæ provinciarum* (ut in mſs. legitur, ſed potius *Gallæciæ*, ut in excuſis habetur) ubi, inter plura alia potiſſimum curæ fuit Cap. ſecundo ſtatuere: *De uno ordine in miniſteriis, vel Officiis in cunctis Eccleſiis celebrando.* Et deinde ita dececnitur: *Unus igitur ordo orandi atque pſallendi nobis per omnem Hiſpaniam, atque Galliam* (ſeu *Gallæciam*) *conſervetur: unus modus in Miſſarum ſolennitatibus: unus in Veſpertinis, Matutiniſque Officiis: nec diverſa ſit ultra in nobis Eccleſiaſtica conſuetudo, qui una Fide continemur, & Regno. Hoc enim & antiqui Canones decreverunt, ut unaquæque provincia, & pſallendi, & miniſtrandi parem conſuetudinem contineat.* Deinde vero Cap. 13. laudatur uſus ſacrorum Hymnorum, & ſtatuitur, ut illos *pari modo Gallia, Hiſpaniaque celebret*; atque excommunicatione mulctantur, *qui Hymnos rejicere fuerint auſi.*

XLV. Ex Deccetis prædictis ejus Concilii acta fuiſſe creditur ordinatio illius antiquiſſimi Miſſalis, & Breviacii juxta ritum Gotthicum, quod *Iſidorianum* appellari ſolet, denominatione ſumpta a Sancto Iſidoro, qui eidem Synodo præfuit, & illud ordinandum curavit meliori forma, licet jam antea illud ipſum fece in aliis, & aliis Hiſpaniæ Eccleſiis, cum varietate aliqua receptum, & vulgatum fuiſſet a tempore Diſcipulorum S. Jacobi, aut circiter, ut late probat D. Marchio Mondexarenſis, Cap. 24. Dicitur quoque Miſſale, ac Breviarium *Mozarabe*, ſive *Mixt-Arabum*, eo quod poſtea Chriſtiani a tempore Sarracenicæ irruptionis in Hiſpaniam miſti Arabibus, illo in Officiis Divinis uterentur, præſertim in ſeptem Parochiis Toleti, nimirum S. Luciæ, S. Eulaliæ, S. Torquati, S. Juſtæ, S. Marci, S. Sebaſtiani, & S. Mariæ de Alfiaen. In iis quippe, etiam ſub Agarenorum jugo, ſacros ritus, & Officia retinuerunt Mixt-Arabes, juxta Miſſale, ac Breviarium Sancti Iſidori. In eo igitur vetuſtiſſimo Breviario ejuſdem ſeptimi ſæculi (cujus adhuc exemplaria ſervantur Gothico characterе ſcripta, & uſus permanet in quibuſdam Hiſpaniæ Eccleſiis, ſive Sacellis Mozarabum, ut vocant, hodieque extantibus intra Eccleſias, Toletanam, & Salmanticenſem) ad diem 25. Julii dicatum S. Jacobo Apoſtolo, legitur hymnus ille ſatis longus in laudem ejuſdem Apoſtoli, quem ſuo loco integrum cum aliis ſacris monumentis eodem fere ſpectantibus in lucem proferemus. Nunc eccipe ſtrophen illam (quæ ad rem noſtram eſt, & ſatis oſtendit ſententiam S. Iſidori, aliorumque Præſulum prædicti Concilii IV. Toletani, immo & totius Hiſpaniæ ſæculis ſequentibus, circa S. Jacobi in ea prædicationem) multo antea cantari ſolitam, quam illius ſacrum Corpus in Gallæcia miraculoſe detegeretur.

Magni deinde filii tonitrui,
Adepti fulgent prece matris inclytæ,
Utrique vitæ culminis inſignia,
Regens Joannes dextra ſolus Aſiam,
Et læva frater poſitus Hiſpaniam.

XLVI. Præterea in eodem ſolenni Officio legitur illud Reſponſorium: *Adeſt nobis valde lætabunda dies præcellentiſſimi JACOBI Apoſtoli, per cujus ſaluberrimam prædicationem totius plebs Hiſpaniæ ſuum cœpit cognoſcere Redemptorem.* Hæc omnia publice, & ſolenniter in Eccleſiis totius Hiſpaniæ cantabantur tot ſæculis retro, conſentientibus in id, immo præcipientibus, tot graviſſimis, & piiſſimis Epiſcopis, ac proinde non abſque traditione eouſque continuata in Hiſpania a primis Eræ Chriſtianæ temporibus.

XLVII. Eidem Concilio IV. Toletano adfuit Sanctus Braulio Epiſcopus Cæſarauguſtanus, celeberrimus ſuo ævo, diſcipuluſque S. Iſidori, de quo nos plura ſuo loco. Is ergo citari ſolet in Additionibus ad Maximum Cæſarauguſtanum Præſulem, ubi non ſemel veluti rem certam ponit, aut ſupponit, prædicationem S. Jacobi in Hiſpania; præcipue dum ad annum Chriſti CCCXIV. ait: *Cæſarauguſtæ Templum auguſtiſſimum B. MARIÆ, A S. JACOBO ZEBEDÆI FILIO CONSTRUCTUM, laxatis*

Digitized by Google

xatis ſpatiis integratur, nec minori pietate, ac frequentia colitur. Inſuper num. 7. apud Bivarium pag. 4. *Memoria, dieſque feſtus, ab ipſius in Hiſpanias ingreſſu, S. JACOBI Zebedæi filii celebris habetur.* Hæc, & plurima alia ibi, tam ejuſdem Braulionis, quam Helecæ, ſive Helecanis, pariter Cæſarauguſtani Præſulis, nomine proferuntur. Sed enim eæ additiones nec a S. Braulione, nec ab Heleca unquam ſcriptæ fuerunt, ſed dumtaxat excogitatæ, & obtruſæ a quopiam male feriato capite, veluti appendices aliarum farraginum. Et quanquam idem Bivarius vires omnes ingenii, & eruditionis impenderit in iis aſſerendis, ſicuti & in Chronicis Dextri, ac Maximi vindicandis: nihil eorum ab eruditioribus, ſive Hiſpanis, ſive exteris, fidem impetrare potuit ex eo capite; quamvis multa illorum, quæ ibi narrantur, aliunde vera, aut ſaltem veroſimilia ſint. Nac prædicatio S. Iacobi in Hiſpania eget teſtimoniis ſublestæ fidei, aut innititur fundamentis aereis, qualia ſunt ejuſmodi.

XLVIII. Denique inclinante eodem ſæculo ſeptimo, floruit in Hiſpania S. Iulianus Archiepiſcopus Toletanus, qui variis Conciliis intra ſuam Eccleſiam celebratis præfuit, nimirum XII. XIII. XIV. XV. ab anno DCLXXX. uſque ad DCLXXXVIII. Is igitur inter varia, & doctiſſima Scripta, quæ ex antiquo Codice apud Bavariam ms. fideliter in locem edenda curavit Cl. V. Franciſcus Fevardentius Pariſiis ſæculo præcedente, & nuper recuderunt Aniſſoniani in Biblioth. PP. Maxima ſæculo VII. Tom. XII. elaboravit Commentarios in Nahum, pietate, & eruditione ſacra refertiſſimos, qui inibi exhibentur. Et pag. 643. (ideſt, octo circiter columnis ante finem) ita loquitur: *Illi ergo pedes Domini fuerunt, qui eum prædicando per univerſum mundum diſcurrerunt. Petrus eum Romæ, Andreas Achajam, Joannes Aſiam, Philippus Galliam, Bartholomæus Parthiam, Simon Ægyptum, JACOBUS HISPANIAM. Thomas Indiam, Matthæus Æthiopiam, Judas Thadæus eum retulit Meſopotamiam, Jacobus Alphei eum retulit Hieroſolymum:*

Quiſque ſua ſorte Chriſtum ſparſit ſine ſorde:
Per Paullum vero toto diſpergitur orbe.

XLIX. Hactenus ibi. Nec ſuſpicari fas eſt, aliquid mangonii irrepſiſſe in id teſtimonium adeo manifeſtum extractum e Codice Bavaro, primum quidem ab Henrico Caniſio, qui in Germania illud edidit, deinde vero a Fevardentio, poſtea a Margarino de la Vigne, Tomo I. Bibliothecæ PP. pag. 583. ac tandem ab Aniſſoniis Tomo XII. nuper citato, idque in media Gallia, ubi nec mos eſt, nec utilitas ulla ſperari poteſt, ſi quiſquam Hiſpanis aduletur, aut ipſorum honorem plus juſto promoveat.

L. Præterea, in ms. antiquiſſimo literis Gorthicis extante in Regio S. Æmiliani Monaſterio, ubi ad ſacrum D. Benedicti Ordinem admiſſus fui, & Profeſſionem ſolennem emiſi, teſte oculato Ambroſio Morales Lib. 9. Cap. 13. fol. 263. pag. 1. palam habetur brevis commemoratio Sanctorum Torquati, Indalecii, Euphraſii, Cæcilii, Secundi, Theſiphontis, & Eſicii, Diſcipulorum S. Iacobi, ut communiter creditur, quos poſtea SS. Apoſtoli Petrus, & Paullus Roma in Hiſpaniam miſerunt ad prædicandum Euangelium. Vide ſupra num. 3. & 9.

Ejuſmodi commemoratio in eo Codice antiquo extans adſcribitur S. Juliano Archiepiſcopo Toletano, ejuſque Succeſſori Felici, qui præfuit Concilio Toletano XVI. anno DCXCIII. Ibidem quoque ſpeciatim additur, prædictos ſeptem Apoſtolorum Diſcipulos ſecum in Hiſpaniam aſportaſſe formam, & ordinem Miſſæ, qualiter ab Apoſtolis acceperunt, ſimul cum doctrina Euangelica. Porro ejuſmodi ordinem fuiſſe in Hiſpania introductum, & continuatum, licet cum aliqua varietate, uſque ad tempus Concilii Toletani IV. cui præfuit S. Iſidorus, jam ſupra vidimus. Cum igitur in eo antiquiſſimo Miſſali, & Breviario Hiſpanico eſſet Officium proprium S. Jacobi, & atteſtatio multiplex prædicationis ipſius in Hiſpania, nihil mirum quod S. Julianus, & Felix, ambo Toletani Archipræſules, illam verbo, & Scriptis aſſererent, quam in ipſis Officiis Divinis juxta Miſſale, ac Breviarium Hiſpaniæ antiquiſſimum profitebantur. Ex quibus corruunt facile, aut præcluduntur evaſiones Natalis Alexandri ad teſtimonium S. Juliani ſibi objectum, ut conſideranti palam erit. Quod vero dictum eſt de S. Juliano, ac Felice, pariter dictum eſto de Sanctis Helladio, Eugenio, Ildephonſo, aliiſque Præſulibus Tuletanis, qui Miſſali, & Breviario Iſidoriano uſi ſunt.

EXCURSUS V.

Tranſitus ad teſtimonia Patrum, & Scriptorum octavi, noni, decimi, & undecimi ſæculi ex quibus palam habetur continuatio perpetuæ traditionis circa prædicationem S. JACOBI in Hiſpania, non modo intra illam, ſed etiam in Anglia, Germania, & Gallia. Exceptiones quorundam contra opinantium, præſertim Natalis Alexandri, refutatæ.

LI. PRimus Scriptorum ſæculi octavi confirmans traditionem communiter receptam de prædicatione S. JACOBI in Hiſpania, eſt Venerebilis Beda, qui jam florebat eo ineunte, non modo apud ſuos Anglos, ſed etiam in toto Chriſtiano orbe, inſigni opinione ſanctitatis, & doctrinæ. Is igitur palam idipſum tradit in Libro inſcripto: *Excerpta, & Collectanea quædam*, edito Baſileæ an. MDLXIII. Tom. III. Operum ipſius, quem Sixtus Senenſis Lib. 4. Bibliothecæ appellat: *Collectanea, ſeu Excerpta ex probatiſſimis Eccleſiæ Doctorum ſententiis collecta*; & Joannes Piteeus Tom. I. *De rebus Angliæ*, Par. 2. pag. 135. agnoſcit ſub hac epigraphe: *Excerptiones, Collectanea, Flores, Quæſtiones, & Parabolæ ex Patribus*. Verba eo in Libro eadem ſunt, ac in Sancto Iſidoro, utpote mutuata ex Libro ipſius, *De ortu, & obitu Sanctorum Patrum*, ſupra vindicato a numero 38. hæc nimirum: *Apoſtoli Chriſti, Prædicatores Chriſti, & Doctores Gentium, certis locis in mundo ad prædicandum ſortes proprias acceperunt. Petrus namque Romam accepit, Andreas Achajam, JACOBUS HISPANIAM, Thomas Indiam, Joannes Aſiam. Matthæus Macedoniam, Philippus Galliam, Bartholomæus Lycaoniam, Simon Zelotes Ægyptum, Mathias Judæam, Jacobus frater Domini Jeroſolymam.*

LII. Quod autem reſpondet Natalis Alexander, Collectanea illa *ſuppoſititium eſſe Ve-*

nerabilis Bedæ fœtum, tam erudito Auctore prorſus indignum, veluti rudem, & indigeſtam næniarum farraginem; paradoxon immane eſt, & antea inauditum. Nemo enim uſque ad tempus Natalis talia dixiſſe legitur. Quin & Card. Baronius To. VII ad annum DCCXXXI. num. 20. *germanam, & ſinceriſſimam* cenſet Epiſtolam cujuſdam ex diſcipulis Bedæ, extantem ad finem Operum ipſius, ubi inter Scripta Sancti Doctoris recenſet, *in Libris Iſidori Excerptiones quaſdam*. Unde patet, Librum illum S. Iſidori, *De ortu, & obitu Patrum*, ſæculo fere integro antea ſcriptum, Bedæ ob oculos fuiſſe poſtea, ut illius verba αὐτολεξεὶ exſcriberet. Non diffiteor, in Collectaneis iis quædam extare haud digna ingenio Bedæ, quod antea obſervatum video a Cardinali Bellarmino, dum de ipſius Libris loquitur. Sed enim notandum eſt, Bedam ibidem non egiſſe munus Scriptoris, ſed exſcriptoris; nec proprii ingenii fœtus protuliſse, ſed aliorum dicta compilaſse, quamvis plerumque ſuo ingenio inferiora. Inter hæc autem nequit numerari traditio illa prædicationis Apoſtolorum, ac nominatim Jacobi in Hiſpania, quam accepit ex Scriptis Iſidori. Quid enim in ea apparet indignum ingenio Bedæ, aut quod næniis accenſeri poſſit? Utinam traditio illa Maſſilienſium (quam uti piam, venerandamque ſemper ſuſpexi) a Natali mordicus vindicata adverſus Launojum, tam ſolidis, & antiquis teſtimoniis inniteretur, ac noſtra de Jacobi in Hiſpania prædicatione.

LIII. Notandum vero eſt, teſtimonia hactenus allegata præceſſiſſe inventionem Sepulchri S. Jacobi, quæ contigit exeunte octavo ſæculo, aut initio noni. Idem dicendum de teſtimonio apertiſſimo Martyrologii Blumani, quod ex Codice Monaſterii S. Petri Vviſemburgenſis ſcripto, ut ibidem habetur, anno DCCLXXII. publicæ luci dedit Franciſcus Maria Florentinius in Martyrologio Lucenſi pag. 1055. Ibidem ergo hæc leguntur: *JACOBUS, qui interpretatur ſupplantator, filius Zebedæi, frater Joannis, HIC AD SPANIAM, & Occidentalia loca prædicat, & ſub Herode gladio cæſus occubuit*. Vide quomodo adhuc in Germania eſſet celebris jam ea traditio paullo poſt medium octavi ſæculi.

LIV. Intra idem ſæculum octavum floruit, & palam eidem traditioni ſubſcripſit Beatus ille Presbyter Libanienſis, de quo nonnulla ſuperius diximus num 30. & ſeqq. allatis ejuſdem verbis, quæ nonnulli perperam S. Aptigio longe antiquiori tribuunt. Neque in iis Commentatiis Apocalypſeos Beato adſcriptis, ulla hactenus cuipiam occurrit ſuppoſitionis, aut interpolationis umbra. Miror autem, eruditiſſimos Viros Labbeum, & Oudinum, quibus facile fuit invenire apud Bibliothecam PP. præſertim Aniſonianam Tomo XIII. pag. 353. & præterea apud Hiſpanam Cl. Viri Nicolai Antonii, nonnulla ejuſdem Beati Scripta, ſimul & Etherii Epiſcopi Uxamenſis, adverſus Elipandum Archiepiſcopum Toletanum, eaque ſatis docta, & lectu digniſſima, altum de utroque ſiluiſse.

LV. Ad idem ſæculum octavum ſpectat Leo III. Pontifex Maximus, utpote electus anno Chriſtianæ epochæ DCCXCV. cujus tempore, atque Alphonſi Regis Hiſpaniæ, cognomento *Caſti*, detectum fuit Compoſtellæ prodigiis cæleſtibus, & poſtea miraculis plurimis celebratum toto orbe, Sepulchrum S. Jacobi, ut propterea Sedes Epiſcopalis, quæ antea apud Iriam Flaviam (vulgo *el Padron*) erat, Compoſtellam translata fuerit. Id obtinuit Alphonſus, interveniente Carolo Magno, apud Leonem III. cujus Diploma, ſeu Epiſtola ad Elipandum Archiepiſcopum Toletanum, allegari ſolet, initio ducto ab illis verbis: *Noſcat veſtra Fraternitas*. Ajunt noſtrates Scriptores, in ea non modo memorari ab eodem Pontifice translationem S. Jacobi ab Hieroſolymis ad Compoſtellam, ſed etiam ipſius in Hiſpania prædicationem. Obſervant inſuper ex eadem Leonis III. Epiſtola, olim in Breviariis quarumdam Eccleſiarum Hiſpaniæ Lectiones in Feſto Translationis S. Jacobi contextas fuiſse.

LVI. Eadem Epiſtola Leonis III. memoratur in Hiſtoria antiqua Compoſtellana, ſcripta tempore Alphonſi VII. Hiſpaniæ Regis, ac proinde intra ſæculum duodecimum; teſte eruditiſſimo antiquitatum Hiſpaniæ veſtigatore, & fideli Scriptore, Ambroſio Morales Lib. 9 Cap. 7. fol. 229. & cum aliis variorum Pontificum ibidem allegatur. Addit tamen, ſe nuſquam eam Epiſtolam, ſeu Bullam vidiſse. Idipſum mihi hactenus contigit, fruſtra apud Hiſpaniæ Scriptores illam inquirenti, vel apud exteros, Cumque omnes Epiſtolæ Leonis III. quæ inveniri potuerunt a Collectoribus Conciliorum, habeantur in noviſſima editione Philippi Labbe, certum eſt, illam non extare ibidem. Fortaſſis ſervatur adhuc inter vetera manuſcripta Compoſtellanæ Eccleſiæ, ſicuti pluribus retro ſæculis extabat. An vero in ea Pontifex Leo dicat, vel affirmet, S. Jacobum in Hiſpania prædicaſſe, licet multi Noſtrorum aſſerant, ego teſtari non auſim, donec in authentico aliquo exemplari id legere contingat.

LVII. Joannes Boſcus Pariſienſis Monachus S. B. e Bibliotheca Floriacenſi eruit, ac prælo edididit Commentarium de ea translatione, ſexcentis quinquaginta circiter retro annis ſcriptum, & Philippo III. Regi Hiſpaniarum dicavit. Porro ejuſdem translationis, & erectionis Eccleſiæ Compoſtellanæ in Cathedralem, ſive Epiſcopalem, ob honorem S. Jacobi, nec leviter meminiſſe invenitur Archiepiſcopus D. Rodericus Lib. 4. *Rerum Hiſpaniæ*, Cap. 8. & quatuor ſequentibus, ubi late agit de rebus ejuſdem Alphonſi Regis, cognomento *Caſti*, cujus tempore omnes ajunt detectum fuiſſe Sepulchrum illud antiquiſſimum S. Jacobi Apoſtoli. Fortaſſe Roderico ſalivam movit, aut tædium agendi ea de re excitavit Archiepiſcopus Compoſtellanus, qui tunc de Primatu Hiſpaniæ cum ipſo Toletano Archipræſule contendebat.

LVIII. Verum quas Hiſtorici partes prætermiſit Rodericus, eodem fere tempore explevit Lucas Tudenſis in *Chronico Mundi* ad Eram octingenteſimam viceſimam octavam, ubi enarrat res Alphonſi Hiſpaniarum Regis, cognomento *Caſti*, uti legere eſt Tom. IV. *Hiſpaniæ Illuſtratæ*, pag. 75. Ibi enim inter plura alia cum incidiſſet occaſio loquendi de Carolo Magno, inquit: *Limina B. JACOBI cum per devia Alabæ veniens Chriſtianiſſimus Carolus gratia viſitaret orandi, ſaniori ejus conſilio Rex Adephonſus Iriam Civitatem deſtruxit, & S. JACOBI Eccleſiam, quam ipſe conſtruxerat.*

xerat, reverendi Patris LEONIS TERTII *Romani Pontificis aſſenſu, Metropolitano* (*Epiſcopali* debuit dicere, quoniam nonniſi tribus poſtea ſæculis ſub Caliſto II. Papa Archiepiſcopalis facta eſt) *ſublimavit honore, utque, ut ſecundum S. Patris Iſidori* (intellige Decreta, vel ordinationem) *viverent tam Jacobitani, quam omnis Hiſpaniæ Clerus, ſtatuit.* Idipſum fere habent & alii noſtrates Hiſtorici, & levi manu indicat Mariana, Lib. 4. *Rerum Hiſpaniæ*, Cap. 2. ac poſtea aliquanto latius narrat Lib. 7. Cap. 10. cui epigraphe: *D. Jacobi Apoſtoli Corpus inventum.* Utinam quemadmodum Diploma allegat Leonis III. ita etiam illud κατὰ πόδας nobis repræſentaſſet. Sic enim conſtaret, an S. Jacobi prædicatio in Hiſpania, ejuſdem Pontificis teſtimonio teſtata haberetur, ut plerique noſtratum Hiſtoricorum ajunt. Nec vero opus habemus ejus Pontificis teſtimonio, quando tot alia concurrunt.

LIX. Verum quidquid de hoc ſit, palam conſtat, prædicationem S. Jacobi in Hiſpania, initio noni ſæculi receptam, & pervulgatam fuiſſe, etiam apud exteros. Etenim in Martyrologio Gellonenſi, ſcripto circa annum octingenteſimum quartum (ideſt, viventibus adhuc Leone III. & Carolo Magno Imperatore) ac primum edito Pariſiis ab eruditiſſimo, & piiſſimo D. Luca d'Acherio, M. B. Congregationis Sancti Mauri, Tomo XIII. Spicilegii, hæc habentur pag. 389. *JACOBUS, qui interpretatur SUPPLANTATOR, filius Zebedæi, frater Joannis: hic SPANIÆ, & in Occidentalia loca prædicator, & ſub Herode gladio cæſus occubuit.* Quo teſtimonio Gellonenſis Eccleſiæ, novem circiter retro ſæculis in Gallia ſcripto, in Gallia conſervato, in Gallia nuper edito a Collectore Gallo ſpectatiſſimæ probitatis, & doctrinæ, nullum aliud fidelius, aut clarius ab Hiſpanis omnibus exigere poteſt Natalis Alexander, vel quiſpiam alius ex Scriptoribus Gallis.

LX. Intra idem ſæculum nonum, anno circiter DCCCXXX. florebat Freculphus Monachus S. Benedicti, & poſtea Epiſcopus Lexovienſis, qui Lib. 2. *Chronici*, Cap. 4. palam inquit: *JACOBUS filius Zebedæi, frater Joannis, duodecim tribubus, quæ ſunt in diſperſione gentium ſcripſit, atque Hiſpaniæ, & Occidentalium locorum populis Evangelium prædicavit.* Nec vero Freculphus temere id ſcripſiſſe putandus eſt, ſed ex traditione ſuo tempore recepta, & teſtimoniis fide dignis, quod ipſum intelligi volo de aliis Scriptoribus, tam ſupra memoratis, quam infra allegandis.

LXI. Eodem fere tempore idipſum cenſuit Vvalafridus Strabo, pariter Benedictinus, & Augiæ Abbas, qui periodum vitæ clauſit circa medium noni ſæculi. Etenim in Poemate, *De duodecim Apoſtolis*, extante apud Henricum Caniſium Tomo VI. Antiquarum Lectionum, ita cecinit:

Primitus Hiſpanas convertit dogmate Gentes,
Barbara divinis convertens agmina dictis:
Qui priſcos dudum ritus, & lurida fana,
Dæmonis horrendi decepti fraude tenebant.

LXII. Sæculo decimo (quod ferreum dici ſolet ob penuriam doctorum hominum, & Scriptorum, licet re vera non ita pauci in eo fuerint, ac vulgo credebatur) ſub ejus initium floruit Notkerus, itidem Benedictinus in Monaſterio celeberrimo S. Galli, tot inſignium Virorum uſque modo feraci, & cui antiſtat nunc Illuſtriſſimus D. Cæleſtinus Sfondratus S. R. I. Princeps, aureis Libris ſuis ubique notiſſimus. Notkerus itaque in Martyrologio ſuo ad diem 25. Julii, Jacobo ſacram, hæc de illo habet: *Hujus Beati Apoſtoli ſacratiſſima oſſa, ad Hiſpanias translata, & in ultimis earum finibus, contra mare Britannicum condita, celeberrima illarum gentium veneratione coluntur; nec immerito, quia ejus corporali præſentia, & doctrina, atque ſignorum efficacia, iidem populi ad Chriſti Fidem converſi referuntur, ad quorum fidei confirmationem, etiam Beatiſſimus Paullus Apoſtolus ſe iturum, eſt pollicitus.* Inanis autem eſt evaſio illorum, qui ajunt, Notkerum non aſſerere veritatem ejus traditionis, ſed ſolum referre. Etenim non modo illam narrat apud Hiſpanos extantem, ſed etiam confirmat, ac probat, præſertim verbis illis: *nec immerito.* Nam celebritatem magnam S. Jacobi in Hiſpania rationabilem eſſe ait, non modo ob corporalem Jacobi in ea præſentiam, ſed etiam ob doctrinam, prædicationem, & miracula, quibus Hiſpanos ad Chriſtum convertit, quod certe non diceret, ſi traditionem illam, ſive exiſtimationem communem de prædicatione S. Jacobi in Hiſpania incertam, aut dubiam cenſeret.

LXIII. Sæculo undecimo inclinante (nimirum, circa annum Chriſti MLX.) Metellus Tegerſeenſis Monachus in *Quirinalibus*, ſive carminibus ſcriptis in laudem S. Quirini Martyris (quæ edidit Caniſius Tomo I. Antiquarum Lectionum) prædicationem ſingulorum Apoſtolorum in variis regionibus, & nominatim S. Jacobi in Hiſpania, ita canit:

Lydicu regna quondam
Perſida cum Principibus, progenieque Regum,
Se Fidei dederunt,
Primitivis Eccleſiæ temporibus ſubacta.
Rebus Apoſtolorum
Strenue geſtis, Domini jura libens recepit
Cælica totus orbis.
Indiæ de finibus, ortus dat ubi diem Sol,
Quæ tenet urna Thomas.
Uſque SPANOS occidui ſideris axe clauſos,
Quos JACOBUS docebat &c.

LXIV. Obiter nota, ſub idem fere tempus jam toto fere orbe Chriſtiano celeberrimam fuiſſe peregrinationem ad inviſendum Compoſtellæ Sepulchrum B. Jacobi Apoſtoli, nam piiſſimus Card. Petrus Damiani Epiſcopus Oſtienſis (ut idem teſtatur in Opuſculo V. ad Hildebrandum pariter Cardinalem, ſcripto circa annum MLXX.) cum eſſet Legatus Alexandri II. ad labem Simoniacam Mediolanenſium extirpandam, & Vvidoni Archiepiſcopo propterea impoſuiſſet CENTUM ANNORUM POENITENTIAM, licet aliis piis, & laborioſis operibus ſupplendam, aut compenſandam, ſubdit de eo: *Ipſe autem Archiepiſcopus profecturum ſe ad B. JACOBI venerabilem Tumulum, qui eſt in Hiſpania, diſponebat.* Ipſa autem ſacri Corporis in Hiſpaniam ab Hieroſolymis translatio, & inventio, tot cæleſtibus ſignis, miraculis, ac peregrinationibus aſſiduis Chriſtianorum ex toto orbe ad Compoſtellam, apparitionibuſque S. JACOBI in præliis, confirmata, palam oſtendit ipſius in Hiſpania prædica-

tio

tionem. Nimirum, ut ſupra num. 28. audivimus ex Hieronymo, Deus cum Apoſtolis ita ſe geſſit, *ut unuſquiſque in Evangelii ſui, atque doctrinæ provincia requieſceret*.

EXCURSUS VI.

Continuatio ejuſdem traditionis duodecimo, & tertiodecimo ſæculo, teſtimoniis gravium Scriptorum confirmata, præſertim Calliſti Papæ II. Urgentur eadem teſtimonia nonnullis conſiderationibus.

LXV. Ex ſæculo duodecimo, ſub initium allegatur a quibuſdam pro veritate ejuſdem traditionis Zacharias Epiſcopus Chryſopolitanus in *Præfatione Harmoniæ, ſive Concordiæ quatuor Evangeliſtarum*: quam habemus editam in Biblioth. PP. Aniſſoniana Tomo xix. pag. 731. & ſeqq. Verum mihi evolventi id doctiſſimum Opus, & nominatim Præfationem allegatam ſatis longam, aliaſque duas breviores eidem ſubjunctas, nihil ejuſmodi occurrit, nec verbum aliquod, unde prædicatio Sancti Jacobi in Hiſpania conjici poſſit.

LXVI. Melius itaque, & ſecurius allegari poteſt pro eadem traditione gravis ac pius Scriptor, & optimus Pontifex Calliſtus II. (Beati titulo decoratus in eadem Bibliotheca To. xx. pag. 1278 & ſeqq ac tanquam ſanctitate, & doctrina inſignis ab omnibus Hiſtoricis celebratus, ut legere eſt, non modo apud Scriptores ſui ſæculi, ſed etiam apud Baronium, & Alphonſum Ciaconium in Vitis Pontificum cum Additionibus Victorelli, & Oldoini) in iis doctiſſimis Sermonibus, ac lectu digniſſimis, quos Romæ prædicavit in honorem S. Jacobi, poſtquam ſingularem ipſius amorem, & venerationem conceperat apud Compoſtellam, dum eſſet in Hiſpania Cardinalis Legatus Sedis Apoſtolicæ. Porro Scripta Calliſti II. nomine edita in laudem S. Jacobi, ſunt germanum Opus ejuſdem, extans in Codice antiquo Biblioth. Vaticanæ, unde tranſumptum eruit Michael Ximenius de Erze, & in Balioleuſi Oxoniæ, ac Benedictina Cantuariæ, & Regia Pariſienſi, ac S. Victoris, aliiſque celebribus, prout teſtantur ex Anglis Uſerius in *Antiquitatibus Britanniæ*, Cap. 1. ex Gallis Labbè in Biblioth. mſs. pag. 17. & 298. Baluzius in *Notis ad emend. Antonii Auguſtini* pag. 436. Ac præterea ex Vincentio Bellovacenſi in *Speculo Hiſtoriali* ſcripto an. MCCXLIV. Lib. 26. ad num. 42. idipſum conſtat. Unde obiter colliges, fabuloſiſſimam eſſe narrationem illam a D. Loaiſa editam, *De contentione habita in Concilio Lateranenſi* anno MCCXV. ut ſupra a num. 14. indicavimus. Non enim videtur poſſibile, Rodericum Toletanum, & Archiepiſcopum Compoſtellanum, ignoraſſe, aut non legiſſe Sermones Calliſti II. ſæculo anteriori ineunte declamatos Romæ, & omnium manibus tritos. Itaque Calliſtus Sermonem primum in Vigilia S. Jacobi ſic inchoat: *Vigiliæ noctis, ſacratiſſimæ ſolennitatis B. Jacobi Zebedæi, Apoſtoli Gallæciæ, nobis, dilectiſſimi Fratres, advenerunt*. Quo autem jure Jacobum ſimpliciter diceret Gallæciæ Apoſtolum, niſi crederet illum in Gallæcia Hiſpaniæ provincia Evangelium prædicaſſe? Nemo enim appellatur Apoſtolus cujuſpiam provinciæ, aut regionis, niſi ad eam miſſus fuerit, atque inibi Evangelium prædicaverit.

LXVII. Deinde columna ſeptima ejuſdem Sermonis, occaſione deſumpta ex eo, quod Jacobus, & Joannes a Chriſto appellati fuerint *Boanerges*, ideſt, *filii tonitrui*, longe apertius inquit: *Nec mirum, ſi qui de tonitruo ipſius didicerant, poſtea tonitruarunt. Joannes ſeptem Eccleſiis, quæ ſunt in Aſia, mirabiliter tonitruavit dicens*: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. *Jacobus vero tonitruavit, Domino ei præcipiente, in omni Judæa & Samaria, ET USQUE AD ULTIMUM TERRÆ LIMITEM GALLÆCIÆ. Tonitru ſonos terrificos facit, terram pluviis irrigat, & fulgorem emittit. Similiter terrificos ſonos iſti duo Fratres emiſerunt*. Dum in omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum proceſſerunt. *Terram pluviis irrigarunt, dum ſua prædicatione divinæ gratiæ imbrem credentium mentibus intimorunt Fulgura emiſerunt, dum ſignis, & miraculis effulſere*, Quadrant vero optime in Jacobum verba illa: *Uſque ad ultimum terræ limitem Gallæciæ*, quoniam juxta Compoſtellam Gallæciæ eſt portus ab antiquiſſimo tempore appellatus finis terræ. Veteres enim omnes, antequam novus orbis poſtremis ſæculis detegeretur, credebant in Gallæcia terminari mundum. Unde & columnæ illæ ab Heroicis temporibus ad oram maris Atlantici in Hiſpania cum inſcriptione celebri: NON PLUS ULTRA.

LXVIII. Præterea idem Papa Calliſtus II. Sermone 11. ſub initium inquit de illo: *Extitit enim hic Jacobus, ut Evangelica teſtatur hiſtoria, Zebedæi gnatus, Joannis Evangeliſtæ germanus, HISPANORUM DECUS, GALLÆCIANORUM ADVOCATUS, vita beatus, virtute magnificus, charitate fervidus, opere venuſtus, eloquio luculentus. Quem divina providentia non ſolum in matris gremio conſecrat, verum etiam ante mundi conſtitutionem prælegit, ut per eum huic mundo lumen oſtenderet veritatis, & Hiſpano populo daret Paſtorem pietatis*. Quæ omnia, præſertim aliis conjuncta, apertiſſime declarant Jacobi in Hiſpania prædicationem. Unde & paullo poſt piiſſimus Pontifex, interjectis quampluribus miris elogiis ejuſdem Apoſtoli, cujus amore æſtuabat, ſubjungit: *Cujus paſſionis ſolennia ſacroſancta die octavo Kalendas Auguſti cum vigilia, & jejunio, & octavis celebrare omnibus Eccleſiis, non ſolum Gallæciæ, ſed & totius orbis, longe lateque generaliter præcepimus: ejuſdemque electionem, ac tranſlationem tertia die Kalendas Januarii, qualiter a Domino electus eſt ſuper mare Galilææ, & a Hieroſolymis tranſlatus in Gallæciam: ac etiam quinta die nonas Octobris feſtum miraculorum ejus, qualiter hominem, qui ſe ipſum interfecit, ſuſcitavit, cæteraque miracula fecit*.

LXIX. Ac ne putet quiſpiam, ea miracula S. Jacobi ſolum innotuiſſe Calliſto ex traditione, aut relatione aliorum, ſubjungit paullo inferius: *Cum excelſa intueor, quæ ante Dominicam Aſcenſionem cum aliis aſſeclis præ-*

ſente

ſente Domino egit (Jacobus) *præcipuam dilectionem, quam cum eo Dominus habuit, obſtupeſco. Cumque inſpicio magnalia, quæ poſt Spiritus S. Paracliti adventum per divinam gratiam operatus eſt, anteqnam pateretur, paveſco. Cum vero interioribus cordis mei excelſiora rememorantur inenarrabilia, & incomprehenſibilia miracula, quæ a die, qua paſſus eſt, uſque ad hodiernum diem, non ſolum in Gallæcia, verum in omnibus gentibus invocaut, Deo operante, egit, IMMO QUÆ MEIS OCULIS ASPEXI, penitus attonitus ſum. Veneremur itaque omnes in Domino Jacobum Zebedæi Gallæciæ Patronum, &c.* Invitus pene cætera relinquo, quæ vellem ab omnibus legi, ac volutari animo ad inſigendam cordi devotionem, & amorem ſingularem Beatiſſimi Apoſtoli Jacobi, qualis, & quantus inerat illi glorioſo Pontifici, quo nemo Patrum uberius, nemo devotius, aut religioſius ipſum celebravit. Unde, teſte Malmesburienſi, quem allegat Oldoinus in additione ad vitam ejuſdem Calliſti To. 1. Vit. Pontif. & Cardd. pag. 943. *Jacobi Apoſtoli ſtudioſiſſimus fuit, adeo, ut Anglos peregrinos magis ad Jacobum Compoſtellanum, quam Romam pergere admoneret; pro vitæ longitudine ad illum locum bis euntibus idem benedictionis refundendum commodum, quod haberent qui ſemel Romam irent.*

LXX. Verum religioni ducerem prætermittere nonnulla ſcopo noſtro opportuna, ex Sermone tertio. Ibidem enim col. 2. inquit de Jacobo: *Non ſolum in Hieroſolymitanis partibus per prædicationis lumina, vel pietatis opera clarus effulſit, verum etiam ut Lucifer æquoreos oceani campos tranſiliens, pro eoo diurni luminis nocturnas ſuo exortu diſcutit umbras. Sic ejus fama exteras nationes, & regiones illuminabat, gratia miraculorum huc illucque percurrente, ut toto orbe ejus gloria uſque in hodiernum diem militaret.* Eant nunc qui prædicationem S. Jacobi Apoſtoli anguſtis Palæſtinæ terminis clauſam ſcripturire pergunt. Præterea col. 3. adhuc clarius: *In terra alienigenarum gentium pertranſivit: quoniam ab Hieroſolymis uſque ad Gallæciam Nomen Dominicum divulgavit. Bona, & mala in omnibus tentavit; quia in Judaico, & Gentili populo doctrinam Evangelicam inſeruit, & hæreticam pravitatem reſeravit.* Quid ad hæc poſt ſexcentos circiter annos recentiores aliquot hypercritici, qui Jacobum ſolis Judæis predicaſſe contendunt, contra quam Calliſtus Pontifex olim aſſeveranter prædicabat, & Venantius Fortunatus ab ipſo laudatus, inclinante ſæculo ſexto, in media Gallia accinebat verſibus num. 35. exſcriptis; ac undecim retro ſæculis Sancti Patres, Iſidorus, Ildephonſus, ac Julianus, cum reliquis Hiſpaniæ Epiſcopis, immo Eccleſiis omnibus ejuſdem florentiſſimæ nationis, in ipſis ſolennibus, & ſacris Officiis palam profitebantur? Apage nimiam quorundam criſim, & licentiam evertendi, aut in dubium vocandi Eccleſiaſticas illas traditiones, quas a priſcis ſæculis, aut totus orbis Chriſtianus, aut magna quædam, & valde conſpicua illius portio, ſemper habuit, & modo retinet.

LXXI. Subit animum memoria alterius traditionis Eccleſiaſticæ de dormitione, ſimul & aſſumptione Deiparæ Virginis in corpore, & animo ad Cælum, tot jam ſæculis receptæ ab omnibus Chriſtianis, quæ, licet non ſit certa ſecundum Fidem, adeo antiqua eſt, & tam communi Patrum, ac Fidelium conſenſu firmata, ut abſque impietate ac temeritate magna a nemine negari, immo nec in dubium vocari poſſit. Nihilominus intra totum ſæculum ſeptimum in Hiſpania nondum certa habebatur. Teſtem fide digniſſimum appello S. Ildephonſum, Virginis defenſorem eximium, qui inclinante eo ſæculo ſcripſit varios Sermones in ejus laudem, extantes Tomo XII. Bibliothecæ Magnæ PP. Aniſſonianæ, & in ſexto illorum, qui inſcribitur, *De Aſſumptione Beatæ Mariæ*, columna ſecunda inquit: *Nec ſane omittere debemus, quod multi pietatis ſtudio libentiſſime amplectuntur eam hodierno die a Filio ſuo Domino noſtro JESU CHRISTO ad Cæli corporal iter ſublevatam palatia: quod licet pium ſit credere, a nobis tamen non debet affirmari, ne videamur dubia pro certis recipere.* Quod ipſum intra idem ſæculum cenſuiſſe Sanctos Præſules, Iſidorum, Helladium, & Eugenium, Ildephonſo anteriores, credendum eſt: ſiquidem, ut ſupra vidimus, omnes ii uſi ſunt eodem Miſſali, ac Breviario Hiſpanico, ſive Iſidoriano, in quarta Synodo Toletana confirmato: ubi eadem Feſta, iidem ritus, & uniformis ordo ſtatuitur in Sacris peragendis. Quare nullus eorum SS. Præſulum certam habuit, nec publice coluit, aut affirmaſſe invenitur Aſſumptionem Deiparæ ad Cælum in corpore & animo ſimul: quoniam licet cenſerent pium id credere, incertum adhuc judicabant, quod proinde non deberet affirmari, uti nuper ex Ildephonſo ad populum e ſuggeſto declamante audivimus.

LXXII. Atqui iidem Sancti Patres, ac Præſules minime dubitarunt affirmare, ſcribere, & in ipſis divinis Officiis teſtari, atque hymnis ſolennibus accinere prædicationem S. Jacobi in Hiſpania, ut ſupra Excurſu 4. a num. 44. late oſtenſum fuit. Cenſebant igitur, traditionem Hiſpanicam de prædicatione S. Jacobi in illa, non eſſe dubiam, ſed certam, & quam privatim, ac publice affirmare, prædicare, ac celebrare liceret. Unde & Calliſtus Pontifex II. qui in Hiſpania fuit, & novit traditionem illam tot retro ſæculis continuatam, & oculis ipſis uſurpavit quædam ex innumeris miraculis apud Compoſtellam factis juxta Sepulchrum S. Jacobi; poſtea Romam reverſus, & electus Pontifex, variis Sermonibus palam, & publice veritatem ejuſdem traditionis protulit, & ſæpe affirmavit, eundem ſanctiſsimum Apoſtolum in Hiſpania prædicaſſe, ut nuper non ſemel ex ipſo audivimus.

LXXIII. Unde mirum eſt, quod doctiſsimus Cardinalis Baronius, & tam multis nominibus benemeritus de Eccleſia, rerumque ad ipſam ſpectantium veſtigator diligens, ac fidelis Scriptor, aut non legerit fortaſſe, aut minus accurate expenderit teſtimonia Patrum prædictorum, & nominatim Calliſti II. Alioqui enim perſtitiſſet in ſententia omnium, aut fere omnium Scriptorum, confirmata in Breviario Eccleſiaſtico per B. Pium V. approbato, quam & idem tradiderat in Martyrologio ad diem 25. Julii, nec mutaſſet poſtea opinionem ſub Clemente VIII. effeciſſetque, qua auctoritate apud ip-

ſum

ſum pollebat, ut prædicatio S. Jacobi, quæ antea in Breviario abſolute affirmabatur, poſtea ad traditionem Eccleſiarum Hiſpaniæ reſtringeretur. Et ſane Henricus Spondanus, qui Opera ejuſdem Baronii in epitomen accurate redegit in media Gallia, agnovit, & faſſus fuit vim, ac momenta hujus traditionis, tanquam ut minimum ſufficientia, ne doctiſsimus Cardinalis ab ea, quam in Martyrologio probaverat, ſententia recederet.

LXXIV. Verum poſtquam re maturius hinc inde diſcuſſa Romæ ſub Urbano VIII. reſtituta fuit clauſula illa, & prædicatio S. Jacobi in Hiſpania abſolute prolata in Breviario Romano, & detecta a Scripturibus, tum Hiſpanis, tum ceteris, tot veterum Patrum teſtimonia, tot probationes urgentibus; nequeo non ſatis mirari audentiam quorundam recentiorum contra ſcribentium, & recoquentium eandem crambem pro opinione tandiu convicta, & deplorata; idque abſque ullo novo cujuſpiam momenti fundamento. Nam quod accipiunt ex narratione illa concertationis Archiepiſcoporum in Concilio Lateranenſi de Primatu Hiſpaniæ, incaute edita a D. Loaiſa, nihil profuit D. Cardinali Baronio, dum cauſſa eadem ſub Urbano VIII. accuratius tractata fuit, & terminata in favorem Hiſpaniæ, immo communis, & antiquiſsimæ traditionis. Et certe non aliter oportuit concludi litem illam, in qua Actores nihil novi attulere præter narrationem prædictam, prorſus aeream, & fabuloſam, uti monuimus ſupra num. 14.

LXXV. Quapropter nullum jam operæ pretium erit allegare nomina Scriptorum abſque numero fere, qui aut obiter, aut ex inſtituto, veritatem ejuſdem traditionis, tam ante, quam poſt tempus D. Cardinalis Baronii, confirmarunt. Satis ſit ex antiquioribus illorum allegare intra idem ſæculum duodecimum Othonem Friſingenſem, natalibus, pietate, ac doctrina clariſsimum, Libro tertio Chronici, Cap. 15. atque ea iis, qui ſæculo tertiodecimo floruere, Vincentium Bellovacenſem, Lib. 8. *Speculi Hiſtorialis*, Cap. 6. & 7. & Martinum Polonum in Chronico ad annum Chriſti xaatv. Ea recentioribus autem laudari jure poſſunt inter alios, aut præ aliis Hiſpaniæ Scriptoribus, duo doctiſsimi Principes, Joannes Fernandez de Velaſco Comeſtabilis Caſtellæ, ac D. Gaſpar de Mendoza, & Segovia Marchio Mondexarenſis, per quem profecimus in Diſſertatione hac, quamvis adjicientes plurima ea noſtro qualicumque penu. Supereſt modo, ut nonnulla alia ſuperaddamus.

EXCURSUS VII.

Idipſum ex ſuperabundanti confirmatur traditione alia antiqua de adventu & apparitione DEIPARÆ ad B. JACOBUM, apud Cæſarauguſtam Hiſpaniæ Urbem: fulcita non ſolum teſtimoniis Pontificum, Regum, Scriptorumque quamplurium, ſed etiam variis monumentis antiquitatis Chriſtianæ, quorum aliqua expenduntur.

LXXVI. Videbor forſitan alicui importunus, aut nimius in aſſerenda S. Jacobi prædicatione apud Hiſpanos, ſi quidquam addere velim ultra ea, quæ præmiſi. Etenim tam antiqua, tam multa, tam firma ſunt, ut non ſit opus alio fundamento ad ſtabiliendam ejuſmodi traditionem Eccleſiaſticam in eo gradu certitudinis moralis, qui requiritur, & ſufficit in aliis multis conſtanter ab Eccleſia receptis.

LXXVII. Verum cum in hac Collectione Conciliorum, ac monumentorum Hiſpaniæ veterum, ſacras ejus antiquitatis illuſtrandas receperim, placet ea ſuperabundanti prædicationem ipſam S. Jacobi uberius confirmare traditione alia perantiqua adventus Deiparæ in Cæſarauguſtam Urbem, & apparitionis ad B. Jacobum inibi prædicantem. Sane de ea legimus in Chronico Dextri nomine edito apud Bivarium ad annum Chriſti aaavii. num. 13. *Beata Virgo Jacobo preces fundenti Cæſarauguſtæ in columna apparet, in ſpiritu quoque veniente Joanne Theologo.* Inſuper ad annum xxxviii. num 3. *Prima totius orbis Ædes erecta B. Virgini Cæſarauguſtana fuit. Poſt Præſules Tarraconenſis, Hiſpalenſis, Toletanus, & alii, ſacras Ædes, vel Oratoria Virgini dedicant.*

LXXVIII. Sed enim hiſtoria circumferri ſolita B. Virginis ſupra columnam apparentis, ac loquentis apud Cæſarauguſtam Jacobo Apoſtolo, longe firmioribus fundamentis innititur, quam teſtimonio illius Chronici, aliorumque ſimilium, quotquot a centum circiter annis apparuerunt, ſuſpectæ apud eruditiores Hiſpanos, & ceteros fidei. Longe antea, quam illud detegeretur, aut fortaſſe potiùs ea conjecturis formaretur a quopiam ſciolo, celeberrima erat a multis ſæculis hiſtoria illa. Eam Calliſtus Tertius Pont. Max. & multi Aragoniæ Reges, Præſuleſque graviſſimi, certam habuerant, & teſtatam in ſuis Diplomatibus, ac Privilegiis, veluti ſacrum quiddam, ac venerandum, quod contemnere, aut reſpuere nemo auderet. Sed & ſi quæ difficultates occurrerunt hominibus doctis, præſertim ceteris, in ea parte; ab innumeris pene Scriptoribus profligatæ ſunt, ac ſolutæ. Unde ex ſuperabundanti, ut ajebam, inde confirmare licet adventum Jacobi in Hiſpaniam, & electionem Diſcipulorum, qui proinde inclinante primo ſæculo Eræ Chriſtianæ Concilium duplex, alterum apud Illiberrim, alterum apud Cherronenſem Urbem celebrare potuerint.

LXXIX. Obiter hoc loci obſervandum, nemini incredibile cenſendum eſſe, quod non multis poſt Chriſti obitum annis, vel Jacobus, vel quiſpiam alius Apoſtolorum, dicaret Deiparæ Virgini, adhuc viventi, Templum, vel Oratorium aliquod, qualiter juxta traditionem prædictam creditur Cæſarauguſtæ factum. Imprimis enim nulla in eo repugnantia apparet, cum dignitas propemodum infinita Deiparæ, & ſanctitas incomparabilis ſupra omnes electos, & *puritas, qua nulla major ſub Deo poteſt intelligi*, ut loquitur S. Anſelmus, exigant quaſi jure ſuo ſpecialem aliquem cultum, nulli alteri mortalium conceſſum. Et id certe putandum non eſt accidiſſe, niſi ex ſpeciali ordinatione Dei, volentis, ac jubentis, ut Matri ſuæ ſingulariter inter omnes mortales id obſequium impenderetur; curantiſque, ne ullum inde ſequeretur damnum. Quæ addidi ad præoccu-

occupanda quædam objecta Natalis Alexandri, & aliorum. Proindeque nemo prudenter reſpuere poteſt, veluti indecentem, aut rationi adverſum, honorem ejuſmodi ſingularem Deiparæ a Iacobo Apoſtolo præſtitum: utpote ſatis conſcio ejus ſummæ dignitatis, juxta quam, *nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem*, uti Eccleſia accinit, & præterea divinitus monito ad id agendum.

LXXX. Sane aliquos Apoſtolorum, dum per totum orbem prædicarent, alicubi Oratorium, vel Baſilicam quandam dicaſſe in honorem Deiparæ, aut viventis adhuc, aut paullo antea vita functæ, ſuadere videtur, non ſolum traditio Cæſarauguſtana, aliæque ſimiles infra indicandæ, & conſideratio nuper propoſita; ſed etiam memorabile teſtimonium Nicetæ Paphlagonis, Auctoris Græci, in Orationibus Encomiaſticis SS. Apoſtolorum, quas ſcripſit anno plus minuſve octingenteſimo octogeſimo, eleganti ac piiſſimo ſtylo. Ibidem igitur in Oratione, ſive laudatione S. Andreæ, circa medium, hæc de illo habet: Πάντα τοιγαροῦν τὰ κλίματα τοῦ Βορρᾶ, καὶ πᾶσαν τοῦ Πόντου τὴν παράλιον, ἐν δυνάμει λόγου σοφίας καὶ συνέσεως, ἐν δυνάμει σημείων καὶ τεράτων τῷ εὐαγγελίῳ περιλαβὼν, πανταχοῦ τὰ θυσιαστήρια, ἱερεῖς τε, καὶ Ἱεράρχας τοῖς πιστεύουσι καθιστῶν πανταχοῦ, τούτῳ δὲ τῷ περιωνύμῳ Βυζαντίῳ προσπέλασεν, ἐνταῦθα κατὰ πάροδον ὁ θαυμάσιος γεγονὼς, καὶ ναὸν παρὰ τῇ ἀκροπόλει τῇ Θεομήτορι δειμάμενος, ναὸν ὡραῖον μὲν τὴν κατασκευὴν, ἀναλογοῦντα δὲ τὸ μέγεθος τῇ τῶν ἐν ἀρχῇ τούτων πεπιστευκότων, ὀλιγότητι, καὶ ποιμένα δὲ ἄξιον τῆς ἐκκλησίας τὸν μέγαν Στάχυν ἐγκαταλιπὼν, ἔδειξεν τὴν εἰς ὕστερον ἐν τῇ πόλει ταύτῃ φανησομένην δαψιλῆ τοῦ πνεύματος καρπογονίας, ὥσπερ γὰρ σίτου κόκκος ὁ ἱερὸς ἐκεῖνος Στάχυς πεσὼν ἐν αὐτῇ, καὶ ταῖς οὐρανίαις ἀρδείαις δροσούμενος, καὶ τῇ ἐπιτηδειότητι τῶν ὑποκειμένων αὐτῷ ψυχῶν καὶ διανοιῶν ἐμπλατυνόμενος, καὶ αὐξανόμενος, ἑκατονταπλασίω τὸν τῆς ἁγίας πίστεως ἄχρι καὶ τήμερον καρπὸν τελεσφορεῖ. Ideſt, juxta verſionem Combefiſii: *Omnes igitur Aquilonis oras, omnemque Ponti maritimam, in virtute ſermonis ſapientiæ, ac intelligentiæ, in virtute ſignorum, & prodigiorum, Evangelii complexus prædicatione; ubique erectis Aris, Sacerdotibuſque, ac Epiſcopis ubique Fidelibus præpoſitis, ad illuſtre hoc Byzantium acceſſit. Huc Vir admirabilis obiter veniens, EXTRUCTAQUE IN ARCE DEI MATRI ÆDE, eleganti quidem illa ſchemate, cujus tamen moles pro Fidelium tunc paucitate anguſtiis ſuis reſponderet; dignoque Eccleſiæ Paſtore magno Stachy aſſignoto, uberes poſtmodum hac in Urbe futuros Spiritus fructus oſtendit. Velut enim tritici granum ſacer ille Stachys in terram cadens, cæleſtique rore irriguus, ac ſubjectarum illi animarum, mentiumque aptitudine dilatatus, adauctuſque, centuplum etiamnum ſanctæ Fidei fructum, integra ſegete edit*. Hactenus ibi.

LXXXI. Non ediſſerit nobis Nicetas, unde eam narrationem hauſerit. Credendum tamen eſt, Virum gravem, pium, & eruditiſſimum ſui ævi apud Græcos, ex teſtimoniis fide dignis eam habuiſſe. Ac certe Andream Apoſtolum ad Scythas non ita procul diſſitos a Byzantio miſſum fuiſſe, diſcere potuit ex Origene Lib. 3. In Gen. & Euſebio Lib. 3. Hiſtoriæ Eccl. Cap. 1. Præterea inde in Græciam deſcendiſſe, atque in Epirum veniſſe, potuit legere apud Gregorium Nazianzenum Oratione adverſus Arianos, ac Chryſoſtomum in Homilia de duodecim Apoſtolis. Quare adventus S. Andreæ in Byzantium, & prædicatio, ac erectio Oratorii, ſive ſacræ Ædis in honorem Deiparæ, facili negotio accidere potuerunt, & diſci a Niceta ex traditione, & antiquis monumentis Græcorum, extantibus adhuc ſuo tempore Conſtantinopoli, olim Byzantio nominata.

LXXXII. Major difficultas occurrere poſſet circa tempus & annum quo Andreas Apoſtolus id Oratorium in honorem Deiparæ erexit. Neque enim Nicetas indicat, an vivente adhuc illa inter mortales, an vero jam in Cælum translata. Hujus porro dubii reſolutio pendet ex notitia certa anni, quo Andreas, & nonnulli alii ex Apoſtolis, diviſi fuerunt ad prædicandum Evangelium. Quæſtio valde obſcura eſt apud Interpretes Scripturæ, & Hiſtoricos rerum Eccleſiaſticarum. Verior ſententia, quam inter alios, accurate examinat Corn. a Lapide in Cap. 12. Actorum, id refert ad anuum a Chriſto nato triceſimum ſextum, aut ſeptimum, id eſt, undecimum ante obitum Deiparæ, quæ quadraceſimo octavo Chriſti periodum ætatis clauſiſſe cenſetur. Porro ſi intra id tempus contigit acceſſus S. Andreæ ad Byzantium, & erectio Oratorii in honorem Virginis, teſtata apud Nicetam; conſequens eſt, ut Deiparæ adhuc inter mortales viventi is cultus impenſus fuerit ab Andrea, quemadmodum & Cæſarauguſtæ a Jacobo.

LXXXIII. Cum vero nec Nicetas, nec quiſpiam alius veterum nobis ediſſerat annum erectionis Oratorii apud Byzantium; non poſſumus definire, an Deiparæ in terris agenti, an potius in Cælum translatæ, is honor exhibitus fuerit ab Andræa. Niſi forte quis priorem partem ſibi colligere videatur ex verbis ejuſdem Nicetæ ſtatim adjunctis: διὰ τοῦ Βυζαντίου δὲ Θρᾴκης ὁ θειότατος ἀνὴρ ἰὼν (ἵνα τὰ μεταξὺ συντέμω) διὰ Μακεδονίας καὶ Θεσσαλονίκης τοῖς Πελοποννησίοις, καὶ τελευταῖον ταῖς Πάτραις τῆς Ἀχαΐας προσχωρεῖ. Ideſt: *Byzantio autem Vir diviniſſimus Thraciam ingrediens (ut quæ media ſunt, perſtringam) per Macedoniam, & Theſſalonicam Peloponneſios aggreditur, ac ad extremum Patras Achaiæ venit.* Inde enim apparet, Andream prius Byzantium veniſſe, ibique prædicaſſe, & Oratorium Deiparæ erexiſſe (ut ante præmiſerat) quam in alias regiones Thraciæ, Macedoniæ, &c. tranſiret. Unde & ſatis veroſimile apparet, id accidiſſe ante annum Chriſti quadrageſimum octavum, ac proinde antequam Deipara terris deſiderium ſui relinqueret. Sic, inquam, aliquis fortaſſe rationem temporis inire poterit.

LXXXIV. Sed ex oppoſito objiciet quiſpiam alius, Andream plurimos annos in Scythia, ac regionibus finitimis exegiſſe, priuſquam Byzantium ingrederetur; nam idem Nicetas duabus retro columnis pag. 339.) ait: Σὺ δέ μοι σεβασμιώτατε Ἀνδρέα, ἀξιόθεον πρᾶγμα &c. *Tu vero mihi omni veneratione proſequende Andrea, res Deo digna, veræ fortitudinis exemplum, ſuſtinentiæ adamas, patientiæ ſtatua, altera poſt Petrum, Petra; a Chriſto ſta-*

ſtatim firmum Eccleſiæ ſundamentum, Aquilone in ſortis partem accepta, Iberos, Sauromatas, Tauros, & Scythas, cunctaſque regiones, ac urbes Ponto Euxino ad Aquilonem, Auſtrumque adjacentes, circumiens, in ſiti occurriſti, JESU nomen celebrans, ac clarificans ſpecioſis pedibus Chriſti Evangelium prædicaturus, tanquam lucis plenus, ipſeque lux ipſa, ad eos, qui denſiſſimis obſiti tenebris erant: ut leniſſimus ad eos, qui furore incitatiſſimi: ut re vera ſuaviſſimus, ac mitiſſimus ad eos, qui immitiſſimi, ac duriſſimi. Tot vero peregrinationes, & prædicationes Andræ in tam vaſtis & efferatis regionibus, antequam Byzantium accederet, denotant majus longe temporis ſpatium impenſum, quam undecim annorum decurrentium a diviſione Apoſtolorum (Juxta frequentem ſententiam) ad dormitionem Deiparæ. Quapropter ex Nicetæ teſtimonio non ſatis colligi videbitur, Andream ipſi adhuc viventi Oratorium Byzantii excitaſſe, ſed aliquot annis poſtea.

LXXXV. Huic tamen ſcrupulo facile occurri poteſt: quoniam undecim anni, immo & pauciores, ſatis fuerunt Andreæ Apoſtolo, ut in tot illis provinciis ſatis inter ſe vicinis, aut certe non multum diſſitis, Evangelium prædicaret. Longe minore forſan temporis ſpatio Sanctus Paulus varias regiones docendo peragravit, ut videbimus infra num. 105. & ipſe ſatis indicat Rom. 15. v. 19. verbis illis: *Ita ut ab Hieruſalem per circuitum uſque ad Illyricum repleverim Evangelium Chriſti*. Intra quod ſpatium plures & vaſtæ regiones continentur, ut ibidem apparebit, brevi temporis ſpatio percurſæ. Idemque eſt de Thoma, aliiſque nonnullis Apoſtolis, & eorum Diſcipulis. Volabant enim, ut nubes, & ſicut columbæ, quemadmodum de illis accinit Eccleſia. Quare intra illos undecim, aut duodecim annos ſatis ſuperque temporis fuit, ut S. Andreas Byzantii erigeret Oratorium aliquod Deiparæ nondum vita ſunctæ, antequam in Thraciam, Macedoniam, & Patras Achaiæ penetraret.

LXXXVI. Non tamen idipſum affirmare auſim de aliis Apoſtolis, ac nominatim de Joanne Evangeliſta, dum Nicetas in Oratione Encomiaſtica de ipſo (pag. 362.) inter plura alia ait: ποιμένας καὶ ἱερεῖς καθιςῶν, ἐκκλησίας κατὰ τόπων ἀνίςη Χριςῷ. *Paſtores, ac Sacerdotes conſtituens, ECCLESIAS PER LOCA CHRISTO ERIGEBAT*. Nec inter Eccleſias ejuſmodi indicat aliquam Deiparæ ab ipſo Joanne dicatam, cum tamen antea præmiſiſſet de Chriſto: *Matri prædilectum Diſcipulum tanquam filium commendavit, matriſque curam corporalem in eum ut filium retulit, ac velut ſui permutationem, pretiumque Dei Genitrici traditum, veriori gradu fratrem ſibi eum adhibuit.* Similiter nec in Oratione Encomiaſtica de S. Jacobo Apoſtolo, Joannis ipſius fratre, quidquam indicat circa conſtructionem Eccleſiæ in venerationem Deiparæ, licet utrumque eorum impenſiſſime laudet, ac Jacobum diſerte appellet, ΤΟΝ ΔΕΞΙΟΝ ΤΗΣ ΕΚΚΛΗΣΙΑΣ ΟΦΘΑΛΜΟΝ, ideſt: DEXTRUM ECCLESIÆ OCULUM.

LXXXVII. Verum ſatis præmiſerat duabus retro columnis prædicationem Jacobi factam, non modo Judæis, ſed & Gentilibus, quorum appellatione Hiſpanos contineri, & ab ipſo Niceta intelligi, nihil vetat. Huc nimirum, citra vim aliquam, inflecti poſſent verba illa pag. mihi 359. νῦν δῆμοι, ὦ ἄριςε καὶ δοκιμώτατε Χριςοῦ μαθητὰ &c. *Nunc autem, optime, Chriſtique diſcipulorum probatiſſime Jacobe, tu quoque mihi adeſto hodie, nempe ſublimium Dei Verbi ſpectator, ſactorque operum, arcanorumque diſcipule, ac magiſter ſermonum: dulciſona, ac pulchriſona ſpiritus cinyra, modulatam, concinnamque his, qui recta animo ſint, pulſans Thologiæ vocem: magnum Dei Verbi tonitruum; ſublimi, magnoque fragore JESU reſurrectionem Judæorum mentibus inſonans, atque eorum cordis frangens duritiam: hactenuſque deſertam CONCUTIENS GENTIUM ECCLESIAM, EIQUE SENSIM VERBI EVANGELICI SENSUM INGERENS, atque improbæ Synagogæ repudio, probam, gratamque Sponſam Chriſto adhibens.* Semel autem ſtatuta prædicatione Jacobi ad Gentiles, ſubindeque ad Hiſpanos, nulla ſupereſt difficultas, ut in Hiſpania Eccleſias, ſive Oratoria erigere potuerit, ac de facto erexerit, & in iis unum aliquod in honorem Deiparæ apud Cæſarauguſtam, uti antiqua illa, & veneranda traditio fert.

LXXXVIII. Simeon Metaphraſtes in Vita S. Philippi Apoſtoli teſtatur, ipſum apud Scythas prædicantem, conſtituiſſe Epiſcopos, ordinaſſe Sacerdotes, & Eccleſias conſtruxiſſe. Unde & fieri potuit, ut aliquam in obſequium Deiparæ ædificaret. Verum id Metaphraſtis teſtimonium parum urget: quoniam, quidquid plurimi Hiſtorici de ipſius ætate, & antiquitate ſenſerint, aliqui collocantes illum ſæculo octavo, alii nono, (in quo Nicetas vixit) certum videtur, illum floruiſse multis poſtea ſæculis, circa annum Chriſti milleſimum treceenteſimum decimum quartum, ut oſtendit multis argumentis doctiſſimus Leo Allatius Libro, *De tribus Simeonibus*, edito Pariſiis anno 1664. quem cum aliis eruditiſſimis ipſius Libris, theſauri loco habemus in Bibliotheca noſtra. Itaque Metaphraſtes longe recentior eſt, quam ut inter Scriptores primæ Chiliadis annorum Chriſtianæ allegari poſſit. Quod vero eo loci dicitur de Sancto Philippo Apoſtolo, credibile admodum eſt, & teſtimonio præterea apertiſſimo laudati Nicetæ longe antiquioris comprobatur in Oratione Encomiaſtica eiuſdem Apoſtoli, pagina mihi 382. verbis illis: Ἱερεῖς δὲ καὶ ἱεράρχας τοῖς πιςοῖς καθιςῶν &c. *Sacerdoteſque, ac Præſules Fidelibus præficiens, QUIN ET PER LOCA DOMINO ALTARIA EXTRUENS &c.* Nec vero, aut Nicetas ipſe, aut Metaphraſtes, meminere Oratorii cujuſpiam ab illo ædificati in obſequium Beatiſſimæ Virginis, præſertim mortalis adhuc, licet id reipſa accidere potuerit, uti Cæſarauguſtæ factum traditur.

LXXXIX. Magis e re noſtra eſt quod aliqui Auctores ſcribunt circa annum quadrageſimum quartum Eræ Chriſtianæ (quo, & quatuor ſequentibus Deipara adhuc inter mortales verſabatur) Petrum Apoſtolorum Principem Cataniæ Fanum quoddam inanium Deorum, quod *Pantheon* dicebatur, convertiſſe in Eccleſiam, & eidem Sanctiſſimæ Virgini dicaſſe. Quod multis aſserere conatur Joannes Baptiſta de Groſs. in ſua *Catania Sacra*, chorda 11. modulam. 1. verbo, *Pantheon*, præſertim ex antiquiſſima traditione.

XC. Si-

XC. Similiter diſſertiſſimus, ac piiſſimus Scriptor Hieronymus Oſorius Epiſcopus Algabricenſis in Luſitania, Lib. 1. *De rebus Emmanuelis Regis*, ait, Cangranorem Regem, unum ex tribus, qui ab Oriente adierunt Chriſtum recens natum, & in præſepio adorarunt, reverſum inde in regionem ſuam, triennio poſt plus minus, Templum ædificaſſe in honorem Virginis Matris. Addit, Candacem Æthiopiæ Reginam eidem pariter viventi adhuc Eccleſiam erexiſſe.

XCI. Præterea Sanctum Martialem, unum e LXXII. Chriſti Diſcipulis, anno quadraceſimo ſeptimo, Deiparæ viventi erexiſſe Oratorium duplex, alterum Burdigalæ, Alvernis alterum, ſcribunt S. Antonius Par. 1. Tit. 6. Cap. 25. §. 2. & Demochares Lib. 2. Cap. 25.

XCII. Mitto plura alia de Templis ædificatis, non ſolum Magnæ Matri, ſed etiam nonnullis Apoſtolorum, mortalibus adhuc, legenda apud Auctores nuper laudatos, ac præterea Petrum de Natal. Lib. 6. Cap. 133. Ferdinandum Ughellium Tomo I. *Italiæ ſacræ*, & noviſſime D. Joannem Ciampinum, rerum antiquarum indefeſſum ſcrutatorem, illuſtratoremque in *Veteribus Monimentis*, anno 1690. Romæ editis Cap. 18.

XCIII. Nec tamen eas, ſive quarundam Eccleſiarum traditiones, ſive prædictorum Scriptorum narrationes circa Oratoria Deiparæ ante obitum ædificata, in me recipio, veluti irrefragabiles, aut authenticas. Hujuſmodi enim dumtaxat ſunt traditiones Apoſtolicæ, inter quas nemo prudens illas computaverit. Sed & adhuc intra limites traditionum pure Eccleſiaſticarum, quæ inferioris ſunt conditionis, quædam inveniuntur magis fide dignæ, quam aliæ; & eo majori, quanto antiquioribus, & gravioribus teſtimoniis innituntur.

XCIV. Porro adventus, & prædicatio Sancti Jacobi in Hiſpania, ſubindeque Diſcipulorum ipſius, inter omnes traditiones Eccleſiaſticas nuper indicatas primum habet dignitatis locum: quoniam a duodecim ſaltem ſæculis uſque modo, firmatur teſtimoniis Patrum, Breviario Sancti Iſidori, Diplomatibus Romanorum Pontificum, & continuata uſque in diem hanc Eccleſiarum Hiſpaniæ perſuaſione, ut ſupra vidimus. Apparitio vero Deiparæ ſupra columnam facta Jacobo apud Cæſarauguſtam prædicanti, & erectio illius Oratorii in honorem ejuſdem adhuc viventis, licet non habeat tot certa, & adeo antiqua Veterum pro ſe teſtimonia, ac adventus Jacobi in Hiſpaniam; adhuc tamen eſt traditio valde antiqua, Pontificum, ac Regum privilegiis firmata a multis ſæculis, & plurimorum gravium Scriptorum Libris a longo tempore comprobata: quam proinde nemo refutare ſine temeritate, aut impietate aliqua poſſit. Atque in utraque earum locum habet potiſſimum regula illa S. Hieronymi Epiſtola XXVIII. ad Lucinium Bæticum: *Illud te breviter admonendum puto, TRADITIONES ECCLESIASTICAS, præſertim quæ Fidei non officiunt, obſervandas, ut a majoribus traditæ.*

XCV. Sana de S. Clemente Papa ac Martyre extat perpetua traditio, & teſtatur Eccleſia in ſolemni Officio, ſtatim ab obitu erectum ipſi fuiſſe marmoreum Sepulchrum Angelorum manibus intra mare, ad formam Templi, ubi quotannis anniverſaria die Chriſtiani orare conſueverunt, recedente interca divinitus aquarum pondere. Et S. Gregorius Turonenſis, qui mille & centum circiter retro annis ſcripſit Cap. 35. ac 36. *De gloria Martyrum*, teſtatur, Paſſionem ejuſdem Clementis (in qua id miraculum narratur) antiquitus legi ſolitam in Eccleſia. Idipſum fere de Sancta Irene Virgine ac Martyre in Luſitania, fert traditio antiqua illius Regni ab omnibus recepta, qua creditur, illam ab ipſo martyrii die habuiſſe Sepulchrum Angelorum manibus ædificatum intra alveum Tagi fluminis, quo Chriſtiani ab ipſa ripa oraturi accedebant. Lege Andream Reſendium in Breviario Eborenſi, Vaſæum in Chronico Hiſpaniæ, & pleroſque alios Luſitanos Scriptores, qui eam rem omnino certam habent.

XCVI. Mitto plurima alia exempla, tam Apoſtolorum, quam Martyrum, quibus ſtatim poſt mortem, ſive paſſionem Oratoria, aut Baſilicæ a Chriſtianis extructa ſunt. Quid autem mirum erit, ſi Deiparæ in infinitum fere excedenti Sanctos omnes conceſſum fuerit, non modo ut ſtatim poſt dormitionem, verum adhuc in decurſu vitæ cæleſtis, ac ſole purioris ſplendidioriſque, Oratoria aliquot in ejus honorem extruerentur, tum a Jacobo Cæſarauguſtæ, tum ab aliis Apoſtolis, aut Diſcipulis Chriſti prædicantibus in variis locis terrarum? Sane ſicuti id in ſingulari non eſt temere affirmandum de certo aliquo Oraturio, aut Eccleſia; ita nec pro libito reſpuendum, ubi gravia omnino fundamenta, & antiqua traditio id ſuadent.

XCVII. Quod vero aliqui ajunt, Deiparam Jacobo juſſiſſe, ut Oratorium in ipſius honorem ædificaret, videtur a non multo tempore introductum, ſine fundamento apud antiquos, & a veritate alienum. Quis enim facile credat, Deiparam tam inſigniter humilem, ut propterea ad ſummam eam dignitatem præ omnibus creaturis evecta fuerit, exegiſſe eum cultum omnibus mortalibus inſolitum a Jacobo? Nec ſatis occurres, ſi dicas, illam non proprio nutu, ſed Dei monitu, & inſpiratione juſſiſſe, ut is honor ſibi ab Apoſtolo, & aliis Chriſtianis intra mortalem vitam impenderetur. Quamvis enim id ſit poſſibile abſolute, videtur incongruum modeſtiſſimæ & humilſimæ Virgini. Quare non eſt putandus id ipſi inſpiraſſe Deus, ſed dumtaxat Jacobo, qui abſque ulla cænodoxiæ umbra, aut præſumptionis ſpecie, potuit Dei Matrem, novum orbis prodigium, novo eo cultu, & mortalibus inſolito venerari, veluti quam poſtea jure celebraturus erat Geometra, Græcus Poeta, tanquam.

Νεόπολον, νεόκοσμον, ναόδετον, νεοπλάστην
Ξενότοκον, ξενοθρέπτην, ξενοτόκον, ξενοδύλην.

Ideſt: *Novum cælum, novum mundum, TEMPLI ÆDIFICATRICEM, novam Creaturam, novo partu editam, nove nutrientem, novum partum edentem, admirandam mulierem.* Ubi igitur tot nova concurrunt in Virgine, & tali Virgine, in qua *creavit Dominus novum ſuper terram, ut Femina circundaret Virum*, non apparet incredibile, ut eidem novus honor, & nulli mortalium antea conceſſus, a Jacobo Apoſtolo ejus incomparabilis dignitatis, ac novitatis conſcio, exhiberetur.

EXCURSUS VIII.

Præcipuæ difficultates Adverſariorum objectæ, & ſolutæ. Varia Scripturæ loca in ſenſu germano explicata, juxta quæ nihil repugnat prædicationi S Jacobi in Hiſpania. Porro cum ea optime cohærere, ut Paullus poſtea ibidem prædicaverit, quod, & alia vetera monumenta oſtendunt.

XCVIII. PRimo objiciunt recentiores quædam Scripturæ loca, ex quibus conſtare videtur, Iacobum Hieroſolymis omnium Apoſtolorum primum fuiſſe martyrio coronatum ab Herode, antequam Apoſtoli in diverſas orbis terrarum provincias dividerentur. Eorum enim diviſio non fuit facta in magna illa perſecutione adverſus Eccleſiam, quæ erat Hieroſolymis, ubi lapidatus eſt Stephanus. Quippe tunc, ut habetur Act. 8. verſ. 1. omnes diſperſi ſunt, *præter Apoſtolos*. Manſit ergo tunc in Judæa Jacobus cum cæteris Apoſtolis uſque ad ſecundam perſecutionem. In hac autem ipſe occiſus fuit ab Herode, ſicuti & Petrus recluſus in carcere, uti habetur Actor. 12. Nullus itaque locus eſt, ut Jacobus in Hiſpaniam profectus fuerit, & in ea prædicaverit.

XCIX. Sed enim mirum eſt, Viros ingenio & eruditione præditos intorquere adhuc telum hoc *imbelle ſine ictu*, quod potuerunt ſatis ſuperque hebetatum videre apud D. Cardinalem Baronium in Martyrologio ad diem 25. Julii. Neque apparet, illos expendiſſe accurate loca objecta ex capitibus octavo, & duodecimo Apoſtolorum, unde potius paralogizant, quam ſyllogizant, ut negent Jacobi in Hiſpania prædicationem. Adeant, quæſo, illorum interpretes, ac nominatim omnium uberrimum Cornelium a Lapide, hominem Gallo-Belgam, ingenuum, & inſigni eruditione, ac pietate præſtantem. Invenient certe ibi multiplicem ejus nodi ſolutionem obviam, & manifeſtam.

C. Inter plures autem ibidem occurrentes, nobis ea maxime probatur, qua aſſeritur, Jacobum quidem cum aliis Apoſtolis manſiſſe Hieroſolymis, quando prima illa perſecutio poſt mortem Stephani excitata fuit, in fine Decembris anno ipſo Paſſionis, & Reſurrectionis Chriſti, ab ejus Nativitate triceſimo quarto. Neque amplius probat particula illa excluſiva, *præter Apoſtolos*. Satis enim eſt quod ii Hieroſolymis aliquandiu manſerint. Tranſacto vero uno, aut duobus, vel ſummum tribus annis ab Aſcenſione Chriſti, tam Jacobus, quam alii Apoſtoli, in ſuas provincias diviſi fuerunt. Neque enim credibile eſt, Apoſtolos diutius fructu vacuos in Judæa manſuros (ut aliqui imaginantur) inter perfidos illos, & rebelles; aut tamdiu dilaturos executionem præcepti divini, quo juſſi fuerant prædicare in univerſo orbe, longiſsime patente, & inter duodecim Apoſtolos dividendo: qui proinde quamprimum poterant, ſeſe itineri accingere tenebantur, ut unicuique eorum ſupereſſet tempus peragrandi provincias ſibi commiſſas.

CI. Idque facile confirmatur: quoniam Paullus ad Galatas 1. verſ. 19. teſtatur, ſe poſt triennium a converſione ſua aſcendiſſe Hieroſolymam, & neminem Apoſtolorum vidiſſe, niſi Petrum, & Jacobum fratrem Domini. Nimirum, quoniam reliqui Apoſtolorum jam tunc diſperſi erant toto orbe ad euangelizandum, uti exponunt eo loco Hieronymus (vel ſiquis alius Auctor Commentarii Epiſtolæ ad Galatas, extantis inter Hieronymi Opera) Anſelmus, Claudius Taurinenſis, & alii. Porro converſio Paulli accidiſse videtur anno unico tranſacto ab Aſſumptione Chriſti, teſte antiquiſſimo Scriptore S. Hippolyto Epiſcopo Portuenſi, & Martyre, Libro illo ſupra laudato, *De Vitis SS. Apoſtolorum*, inter Vaticana mſs. extante num. 1177. ubi pag. 468. inquit: Παῦλος μετ' ἐνιαυτὸν ἕνα τῆ Κυρίου ἀναλήψεως εἰσῆλθεν εἰς τὴν ἀποστολήν. *Paulus poſt annum unum ab Aſſumptione Domini manus Apoſtolicum aggreſſus eſt*. Contigit itaque Paulli converſio anno Chriſti XXXV. & triennio poſt adventus ipſius in Hieroſolymam, anno XXXVIII. quando jam, præter Petrum, & Jacobum fratrem Domini, reliqui Apoſtoli erant diſperſi per totum orbem ad prædicandum. Ideque S. Lucas in ipſis Apoſtolorum Actis narrans geſta S. Petri, atque ortum, & progreſſum Eccleſiæ in Judæa, nullius Apoſtolorum, niſi Joannis, mentionem fecit: quoniam, nimirum, inde aberant, diſperſi in provincias unicuique commiſſas.

CII. Juxta hanc conſiderationem, S. Scripturæ conformem, & laudatis Patribus conſentaneam, locus fuit palam, ut tam Jacobus, quam reliqui Apoſtoli, præter Petrum, ac Jacobum fratrem Domini, qui diutius in Judæa manſerunt, diſpergerentur in varias mundi partes, anno Chriſti XXXV. quo converſus fuit Paullus; aut XXXVI. vel ſummum XXXVII. Aliquo igitur ex iis tribus annis Jacobus in Hiſpaniam progreſſus eſt: ac proinde fuit ſpatium ſaltem ſex, aut ſeptem annorum, ſufficiens ad peregrinandum, & prædicandum in Hiſpania, uſque ad annum Chriſti XLIV. in quo regreſſus Hieroſolymam occiſus fuit ab Herode Agrippa circa Paſcha Domini: quo eodem anno Petrus vinctus ab ipſo legitur, & ab Angelo liberatus. Hæc omnia plana ſunt, & nulli difficultati cujuſpiam momenti obnoxia. Quapropter temere aſſumitur, Jacobum, & reliquos Apoſtolos non fuiſſe Hieroſolyma egreſſos a tempore primæ perſecutionis excitatæ in morte Stephani, uſque ad ſecundam incarceratione Petri, & Jacobi occiſione. Fuit enim ſufficiens locus, ut eo interjecto tempore, plerique Apoſtolorum, in diverſis mundi regionibus ut minimum ſeptem annis prædicarent, ac proinde Jacobus Zebedæus in Hiſpania. Quapropter aſſumptum argumenti ſupra propoſitum eſt omnino falſum.

CIII. Secundo opponunt verba Apoſtoli Roman. 15. v. 20. ajentis. *Sic autem prædicavi Evangelium hoc, non ubi nominatus eſt Chriſtus, ne ſuper alienum fundamentum ædificarem, ſicut ſcriptum eſt* (Iſaiæ 52. v. 15.) *Quibus non eſt auditum de eo, videbunt; & qui non audierunt, intelligent*. Atqui Paullus prædicavit in Hiſpania, ut ipſe ſatis indicat, & communis ſententia Patrum eſt, quos num. 25. allegavimus. Non igitur Jacobus antea in Hiſpania prædicaverat. Alioqui Paullus poſtea in ea prædicaſset Evangelium ubi nominatus fuerat Chriſtus ædificaſſetque ſuper alienum fundamentum, quod ipſe locis citatis palam negat.

CIV.

CIV Verum quiſquis ita objicit, non attendit tempus, quo Epiſtola ad Romanos ſcripta fuit ab Apoſtolo. Id enim contigit anno Chriſti quinquageſimo octavo, dum Paullus eſſet Corinthi: unde illam ad Romanos miſit per Phœben, uti habent Biblia Græca, Syra, ac Latina Regia in fine Epiſtolæ, quo tempore Petrus Roma abierat in Britanniam, ideoque in ea non ſalutatur. Prædicatio autem Paulli in Hiſpania contigit multo poſtea, nimirum, poſt annum ſexageſimum primum, in quo Lucas coronidem impoſuit Actis Paulli, & Apoſtolorum. Tunc enim ille primum e carcere ſub Nerone liberatus fuit, ac proinde potuit in Hiſpaniam proficiſci. Quapropter dum ſcriberet Corinthi ad Romanos, veriſſime dixit, ſe eouſque prædicaſſe Euangelium, non ubi nominatus fuerat Chriſtus, nec ſupra alienum fundamentum ædificaſse. Cum hoc tamen cohæret, ut poſtea prædicaverit ubi jam Chriſti nomen auditum fuerat, ædificaveritque ſupra fundamentum ab aliis poſitum. Quod patet ex ipſa Roma, ubi Petrus jam antea prædicaverat, & fundamentum poſuerat, priuſquam Paullus eo accederet. Quid ergo mirum, ſi pariter poſt ſuum in Urbem acceſſum, perrexerit inde in Hiſpaniam, licet antea ibidem prædicaſſet Jacobus, & Fidei fundamenta poſuiſſet.

CV. Hæc omnia diſcere potuerunt adverſarii, non modo ex interpretibus ſacris, & Baronio palam referente Epiſtolam hanc ad annum Chriſti quinquageſimum octavum, ſed etiam ex ipſius Capitis quintidecimi, quod nobis opponunt, contextu. Ibidem enim v. 19. ἀμέσως præcedenti dixerat Apoſtolus: *Non audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Chriſtus in obedientiam Gentium, verbo, & factis: virtute ſignorum, & prodigiorum, in virtute Spiritus Sancti: ita ut ab Hieruſalem per circuitum uſque ad Illyricum repleverim Euangelium Chriſti.* Vides qualiter Corinthi ſcribat, ſe eouſque ab Hieruſalem per circuitum repleviſſe Euangelium; id eſt, plene illud prædicaſſe, uſque ad Illyricum, nimirum, per interjectas regiones, Arabiam, Damaſcum, Antiochiam, Seleuciam, Cyprum, Pamphiliam, Piſidiam, Lycaoniam, Syriam, Ciliciam, Phrygiam, Galatiam, Myſiam, Troadem, Achajam, Epirum, & alias, *uſque ad Illyricum*, quam hodie appellamus Sclavoniam, ſive Boſniam. Omnes quippe illas, inſtar fulminis, brevi temporis ſpatio peragraverat Paullus, illuſtraverat Fide, & amore divino ſuccenderat, circuitu facto a Hieroſolyma uſque ad Illyricum: cum in pleriſque earum, aut fere omnibus, non eſſet plene nominatus adhuc Chriſtus, nec jacta Fidei fundamenta.

CVI. Subdit vero ſtatim Apoſtolus: *Propter quod & impediebar plurimum venire ad vos* (Romanos) *& prohibitus ſum uſque adhuc. Nunc vero ulterius locum non habens in his regionibus, cupiditatem autem habens veniendi ad vos ex multis jam præcedentibus annis: cum in Hiſpaniam proficiſci cœpero, ſpero, quod præteriens videam vos, & a vobis deducar illuc, ſi vobis primum ex parte fruitus fuero.* Ex quibus verbis clarius meridiana luce conſtat, Apoſtolum verbis paullo ante præcedentibus, quæ adverſarii nobis objiciunt, ſolum loqui de prædicatione ſua eouſque præmiſſa ab Hieroſolymis uſque ad Illyricum: nullatenus autem de prædicatione, vel Romæ, vel in Hiſpania: utpote quam verſu ſequenti teſtatur ſe eouſque deſideraſſe, & ſperat poſtea exequendam.

CVII. Unde demum admirationi eſt, locum prædictum Apoſtoli ab eo objici, qui vel illum legiſſet. Verum impotens amor adulandi propriæ nationi, & libido nocendi contrariæ, exoculat vel homines doctos, & eruditos, ne videant id, quod cæteris quibuſque in oculos incurrit, & unuſquiſque fere e media plebe capere poſset. Itaque cohærent invicem ambæ traditiones certiſſimæ prædicationis, primum Jacobi, poſtea vero Paulli in Hiſpania: neque ulla, vel apparens contradictio inter utramque colligi poteſt ex ſacris Literis.

CVIII. Obiter hoc loci accipe de prædicatione Paulli in Hiſpania teſtimonium duplex illuſtre. Alterum ex Martyrologio Romano ad diem 23. Septembris, ubi dicitur: *Narbonæ in Gallia Natalis S. Pauli Epiſcopi, quem tradunt fuiſſe Sergium Paullum Proconſulem, qui a Paullo Apoſtolo baptizatus, & cum in Hiſpaniam pergeret apud Narbonam relictus, ibidem Epiſcopali dignitate donatus eſt, ubi prædicationis officio non ſegniter expleto, miraculis clarus migravit in Cœlum.* Alterum eſt Joannis Vaſæi, nobilis, & ingenui Hiſtorici, qui ſcripſit multo antequam illam pſeudo-Chronica Dextri, Maximi, &c. apparerent. Is igitur hæc habet in Chronico Hiſpaniæ, non pro libito ſcripta, ſed graviſſimo teſtimonio munita: *Sophronius*, inquit, *Patriarcha Hieroſolymitanus ſcribit, Italias, Gallias, & Hiſpanias tranſitu Beati Paulli illuſtratas: qui cum in domo Probi illuſtris cujuſdam viri, hoſpitio ſuſceptus in Hiſpania fuiſſet, & Xantippe uxor ejuſdem Probi modeſtiam hoſpitis ſedulius in eum intenta, admiraretur; divina voluntate factum eſt, ut, dum ſic intenta vultui peregrini inhæreret, appareret ante frontem Paulli quaſi literis aureis ſcriptum: PAULLUS APOSTOLUS PRÆDICATOR CHRISTI. Quæ cum præuntia fama multa de Apoſtolo audiſſet, & diu deſideraſſet vultum ejus videre, gaudio pariter reſoluta, & ſtupore, cum lacrymis corruit ad ejus pedes. Edocta autem myſteria Chriſti, cum viro, & familia Chriſto regenerata eſt. Sed & traditur Philotheus, ejus regionis Princeps, Paullo adhæſiſſe, factus Chriſti Confeſſor. Quin & Menologia Græcarum S. Xantippes a Paullo in Hiſpania converſæ diem natalem conſignant 25. Septembris.* Sed de his ſatis.

CIX. Ex dictis non improbabiliter colligi poteſt, primam regionem Gentilium, inter eas omnes, quæ lumen Evangelii ab Apoſtolis acceperunt, fuiſſe Hiſpaniam. Nam ſicuti Deus æterno voluntatis ſuæ propoſito decreverat, Jacobum ante omnes alios Apoſtolos coronare aureola martyrii: ita etiam credendus eſt illum prius mittere voluiſſe ad Provinciam ſuæ prædicationi deſignatam. Alii enim, quibus diuturnior vitæ curſus reſtabat, licet aliquam moram traherent in Judæa, poterant alibi perficere competenti tempore miniſterium ſuum. Jacobo autem inſtabat prædicatio ad Hiſpanos propter breviorem vitæ periodum. Itaque tamquam filius tonitrui, ſive inſtar fulminis, videtur ocyſſime perveniſſe in Hiſpaniam, & præcu-

curriſſe cæteris. Quod ipſum ante nos indicarunt Bollandiani To.ı. Martii, Digreſs. 4. ubi de Hiſpania ajunt: *Eadem ſolis juſtitiæ lumen, poſt Judæam, ubi ortus erat, prima fere excepit Jacobi Apoſtoli, cognomento Majoris, prædicatione: ut habet earum gentium ab antiquo per manus ducta perſuaſio, Breviarii, quo nunc Eccleſia Romana utitur, auctoritate, ac plurimorum illuſtrium conſenſu Scriptorum firmata.* Si Natalis Alexander tantam teſtium antiquorum nubem, aut æqualem traditionis vetuſtatem haberet ad promuvendum cauſſam illam Maſſilienſium circa reliquias, ac monumenta apud Sanctum Maximinum extantia: quantum, putas, inſultaret Launojo contradicenti? aut qualiter ſibi temperaret, ne imitatione Theophili Raynaudi in Hercule Commodiano illum diris devoveret? Sed parcendum eſt Scriptori Gallo, ſi non æqua lance, nec ita ſubacta criſi, utramque traditionem expenderit. Nec tamen ea inæqualitate ſentiendi, & ſcribendi efficiet, ut par pari referam, aut in dubium vocem illam Maſſilienſium traditionem, quam veram credo, & ſemper habui, quamvis nec tam multis, nec tam antiquis teſtimoniis nitatur, ac traditio Hiſpanorum.

EXCURSUS IX.

Teſtimonia quædam ſanctorum Pontificum Gregorii VII. & Innocentii I. quibus maxime innituntur adverſarii, in ipſorum capita regeruntur; & multis hinc inde obſervatis oſtenduntur nullatenus contradicere prædicationi S. Jacobi in Hiſpania.

CX. TErtio objiciunt recentiores auctoritatem S. Gregorii VII. Papæ Lib. ı. Regeſti, Epiſt. 64. (apud Collectionem Labbeanam To. ı. Concil. col. 53.) data ad Alphonſum VI. & Sanctium, Hiſpaniarum Reges, ubi ita eos hortatur, ut ritus, & ordinem Romanæ Eccleſiæ in Sacris quibuslibet, & divinis Officiis ſervent: *Cum Beatus Apoſtolus Paullus Hiſpaniam ſe adiiſſe ſignificet, ac poſtea ſeptem Epiſcopos ab Urbe Roma ad inſtruendos Hiſpaniæ populos, a Petro & Paullo Apoſtolis directos fuiſſe, qui, deſtructa idololatria, Chriſtianitatem fundaverunt, Religionem plantaverunt, ordinem, & Officium in divinis cultibus agendum oſtenderunt, & ſanguine ſuo Eccleſias dedicavere, veſtra diligentia non ignoret: quantam concordiam cum Romana Urbe Hiſpania in Religione, & ordine Officii divini habuerit, ſatis patet.* Si autem antea Sanctus Jacobus in Hiſpania prædicaſſet, uti nos volumus; profecto diſcipuli Roma miſſi ab Apoſtolis Petro & Paullo non fundaſſent in ea Chriſtianitatem, nec Religionem plantaſſent, ſed id antea a Jacobo Apoſtolo præſtitum fuiſſet. Præterea, ſi Jacobus in Hiſpania prædicans habuiſſet diſcipulos, qui Fidem Chriſtianam diſſeminaſſent; nullus eſſet locus, ut poſtea ſeptem Epiſcopi a Petro & Paullo Roma miſſi id primum agerent, quod jam prius a Jacobi diſcipulis factum eſset.

CXI. Augetur difficultas: quoniam Gregorius VII. ductus fuit auctoritate Innocentii I. laudatiſſimi Papæ in Epiſtola ad Decentium Eugubinum Epiſcopum (quæ eſt prima illius in Collectione Labbeana Tomo ıı. col. 1245.) in Proœmio, ubi ait: *Quis enim neſciat, aut non advertat, id quod a Principe Apoſtolorum Petro Romanæ Eccleſiæ traditum eſt, ac nunc uſque cuſtoditur, ab omnibus debere ſervari, nec ſuperinduci, aut introduci aliquod, quod aut auctoritatem non habeat, aut aliunde accipere videatur exemplum? præſertim cum ſit manifeſtum, in omnem Italiam, Gallias, Hiſpanias, Africam, atque Siciliam, inſulaſque interjacentes, nullum inſtituiſſe Eccleſias, niſi eos, quos venerabilis Apoſtolus Petrus, aut ejus Succeſſores, conſtituerint Sacerdotes. Aut legant, ſi in iis provinciis alius Apoſtolorum invenitur, aut legitur docuiſſe. Quod ſi non legunt, quia nuſquam inveniunt, oportet eos hoc ſequi, quod Eccleſia Romana cuſtodit, a qua eos principium accepiſſe, non dubium eſt: ne dum peregrinis aſſertionibus ſtudent, caput inſtitutionum videantur omittere.* Hinc autem corruere videntur duo illa in ſuperioribus tradita. Alterum eſt, quod Jacobus in Hiſpania docuerit, ſeu prædicaverit. Alterum, quod diſcipulos habuerit aliquot in Hiſpania Epiſcopos. Sic enim Eccleſias in Hiſpania inſtituiſset. Utrumque autem id negat Innocentius, & ſoli Apoſtolo Petro tribuit, ejuſque Succeſsoribus.

CXII. Hoc ipſum argumentum, inter alia, propoſuerat Cardinalis Baronius Tomo ıı. ad annum Chriſti DCCCXVI. num. 56. & ſeqq. atque ex ipſo mutuavit, tacito Auctoris nomine, Natalis Alexander; niſi quod hic callide prætermiſit verba illa Innocentii, quibus negare videtur Apoſtolum aliquem alium a Petro in Galliis, aut Hiſpaniis docuiſse. Quare ne Galliam ſuam eo honore privaret, Hiſpaniæ aſserendum cenſuit; atque id, nulla habita ratione auctoritatis Innocentii, quæ utrique nationi id negare videtur, verbis præjactis.

CXIII. Deinde reſpondeo, Gregorium VII. iis verbis nullatenus meminiſſe Jacobi Apoſtoli, nec illius prædicationem in Hiſpania negaſſe. Quomodo enim negare poterat id, quod conſtanti, & antiquiſſima traditione circumferebatur, non in Hiſpania modo, ſed etiam in Italia, Germania, & Gallia, ut in ſuperioribus oſtenſum fuit? quod triginta quatuor circiter poſt Gregorii ipſius obitum annis publice Romæ ſæpius prædicavit, & Scriptis vulgavit ejuſdem Succeſſor Calliſtus II. ſanctitate pariter ac doctrina clarus?

CXIV. Itaque Gregorius non negat, Jacobum in Hiſpania prædicaſse, ſed intactum prætermittit, quia nihil conferebat ad ſcopum illius Epiſtolæ, in qua hortatur Reges Hiſpaniæ ad ſervandum ritus, & ordinem Sacrorum Eccleſiæ Romanæ. Huic autem fini obtinendo opportunum cenſuit in memoriam revocare, quomodo Paullus ſignificet, ſe *Hiſpaniam adiiſſe*, & quod poſtea ſimul cum Petro direxerit ſeptem Epiſcopos, qui, deſtructa idololatria, *Chriſtianitatem fundaverunt, Religionem plantaverunt &c.* Exinde enim Gregorius merito colligit, Hiſpanos debere in ritibus Eccleſiaſticis, & divinis Officiis imitari Eccleſiam Romanam: a cujus duobus Principibus Petro ac Paullo, Chriſtianitatem, Religionem, ac Sacrorum ordinem per Epiſcopos ab Urbe miſſos acceperant. At vero præterea Jacobus in Hiſpania prædicaverit, ejuſque diſcipuli, antequam a Petro ordina-

narentur Epiſcopi, & Roma in Hiſpaniam dirigerentur, necne, nullatenus declarat Gregorius, quia non ſpectabat ad illius ſcopum.

CXV. Dices, ſatis id declarari a Gregorio, dum de diſcipulis Petri & Paulli Roma miſſis teſtatur, fundaſſe Chriſtianitatem in Hiſpania, & Religionem plantaſſe, quod ſolum de primis prædicatoribus dici poteſt. Soli enim ii fundant, & ſeminant: non autem qui rigant, aut excolunt ſemina Fidei ab alio jacta. Non ergo antea Jacobus prædicaverat, ſeu Religionem fundaverat in Hſpania, ex mente Gregorii.

CXVI. At ſi hæc ſalebra impedita eſt, in ea hæreant oportet, quicumque ex Gallis Paullum in Hiſpania prædicaſſe, & prima Fidei ſemina jeciſſe ajunt. Quomodo enim cohærere poteſt, quod Paullus primo in Hiſpania prædicaverit; & quod poſtea ſimul cum Petro ex Urbe illuc diſcipulos miſerit, qui Chriſtianitatem, & Religionem plantaverint? Hæc quippe duo *ἀσύςατα* ſunt. Neque enim cohærere poteſt quod ii diſcipuli fuerint in Hiſpania plantatores ejus Religionis, quam antea Paullus prædicatione ſua plantaſſet.

CXVII. Sed certe nobis aqua nullatenus hæret. Damus ultro auctoritati Gregorii (quamvis nihil ea Cathedra definientis, & errori obnoxii circa purum factum hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, & traditionis Hiſpaniarum, quæ a ſolis earum Eccleſiis, & populis petenda eſt) damus, inquam, diſcipulos a Petro & Paullo Roma miſſos, ea omnia in Hiſpania præſtitiſſe, quæ Gregorius memorat. Quid ſi illi ipſi fuerint antea diſcipuli S. Jacobi, & cum ipſo prædicaverint in Hiſpania exiguo fructu, ſimulque Hieroſolymam redierint: poſtea autem, occiſo Magiſtro ab Herode, Romam contendentes, ab Apoſtolo Petro ordinati Epiſcopi, in Hiſpaniam iterum perrexerint, iterum prædicaverint, & Eccleſias conſtituerint?

CXVIII. Certe totum id cohæret teſtimonio Gregorii, traditioni antiquiſſimæ, ac ſimul lectionibus ſecundi Nocturni ab Eccleſia accuratiſſime examinatis & probatis die vigeſimaquinta menſis Julii: in quarum ſecunda dicitur de Jacobo: *Poſt JESU CHRISTI aſcenſum in Cælum, in Iudæa, & Samaria ejus Divinitatem prædicans, plurimos ad Chriſtianam Fidem perduxit. Mox in Hiſpaniam profectus, ibi aliquos ad Fidem convertit: EX QUORUM NUMERO SEPTEM POSTEA EPISCOPI A BEATO PETRO ORDINATI, IN HISPANIAM PRIMI DIRECTI SUNT.* Itaque admiſſo integre teſtimonio Gregori VII. vera permanet adhuc prædicatio S. Jacobi in Hiſpania, & quod diſcipuli ſimul cum ipſo Chriſtianitatem fundaverint, Religionemque plantaverint; deinde vero poſt Jacobi obitum, ordinati Epiſcopi a D. Petro, & miſſi in Hiſpaniam, idipſum perfectius, ac fructuoſius præſtiterint, quod antea ſimul cum Jacobo inchoaverant.

CXIX. Unde ſoluta manet difficultas nu. 111. aucta ex teſtimonio Innocentii, nihil amplius probante. Nec certe ad ſcopum utrique Pontifici præfixum eo loco, quidquam aliud requiritur, quam quod nos nuper conceſſimus. Statuto enim quod aliqui ea diſcipulis S. Jacobi, qui ſimul cum ipſo prædicaverant cum exiguo fructu in Hiſpania, poſtea ordinati a Sancto Petro Epiſcopi illuc miſſi fuerint, & Eccleſias conſtituerint, ritusque Sacrorum juxta Romanam inſtitutionem ordinaverint; recte colligunt ambo Pontifices, Eccleſias omnes alias in iis rebus Romanæ conformari debere.

CXX. Quod vero addit Innocentius, neminem alium Apoſtolorum, quam Petrum, inveniri, aut legi docuiſſe in Italia, Galliis, Hiſpaniis &c. parum urget. Siquidem communis Patrum ſententia cum S. Hippolyto Epiſcopo Portuenſi & Martyre in oppoſitum docet, Paullum in Hiſpania prædicaſſe, ut ſupra vidimus num. 25. & Galli Scriptores fatentur, nihil morati opinionem Innocentii. Pariter ergo nobis licebit, ſalva ipſius reverentia, aliter ſentire in ea parte: utpote non ſpectante ad dogmata Fidei, vel morum, circa quæ ſola judicium Romani Pontificis eſt liberum ab omni erroris periculo; idque dumtaxat, ubi pronunciat ea Cathedra, ſive ex fine docendi totam Eccleſiam: ut late explicuimus in *Defenſione Cathedræ S. Petri* adverſus Declarationem anno Chriſti MDCLXXXII. editam Pariſiis nomine Illuſtriſſ. Cleri Gallicani, præſertim *Diſp.* XXIV. Nihil autem ejuſmodi contigit in ea Epiſtola Innocentii, quæ tangit purum factum ſpectans ad ſolam hiſtoriam Eccleſiaſticam, in qua varii varia tradunt. Nec minor eſt auctoritas Calliſti II. (ut alios Romanos Pontifices miſſos faciam) quam Innocentii I. Conſtat autem, prædicationem Jacobi in Hiſpania, a Calliſto traditam fuiſſe ſcriptis, voce, ac declamationibus publicis in hac alma Urbe e ſuggeſto, ſemel, ac ſæpius in decurſu ſui Pontificatus.

CXXI. Dices, potius eſſe adhibendam fidem in ea parte Innocentio, qui initio quinti ſæculi prædicationem quorumlibet Apoſtolorum in Italia, Gallia, Hiſpania, &c. (excepto Petro) negavit, quam Calliſto, qui ineunte ſæculo duodecimo Jacobi prædicationem in Hiſpania aſſeruit. Res enim adeo antiquæ eo majus auctoritatis pondus habent, quo ab antiquioribus traduntur.

CXII. Reſpondeo (ſi quis contentioſius velit Innocentii verba interpretanda, ut ſonant, nec admittere ſenſum alium infra explanandum) in iis, quæ ſpectant ad purum factum, ſive traditionem alicujus peculiaris regionis, provinciæve, non tam debere attendi judicium exterorum, licet antiquiores ſint, quam indigenarum, in quibus quaſi per manus tranſmiſſæ ſervantur traditiones peculiares. Exteri enim, & præſertim ii, qui nunquam peregrinati ſunt per diverſas mundi plagas, nequeunt tam bene noſſe quid in unaquaque regione acciderit, aut contingat, ac ii qui ibidem nati ſunt, & vitam duxerunt. Porro S. Innocentius I. Albæ natus, ac fere ſemper Romæ verſatus, non ſatis noſſe potuit, quæ ſæculis præcedentibus in Hiſpania contigerant. Calliſtus vero II. Pontifex in Gallia natus, in Gallia ſplendidiſſime educatus, in Gallia literis, ac lectione varia inſtructus (uti mos erat in iis Monaſteriis Benedictinis, quorum inſtitutum profeſſus fuit) poſtea vero in Hiſpania Legatus Sedis Apoſtolicæ, & in Compoſtella juxta Sepulchrum S. Jacobi diu verſatus, teſtis traditionis antiquiſſimæ Hiſpaniarum de illius prædicatione, tot retro ſæculis ubique celebrata, & quotannis in Eccleſiis Regni florentiſſimi decantata, præſer-

tum

tim die 25. Julii, & ſcriptis conſignata a ſanctiſſimis Præſulibus Iſidoro, ac Juliano, aliiſque; teſtis denique miraculorum inſignium ejuſdem Apoſtoli apud Compoſtellam, quæ ſcriptis ſuis doctiſſimis per totum orbem evulgavit; melius longe potuit inveſtigare, deprehendere, & tandem teſtari, ac publice prædicare traditionem illam, quam S. Innocentius I. licet longe antiquior. Vide quæ ſupra obſervavimus num. 17. & quinque ſeqq. pro ejuſmodi traditionibus.

CXXIII. Porro doctiſſimus Card. Turrecremata in prima Parte Decreti Diſtin. 11. ad Caput: *Quis neſciat*, cum communi fere Canoniſtarum ſenſu obſervat, non debere admitti, prout ſonant, illa verba ſuperius citata Innocentii, quibus negat, in regionibus ibidem nominatis quemquam Apoſtolorum, præter Petrum, ejuſque Succeſſores, aliquam inſtituiſſe Eccleſiam, aut docuiſſe. Si enim verba illa accipiantur juxta ſenſum obvium, patiuntur inſuperabiles difficultates. Sed audiamus Cardinalem ipſum ita loquentem: *Paullus videtur prædicaſſe in Hiſpania, ut videtur colligi ex Epiſtola ſua ad Romanos, ubi ait*: Cum in Hiſpaniam proficiſci cœpero. *Et tamen fuit alius Apoſtolus a Petro, nec fuit Succeſſor ejus. Ergo falſum eſt, quod hic dicitur. Secundo arguitur ex Actibus Apoſtolorum, ubi Cap. ult. legitur, Paullum biennio Romæ, quæ eſt in Italia, fuiſſe, & diſputaſſe, & docuiſſe ibidem. Tertio, idem videtur de Barnaba, qui etiam Gentibus prædicavit, ſicut colligitur ad Galat.* 2.

CXXIV. Ne autem tantus Pontifex dixiſſe videatur quidquam rationi, aut veritati repugnans, iidem Canonum Interpretes ita illius verba exponunt, ut ſolum voluerit tradere, neminem Apoſtolorum inſtituiſſe Eccleſias in iis regionibus, aut prædicaſſe, niſi Petrum, & illius Succeſſores; nimirum auctoritate ordinaria. Hæc enim ſoli Petro, tanquam Eccleſiæ totius Capiti, ac ſubinde ſolis illius Succeſſoribus in Sede Apoſtolica, a Chriſto Domino data fuit: cæteris autem Apoſtolis dependenter a Petro, qui proinde omnium Eccleſiarum fundator, omniumque prædicationum auctor quodammodo dici poteſt. Unde idem Turre-cremata cum Hugone, Joanne Andrea, Guidone de Bais, Joanne Antonio Cardinale S. Georgii, ac Nicolao de Lira, ita exponit ea verba Innocentii: *Verum eſt, quod dicit Innocentius in hoc Decreto, ſic intelligendo illud; quod videlicet, nullus prædicavit, vel Eccleſias fundavit in dictis provinciis, niſi Petrus, vel alii ordinatione, & permiſſione ipſius. Et hoc modo Paullus in Hiſpania, & Italia prædicavit. Et ita de Barnaba dicendum eſt, quod ex ordinatione Petri factum eſt.*

CXXV. Idipſum ergo pari ratione intelligendum eſt de Jacobo in Hiſpania, ut nec primum e Hieroſolyma venerit, nec prædicaverit, nec ſocios in prædicatione adſciverit, nec tandem Eccleſias aliquas ibidem conſtituerit (ſi quas de facto conſtituit) niſi ex conſenſu, aut inſinuatione Petri, qua præeunte, longam illam navigationem, ſeu peregrinationem ab Aſia in extremas Hiſpaniæ ad Occidentem oras ſuſcepiſſe putandus eſt. Sive, uti ajebat de eodem Jacobo Caliiſtus II. Serm. ſecundo, *ut Lucifer æquoreos Oceani campos tranſiliens, pro Eoo diurni luminis, nocturnas ſuo exortu diſcuſſit umbras*. Itaque ſenſus S. Innocentii in iis verbis eſt, neminem Apoſtolorum, niſi Petrum, & illius Succeſſores, in iis regionibus inſtituiſſe Eccleſias, aut docuiſſe, ſcilicet ordinaria, & ſumma poteſtate; nam loquendo de poteſtate a Chriſto Domino, negari non poteſt, reliquos Apoſtolos illam habuiſſe, juxta illud Paulli, II. Corint. 5. v. 20. *Pro Chriſto legatione fungimur*.

CXXVI. Et ſane ſi abſque hac explicatione, aut reſtrictione intelligantur verba Innocentii, contraria erunt variis Scripturæ teſtimoniis, & traditionibus præterea certiſſimis. Imprimis enim, cum Paullus non fuerit Succeſſor Petri in Pontificatu, quomodo poterit verum eſſe, quod ipſe non prædicaverit, & docuerit in Italia? Conſtat ex Actibus Apoſtolorum extremo Capite, Paullum biennio Romæ prædicaſſe, ac docuiſſe. Extatque hodie Romæ nobilis Eccleſia S. Mariæ in Via-lata, Titulo Cardinalitio inſignita, & in parte ejus ſubterranea receptaculum quoddam, ubi perpetua traditione habetur, Paullum biennio docuiſſe, & Lucam ſcripſiſſe eadem Apoſtolorum Acta. Quin & S. Hippolytus Martyr ſub initium ſæculi tertii ſcribens de Paullo apud Codicem Vaticanum 1177. pag. 468. ajebat: ἀρξάμενος ἀπὸ Ἱερουσαλὴμ προῆλθεν ἕως τοῦ Ἰλλυρικοῦ, καὶ Ἰταλίας, καὶ Ἱσπανίας, κηρύσσων τὸ Εὐαγγέλιον. *Incipiens a Jeruſalem, pertranſiit uſque ad Illyricum, & Italiam, & Hiſpaniam*. Quæ plane contradicunt verbis Innocentii preſſe acceptis. Deinde ex eiſdem Actis Cap. 28. conſtat, Paullum ipſum prædicaſſe apud Melitam, quæ eſt una ex inſulis Siciliæ adjacentibus; immo & ibi 276. homines navigationis, & naufragii ſui ſocios baptizaſſe, ac Melitenſibus ad Chriſtum converſis dediſſe Publium Epiſcopum, antiqua traditio eſt. Quomodo ergo vere dixerit Innocentius, neminem Apoſtolorum, niſi Petrum, docuiſſe in iis inſulis? Rurſus in Hiſpania ſe prædicaturum, ſatis indicavit Paullus; & de facto prædicaſſe, concors fere Patrum, ac ſacrorum Interpretum, atque Hiſtoricorum, etiam Gallorum ſententia eſt. Quomodo autem, ſi teſtimonio Innocentii ſolus ex Apoſtolis Petrus in Hiſpania docuit?

CXXVII. Denique, ut plura alia miſſa faciam, Barnabam Gentibus prædicaſſe, colligitur ex Cap. 2. ad Galatas: & tota Inſubria, quæ certe pars nobilis Italiæ eſt, ægre feret, ut quiſpiam neget, eundem Barnabam in ea prædicaſſe, ut antiquiſſima traditio fert, teſtimonio S. Hippolyti Epiſcopi, & Martyris ſub initium ſæculi tertii confirmata in libello de LXXII. ubi ait, Barnabam ipſum Mediolani prædicaſſe. Quod & fatetur Baronius in Notis ad Martyrologium die undecima Junii, quamvis ibi refutet opinionem Alexandri monachi, ac Dorothei, ajentium, Barnabam primum omnium Romæ prædicaſſe; oſtendatque, id non contigiſſe, niſi decimo anno Claudii, quando diviſus fuit a Paullo, cum tamen Petrus Romam perveniſſet anno ſecundo ejuſdem Imperatoris. Quomodo ergo verum erit, ſolum Petrum, ejuſque Succeſſores in Italia docuiſſe, prout loquitur Innocentius, niſi verba illius accipiantur cum reſtrictione quadam, uti a nobis explicata fuerunt;

runt; aut ita, ut alius Apoſtolus non prædicaverit in iis locis, niſi ex conſenſu Petri, quemadmodum Cardinalis Turre-cremata interpretatur? Faceſſant itaque adverſarii opponere nobis id teſtimonium ad nauſeam repetitum, nec eandem crambem recoquant, aut noſtræ traditioni non adverſantem, aut certe ipſorum placitis contrariam, immo & diverſis ſacræ Scripturæ locis.

EXCURSUS X.

Inaniter cavillari recentiores illos, qui circa prædicationem S. Jacobi in Hiſpania majorem traditionis antiquitatem deſiderant, quam reipſa habeat. Porro illam non fuiſſe ortam in Concilio Toletano IV. ſed confirmatam pro ſacris Officiis Eccleſiarum Hiſpaniæ; quamvis forſan Scripta veterum illam teſtantia a primis ſæculis Eræ Chriſtianæ jam tum periiſſent.

CXXVIII. Ultimo, ac præcipue objicitur, de rebus adeo antiquis nihil prudenter affirmari poſse, quod non conſtet certo aliquo teſtimonio ejuſdem temporis, aut proxime ſequentis. Cum vero illud non habeamus circa prædicationem S. Jacobi in Hiſpania, ſed dumtaxat ex ſæculo ſeptimo, ac ſequentibus, videtur traditio illius recentior exiſtimari, & quæ potius ex Hiſpanorum pietate, ac devotione in ſanctiſsimum illum Apoſtolum, quam ex ſolido hiſtoriæ fundamento proceſſerit.

CXXIX. At qui ita argumentatur, plures Eccleſiaſticas traditiones, aut fere omnes rejiciat, neceſse eſt, quantumvis receptas a multis ſæculis communi Eccleſiarum, ac populorum conſenſu, ut patebit excurrenti per ſingulas earum. Vix enim ullam inveniet antiquioribus, & ſolidioribus teſtimoniis, fundamentiſque innixam, quam noſtram. Porro ejus initium non ducitur a ſæculo ſeptimo, ſed invenitur jam tum continuata illa, & alte infixa Eccleſiis omnibus, & Epiſcopis Hiſpaniæ anno DCXXXIII. quo convenere ad celebrandum Concilium IV. Toletanum, & decrevere, ut idem ordo, ac ritus ſervaretur ubique juxta Miſsale, ac Breviarium Hiſpanicum, ſive Iſidorianum. In eo autem erat Officium proprium S. Jacobi, & teſtata non ſemel ipſius prædicatio in Hiſpania, ut ſupra vidimus, præſertim nu. 45. & ſequentibus.

CXXX. Nec vero putandum, aut S. Iſidorum, aut reliquos Patres ejuſdem Concilii, aut ipſorum deceſsores, quotquot a primis ſæculis euſque celebres ſanctitate, & doctrina præceſserant, pro libito eam traditionem obtruſiſse, aut invexiſse; ſed potius a majoribus accepiſse, quaſi per manus, quemadmodum & in aliis traditionibus pure Eccleſiaſticis, & ab antiquiſſimo tempore receptis in tota Eccleſia accidit, quas nemo abſque impietate, & auſu temerario, ac immani reſpuere poteſt. Fortaſſis etiam extiterant antea fide digna gravium Scriptorum teſtimonia iis de rebus, poſtea aut injuria temporum, aut odio perſecutorum abſumpta. Quam jacturam lamentantur iidem Epiſcopi Hiſpaniæ in Miſſa Moz-Arabum ad diem SS. Martyrum Emeterii, & Celedonii, dum ajunt de Actis ipſorum: *Non illas paginas negligentia perdidit, nec caſus abolevit, nec vetuſtas carioſa corrupit, ſed malitia perſecutoris invidit.*

CXXXI. Sane ſub perſecutionibus Chriſtianorum in Hiſpania, tum tempore Neronis, ut ſupra vidimus Excurſu I. tum poſtea ſub Decio, tum denique ſub Diocletiano, & Maximiano, contingere facile potuit, ut plura Scripta ſacra ab ethnicis comburerentur, & in iis, quæ ſpectabant ad prædicationem S. Jacobi. Nimirum, teſte Euſebio Lib. octavo Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, Cap. 3. *per Imperatoris* (Diocletiani) *literas palam edictum fuit, ut deturbarentur Eccleſiæ, ſoloque æquarentur, ut Scriptura abſumerentur igni.* Verum quamvis nec Diſcipuli S. Jacobi, neque ullus alius primis Eccleſiæ ſæculis quidquam de illius prædicatione in Hiſpania ſcriptum reliquiſſet, ſola traditio quaſi per manus ducta a primis illis Chriſtianis ad poſteros, ſatis fuiſſet, ut S. Iſidorus, & alii Patres Concilii Toletani IV. illam certam haberent, & in ipſis ſacris Officiis palam profiterentur.

CXXXII. Apud quemnam, rogo, vel Apoſtolorum, vel Diſcipulorum eorundem, legitur ſcriptum, quod S. Petrus Antiochiæ unquam ſederit, vel quod Romæ ſimul cum Paullo martyrium ſubierit? Apud neminem certe illius temporis, vel ſequentis invenitur, uſque ad initium circiter tertii ſæculi, quo Clemens Alexandrinus, traditione Eccleſiæ Antiochenæ ductus, ſcripſit, Petrum in ea ſediſſe. Tertullianus vero ex traditione Eccleſiæ Romanæ, Petrum, ac Paullum ſimul cum doctrina Evangelica Romæ totum profudiſſe ſanguinem. Sed quamvis non extaret id Turtulliani teſtimonium, nec cujuſpiam alterius tribus primis Eræ Chriſtianæ ſæculis, monet Euſebius Lib. ſecundo Hiſtoriæ Eccleſ. Cap. 25. ſatis futuram traditionem Eccleſiæ Romanæ abſque ullis extrariis probationibus ad id credendum. Propterea enim ibidem inquit: *Nero at apertum ſe hoſtem Divinitatis, pietatiſque profeſſus eſt, ipſorum prius Apoſtolorum, quippe qui Duces, & Signiferi erant in populo Dei, expetit neces, & Paullum quidem capite in ipſa Roma, Petrum vero crucis patibulo condemnat. Horum teſtimonium quærere extrinſecus, ſuperfluum puto, cum rem geſtam, inſignia uſque in hodiernum diem, & ſplendidiſſima eorum monumenta teſtentur.*

CXXXIII. Porro eadem fere fundamenta concurrunt, ut veram credamus S. Jacobi in Hiſpania prædicationem. Dato enim quod quatuor primis Eccleſiæ ſæculis non extet, aut extaret pro illa teſtimonium aliquod Scriptorum, nequidem S. Hippolyti Epiſcopi, & Martyris tertio ſæculo, nec S. Hieronymi quarto, aut quinto, nec S. Aprigii, aut Venantii Fortunati ſexto (quod tamen multos affirmare ſupra vidimus) locus nobis eſt ad uſurpanda Tertulliani verba: *Horum teſtimonium quærere extrinſecus, ſuperfluum puto.* Nimirum, non egemus extrariis præſidiis, qui intra Hiſpaniam habemus antiquiſſimam traditionem, teſtatam ut minimum ab ineunte ſæculo ſeptimo uſque in diem hodiernum: quæ non quidem in Concilio IV. incœpit anno Chriſti DCXXXIII. ut ſupra num. 45. vidimus; ſed ſolum continuata fuit, & in Breviario, ac Miſſali Gotthico, ſive Iſidoriano, memorata ad feſtum diem Sancti Ja-

eobi Apoſtoli, pro omnibus Hiſpaniæ Eccleſiis.

CXXXIV. Extat ab antiquis ſæculis Cæſaraugultæ Baſilica illa veneranda, & columna, ſupra quam DEIPARA, adhuc inter mortales agens, Jacobo apparuiſſe creditur: comprobantibus id Pontificibus, Regibus, Epiſcopis, Hiſtoricis pene innumeris, & communi tam Hiſpanorum, quam exterorum eo adventantium conſenſu. Habemus præterea in Gallœcia ſtatim fere ab obitu S. Jacobi venerandum Corpus ipſius, veluti ſignum minime obſcuxum prædicationis in eodem loco dum viveret, juxta conſiderationem S. Hieronymi num. 28. indicatam. Habemus tot miracula, & prodigia ad Sepulchrum S. Jacobi Compoſtellæ facta, quorum partem oculis ipſis uſurpavit ſanctiſſimus Pontifex Calliſtus II. & Romæ publice prædicavit ſexcentis circiter retxo annis, conteſtatus ſæpe ejuſdem Apoſtoli in Hiſpania prædicationem. Mitto apparitiones ipſius in tot præliis adverſus Sarracenorum exercitus formidabiles, & tot centena millia Barbarorum, quorum non chiliadas modo, ſed & myriadas plurimas, Hiſpaniæ acies exiguo militum numero conſtantes, invocato S. Jacobi nomine, toties mixabiliter trucidarunt.

CXXXV. Præterea quidquid a D. Cardinali Baronio, aliiſque doctis homioibus objectum fuit, poſt accuratiſſimum examen tempore Urbani VIII. diſſipatum eſt, reſtituta Breviario Romano clauſula illa affirmante, quæ tempore Clementis Papæ VIII. intermiſſa, aut ſuſpenſa fuerat.

CXXXVI. Denique hæc eſt communis perſuaſio omnium animis inſita, ab antiquiſſimo tempore, cujus initium non invenitur, nec invenere Patres Concilii Toletani IV. undecim fere retro ſæculis congregati: veluti quæ ſtatim ab obitu S. Jacobi, & translatione ab Hieroſolymis in Hiſpaniam cœpiſſet. Claudo itaque Diſsertationem verbis ipſis Tertulliani: *Horum teſtimoniam quærere extrinſecus, ſuperfluum pato; cum rem geſtam, inſignia uſque in hodiernum diem, & ſplendidiſſima monumenta teſtentur.*

CXXXVII. Plurima alia ſpectantia ad prædicationem Sancti Jacobi, & Diſcipulorum, præſertim Toleti, & ad converſionem Hebræorum ejus nobiliſſimæ Urbis, prætermitto per otium legenda apud Chronica, & Adverſaria, a centum annis uſque modo evulgata nomine Dextri, Maximi, Helecæ, Loitprandi, Juliani Perez, & Hauberti Hiſpalenſis, atque illorum defenſores, Hieronymum Higuera, Laurentium Ramirez de Prado, Rodericum Caro, Thomam Tamajum, Franciſum Vibarium, Joannem Tamajum toto fere Martyrologio Hiſpano, Antonium Quintanaduennas, Gregorium Argaiz, & alios ſimiles. Nobis patriæ, ac nationis florentiſſimæ amor cum ipſo lacte hauſtus, non magis cordi eſt, aut eſse debet, quam ſtudium veritatis, cujus leges vetant dubia pro certis, aut ſpuria pro germanis obtrudere, aut venditare.

EXCURSUS XI.

Iterum de Conciliis illis primis, & de aliis pluribus, quæ ſecundo, ac tertio ſæculo dicuntur celebrata in Hiſpania. Porro fieri potuiſſe, ut aliqua eorum celebrarentur; de facto autem non conſtare, niſi ex Chronicis ſuſpectæ, aut nullius fidei, editis nomine Dextri, Maximi, Helecæ, Luitprandi, Juliani Perez, & Hauberti Hiſpalenſis.

CXXXVIII. Nimium forte immorati videbimur ſtabiliendæ uberius antiquiſſimæ traditioni de adventu S. Jacobi, & prædicatione in Hiſpania, deſumpta occaſione ex Conciliis, quæ primo ſæculo Eræ Chriſtianæ dicuntur celebrata ab ipſius Diſcipulis, tum Illiberri anno Chriſti LVII. tum vero deinde apud Cherrooenſem Urbem anno LX.

CXXXIX. Porro ex dictis hactenus ſatis firmiter colligitur, fuiſse locum, ut ea Concilia a præcipuis S. Apoſtoli Diſcipulis celebrarentur, præſertim imminente illa terribili Neronis perſecutione, Chriſtianis illata apud Hiſpaniam. Quod autem reipſa fuerint celebrata, nunquam certo affirmari poteſt. Veritas enim ejus facti unice fere pendet ex teſtimonio illo nomine Dextri edito in Chronico, a centum circitex annis invento, aut potius excogitato, quod, licet ſub initium hujus ſæculi, & deinceps, novantiqua rerum, ac temporum veriſimilitudine placuerit pleriſque, non vulgaribus modo hominibus, ſed etiam doctis; poſtea tamen ab aliis eruditioribus, & emunctioris naſi, tum Hiſpanis, tum exteris, rem accuratiſsime examinantibus, rejectum fuit, tanquam utminimum interpolatum; vel etiam uti intruſum, coagmentatum denſa ſaxragine, ὑποβολιμαῖον, ſubleſtæ fidei, atque, ut Græci inquiunt, θησαυρὸς ἄνθρακες. Itaque potuit fieri, ut ea Concilia inclinante primo ſæculo celebrarentur in Hiſpania: ſiquidem in ea florebant plures Epiſcopi ſanctitate inſignes, præſertim Diſcipuli S. Jacobi, & Chriſtiani plurimi ipſorum curæ commiſſi; ad quorum regimen, & inſtructionem oporteret aliquot Synodos cogi. Verum quod de facto celebrata fuerint hæc, aut illa Concilia in hoc, aut illo Hiſpaniæ loco, intra primum Eccleſiæ ſæculum, nemo veritatis amans affirmare audebit.

CXL. Eadem ſuſpicione laborant plura alia Concilia ſecundi, ac tertii ſæculi in eo pſeudo-Chronico, aliiſque ſimilibus Marci Maximi, Helecæ, Luitprandi, ac Iuliani Perez indicata, & recentius adhuc ſub nomine Hauberti Hiſpalenſis: id eſt, novæ alterius chimæræ, quadraginta circiter retro annis ortæ e cerebro cujuſdam Antonii Lupian de Zapata (ita appellari amabat) inſignis (ut multi Scriptores eruditi ſibi perſuadent) veteratoris, quem anno MDCLIII. vidi, & ſæpius allocutus fui in Regio meo Monaſterio S. Æmiliani, tota Hiſpania celeberrimo: ubi tunc ille ad tempus morabatur, evolvens pretioſam illam mſs. antiquiſſimorum ſupellectilem, & utinam non corrumpens mangonio aliquo. Neque audiendi ſunt quicumque recentiorum credulitate nimia, aut criſi non exacta, aut cæco patriæ amore, aut prurituno vita-

vitatum abducti, tot illas male feriatorum hominum quiſquilias in ſe recepere tuendas multis & vaſtis voluminibus. Et licet plurima vera in iis legantur, quæ alias in Scriptoribus probatæ auctoritatis habentur; adeo tamen figmentis variis miſta, & interpolata ſunt, ut nullam mereantur fidem, niſi quatenus inventa fuerint alioqui ſolidis fundamentis innixa.

CXLI. Itaque ſatis ſit breviter indicare prædicta Concilia ſubleſtæ fidei intra ſecundum, & tertium ſæculum, aſſignato unicuique anno, prout in iis pſeudo-Chronicis legitur: omnia certe, vel eo titulo esplodenda, quod nullius illorum meminerint Collectores antiqui, a nobis ſupra laudati Diſſertatione II. & ſpeciatim S. Iſidorus, qui tam accurato ſtudio, & labore collegit omnia Concilia, tum Græca, tum Latina, præſertim Hiſpaniæ, uſque ad annum DCXIX. Incipit enim ab Illiberritano, quod ineunte quarto ſæculo celebratum eſt, & deſinit in Hiſpalenſi II. cui ipſe præfuit. Sed veniamus ad ſingula Concilia apocrypha indicanda.

CXLII. Primo loco occurrit Concilium Toletanum, de quo Dextri nomine dicitur ad annum CV. num. 6. *Poſt aliquot annos ab adventu ſuo in Hiſpanias, Sanctus Eugenius M. Marcellus, rem Primatus Hiſpaniæ confert cum Viris ſanctis, & Primoriis, Epitecto Cæſaraugustano, & Philotheo ſocio peregrinationis ſuæ, Legato etiam S. Clementis, Vitalique, & Avito, qui profectus poſt ad inſulas Fortunatos Martyr fuit; Aulo Cornelio Palma, & P. Turano, Duumviris Toletanis, Catholicis Viris, multiſque Carpetaniæ, & aliunde Epiſcopis coactis.* Quam narrationem, omnibus retro ſæculis inauditam, multis exornat, & comprobare nititur eruditus Bivarius in ſuis ad Dextrum Commentariis, lucernam quidem olentibus, ſed male impenſis in defenſionem cauſſæ apud eruditiſsimos quoſque deploratæ.

CXLIII. Certe omnia ea verba, & pleraque alia ejuſdem farinæ ſparſa in illo pſeudo-Chronico, aliiſque ſimilibus ſimul fere natis, ſunt mera figmenta veteratoris cujuſdam, adulantis palam Eccleſiæ, & Urbi Toletanæ, quæ ejuſmodi quiſquiliis non egent ad ſuum Primatum, & ſplendorem aſſerendum. An vero Primatum dignitas, aut nomen eſſet in uſu eo ſecundo ſæculo, aut tertio ſequenti, examinabimus infra Diſsert. X. in Epiſtolam S. Anteri Papæ ad Hiſpanos. Excurſu II. ſicuti & de Primatu Eccleſiæ Toletanæ opportunior ſermo erit Tomo III, in Decretum Gundemari editum in Concilio Toletano anno DCX.

CXLIV. Secundum Concilium memoratur apud eundem pſeudo-Dextrum, veluti Toleti celebratum ad an. CXII. hiſce verbis: *S. Marcus Marcellus Eugenius Toleti Concilium ex Epiſcopis Carpetanis, & aliis, habet de rebus Fidei, ac morum.* Verba iſthæc affectata ſunt, ſicut & præcedentia, partim juxta modum loquendi veterum, partim juxta ſtylum recentiorum. Et ſane clauſula iſthæc: *de rebus Fidei, ac morum*, a non multo tempore, vel a paucis retro ſæculis introducta fuit.

CXLV. Tertium Concilium refertur mox Hiſpalenſe juxta pſeudo-Chronicon Hauberti ad annum Chriſti CLIS. hiſce verbis: *Hiſpoli Synodus contracta eſt XXXVI. Epiſcoporum, qui in agro congregati, in puteo profundo necati ſunt. Animæ ſanctæ eorum evolare ad Cælos viſæ ſunt a circumſtantibus, Corpora eorum a Chriſtianis. . . . ſunt.* Penultimam dictionem non expreſſit Antonius Lupian, ejus farraginis architectus, ſed punctis implevit; ut ſuaderet antiquitatem ms. autographi, quaſi literæ longiſsimo temporis curſu detritæ eſsent. Sed enim recentiora erant omnia, uti poſtea conſtitit, deprehenſis ſchedis, & mangonio detecto. Sane Hauberti defenſorem ſatis notum, dum viveret, ſæpe voce, & ſcripto monui, ne fideret veteratori illi, nec illineret tot paginas illius figmentis. Verum is nihil moratus judicium meum, & plurium doctiſsimorum hominum, veras Hiſpaniæ laudes amantium, & reſpuentium fabuloſas, perſtitit in antiquo præjudicio.

CXLVI. Quartum eſt Bracarenſe apud pſeudo-Chronicon Juliani (uti appellant) Archipresbyteri Sanctæ Iuſtæ, ſive Iuliani Perez (ut frequentius nominari ſolet) num. 105. ad annum CCLII. de quo ille ait: *In cauſſa Novati habentur in Hiſpaniis crebra Concilia; ſcilicet, Bracaræ, Emeritæ, Tarracone, Hiſpoli, Toleti, & alibi.* Quemadmodum placuit pſeudo-Iuliano obtrudere, ac multiplicare Concilia, ita & Hauberto Martyres, quorum nullum veſtigium in antiquitate Chriſtiana, aut traditionem invenire hactenus licuit. Et certe eo tempore, quo perſecutio Gentilium graſſabatur apud Hiſpanias ſub Daciano immaniſsimo Præſide, nullus erat locus Epiſcopis cogendi tot Synodos ſub initium ſæculi quarti, aut ſub aliis Præſidibus circa medium tertii ad conveniendum, ac damnandum hæreſim Novati, quæ vix exorta, Romæ jugulata fuit a S. Cornelio Papa circa eundem annum CCLII. nec egebat ulteriori anathemate. Et fortaſse nec tunc, nec multis poſt annis ad Hiſpanos notitia pervenit illius erroris. Quin potius illum ipſum longo tempore inde elapſo renovatum fuiſse a Patribus Concilii Illiberritani, aut Eliberitani, cenſuerunt, aut ſaltem ſuſpicati ſunt aliquot Viri docti, & Catholici; quamvis immerito prorſus, ut infra in Commentariis ad idem Concilium demonſtrabitur.

CXLVII. Quintum apud eundem Julianum eſt Tarraconenſe cum pluribus aliis ad annum CCLSX. num. 111. ubi ita legitur: *Habentur etiam frequenter Synodi Tarracone, Hiſpali, Carthagine, Bracaræ, Toleti, Emeritæ, an Baptiſmus collatus ab hæreticis cum intentione faciendi quod Eccleſia prætendit, validus ſit. Concluſit validum, nec ſic ab hæreticis baptizatum, baptizandum.* Admiranda Conciliorum multitudo in una Hiſpania ſub crudeliſſimis perſecutoribus, ſi vera. Sane jam a Sancto Stephano I. Papa ab anno circiter CCLVI. Romæ proſcripta fuerat opinio plurimorum Aſiæ & Africæ Præſulum, qui baptizatos ab hæreticis iterum baptizandos tuebantur. Ad quid igitur in Hiſpania tot Concilia quatuordecim annis poſtea, ut doctrina a Romano Pontifice tradita adverſus eoſdem rebaptizantes examinaretur, aut ſtabiliretur?

CXLVIII. Legimus quidem, plura Concilia, ſive conventus Epiſcoporum circa eam controverſiam præceſſiſſe in Aſia cum S. Firmiliano, & in Africa cum S. Cypriano, ſicuti & Romæ ſub Stephano Papa. Quod autem in Hiſpania circa

eam quæſtionem habita fuerit aliqua Synodus, ſeu Concilium, nemo antiquorum dixit, nulla traditio id fert. Sinamus, Julianum Perez inclinante ſæculo undecimo, aut incipiente duodecimo (tunc enim floruiſſe dicitur) id affirmaſſe, nec fictum, aut commentitium eſſe Chronicon ejus nomine editum. Sinamus, inquam. Cur præſtanda ſit Juliano fides de rebus, quæ novem ſæculis ante tempus ipſius contigiſſe dicuntur; ubi nullum antiquorum teſtimonium, nullam omnino traditionem ſibi faventem allegare potuit?

CXLIX. Itaque non negamus poſſibilitatem Conciliorum intra duo priora ſæcula Eræ Chriſtianæ, ſed factum dumtaxat, ſive quod reipſa fuerint celebrata. Potuerunt quidem eo tempore multa accidere, quæ tamen non conſtat accidiſſe. Dum autem non conſtat fide dignis teſtimoniis aliquid unquam accidiſſe, quamvis poſſibile fuerit, falſo affirmatur, & temere creditur. Quin & nulla ejuſmodi Concilia unquam in Hiſpania de facto habita fuiſſe, videtur certum: quoniam Epiſcopi Hiſpani, qui tam impenſe curarunt Collectionem Conciliorum, ſive Codicem Canonum, initio cujuslibet Synodi legi ſolitum clara voce a Diacono Alba induto (ut conſtat ex variis Actis Conciliorum Hiſpaniæ) nullum invenire potuerunt antiquius Eliberitano. Hoc autem conſtat celebratum fuiſſe ſæculo quarto incipiente, aut ineunte. Non ergo antea ullum In Hiſpania Concilium habitum fuerat; aut dato, quod forſan celebratum ſit, nemo id, niſi temere, affirmare poteſt.

CL. Sextum refertur ad tempus S. Anteri Papæ & Martyris anno circiter ccxxxv. quo creditur ſcripſiſſe celebrem illam Epiſtolam ad Epiſcopos Hiſpaniæ, paullo poſtea exſcibendam, & examinandam, qua illorum conſultationibus reſpondet. Porro Ambroſius de Morales, diligens veſtigator rerum antiquarum Hiſpaniæ, & ingenuus Scriptor, cenſet, ab iiſdem Epiſcopis coactam fuiſſe tunc aliquam Synodum, in qua occurrerunt dubia circa quædam capita diſciplinæ Eccleſiaſticæ, & præſertim circa translationes Epiſcoporum: quæ communi eorum Patrum decreto ad Sedem Apoſtolicam dirimenda mitterentur.

CLI. Veroſimilis quidem conjectura, ſemel poſita ejus Epiſtolæ αὐθεντίᾳ, quam Diſſert. X. aſſerere ſtudebimus. At enim adhuc non ſatis ſolide colligitur, neque prudenter affirmari poteſt, aliquod Concilium eam ob cauſſam fuiſſe in Hiſpania habitum. Sufficiens enim conſultationis illius ratio eſſe potuit, quod aliquot Epiſcopi Hiſpaniarum inter ſe verbo, aut ſcripto dubitarent, aut conferrent circa ea, quæ in illa Epiſtola habentur; & proinde Romanum Pontificem conſulerent, ut ſemper moris fuit in Eccleſia. Et quotidie experimur e toto orbe Chriſtiano literas ſimiles ab Epiſcopis, tum diviſim, tum conjunctim, mitti ad Apoſtolicam Sedem, quin propterea in Concilio aliquo congregati fuerint. Vide infra Diſſert. X. num. 12.

CLII. Septimum dicitur celebratum Toleti anno cclx. tempore S. Xyſti II. Papæ juxta teſtimonium celebre S. Vincentii Ferrerii, qui in Serm. de S Laurentio ait: *S Xyſtus Papa vadens ad celebrandum Concilium Toletanum, fecit tranſitum per Cæſarauguſtam, & audita fama B. Laurentii, vocavit eum, &, ſcita ſua ſanctitate, duxit eum ſecum &c.* Porro S. Xyſtum adiiſſe Hiſpaniam, multi ante, & poſt tempus S. Vincentii Ferrerii dixiſse perhibentur. Ex anterioribus Martinus Polonus, qui circa annum MCCL. ſcripſit, Lib. 4. Chronici Cap. 175. & Jacobus de Voragine (tempore mihi incerto) in *Legenda Aurea* Cap. 112. Ex poſterioribus autem Vaſæus ad annum CCLVII. Garibay Lib. 7. Cap. 33. Illeſcas Lib. 1. Hiſtor. Pontif. Cap. 27. ii omnes priuſquam nova illa Chronica Dextri, & ſociorum ſuperius indicata apparerent. Nam poſtquam in lucem prodiere, omnes illorum defenſores eandem narrationem, quaſi pro aris & focis tuentur, ducti potiſſimum verbis his Dextro tributis ad ann. CCLX. num. 5. *Toleti ſub Xyſti Papæ Legato Concilium contructum eſt.*

CLIII. Sed enim imprimis occurrit oppoſitio inter verba S. Vincentii, ac Dextri; nam ille videtur tribuere id Concilium Xyſto II. jam Pontifici adeunti Hiſpaniam ad illud celebrandum. Dexter vero ſolum adſcribit cuidam alteri, Legato Xyſti Papæ. Utrumvis autem dicatur, difficile creditu eſt; cum nullum omnino extet Chriſtianæ antiquitatis indicium, nec traditio adventus Xyſti in Hiſpaniam; nec Pontifices in eo tantæ paupertatis, ac perſecutionis ſtatu ſolerent mittere Legatos, præſertim ad Regna procul diſſita; nec exiguum tempus, quo Xyſtus Sedem Apoſtolicam rexit, videtur locum dediſſe, ut relicta Roma Hiſpaniam peteret ad Concilium inibi celebrandum. Vixit enim ſolum in Pontificatu annum unum, menſes decem, dies viginti tres: ut jam vidimus ſupra in Catalogo illo Pontificum vetuſtiſſimo totius Bibliothecæ Vaticanæ. Præterea Xyſtus in eo brevi Pontificatus tempore jam erat ſenex, ut indicant verba ipſius ad S. Laurentium: *Nos quaſi ſenes levioris pugnæ curſum recipimus.* Unde minus credibile eſt, Pontificem ſenem intra breve regiminis tempus tam longa itinera emenſum fuiſſe. Porro S. Vincentius Ferrerius videtur eam narrationem ſumpſiſſe ex Martino Polono Ordinis Prædicatorum, loco nuper indicato, cujus auctoritas in Hiſtoria eſt exigua, ut notum eſt, & ſpeciatim monet Bellarminus, dum loquitur de illo in Libro, *De Scriptoribus Eccleſiaſticis*, circa medium ſæculi decimitertii. Denique nec pſeudo-Dexter, nec ullus veterum Scriptorum indicat, quam ob cauſſam, vel quibus Hiſpaniæ Epiſcopis intervenientibus, Xyſtus id Concilium Toleti celebraverit, ſive per ſeipſum, ſive per Legatum aliquem.

CLIV. Maneat itaque Concilium prædictum, inſtar aliorum præcedentium, intra limites ſolius poſſibilitatis, ex qua ſola non niſi temere proceditur ad aſſerendum factum. Quare oportet concludere, licet veroſimile ſit intra tria ſæcula priora Eræ Chriſtianæ aliquot Concilia ab Hiſpanis Epiſcopis celebrata fuiſſe, tamen de facto non ſatis conſtare, an ita contigerit, & multo minus quonam Hiſpaniæ loco habita ſint. Unde nullus eorum, qui a tempore S. Leonis Magni uſque modo laborarunt in colligendis Conciliis ubique terrarum celebratis, nec S. Iſidorus adeo diligens eorum compilator, ullum Hiſpanicum invenerunt, aut leviter indicarunt, adhuc in cauſſa illa celebri Baſilidis & Martialis, intra tria priora ſæcula Eræ Chriſtianæ. Reliquum itaque eſt, ut primum omnium Conciliorum Hiſpaniæ, quorum notitia certa habetur, fuerit Illiberitanum, quod poſtea ſuo tempore proferemus.

JO-

JOSEPHI CATALANI ADDITIO.

De prædicatione S. Jacobi Majori in Hiſpania, de qua fuſe diſſerit præſtantiſsimus Cardinalis de Aguirre tota fere Diſſertatione IX. jam tum ante, tum poſt ipſum quamplurimi Auctores doctiſsimi ſcripſere, noviſſime vero doctiſſimus Sacræ Theologiæ Magiſter Fr. Henricus Florez, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, publicus in Univerſitate Complutenſi Lector, & penitioris Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ, & diſciplinæ Hiſpanæ præſertim peritiſſimus, in Opere Hiſpanice ſcripto, cui Titulus, *Eſpanna Sagrada &c.* Tomo III. Sed non deſunt Scriptores, qui ei opinioni affirmanti prædicationem S. Jacobi in Hiſpania adverſantur, quorum meminit amicus noſter Vir Clariſſimus Fr. Thomas Maria Mamachius Ordinis Prædicatorum, Theologus Caſanatenſis in ſuo celeberrimo Opere inſcripto, *Originum, & Antiquitatum Chriſtianarum*, Lib. II. Cap. XXIII. Quidquid ſit, nihil fere de ea quæſtione dictum huc uſque videtur, quod præſtantiſſimus Cardinalis de Aguirre in deſcripta hactenus Diſſertatione prætermiſerit. Porro queritur paſſim hic Auctor de Gallis, ac præſertim de Natali Alexandro, quod adverſi Hiſpanis, eorumque gloriæ invidentes, S. Jacobum prædicaſſe in Hiſpaniis, perperam negent. Verum, ut aliquid nos & de ea quæſtione hoc loco dicamus, operæ pretium duximus Auctore Gallo uti, Viro Clariſſimo Ambroſio Gardeboſc Carmelita in Univerſitate Perpinianenſi olim Artium Profeſſore, ac deinde in Academia Toloſana Anteceſſore Regio. Is plane in ſua Hiſtoria Eccleſiaſtica Tom. I. Diſſertatione III. Quæſtione I. pluribus demonſtrare conatus eſt, probabilius eſſe, Jacobum in Hiſpaniis Evangelium prædicaſſe, quam non prædicaſſe. Sic autem ille loco citato inquit.

Majorem hanc probabilitatem demonſtraturus, utriuſque opinionis, affirmativæ nimirum, & negativæ, hic fundamenta deſcribam, ut dignoſcatur, quæ ſolidiora ſint. Addam & ſolutiones, quibus utriuſque opinionis aſſertores oppoſitis reſpondent argumentis; inde enim eventurum ſpero, opinionem affirmativam negativæ præferri; quamquam non ſit omnino certa, neque indubitatis rationibus fulciatur.

Primum itaque fundamentum opinionis affirmativæ eſt authoritas Libri, qui inſcribitur *S. Iſidorus de vita & morte Sanctorum*, Cap. 43. ubi de Jacobo Majore hæc habentur: *Hiſpaniæ atque Occidentalium locorum populis Evangelium prædicavit.*

Secundum fundamentum eſt vetus Breviarium Toletanæ Eccleſiæ ab eodem S. Iſidoro Hiſpalenſi editum, in quo ſequentes leguntur verſus deſignantes, Jacobum in Hiſpanias aliquando profectum fuiſſe, eamque Provinciam, quam appellat lævam, Chriſtum ipſi conceſſiſſe in Regno ſuæ Eccleſiæ, ſicut Aſia, quam vocat dexteram, ſorte obtigit S. Joanni.

Magni deinde filii tonitrui
Adepti fulgent prece matris inclitæ,
Utrique vitæ culminis inſignia,
Regens Joannes dextra ſolus Aſiam,
Et lævu frater poſitus Hiſpaniam.

Tertium fundamentum eſt authoritas Venerabilis Bedæ in Collectaneis, ubi agens de Apoſtolorum diviſione, Jacobum in Hiſpanias aliquando profectum fuiſſe affirmat. Eamdem veritatem docuit Turpinus, vel Tilpinus Rhemenſis Archiepiſcopus in L. *De geſtis Caroli Imperatoris.*

Quartum fundamentum eſt authoritas Calixti II. qui Litteris Apoſtolicis traditionem adventus S. Jacobi in Hiſpanias confirmat.

Quintum eſt teſtimonium S. Juliani Epiſcopi Toletani, qui floruit in 7. Eccleſiæ ſæculo, quique in Commentariis in Nahum Proph. quos edidit Henricus Caniſius ex vetuſto Miſſali Bibliothecæ Bavaricæ, hæc verba, Cap. I. *Et nebula pulvis pedum ejus*, ſic exponit de Apoſtolis: *Pedes Domini fuerunt, qui eum prædicando per univerſum orbem detulerunt: Petrus enim eum Romam, Andreas Achaiam, Joannes Aſiam, Philippus Galliam, Bartholomæus Parthiam, Simon Ægiptum, Jacobus Hiſpaniam .... quiſque ſua ſorte Chriſtum ſparſit ſine ſorde: per Paulum vero toto diſpergitur orbe.* Jam ergo in 7. ſæculo credebatur adventus Jacobi in Hiſpanias.

Sextum fundamentum deſumitur ex Fraculpho Lexovienſi Epiſcopo, qui Lib. 2. Chron. Cap. 4. ſcribit, S. Jacobum Hiſpaniæ, & Occidentalium locorum populis Evang. prædicaſſe. Huic conſentiunt Vualfridus Strabo in Poemate, *De 12. Apoſtolis*, Notkerus Monachus Sancti Gallii in Martirologio ad diem 25. Julii, & quidam alii recentiores, qui Hiſtoriæ adventus S. Jacobi in Hiſpanias, tamquam rei certiſſimæ meminerunt.

Septimum fundamentum eſt antiquiſſima traditio Eccleſiarum Hiſpaniæ de Templo, quod Beatiſſimæ Virgini Deiparæ Jacobus Cæſarauguſtæ conſecravit, quod Templum vocatur Sancta Maria del Pilar, eo quod Deipara adhuc vivens Jeroſolimis, Jacobo apparuerit Cæſarauguſtæ, ſupra columnam lapideam, quæ adhuc ſumma Fidelium veneratione colitur. Hæc ſunt fundamenta præcipua, quibus ſtabilitur eorum opinio, qui putant, S. Jacobum in Hiſpaniam aliquando profectum, ibi Evangelium prædicaſſe.

Fundamenta opinionis oppoſita, quibus oſtenditur, narrationem adventus S. Jacobi in Hiſpaniam, fabulam potius eſſe, quam hiſtoriam, hæc ſunt.

Primum itaque fundamentum opinionis negantis eſt Authoritas Scripturæ Sacræ, deſumpta ex Actibus Apoſtolorum, ubi legitur, Apoſtolos tunc ſolum diviſos fuiſſe, ut ad remotas terræ Provincias Chriſti Religionem veherent, quando in Eccleſiam hæc ab Herode mota eſt perſecutio, in qua Jacobus frater Joannis occiſus eſt: nam ſi Jacobus in Hiſpania aliquando prædicaſſet, vel in illam veniſſet Provinciam ante diviſionem, vel poſt diviſionem Apoſtolorum, neutrum tamen contigere potuit. Non primum quidem, quia ante diviſionem prædictam Apoſtoli extra Iudæam non prædicabant, vel in ſolis Civitatibus Iudææ finitimis prædicabant, vel ſolis prædicabant Iudæis, quos in Hiſpania iis temporibus habitaſſe, eſt valde incertum. Non etiam ſecundum, quia Iacobus jam ante diviſionem Apoſtolorum occiſus fuerat. Numquam ergo S. Iacobus in Hiſpania Evangelium prædicavit.

Secundum fundamentum eſt teſtimonium

ejuſ-

ejuſdem Scripturæ deſumptum ex Capite 15. ad Romanos, ubi hæc leguntur: *Sic autem prædicavi Evangelium hoc, non ubi nominatus eſt Chriſtus, ne ſupra alienum fundamentum ædificarem, ſed, ſicut ſcriptum eſt, quibus non eſt annuntiatum de ea, videbunt, & qui non audierunt, intelligent. Propter quod & impediebar plurimum venire ad vos, & prohibitus ſum uſque adhuc, nunc vero ulterius locum non habens in his regionibus, cupiditatem autem habens veniendi ad vos, ex multis jam præcedentibus annis, cum in Hiſpaniam proficiſci cœpero, ſpero, quod præteriens videam vos, & a vobis deducar illuc, ſi vobis primum ex parte fruitus fuera.* Ex hoc teſtimonio duo certa colliguntur. Primum eſt, Sanctum Paulum iis tantum in locis Evangelium prædicaſſe, in quibus antea prædicatum non fuerat. Secundum eſt, eumdem Apoſtolum, vel in Hiſpanias fuiſſe profectum aliquando, ut inferius oſtendetur, vel ſaltem meditatum fuiſſe proficiſci: quæ duo cohærere non poſſunt, ſi S. Iacobus ante diviſionem Apoſtolorum in Hiſpaniis prædicaſſet Evangelium..

Tertium eſt authoritas Innocentii I. qui in Epiſt. ad Decentium Eugubinum Epiſcopum hæc ſcribit: *Præſertim cum ſit manifeſtum, in omnem Italiam, Gallias, Hiſpanias, Africam, atque Siciliam, Inſulaſque interjacentes nullum inſtituiſſe Eccleſias, niſi eos, quos Venerabilis Apoſtolus Petrus, aut ejus Succeſſores conſtituerunt Sacerdotes, aut legant, ſi in iis Provinciis alius Apoſtolorum invenitur, aut legitur docuiſſe: quod ſi non legunt, quia nuſquam inveniunt, oportet eos hoc ſequi, quod Eccleſia Romana cuſtodit, a qua eos principium accepiſſe non dubium eſt.* Jacobus ergo in Hiſpaniis non prædicavit.

Quartum fundamentum eſt controverſia, quæ tempore Concilii Lateranenſis IV. agitata fuit inter Archiepiſcopos Toletanum, & Compoſtellanum, de jure Primatus, quo fruebatur Toletanus per totam Hiſpaniam, quodque Compoſtellanus Antiſtes ſibi arrogare nitebatur, hac ductus ratione, quod S. Jacobi Sacræ Reliquiæ Compoſtellæ requieſcerent, necnon ille Apoſtolus Fide Hiſpanias imbuiſſet. Sed quid inde contigit? Rodericus negavit, fieri potuiſſe, ut Iacobus in Hiſpaniis uſquam Evangelium prædicaverit, ac teſtatus eſt, ſe nihil umquam de hujuſmodi prædicatione audiviſſe a Viris eruditis, ſed a piis mulierculis, ac perſonis religioſis, cum adhuc eſſet junior; cui objectioni nihil repoſuit Compoſtellanus Epiſcopus, quia quod reponeret non habuit.

Quintum fundamentum eſt Epiſt. Gregorii VII. Papæ ſcripta anno 1074. ex qua habetur, Eccleſiam Romanam ad hæc uſque tempora, vel ignoraſſe, vel rejeciſſe, quæcumque ferebantur de itinere S. Iacobi in Hiſpanias; ſic ergo loquitur is Romanus Pontifex, poſtquam aſseruit, Hiſpanos populos ſuam Fidem traxiſse a S. Paulo, qui illic prædicavit, & a Petro & Paulo, qui ſeptem primos illius gentis Epiſcopos direxerunt: *Unde enim non dubitatis vos ſuſcepiſſe Religionis exordium, reſtat etiam, ut inde recipiatis in Eccleſiaſtico ordine divinum Officium, quod Innocentii Papæ ad Eugubinum directa Epiſcopum vos docet Epiſtola: quod Hormiſdæ ad Hiſpalenſem miſſa decreta inſinuant: quod Toletanum, & Bracarenſe demonſtrant Concilia.* Igitur ad Petrum & Paullum, non vero ad Jacobum, refundenda eſt inſtitutio Eccleſiæ Hiſpaniarum.

Hæc ſunt fundamenta utriuſque ſententiæ, quibus addo eorumdem fundamentorum ſolutionem, ex qua non obſcure apparebit, ut ſpero, affirmantem opinionem probabiliorem eſse negante.

Solvuntur fundamenta opinionis affirmantis.

Primum itaque fundamentum pro ſententia affirmante ſolvitur dicendo, Librum de vita & morte ſanctorum, cujus authoritas uſurpatur, non eſſe germanum Opus Iſidori Hiſpalenſis Epiſcopi, quo authore indigna ſunt plura, quæ eo in Opere continentur; illud inprimis, quod de Authore Epiſtolæ Jacobi aſſeverat, nimirum eum eſſe Jacobum fratrem Joannis, contra titulum Epiſtolæ docentem, eam fuiſſe ſcriptam a Jacobo fratre Domini.

Solvitur ſecundum dicendo, Officium quod legitur in Breviario Toletano, huic additum fuiſſe poſt Sæculum 13. vel hujuſmodi Officium non fuiſſe approbatum a Romana Sede, cujus traditio de Eccleſia Hiſpaniarum fundata per Petrum & Paulum, & per Epiſcopos ab ipſis in Hiſpanias miſsos, anteponenda eſt traditioni ſingularis Eccleſiæ Toletanæ.

Solvitur tertium dicendo, Collectanea illa eſse falſo ſuppoſita Venerabili Bedæ; eſt enim opus indignum tam erudito Authore, cum nihil ſit, quam rudis indigeſtaque næniarum farrago: inter eas nænias iſtæ duæ leguntur. 1. Quod forte Jacobus Hiſpaniam acceperit. 2. Quod Philippus Fidem intulerit in Gallias, quæ duo falſiſſima ſunt; acceptio enim Provinciarum in ſortem Apoſtolici muneris, facta eſt ſolum poſt martyrium S. Jacobi; nec ad Gallias uſque penetravit ullus Apoſtolorum ad prædicandum Evangelium Chriſti.

Solvitur quartum dicendo, falſam eſſe narranem Callixti, eique Summo Pontifici falſo adſcriptam, cum in ea, cujus meminimus, controverſia inter Epiſcopos Toletanum & Compoſtellanum, Epiſcopus Compoſtellanus pro ſe eam Callixti authoritatem non retulerit, quamquam juſtiſſimam habuerit cauſam eam referendi adverſus Toletanum, qui jus Primatus ſibi tribuendum eſse probavit authoritate ejuſdem Callixti his verbia: *Si antiquitatem Compoſtellanæ Eccleſiæ pro te facere exiſtimas: antiquitas iſta centum, & novem annorum ſpatio continetur, quod ſic perſuadeo. Dominus Callixtus Papa ad inſtantiam Principis, & Populorum Hiſpaniæ, Metropolicam jus antiquæ, & celeberrimæ Civitatis Emeritenſis Compoſtellam tranſtulit anno Domini 1124. tum quia Civitas Emeritenſis erat ſub dominio Sarracenorum inſtituta, tum quia peregrinantium devotio ob reverentiam B. Jacobi, cujus Corpus ibidem creditur eſſe ſepultum, in melius ſemper creſceret.* Quomodo autem Toletanus Epiſcopus auſus eſset adverſus Compoſtellanæ Eccleſiæ antiquitatem Callixtum citare, ſi ipſius Callixti Litteræ extitiſsent. confirmantes traditionem adventus S. Jacobi in Hiſpanias.

Solvitur quintum dicendo, incertum eſse, an illud opus ſit Juliani Toletani? quia verſus Leonini, qui leguntur in fine citati teſtimonii indicant Authorem Sæculo 7. atque adeo Juliano po-

poſteriorem. Sed licet hoc opus Juliano jure tribueretur, major ipſi fides concedenda non eſt, quam Innocentio I. Hormiſdæ, & Gregorio VII. Romanis Pontificibus, quorum authoritas ſuperius citata fuit. Præterea Julianus erravit ſcribendo, Philippum Apoſtolum in Galliis prædicaſse Evangelium; cur in Jacobo etiam non potuiſset errare?

Solvitur 6. dicendo, opinionem de adventu Jacobi in Hiſpanias invaluiſse poſt 8. ſæculum, eamque Freculphum, alioſque poſteriores Scriptores ſuſcepiſse ſine ullo examine, quorum adeo authoritatem magni ſacere non debemus, in eo, in quo, & Scripturæ, & antiquioribus Eccleſiæ Patribus opponitur.

Solvitur denique ſeptimum dicendo, eſse improbabile, Templum illud, de quo agitur, a S. Jacobo Cæſaraug. fundatum fuiſse iis temporibus, quibus nulla adhuc erant Templa Chriſtianis, qui privatis in domibus cætus ſuos agere cogebantur. Præterea non eſt veriſimile, Deiparam adhuc viventem juſſiſse Jacobo, ut ipſi Templum erigeret; id enim pati non poterat ſumma illius humilitas.

Fundamenta opinionis negantis ſolvuntur.

Nunc ſolvenda ſuperſunt fundamenta opinionis negantis, quod facili negotio mandabitur executioni. Et primum quidem facile ſolvitur, dicendo, S. Jacobum non fuiſse profectum in Hiſpanias poſt perſecutionem motam ab Herode Agrippa, quia in ea perſecutione occiſus eſt, ſed ante eam perſecutionem, & generalem diviſionem Apoſtolorum, forte paulo poſt necem S. Staphani; quamquam enim tunc ab Apoſtolis ſuſcepta non fuerit converſio Gentilium, Judæis tamen non ſolum in Judæa, verum etiam in aliis terræ partibus Chriſtum annuntiarunt, ut in Actis Apoſtolorum refertur de Diſcipulis poſt necem Stephani diſperſis. Præterea ante generalem diſperſionem Apoſtolorum, Petrus Antiochenam fundavit Eccleſiam, & in Ponto, Galatia, Cappadocia, &c. Evangelium prædicavit, ſaltem Judæis per illas diſperſis Provincias. Quænam igitur eſt repugnantia, quod S. Jacobus eodem tempore in Hiſpanias ſe contulerit, ut Judæis in ea terræ parte commorantibus Chriſtum annuntiaret? Cum inter deſcenſum Spiritus Sancti, & generalem Apoſtolorum diviſionem, ac proinde mortem S. Jacobi, 12. aut 10. ſaltem anni effluxerint, & nihil omnino de ipſo dicatur in Actibus Apoſtolorum, ſignum eſt non obſcurum, ipſum in longinquas abiiſse nationes, neque ullum de eo Lucam nuntium accipere potuiſse, ut de ejus itinere meminiſset, donec Jeroſolimam reverſus eſt. Cæterum ſi in longinquas Jacobum profectum fuiſse Provincias concedatur, cur ſine ſolido fundamento negaretur ejus adventus in Hiſpanias?

Solvitur 2. dicendo, ut jam ſuperius dictum eſt, prædictum Pauli teſtimonium in toto rigore non eſse ſumendum, quaſi Paulus numquam Evangelium prædicaverit iis in locis, in quibus antea fuerat prædicatum: in eo enim ſenſu generali falſiſſimum eſt, cum Paulus Romæ poſt Petrum prædicaverit, ut infra probabitur, & idem Apoſtolus per annum integrum docuerit Antiochiæ, in qua Urbe ii Fideles, qui diſperſi fuerant poſt necem Stephani, & Iudæis, & Græcis Chriſtum annuntiarant, ut dicitur Act. 11. In eo igitur ſenſu debet intelligi teſtimonium Pauli, quod ibi tantum Paulus Evangelium prædicavit, ubi nondum, data opera, fuerat ſuſcepta converſio Gentilium, ſed Iudæorum dumtaxat; Apoſtoli enim, aliique Chriſti Diſcipuli ante generalem diviſionem ad Iudæos ſolum mittebantur, licet aliquando Gentibus ea occaſione prædicarent; quia igitur Iacobus in Hiſpaniis conſtitutus ſolis Judæis prædicavit, neque Gentilium illius regionis converſionem ſuſcepit; potuit, ſine ulla repugnantia (etiam hoc adventu ſuppoſito) dici, Paulum in Hiſpanias profectum fuiſse, ut infra ſuo loco dicetur.

Solvitur 3. dicendo, Innocentium I. in eo ſenſu eſse intelligendum, quo teſtimonium Pauli expoſitum eſt, nullum ſcilicet ex Apoſtolis in Hiſpania fundaſse aliquam Eccleſiam, aut in ea Provincia docuiſse Gentiles. Unde cum Jacobus in Hiſpania ſolum prædicaverit Judæis, qui forte paulo poſt ea Hiſpania receſserunt, ut reverterentur in Judæam: jure merito dicere potuit Summus Pontifex, inſtitutionem Eccleſiæ Hiſpaniarum, non ab aliquo Apoſtolorum, ſed a Romana Sede ortum duxiſse.

Solvitur 4. dicendo in controverſia, quæ de jure Primatus orta eſt olim inter Epiſcopos Toletanum, & Compoſtellanum, Toletanum jure merito contempſiſse rationem, quam pro ſe afferebat Compoſtellanus, deſumptam ex eo, quod eam Eccleſiam Jacobus fundaſset: neque enim jus Primatus ex dignitate fundatoris ulli debetur Eccleſiæ, cum Joannes Apoſtolus plures in Aſia Eccleſias fundaverit, quæ tamen jus illud Primatus ſupra alias Eccleſias non habuerunt. Similiter Sedes Conſtantinopolitana, quam diximus fundatam fuiſse ab Andrea Apoſtolo, uſque ad 2. Synodum Oecumenicam, fuit Sedes præciſe Epiſcopalis ſub Metropoli Heracleæ conſtituta, neque jus Primatus ipſi conceſsum eſt, niſi quia facta fuerat Imperatoria Sedes, & nova Roma. Quod ſpectat ad Epiſcopum Toletanum, qui dixit, ſe nihil umquam audiviſse de adventu Jacobi in Hiſpanias, niſi a piis mulierculis, dico, eum in eo credendum non eſse, in quo ſuum jus confirmare conatus, quantum poterat jus adverſarii infirmabat.

Solvitur denique 5. dicendo, non ſine cauſa Gregorium VII. aſseruiſse, Hiſpaniarum Religionem a Petro, & Paulo duxiſse ortum: non quod Jacobus eam apud Gentem non prædicaverit Evangelium, ſed quod ejus prædicatio modicum protulerit fructum: ſolis quippe Judæis Chriſtum annuntiavit Jacobus, qui forte pauciſſimi erant in iis diſſitis nationibus, & ex quibus non potuit Eccleſiam conſtituere, quæ deinceps perſeveraret. Præterea authoritas Gregorii VII. in re, quæ contigit in 1. Eccleſiæ ſæculo, ſeu in ipſis Chriſtianæ Religionis incunabulis, non eſt maximi ponderis.

Probabilitas opinionis affirmantis prædicationem S. Jacobi in Hiſpania præ opinione negante oſtenditur.

Cæterum, ut probetur major probabilitas opinionis affirmantis, præ opinione negante, oſtendendum eſt, ſolutiones datas fundamentis opinionis negantis, nulla poſse reſponſione infirmari: ſecus vero ſolutiones datas fundamentis opinionis affirmativæ. Primum conſtabit

cui-

cuique eas ſolutiones attente legenti. Secundum vero deinceps ſequentibus reſponſis manifeſtum fiet.

Dico itaque adverſus ſolutionem 1. fundamenti opinionis affirmantis, eam non eſse ſolidam. Scriptores quippe recentiores jam facile eos Patrum Libros vertunt in dubium, qui ipſorum opinionibus adverſantur, & quamvis in prædicto Iſidori Libro quædam eſsent minus caute dicta, maliem putare, ipſum in quibuſdam erraſse, vel errores in ejus Librum intruſos eſse, quam dicere, illum ipſi totaliter fuiſse ſuppoſitum.

Dico, ſolutionem ad 2. fundamentum, non modo non eſſe efficacem, ſed neque etiam veræ rationi conſentaneam; quis enim dicat, hiſtoriarum veritatem indigere approbatione Romani Pontificis? cum plures circa ipſas errores quoſidie deprehendantur in Officiis, quæ continentur in Breviariis a Romana Sede approbatis, eodem etiam jure in Breviariis non approbatis ab eadem Sede plura leguntur conſentanea veritati hiſtoriarum.

Dico, ſolutionem ad 3. fundamentum eſſe injurioſam Authori illorum collectaneorum, dum dicuntur indigeſta næniarum farrago. Inter hujuſmodi nænias computatur, quod ſorte Jacobus Hiſpaniam acceperit, & quod Philippus in Galliis prædicarit, ubi ſunt illæ næniæ? Si Jacobus in Hiſpanias venerit, quid vetat dicere, ipſum in ſortem, id eſt, in portionem ſui Apoſtolatus habuiſſe Hiſpaniam? Quod ſpectat ad Philippum, ſuo loco infra dicetur, eum in Galliis prædicaſſe Evangelium, valde probabile eſſe. Opus igitur collectaneorum non eſt indignum Venerabili Beda, quamvis aliunde ejus opus eſſe non poſſit.

Dico ad ſolutionem 4. fundamenti, Epiſcopum Compoſtellanum in prædicta controverſia non protuliſſe adverſus Toletanum Antiſtitem authoritatem Caliixti Papæ, quia eam inſufficientem reputavit ad ſibi vendicandum jus Primatus in Eccleſias totius Hiſpaniæ: Calixtus enim dixit quidem, S. Jacobum veniſſe in Hiſpanias, ſed nihil omnino dixit de Primatu Eccleſiæ Compoſtellanæ.

Dico ad ſolutionem 5. fundamenti, ſine ulla ratione in dubium verti, num Commentarii ſupra citati ſint opus Juliani Toletani; quod enim in laudato teſtimonio verſus Leonini reperiantur, non arguit Authorem Juliano poſteriorem, niſi oſtendatur, ante Julianum hos verſus non fuiſſe in uſu, quod tamen numquam oſtendetur. Ad id, quod additur de authoritate Innocentii I. Hormiſdæ, & Gregorii VII. Romanorum Pontificum, anteponenda authoritati Juliani, libenter id fateor, ſed nihil propterea fateor contra adventum Jacobi in Hiſpanias, quia ii Pontifices invanum proferuntur adverſus eum adventum quem nunquam negarunt ſimpliciter.

Dico ad ſolutionem 6. fundamenti, quod ſi Freculphus, aliique poſteriores Scriptores ſoli eſſent, ex quibus deſumeretur traditio adventus Jacobi in Hiſpanias, infirmum eſſet noſtrum fundamentum. Verum ex dictis conſtat, plures antiquos Scriptores iſtis poſterioribus præluſiſſe.

Dico denique ad 7. ſolutionem, iis temporibus, quibus Jacobus dicitur dedicaſſe Eccleſiam Beatiſſimæ Virgini Deiparæ, nullam adhuc in Hiſpaniis, aut etiam extra Judæam motam fuiſse perſecutionem adverſus Chriſtianos. Perſecutio igitur non potuit impedire, quominus S. Jacobus Eccleſiam, ſeu Oratorium dedicarit. Quod ſpectat ad humilitatem Mariæ, fateor, eam fuiſse profundam, verum novit ſuam dignitatem Deiparæ eſse excellentiſſimam, & ſi quidem Sancti hominibus apparuerunt jubentes, ut ſub ipſorum nomine Deo Eccleſiam conſecrarent, cur id non potuiſset Deipara, quæ probe noverat dignitatem Matris Dei, quæ ipſam aliis omnibus creaturis anteponebat, cultum ſpecialem a Fidelibus exigere, ut eo ipſo Chriſtum honorent, quod digna ejus Genitrici obſequia largiuntur? His igitur exacte perpenſis, colligere eſt, quod quamvis non ſit certum, S. Jacobum veniſse in Hiſpanias, probabilius tamen eſt, ipſum veniſse, quam non veniſse.

Hactenus præclariſsimus Auctor Gallus Ambroſius Gardeboſc, cujus integram quæſtionem deſcripſi, ut vel inde intelligat lector, etiam & noſtro hoc ævo Auctorem exterum, & nationis, quam exteri nonnulli etiam Hiſpanæ adverſam cenſent, ſententiam illam propugnare, quæ dicit, S. Jacobum in Hiſpania prædicaſse. Porro de adventu, & prædicatione S. Jacobi in Hiſpania jam nihil uberius, luculentiuſque poteſt afferri iis, quæ jam pridem longa, & ſorti Diſſertatione congeſsit, adornavitque doctiſsimus æque ac religioſiſsimus Cardinalis de Aguirre, & noviſsime doctiſsimus Fr. Henricus Florez, cujus initio, ut par erat, mensionem cum laude fecimus; quique non modo Tomo III. ſui Operis, cui Titulus, *Eſpanna ſacrada &c.* variis argumentis ſententiam adventus, & prædicationis S. Jacobi in Hiſpania ſtrenue, eruditeque propugnat, verum etiam Tomo VI. Clariſsimo Viro Fr. Thomæ Mariæ Mamachio contrariæ opinioni adhærenti reſpondet. Ceterum plures ſunt hodie Scriptores magni nominis non modo Hiſpani, verum etiam exteri, qui non ſine ſolido ſundamento ſentiunt, Jacobum ipſum Apoſtolum, ex patre Zebedæo natum, Majorem dictum, eo quod & Jacobo Alphæi, & Joanne fratre ſuo eſſet ætate anterior, poſt prædicatum in Judæa, & Samaria Evangelium, in Hiſpanias penetraſſe, ut in illud Regnum Chriſti Nomen deferret, & apud barbaras gentes ejus ævi Chriſtianam inveheret Religionem. Atque hæc eſt ſententia, quam tenet Romana Eccleſia omnium Magiſtra, quippe quæ in Breviario Romano ad diem 25. Julii poſt rigidiſſimum examen hanc clauſulam retineri juſſit: *Mox in Hiſpaniam profectus*, ſcilicet Sanctus Jacobus Apoſtolus, *ibi aliquos ad Chriſtum convertit, ex quorum numero ſeptem poſtea Epiſcopi a Beato Petro ordinati in Hiſpaniam primi directi ſunt.* Quidquid vero ſit, fateri illud omnino cogimur, jam multa in Eccleſiaſtica Hiſtoria, atque in Actis Sanctorum occurrere, quæ ut certa, & indubitata vel a Scriptoribus criticis acriter propugnantur, tametſi illa non ita ſolidis innixa ſint fundamentis, ac prædicatio Sancti Jacobi Apoſtoli in Hiſpania, ut merito non uno in loco queritur, dignitate, doctrina, & pietate eminentiſſimus ſemper cum elogio nominandus præſtantiſſimus Cardinalis de Aguirre, inclyti Ordinis Benedictini, Nationis Hiſpanæ, Literariæ Reipublicæ, atque Eccleſiæ univerſæ eximium decus.

APPARATUS AD CONCILIA HISPANIÆ

PARS SECUNDA

De Epiſtolis veterum Romanorum Pontificum ad Hiſpanos, in Collectione Iſidori extantibus.

Hactenus immorati ſuimus exponenda, illuſtranda, & tuenda Præfationi Iſidori ad ſuam Collectionem, quæ initium ducit ab Epiſtolis veterum Romanæ Eccleſiæ Pontificum, quotquot illam rexere uſque ad Imperium Conſtantini; deinde vero complectitur Concilia omnia, tam in Occidente, quam in Oriente celebrata (quæcumque ab eo inveniri potuerunt) uſque ad Hiſpalenſe II. Porro ſicuti nos in Opere iſto non colligimus omnia illa Concilia, ſed ſeligimus ea ſolum, quæ in Hiſpaniis habita fuerunt: ita etiam nec omnes prædictas Pontificum Epiſtolas, ſed dumtaxat ad Hiſpaniam ſcriptas. Has itaque ſolas in lucem proferemus, & pro modulo noſtro, quantum veritas ſinit, explanare, ac vindicare conabimur. Præmittenda autem ſunt, quæ ſupra Diſſertatione IV. & tribus ſequentibus concluſa fuerunt in defenſionem earum omnium Epiſtolarum generatim; ut proinde in hac ſecunda Apparatus Parte ſolum ea tractemus, quæ ſpectant ad peculiares, & proprias Hiſpaniæ, licet nonnulla obiter, & data occaſione, circa alias veterum Pontificum dicenda ſint.

EPISTOLA S. ANTERI PAPÆ, ET MARTYRIS

AD EPISCOPOS PROVINCIARUM BÆTICÆ, ET TOLETANÆ.

Reſpondet conſultationi eorum, licere quidem Epiſcopis tranſitum, ſeu tranſlationem ex una Eccleſia in aliam; non quidem ex avaritia, aut ambitione, & propria voluntate; ſed utilitate quadam, & neceſſitate aliorum, ac judicio potiorum &c. Videtur ſcripta anno Chriſti CCXXXVII. *Notantur ad marginem loca poſteriorū Pontificum, & Patrum, ob quæ ſuſpecta eſt pleriſque Epiſt. hac.*

*Chariſſimis Fratribus per Bæticam, ac Toletanam * Provincias Epiſcopis conſtitutis, Anterus in Domino ſalutem.* ** Vide Ant. Aug. in Cap. 62. coll. Papæ Adriani.*

I. OPTAREM, Fratres chariſſimi, ſemper * dilectionis, & pacis veſtræ ſinceritatis gaudia audire, ita ut viciſſim diſcurentibus literis, ſoſpitatis indicia juvarentur, ſi quietos nos ab incurſione ſua vacare hoſtis antiquus ſineret, qui *ab initio mendax*, inimicus veritatis, æmulus hominis, quem ut deciperet, ſe ante decepit, pudicitiæ adverſarius, luxuriæ magiſter, crudelitatibus paſcitur, abſtinentia punitur: odit jejunia, miniſtris ſuis prædicantibus, dum dicit eſſe ſuperflua, ſpem non habens de futuris, Apoſtoli ſententia repercuſſus dicentis: *Manducemus, & bibamus, cras enim moriemur*. O inſelix audacia, o deſperatæ mentis aſtutia! Ipſe enim hortatur odia, & fugat concordiam. Et quia * facile ad deteriorem partem mens humana tranſducitur, volens magis per ſpatioſam viam ambulare, quam arctæ viæ iter cum labore tranſire. Qua de re, Fratres dilectiſſimi, ſectamini meliora, & ſemper relinquite deteriora. Bona agite, mala vitate, ut vere Diſcipuli Domini eſſe inveniamini. ** Siricius Papa Epiſt. 1.* *Joann. 8.* *1. Cor. 15.* ** Idem Siricius.*

II. De mutatione ergo Epiſcoporum, unde Sanctam Sedem Apoſtolicam conſulere voluiſtis, ſcitote, eam communi utilitate, atque neceſſitate fieri licere, ſed non libitu cujuſquam, aut dominatione. Petrus, Sanctus Magiſter noſter, & Princeps Apoſtolorum, de Antiochia utilitatis cauſſa tranſlatus eſt Romam, ut ibidem potius proficere poſſet. Euſebius quoque de quadam parva Civitate, Apoſtolica auctoritate mutatus eſt * Alexandriam. Similiter Felix de Civitate, qua ordinatus erat, electione Civium, propter doctrinam, & bonam vitam, quam habebat, communi Epiſcoporum, & reliquorum Sacerdotum, ac Populorum conſilio, tranſlatus eſt Epheſum. Non enim tranſit de Civitate ad Civitatem, qui non ſuo libitu, aut ambitu hoc facit, ſed utilitate quadam, aut * neceſſitate aliorum, hortatu, & conſilio potiorum transfertur. *7. q. 1. Cap. Mutationes Epiſcoporum & in Decr. Ivo. lib. 5.* ** In,* ** Apoſtol. Can. 14.*

Nec transfertur de minori Civitate ad majorem, qui hoc non ambitu,
nec propria voluntate facit, ſed aut vi, a propria Sede pulſus, aut ne-
ceſſite coactus, aut utilitate loci, aut populi, non ſuperbe, ſed cum
humilitate ab aliis translatus, & inthronizatus eſt: quia *homo videt in fa-
cie, Deus autem in corde*. Et Dominus per Prophetam loquitur, di-
Pſalm. 93. cens: *Dominus ſcit cogitationes hominum, quoniam vanæ ſunt*. Non
ergo mutat Sedem qui non mutat mentem. Nec mutat Civitatem qui non
* *κρίσει πολλῶν ἐπισκόπων.* ſua ſponte, ſed * conſilio, & electione aliorum mutatur.

III. Non ergo migrat de Civitate ad Civitatem, qui non avaritiæ cauſ-
ſa, nec ſponte dimittit ſuam: ſed (ut jam dictum eſt) aut pulſus a Sede
7. q. 1. Cap. Mutationes Epiſcoporum. ſua, aut neceſſitate coactus, aut electione, & exhortatione Sacerdotum,
& Populorum, translatus eſt ad alteram Civitatem. Nam ſicut Epiſcopi
habent poteſtatem ordinare regulariter Epiſcopos, & reliquos Sacerdotes,
* Expoſcerit. ſic quoties utilitas, aut neceſſitas * coegerit, ſupradicto modo & mutare, &
* Ignota. inthronizare poteſtatem habent. Hæc, ut petiſtis, licet vobis * incogni-
ta non ſint, tenenda mandamus, ne ignorantia quorumdam, meliora, &
utiliora vitentur, & inutiliora ſumantur, ſicut in Sancto legitur Evangelio:
Matth. 23. *Væ vobis hypocritæ, quia decimatis mentham, & anethum, & cuminum,
& reliquiſtis quæ graviora ſunt legis, judicium, miſericordiam, & fi-
2. Tim. 3.* *dem. Hæc oportuit facere, & illa non omittere. Duces cæci, excolantes
culicem, camelum autem glutientes*. Quod licet, non licet: * & quod
* *Ennodius in Apol. pro Symacho Papa.* non licet, licet. Quemadmodum Jannes, & Mambres reſtiterunt veritati,
ſic & illi, mente reprobi, amantes voluptatem potius, quam Deum, quod
licet, docent non licere, ideſt Epiſcopos migrare de Civitate ad Civita-
tem, prætaxato modo; & quod non licet, docent licere, ideſt, miſeri-
cordiam non agere circa patientes neceſſitatem; hoc eſt, eis, qui Epiſco-
pum non habent, & ſacro Epiſcopali indigent miniſterio, Epiſcopum de
alia Civitate cauſſa utilitatis, vel neceſſitatis tribui, & Epiſcopis perſecu-
tionem, aut neceſſitatem patientibus aliam Cathedram dari negant. Con-
Oſea 6. tradicunt etiam Sacræ Scripturæ, quæ teſtatur, *malle Deum miſericordiam,
* Sacrificium.* *quam * judicium.*

In cod. ms. deſunt quæ anſulis clauſa. IV. [Quæ, precor, major charitas, aut quod efficacius pietatis pa-
trocinium poteſt a quoquam alicui impendi, quam ſi ignorantiæ tenebras,
& imperitiæ caliginem ab eo repellat, ac demum veræ fidei doctrinæ pabu-
lo, non ad quæſtum, non ad ambitionem, ſed ad eruditionem, & ædifica-
Job. 29. tionem reficiat? Tanquam enim mutilo fit manus, *claudopes, oculus cæco*,
qui ignorantiæ tenebris obvoluto, ſapientiæ, & ſcientiæ theſaurum reſerat,
& candorem lucis, viaſque Domini benigniter aperit.]

V. Utriſque autem, ideſt, & famem verbi Dei patientibus, & Epiſco-
pis neceſſitatem, quando inthronizantur propter communem utilitatem in
aliis Civitatibus, non modica exhibetur miſericordia. Negantes autem hæc,
2. Tim. 3. licet *ſpeciem habeant pietatis, virtutem tamen ejus abnegant*. Nam * in
* Propriam proſapiam. tali negotio * proſapiam * non agnoſco. Si quis tamen ſapientium, quos
* *Idem Ennod. loc. ſup. cit.* inſipientibus tempeſtatis hujus procella aliis ſociavit auctoribus, facinorum
participatione maculatur, ſplendor ſapientis, & ſi communionem crimi-
num incurrit, neſcit tamen ducem ſe præbere peccantibus.

7. q. 1. Cap. Mutationes Epiſcoporum. VI. Alia quoque eſt cauſſa utilitatis, & neceſſitatis, & alia avaritiæ, &
præſumptionis, aut propriæ voluntatis. Avaritiæ quoque cauſſa, vel præ-
ſumptionis, aut propriæ voluntatis, non ſunt Epiſcopi mutandi de Civita-
te ad Civitatem, ſed utilitatis, & neceſſitatis. Quod nemo negat, niſi hi,
Iſa. 28. de quibus dictum eſt: *Erraverunt in ebrietate, neſcierunt videntem, igno-
* Idem Ennodius.* *raverunt judicium*. Nam ſi enarrando * cogerer aperire tranſacta, oſten-
derem vobis, nullum evenire ſolatium de comparatione factorum. Cæte-
Jerem. 6. rum *ſtate, chariſſimi, ſuper vias, aſpicientes, & interrogantes de ſemi-
* Synodica Martini I.* *tis Domini antiquis, * & videte quæ eſt via bona, & recta, & ambulate
Sap. 1.* *in ea, & invenietis requiem animabus veſtris*. Et ut juxta Sapientiæ vocem
dicamus: *Diligite juſtitiam, qui judicatis terram. Sentite de Domino in
bonitate, & in ſimplicitate cordis quærite illum: quoniam invenitur ab
his, qui non tentant illum: apparet autem eis, qui fidem habent in il-
lum. Perverſæ enim cogitationes ſeparant a Deo, probata autem virtus
corripit inſipientes. Quoniam in malevolam animam non introibit ſapien-
tia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis. Spiritus enim Sanctus di-
ſci-*

*ſciplinæ effugiet fictum, & aufert ſe a cogitationibus, quæ ſunt ſine intellectu, & corripietur a ſuperveniente iniquitate. Benignus eſt enim Spiritus Sapientiæ, & non liberabit * maledictum a labiis ſuis: quoniam renum illius teſtis eſt Deus, & cordis ejus ſerutator eſt verus, & linguæ illius auditor. Quoniam Spiritus Domini replevit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia, ſcientiam habet vocis. Propter hoc, qui loquitur iniqua, non poteſt latere, nec præteriet illum corripient judicium. In cogitationibus enim impii interrogatio erit. Sermonum autem illius auditia ad Dominum veniet, & ad correptionem iniquitatum illius: quoniam auris zeli audit omnia, & tumultus murmurationum non abſcondetur. Cuſtodite ergo vos a murmuratione, quæ nihil prodeſt, & a detractione parcite linguæ, quoniam ſermo obſcurus in vacuum non ibit. Os, quod mentitur, occidit animam. Nolite zelare mortem in errore vitæ veſtræ, neque acquiratis perditionem in operibus manuum veſtrarum: quoniam Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum. Creavit enim, ut eſſent omnia, & ſanabiles eſſe voluit nationes orbis terrarum. Non eſt in iis medicamentum exterminii, nec inferorum regnum in terra viventium. Juſtitia perpetua eſt, & immortalis: injuſtitia autem mortis eſt acquiſitio. Impii autem manibus, & verbis accerſierunt illam: & æſtimantes eam amicam, defluxerunt, & ſponſiones poſuerunt ad illam: quoniam morte digni ſunt, qui ſunt ex parte illius. Dixerunt enim, apud ſe cogitantes non recte: Exiguum eſt, & cum tædio, tempus vitæ noſtræ, & non eſt refrigerium in fine hominis, & non eſt qui agnitus ſit reverſus ab inferis. Quoniam ex nihilo nati ſumus, & poſt hæc erimus, tamquam non fuerimus. Quoniam fumus * efflatus eſt in naribus noſtris, & ſermo ſcintillæ ad commovendum cor noſtrum: qua extincta, cinis erit corpus noſtrum, & ſpiritus effundetur tamquam mollis aer, & tranſibit vita noſtra tamquam veſtigium nubis, & ſicut nebula diſſolvetur, quæ fugata eſt a radiis ſolis, & a calore illius aggravata. Et nomen noſtrum oblivionem accipiet per tempus, & nemo memoriam habebit operum noſtrorum. Umbræ enim tranſitus eſt tempus noſtrum, & non eſt reverſio finis noſtri, quoniam conſignata eſt, & nemo revertetur.*

* Maledicum.

Sap. 2.

* ac flatus.

VII. Propterea unicuique prævidendum eſt, ut ſummopere ſe cuſtodiat, & utiliter ſe prævideat, ut cum dies extrema, finiſque vitæ advenerit, non tranſeat ad perpetuam mortem, ſed ad vitam æternam. Facta enim ſubditorum judicantur a nobis, noſtra vero judicat Deus. * Ex meritn vero plebis nonnunquam Epiſcopi depravantur, quatenus proclivius cadant qui ſequuntur. Capite langueſcente, cætera corporis membra inficiuntur. Deteriores ſunt, qui vitam, moreſque bonorum corrumpunt, his, qui ſubſtantias aliorum, prædiaque diripiunt. Caveat unuſquiſque, ne aut linguam, aut aures habeat purientes, * ideſt, ne aut ipſe aliis detrahat, aut alios audiat detrahentes. *Sedens*, inquit, *adverſus fratrem tuum loquebaris detrahendo, & adverſus filium matris tuæ ponebas ſcandalum &c.*

9. q. 3. *Cap.* Facta ſubditorum.

* *Iſid. III. Sent.* 38. 42.

S. Hieron. Ep. 2. *ad Nepotianum.*

Pſalm. 49.

VIII. Parcant ſinguli detractioni linguæ, cuſtodiantque ſermones ſuos; & ſciant, quia cuncta, quæ de aliis loquuntur, ſua ſententia judicabuntur. Nemo invito auditori libenter refert. Officii ſingulorum ſit, dilectiſſimi, non ſolum oculos caſtos ſervare, ſed & linguam. Nec quid in cujuſquam domo agatur, alia domus per vos unquam noverit. Habeant omnes ſimplicitatem * columbæ, ne cuiquam machinetur dolos: & ſerpentis aſtutiam, ne aliorum ſupplantentur inſidiis.

* *Idem Hieron. Ep.* 13. *tum Ep.* 4. *necnon* 1. *ad Heliodorum.*

IX. Non eſt humilitatis meæ, neque menſuræ, judicare de cæteris, & de Miniſtris Eccleſiarum ſiniſtrum quippiam dicere. Abſit, ut quidquam ſiniſtrum de his loquar, qui Apoſtolico gradui ſuccedentes, Chriſti Corpus ſacro ore conficiunt, per quos nos etiam Chriſtiani ſumus, qui claves Regni Cælorum habentes, ante judicii diem judicant. Veteri quidem Lege habetur, quicumque Sacerdotibus non obtemperaſſet, aut extra caſtra poſitus lapidabatur a populo, aut gladio cervice ſubjecta contemptum expiabat cruore. Nunc vero inobediens ſpirituali animadverſione truncatur, & ejectus ab Eccleſia, rabido Dæmonum ore * diſcerpitur.

11. q. 3. *Cap.* Abſit, ut quidquam.

Deuter. 17.

* *Hactenus Hieronymus Antero multis annis poſterior.*

X. * Oportet enim, ut qui Deum hæreditate poſſident, abſque ullo impedimento ſæculi Deo ſerviant, ut dicere poſſint: *Dominus pars hæreditatis meæ. O quam bonus, & ſuavis eſt Spiritus tuus, Domine in om-*

* *Iſid. II. off.* 1.

Pſalm. 15.

Sap. 12.

nibus. Parcis autem omnibus, quoniam tua ſunt Domine, qui animas amas. *Ideoque hos, qui exerrans partibus, corripis, & de quibus peccant,*
Sap. 11. *admones, & alloqueris, ut relicta, malitia, credant in te Domine. Tu au-*
Sap. 15. *tem Deus noſter, ſuovis, & verus es, patiens, & in miſericordia diſpo-*
nens omnia. Etenim, ſi peccaverimus, tui ſumus, ſcientes magnitudi-
nem tuom. Et ſi non peccaverimus, ſcimus quoniam apud te ſumus compu-
tati. Spiritus timentium Dominum quæretur ab eo, & in reſpectu illius
Eccl. 34. Epheſ. 4. *benedicetur. Quapropter, fratres chariſſimi, omnis ſermo malus ex ore vestro non procedat: ſed ſi quis bonus eſt ad ædificationem opportunitatis, ut det gratiam audientibus, & nolite contriſtare Spiritum Sanctum Dei, in quo ſignati eſtis in diem Redemptionis. Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blaſphemia tollatur a vobis cum omni malitia. Eſtote outem invicem benigni, miſericordes, donantes invicem, ſicut & Deus in Chriſto donavit vobis.*
Epheſ. 5. *Eſtote ergo imitatores Dei, ſicut filii chariſſimi, & ambulate in dilectione, ſicut Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem, & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis. Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut avaritia non nominetur in vobis, ſicut & decet Sanctos, aut turpitudo, aut ſtulsiloquium, aut ſcurrilitas, quæ ad rem non pertinet, ſed magis gratiarum actio. Hoc enim ſcitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod eſt idolorum ſervitus, non habet hæreditatem in Regno Chriſti, & Dei.*

XI. *Nemo vos ſeducat inanibus verbis. Propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ. Nolite ergo effici participes eorum. Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Ut filii lucis ambulate (fructus enim lucis eſt in omni bonitate, & juſtitia, & veritate) probantes, quid ſit beneplacitum Deo. Et nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarum, magis autem redarguite. Quæ enim in occulto fiunt ab ipſis, turpe eſt & dicere. Omnia autem, quæ arguuntur, a lumine manifeſtantur. Omne enim, quod manifeſtatur, lumen eſt. Propter quod dicit: Surge qui dormis, & exurge a mortuis, & illuminabit te Chriſtus. Videte itaque, fratres, quomodo caute ambuletis, non quaſi inſipientes, ſed ut ſapientes: redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt. Propterea nolite fieri imprudentes, ſed intelligentes, quæ ſit voluntas Dei. Et nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria: ſed impleamini Spiritu Sancto, loquentes vobis metipſis in Pſalmis, Hymnis, & Canticis ſpiritualibus, cantantes, & pſallentes in cordibus veſtris Domino, gratias agentes ſemper pro omnibus in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Deo, & Patri ſubjecti invicem*
2. Theſſal. 2. *in timore Chriſti. State itaque, fratres, & tenete traditiones* Apoſtolorum, & Apolicæ Sedis, *ut Dominus noſter Jeſus Chriſtus, & Pater noſter, qui dilexit nos, & dedit conſolationem æternam, & ſpem bonam in gratia, exhortetur corda veſtra, & confirmet in omni opere, & in ſermo-*
2. Theſſal. 3. *ne bono. De cætero, fratres, orate pro nobis, ut ſermo Domini currat, & clarificetur, ſicut & apud vos, & ut liberemur ab importunis, & malis hominibus: non enim omnium eſt fides. Fidelis autem Deus eſt, qui confirmabit vos, & cuſtodiet a malo.* * *Quapropter ponite indeſinenter corda*
*Gelaſius Ep. 9. *veſtra in virtute Dei, & reſiſtite ſemper malis, & enarrate hæc, juxta*
Pſal. 47. *vocem Prophetæ, in progenies alteras, quoniam hic eſt Deus Deus noſter in æternum, & ipſe reget nos in ſæcula.*

XII. Unde vos, qui in ſpecula a Domino eſtis conſtituti, comprimere, & repellere eos ſummopere debetis, qui fratribus inſidias præparant, aut in eos ſeditiones, & ſcandala excitant. Facile eſt enim hominem verbo * fal-
* *Xyſti ſent.* 176. lere, ſed non Dominum. Ideo hos reprehendere, & ab his vos avertere
* *Steph. Dorenſis in libello oblato an. 649. in Synodo Rom. Conſ. 2.* oportet, quatenus, * extincta funditus hujuſmodi caligine, lucifer eis reſplendeat, & lætitia oriatur iu cordibus eorum. *Confidimus autem de vobis, fratres, in Domino, quoniam quæ præcepimus, & facitis, & facietis.* Quanto enim beneficia veſtra his amplius exhiberis, * tanto majorem viciſſitudinem ab Omnipotenti Deo, cui * ſerviunt, expectatis. Omnipotens
* 2. *Theſſ.* 3. *S. Greg. ep.* 5. Deus ſua * vos protectione cuſtodiat, honoremque, & præceptum ſervare
* *Servitis.* concedat, & gloria, honorque Deo Patri Omnipotenti, ejuſque unigenito
* *Idem ep.* 52. *l.* .. Filio Salvatori noſtro cum Spiritu Sancto ſit in ſæcula ſæculorum. Amen.
* *Ex Epiſt. mſ. Juſtelli.* * Data 12. Kal. Aprilis, Maximiano, & Africano Viris clariſsimis Conſulibus.

DIS-

DISSERTATIO DECIMA.

An Epiſtola hæc S. Anteri Papæ, jure pleriſque eruditorum ſuſpecta ſit?

E*PISTOLA SANCTI ANTERI PAPÆ.*) Ejus Vita habetur hiſee verbis in Libro Pontificali ſub nomine Damaſi: *Anterus natione Græcus, ex patre Romulo, ſedit annos duodecim, menſem unum, dies* 12. *Martyrio coronatur temporibus Maximiani, & Africani Conſulum. Hic geſta Martyrum diligenter a Notariis exquiſivit, & in Eccleſia recondidit. Propter quod a quodam Maximo Præfecto Martyr effectus eſt. Hic fecit ordinationem unam per menſem Decembrem, & unum Epiſcopum ordinavit in Civitate Fundis Campania. Qui ſepultus eſt in Cœmeterio Calliſti via Appia* 3. *Nonas Januarii. Et ceſſavit Epiſcopatus dies* 13. Hactenus ibi.

EXCURSUS I.

Difficultates aliquot contra auctoritatem hujus Epiſtolæ objiciuntur, & extricantur.

II. VErum quamvis ita habeatur in Libro illo, Baronius ad annum ccxxxviii. ſub initio, & poſt eum Binius, cenſent Anterum Papam vix menſem in Pontificatu egiſſe: cum id teſtetur Euſebius in Chronico, & præterea Lib. 6. Hiſtoriæ Cap. 22. ubi ait: *Simulatque Gordianus poſt Maximinum Romanorum Imperium obtinuerat, & Pontianus Eccleſiæ Romanæ Pontificatum per ſex annos geſſerat, in ejus locum Anteros ſubrogatus eſt: in cujus miniſterium, cum ad menſem eo perfunctus eſſet, Fabianum delectum ferunt.* Idipſum tradunt Nicephorus, Libro 5. Cap. 26. & Onuphrius in Faſtis: qui ambo id videntur ea Euſebio deſumpſiſſe.

III. Sane ſi ſtandum ſit dicto Euſebii, ſuſpecta redditur hæc Epiſtola, quæ ponitur in fine data duodecimo Kalendas Aprilis. Anterus enim tredecim diebus elapſis ab obitu Sancti Pontiani Papæ (qui martyrium conſummavit die decima nona Novembris) electus fuit Pontifea; ac proinde initio Decembris. Quod ſi dumtaxat per integrum menſem geſſit Puntificatum, vix potuit ſupereſſe uſque ad Januarium anni proxime ſequentis. Non ergo in vivis erat duodecimo Kalendas Aprilis ejus anni, in quo data ponitur hæc Epiſtola.

IV. Huic tamen difficultati occurri facile poteſt, aſſerendo, Euſebium erraſſe in decurtando tempore Pontificatus Anteri, ſicuti eodem loco palam erravit, collocata ejus nece ſub Imperio Gordiani, quod Baronius ibidem fatetur. Paſſus enim fuit Anterus an. 2. Maximini (qui fuit Chriſti ccxxxvii. aut ccaxxviii.) Maximino ipſo Auguſto, & Julio Africano Coſſ. uti etiam in fine prajactæ Epiſtolæ habetur. Nulla autem ratio vetat, ut ſicuti Euſebius falſus fuit circa Auguſtum eo tempore imperantem, ita etiam falleretur circa tempus, quo Anterus Eccleſiam rexit. Deinde ſi unico menſe Pontificatum geſſiſſet, via eſſet locus agendi quidquam memoria dignum: quale imprimis fuit quod *geſta Martyrum diligenter exquireret, & in Eccleſia reconderet*, ut in Libro Pontificali teſtatum habetur. Denique in Martyrologio Bedæ nuper fideliſſime eruto ex vetuſtis mſs. & excuſo a Bollando, ac ſociis Tom. II. Sanctorum Martii, initio fere hæc habentur: *III. Non.* (Januarii) *Romæ Nat. Anteros Papæ & Mart. qui duodecim annos rexit Eccleſiam &c.* Quod ipſum ex Damaſi laudato Pontificali videtur Beda mutuaſſe. Si autem id verum ponatur, ceſſat difficultas objecta. Idipſum conſtat ea antiquiſſimis quibuſdam Catalogis veterum Pontificum, indicatis a Cl. Viro Schellſtrate in Antiquitate Eccleſiaſtica noviſſimæ editionis Romanæ Diſſert. II. Cap. 5. Art. 3. Par. 183. Catalogus enim quidam ſcriptus tempore Juſtini Imperatoris, alius inſuper Vaticanus nongentorum annorum antiquitatis, & amplius, a nobis deſcriptus, & ſupra editus, duodecim annos, menſem unum, & dies duodecim Pontificatus Sancto Antero tribuunt. Catalogus alius valde antiquus a Papebrochio editus in Propylæo ad Acta Sanctorum Maji, pag. 49. adſcribit annos undecim, menſem unum, dies duodecim. Omnes etiam, aut fere omnes Catalogi veteres teſtantur, Anterum diligenter a Notariis exquiſiviſſe, & cuſtodiſſe acta Martyrum, quod certe non unico menſe, ſed multis annis, fieri potuit.

V. Hinc occurrere licet alteri argumento, quod eruditiſſimus Mendoza opponit Lib. 1. in Concilium Eliberitanum, Capite 3. contendens, Epiſtolam hanc eſſe Antero ſuppoſitam. Nam verbis illis: *De mutatione ergo Epiſcoporum, unde Sedem Apoſtolicam conſuluiſtis &c.* dicitur plane, Epiſcopos Bæticæ, & Toletanæ provinciæ conſuluiſſe Anterum ipſum circa translationes Epiſcoporum ex una Eccleſia in aliam. Nullus autem locus, nec ſufficiens tempus fuit, ut intra unicum menſem, quo Anterus Eccleſiam rexit, Epiſcopi Hiſpaniæ certiores eſſent electionis illius, & invicem convenirent, aut decernerent eum conſulere, ac illorum literæ Romam ex Hiſpania deferrentur, & Pontifex iis reſcriberet.

VI. Nimirum, totum hoc nitiur teſtimonio illo Euſebii de unico menſe Pontificatus Anteri, quod nullatenus urgere vidimus. Verum adhuc dato gratis, Anterum tam brevi tempore Eccleſiam rexiſſe, nihil adverſus hujus Epiſtolæ αὐθεντίας elicitur. Non enim in ea dicitur, Epiſcopos Hiſpaniæ conſuluiſſe Anterum ipſum, ſed Sedem Apoſtolicam. Ut autem hoc vere fecerint, ſatis eſt, quod conſuluiſſent Pontianum ejus deceſſorem, qui eandem Sedem rexerat aliquot annis uſque ad diem decimam nonam Novembris anni ccxxxvi. in cujus extremo menſe electus fuit Anterus. Sæpe enim contigit, ut conſultationes ea variis locis Chriſtiani orbis ſcriptæ ad Pontificem

ficem aliquem Romanum, qui vivens adhuc exiſtimabatur, Romam pervenirent eo jam ex vivis ablato; & proinde ſucceſſor ipſius in Apoſtolica Sede reſponderet. Nimirum, conſultationes ejuſmodi non diriguntur ad certum aliquem Pontificem intuitu perſonæ ſingularis, ſed ob auctoritatem ſummam Apoſtolicæ Sedis, quæ in quolibet homine rite electo ad id ſublime faſtigium integra extat, & eadem ſemper eſt.

VII. Ut autem germana omnino habeatur eadem Epiſtola, nec quidpiam ipſi falſitatis acceſſerit, dicere oportet, Anterum duodecimo Kal. Aprilis anno CCXXXVIII. quo die data ponitur, Maximino, & Africano Coſs. ſuperſtitem adhuc fuiſſe, ne a mortuo ſcripta fuerit; & Pontificem Romanum, ne abſque legitima auctoritate ſit edita. Unde & conſequens eſt, ut Anteri ſucceſſor S. Fabianus, non fuerit electus Pontifex eodem anno CCXXXVIII. die decima ſexta Januarii, prout Baronius, & Binius ajunt, ſed anni ſequentis CCXXXIX. Alioqui enim ſimul fuiſſent Pontifices Anterus & Fabianus annum integrum, quod nemo ſanus dixerit.

VIII. At, inquies, ex Libro Pontificali Damaſi habetur, Fabianum fuiſſe Pontificem temporibus Maximini, & Africani, uſque ad Decium ſecundo, & Gratum, ſive Quadratum. Ergo fateri oportet, Fabianum fuiſſe electum Pontificem anno CCXXXVIII. in quo Maximinus, & Africanus erant Conſules; non autem anno ſequenti CCXXXIX. Quare & neceſſum eſt, ut Anterus prædicto anno CCXXXVIII. paullo poſt inchoatum Januarium mortuus fuerit: ac proinde Epiſtolam hanc ſcribere non potuerit duodecimo Kal. Aprilis ſub eiſdem Conſulibus, prout data habetur.

IX. Sed enim in eodem Pontificali Damaſi nomine vulgato, tribuuntur Antero plures Pontificatus anni, nulla fide impetrata a Baronio, Binio, aut aliis. Itaque, ſicuti in eum Librum irrepſit mendum annorum, ſic & potuit Conſulum, ſub quibus Fabianus electus fuit. Verum nec cogimur recurrere ad id effugium, ut Epiſtula hæc aſſeratur aliquomodo germana, & jure dicatur, Anterum toto eo anno CCXXXVIII. Pontificatum geſſiſſe, illamque ſcripſiſſe duodecimo Kalend. Aprilis ejuſdem anni, Maximino, & Africano Coſs. Potuit enim fieri tunc, prout ſæpe alias contigit, ut Conſules non crearentur initio Januarii, ſed poſtea; ac proinde, ut Conſulatus Maximini, & Africani perduraret uſque ad Martium anni ſequentis CCXXXIX. Cumque Fabianus electus fuerit Pontifex die decima ſexta Januarii ejuſdem anni, electio illius incidit in eundem Conſulatum; utpote nondum finitum. Sane ineundo Conſulatui non fuiſſe certum diem, nec menſem adſcriptum apud Romanos, ſed quandoque incepiſſe Sextili menſe circa ſolſtitium æſtivum, aut Decembri circa ſolſtitium hibernum, aliquando etiam Kalendis Septembris, aliquando Idibus Decembris, teſtis locuples eſt Dionyſius Halicarnaſſæus, quem ob oculos habeo, Lib. 6. *Antiq. Roman.* Cap. 43. & Lib. 9. Cap. 31. & Lib. 11. Cap. extremo. Præterea Marlianus in *Annalibus Conſulum*, pag. 5. productis in medium teſtimoniis Livii, ac Ciceronis, oſtendit, Conſulatum iniri ſolitum menſibus Martii, Maji, Quinctilis, Sextilis, & Decembris: quamvis negari non poſſit, poſt DC. annos ab Urbe condita plerumque creari ſolitos Kalendis Januarii, niſi tumultus, ſeditio, aut alia cauſſa impediret Comitia.

X. Aliunde quoque litem intentat huic Epiſtolæ laudatus D. Ferdinandus de Mendoza, quod verum non appareat, Epiſcopos Hiſpaniæ conveniſſe, ut Sedem Apoſtolicam conſulerent circa ea quæ in illa continentur: ſiquidem viginti circiter annis poſtea occurrente cauſſa graviore depoſitionis Epiſcoporum Hiſpanorum, Baſilidis, & Martialis Emeritenſis, non propterea conſuluerunt Romanum Pontificem, ſed dumtaxat Cyprianum Epiſcopum Carthaginenſem, & in ipſorum locum ſuffecerunt Sabinum atque Felicem, nulla relatione miſſa ad Apoſtolicam Sedem.

XI. Mirum autem eſt, Virum eruditiſſimum ita objicere. Nam licet Epiſcopi Hiſpani depoſuiſſent Baſilidem, & Martialem, veluti libellaticos manifeſtos, ſuffectis in eorum locum Sabino, & Felice; tandem ea de re Sedem Apoſtolicam conſuluerunt miſſa illuc relatione, & Epiſtolis S. Cypriani, aliorumque Epiſcoporum Africæ. Neque enim ad hos recurrerunt Epiſcopi Hiſpaniæ, tanquam ad Superiores, cum nullo modo in eorum ditione, aut provincia eſſent, ſed veluti ad examinatores, & teſtes juſtæ depoſitionis: ut poſtea ejus rationem redderent ad Stephanum Papam, mendaciis, & frivolis excuſationibus deceptum a Baſilide. Unde demum contigit, ut Sabinus, & Felix, Epiſcoporum Africanorum literis muniti, Romam navigarent: ut reddita ratione juſtæ illius depoſitionis coram Stephano Papa, ejus auctoritate fulcirentur, & in Sedibus ſuis permanerent. De quo lege Baronium ad annum CCLVIII. num. 1. & ſex ſequentibus, præter ea quæ dicemus infra Diſſert. XIV. de eiſdem Baſilide & Martiali circa eundem annum. Itaque quemadmodum tunc relationem miſerunt Epiſcopi Hiſpani ad Stephanum Papam circa eorum Antiſtitum depoſitionem, ita & nunc ad Anterum, vel ad Pontianum ejus deceſſorem, circa tranſlationes Epiſcoporum.

XII. Nec propterea in me recipio opinionem Ambroſii Morales accurati, & eruditi Scriptoris, Lib. 9. *Hiſt. Hiſpanicæ* Cap. 42. ubi allegata hac Epiſtola Anteri Papæ, vult, Synodum Epiſcoporum Hiſpaniæ fuiſſe coactam ad Pontificem iis de rebus conſulendum. Sat enim eſt, quod multi utriuſque provinciæ Bæticæ, & Toletanæ, quæ conterminæ ſunt, occurrente occaſione circa mutationem alicujus Epiſcopi de una in aliam Eccleſiam, convenirent, ſeu verbo, ſeu ſcripto, in conſulenda circa id Apoſtolica Sede. Quin nec in cauſſa mox memorata Baſilidis, & Martialis, quæ graviſſima fuit, ullam Synodum ab Epiſcopis in Hiſpania celebratam novimus, ſed in Africa ſolum. Denique nec cuilibet Epiſcoporum conventui tribuendum ſtatim eſt vocabulum Synodi, vel Concilii, preſſe loquendo, ſed illi tantum, in quo de rebus ad Fidem, vel mores ſpectantibus ex inſtituto agitur. Unde S. Marcellus I. Papa Epiſt. 2. ad Maxentium Imperatorem, a quo duriſſime affligebatur, diſtinguit plane inter Synodum Epiſcoporum, & Congregationem, dicens: *Synodum ergo abſque hujus ſanctæ Sedis auctoritate Epiſcoporum (quamquam quoſdam Epiſcopos poſſitis congregare) non poteſtis regulariter facere.* Vide ſupra Diſſert. IX. n. 151.

EX-

EXCURSUS II.

An epigraphe ejuſdem Epiſtolæ ad Epiſcopos provinciarum Bæticæ, & Toletanæ, illam ſuſpectam reddat. Ubi de diviſione antiqua provinciarum Hiſpaniæ.

XIII. Occurrit præterea ſcrupulus alius ex ipſa epigraphe: *Ad Epiſcopos Bæticæ, & Toletanæ provinciæ.* Nondum enim ea diviſio provinciarum Hiſpaniæ facta fuiſſe videtur eo tempore quoad Epiſcopos, immo nec initio ſæculi quarti ſequentis; ſiquidem in Eliberitano Concilio, quod ex veriore ſententia celebratum fuit circiter annum CCCII. ut ſuo loco videbimus, inter Epiſcopos variarum, ac diſſitarum Hiſpaniæ Urbium ſubſcribentes, nullus invenitur Metropolitanus, ſive Archiepiſcopus; quod ſane neceſſum eſt ad Hierarchicum provinciæ ordinem conſtituendum. Quin & in ea Synodo primus omnium ſubſcripſit, & confirmavit Canones Felix Epiſcopus Accitanus, ſecundo Oſius Epiſcopus Cordubenſis, tertio Sabinus Epiſcopus Hiſpalenſis &c. Tertio decimo Melantius Epiſcopus Toletanus. Si autem eo tempore jam fuiſſet facta diviſio provinciarum Bæticæ, & Toletanæ, ut ponitur in epigraphe hujus Epiſtolæ, profecto nulli melius, quam Præſules Hiſpalenſes, & Toletani, fuiſſent Archiepiſcopi: ac proinde ſubſcripſiſſent ante omnes Præſules, uti factum fuit poſtea in aliis Hiſpaniæ Conciliis. Videtur itaque ſuppoſita ea inſcriptio.

XIV. Cæterum is nodus non eſt valde difficilis extricatu, ut conſtabit ea dicendis circa Epiſtolam aliam Lucii I. Papæ ad Epiſcopos Galliæ, & Hiſpaniæ, in qua plura decernuntur circa Metropolitanos, quæ præter rem eſſent, ni jam tunc eſſent in utraque natione provinciæ diviſæ, & Archiepiſcopi conſtituti. Præterea in eodem Concilio Eliberitano, cujus ſubſcriptiones nobis objiciuntur, dicitur Can. 58. *Placuit ubicumque, & maxime in eo loco, in quo primæ Cathedræ conſtitutus eſt Epiſcopus, ut interrogentur hi, qui communicatorias literas tradunt, an omnia recte habeant, & ſuo teſtimonio comprobent.* Ubi maxime proclive, & cohærens literæ, ac ſenſui eſt (quidquid Mendoza in oppoſitum velit) quod Epiſcopus primæ Cathedræ ſit Archiepiſcopus, reliquis provinciæ Epiſcopis præeminens. Quare in Capitulo XXV. Adriani I. Papæ pro eodem accipitur, *qui primas Sedes tenet, ac Princeps Sacerdotum, ſeu Metropolitanus, aut Archiepiſcopus.* Præterea in Decreto Gundemari Regis Hiſpaniæ edito anno DCX. & intimato quindecim Epiſcopis provinciæ Carthaginenſis in quodam Concilio Toletano ejuſdem anni, dicitur: *Decernimus, ut ſicut Bætica, Luſitania, & Tarraconenſis provincia, vel reliquæ ad Regni noſtri regimina pertinentes, SECUNDUM ANTIQUA PATRUM DECRETA, SINGULOS NOSCUNTUR HABERE METROPOLITANOS: ita & Carthaginenſis provincia, unum, eundemque, QUEM PRISCA SYNODALIS DECLARAVIT AUCTORITAS, & veneretur Primatem, & inter omnes Comprovinciales ſummum honoret Antiſtitem &c.* Hæc ibi, non quidem primo ſtatuta, ſed ſolum declarata, aut confirmata, *ſecundum antiqua Patrum Decreta*, & prout *priſca Synodalis declaravit auctoritas.* Jam ergo ab antiquis temporibus diviſæ erant Provinciæ in Hiſpania, & unicuique earum deſignatus unus Archiepiſcopus, ſive Primas.

XV. Sed & longe ante tempora Gundemari, tribus integris ſæculis, nimirum circa annum Conſtantini quartum, qui fuit Chriſti circiter CCCX. extat Decretum illud ejuſdem Imperatoris, editum a Loaiſa pag. 143. *Cæſar Conſtantinus anno quarto Imperii ſui ſex Archiepiſcopos, ut dividerent Hiſpaniam in ſex partes, ſeu provincias, juſſit, ita quod unuſquiſque haberet terminos ſuos, quos nullo modo excedere attentaret.* Deinde eas ſex provincias ſingillatim dividit, ut ibidem legere eſt.

XVI. Nec tamen inde colligas, diviſionem provinciarum Hiſpaniæ primo factam fuiſſe a Conſtantino circa eum annum CCCX. ac proinde tempore Anteri Papæ anno CCXXXVIII. quo hæc Epiſtola ſcripta ponitur, nondum fuiſſe factam. In oppoſitum enim eſt, quod Conſtantinus ſolum diſtinxit explicatius, & ſingillatim provincias, quæ antea ob perſecutiones Gentilium, & ingentem difficultatem, ut ordine debito tractarentur cauſſæ Eccleſiaſticæ, minus diſtinctæ erant, quam oporteret. Nimirum ante Conſtantini tempora jam in uſu fuiſſe, ut in Civitatibus, ubi ex Jure Romanorum erant Protoflamines, eſſent Primates, ſeu Patriarchæ; ubi Archiflamines, Archiepiſcopi; ubi Flamines, Epiſcopi conſtituerentur, teſtatum habemus in Epiſtola prima S. Clementis Papæ nomine edita ad Jacobum fratrem Domini columna nona; ſeu potius ad Simeonem filium Cleophæ, qui & frater Domini a multis dicebatur. Vide illam, cujuſcumque demum auctoritatis ſit, apud Collectiones Conciliorum, præſertim Labbeanam, To. I. col. 91. §. *In illis vero Civitatibus &c.* Citatur illa Decreti prima Parte, Diſt. octogeſima, Cap. I. & 2. ac plenius legere eſt apud Cl. V. Antonium Auguſtinum in *Epitome Juris*, Lib. 2. Titul. I. Vvolphangum Lacium Libro 7. *Reipubl. Romanæ*. Aaorium, Part. 2. Inſtit. Lib. 3. Cap. 36. Q. 8. & Morinum Lib. I. *Exercitationum*, fere per totum, ac denique apud omnes fere eos, qui adverſus Monarchomachos, & Sectarios recentes aſſerunt ordinem Hierarchiæ Eccleſiaſticæ, & qui volunt, ipſam Archiepiſcopalem dignitatem provenire ex Jure Divino: quamvis poſtremam hanc Archiepiſcoporum ſupra Epiſcopos Comprovinciales, ſolius Juris Eccleſiaſtici, velit eſſe eruditiſſimus Petavius Lib. 3. *Theologicorum Dogmatum*, de Hierarchia Eccl. Capite 7. §. 6. de quo alibi. Quidquid vero ſit de ea quæſtione, id certum, longe ante tempora Concilii Nicæni (quod anno CCCXXV. coactum fuit) Eccleſias diſtributas fuiſſe per unamquamque provinciam, & omnibus cujuſque provinciæ Epiſcopis præfuiſſe unum primarium Epiſcopum Metropolitani titulo, cujus præcipua Urbs Metropolis dicebatur. Ita enim conſtat, præter plura alia, ex celebri Canone ſexto ejuſdem Concilii, in quo palam habetur, Epiſcopum Alexandrinum κατὰ τὰ ἀρχαῖα ἔθη, ideſt, *ex antiqua conſuetudine*, ſub ſe habuiſſe omnes Epiſcopos, tam Ægypti, quam Libyæ, & Pentapolis. Ibidem quoque ὁ μητροπολίτης dicitur primarius ille Antiſtes, ſine cujus aſſenſu nullus in provincia Epiſcopus ordinari poteſt.

XVII. Si

XVII. Si autem provinciarum diviſio, & Archiepiſcoporum in iis deſignatio, ſive ſit Juris Divini, ſive Eccleſiaſtici ſolum, tam antiqua eſt, ut Nicæni Patres illam veterem dicant; quid mirum, quod tempore Anteri Papæ, ideſt, octoginta ſeptem retro annis, provincia Bætica, & Toletana diviſæ jam eſſent in Hiſpania, ubi ab ipſo Apoſtolorum tempore Religio Chriſtiana, & diſciplina Eccleſiaſtica longe, & late floruit? Quid, quod Archiepiſcopi in ea eſſent, ſive Metropolitani in iis Urbibus, ubi antea ex Lege Romanorum Gentilium conſtituti erant Archiflamines, veluti Flaminum coryphæi, circa inanem Idolorum cultum? Unde cum in provinciis Bætica, & Toletana, Hiſpalis, ac Toletum primariæ Urbes eſſent, in quibus dubitare non licet, conſtitutos fuiſſe Archiflamines a Gentilibus, conſequens eſt, ut & in eiſdem a Chriſtianis Archiepiſcopi, ſeu Metropolitæ collocarentur. Unde Baronius ad annum Chriſti xxxix. §. x. ait: *Majores in inſtituendis Sedibus Eccleſiarum, non aliam iniiſſe rationem, quam ſecundum provinciarum diviſionem, & prærogativas a Romanis antea ſtabilitas, quamplurima ſunt exempla*. Quod ibidem oſtendit ſingillatim in Sedibus Eccleſiarum Antiochiæ, & Cæſareæ Paleſtinæ, quæ ab ipſis Apoſtolorum temporibus ſunt Metropoles conſtitutæ, quod altera Urbs eſſet caput totius Syriæ, altera Palæſtinæ. Scio, in epigraphe hujus Epiſtolæ ſuſpectum fuiſſe Antonio Auguſtino nomen *Toletanæ provinciæ; cum illis temporibus*, inquit, *Toletum oppidum fuerit minus nobile*. Ita ille in Notis ad Capitula Adriani Papæ Cap. 62. Sed quid, ſi doctiſſimus Archipræſul Tarraconenſis Eccleſiæ, ob veterem contentionem de Primatu cum Toletana, aliquid humani in ea parte fuerit paſſus?

XVIII. Neque obſtat argumentum Mendozæ petitum ex ſubſcriptione Felicis Accitani Epiſcopi primo loco, Sabini Hiſpalenſis Epiſcopi tertio, & Melantii Toletani tertio decimo, in Concilio Eliberitano. Reſponderi jam enim facile poteſt, quamvis tunc provinciæ eſſent diſtinctæ, & Metropolitani ſingulis deſignati, prout neceſſarium erat ad Hierarchicum ordinem Eccleſiæ ſervandum: adhuc tamen tunc fortaſſe in more poſitum fuiſſe, apud Hiſpaniam ſaltem, ut Epiſcopi in Congregationibus, ſive Synodis, ſederent, confirmarent, & ſubſcriberent, juxta tempus ſuæ conſecrationis, quamvis aliqui excellerent majori Eccleſiæ dignitate. Unde & longe poſtea in Conciliis Toletanis prioribus nullus ordo in ſubſcribendo ſervatus invenitur, quamvis tunc Epiſcopus Toletanus eſſet Metropolita, donec poſtea in Concilio Bracarenſi I. quod anno Chriſti DLX. celebratum fuit, Canone vi. ſtatutum eſt, *ut conſervato Metropolitani Epiſcopi Primatu, cæteri Epiſcoporum ſecundum ſuæ ordinationis tempus, alius alio* (forſan, alii) *ſedendi deferat locum*. Quod ipſum in pluribus Africanis Conciliis, præſertim Milevitano, Canone xiii. & Carthaginenſi, Canone lxxxix. conſtitutum fuerat. Fortaſſis etiam in Concilio ipſo apud Eliberim coacto excitata eſt quæſtio circa primum locum, an eſſet deferendus Metropolitæ Toletano, an Hiſpalenſi, an denique Eliberitano Epiſcopo, intra cujus ditionem illa Synodus erat coacta; & ad vitanda diſſidia ſancitum fuit, ut ſedecent, & ſubſcriberent omnes Epiſcopi juxta tempus ſuæ ordinationis. Quin & Oſius ipſe, qui ibidem ſecundo loco ſubſcribit, poſtea in Concilio Gangrenſi, quamvis præſideret nomine Apoſtolicæ Sedis, legitur ſubſcriptus infra alios; forte quoniam & in ea Synodo ſervare ille voluit ordinem, quem antea in Concilio Eliberitano viderat obſervatum.

XIX. Denique dici poteſt, ſanctiſſimos illos Præſules, qui Eliberim convenerunt, parum, aut nihil curaſse de ordine in ſubſcribendo, præſertim imminente tunc ſæviſsima Diocletiani perſecutione, ad quam ſuperandam, ac præveniendam, potius oporteret ſalutaria Decreta edere, quam contendere de loco, & Primatu inter ſe. Sic ubi Principes ſupremi in exercitu Chriſtiano coeunt adverſus infideles, non curant quis cui locus deferendus ſit pro dignitate, ſed amice conveniunt, ſedent, veſcuntur, pugnant, prout occaſio occurrit: uti factum legimus in glorioſiſsimo prælio anni mdclxxxiii. ad Viennam Auſtriæ Urbem: ubi Poloniæ Rex Ioannes II. ac Duces Lotharingiæ, Bavariæ, & Saxoniæ, aliique Principes ſupremi, amicabiliter convenere, & non ſervato ordine dignitatis, ſed tumultuario, ſive prout occaſio occurrebat, præliantes, inſignem, ac futuris ſæculis memorandam victoriam Chriſtiano orbi reportarunt, diſrupto, & fugato innumerabili exercitu Barbarorum.

EXCURSUS III.

An eadem Epiſtola centonibus poſteriorum Scriptorum interpolata fuerit, & proinde auctoritate careat. Occurritur argumento exinde petito, & concluditur, quid tandem de illa cenſendum ſit.

XX. HActenus curæ fuit occurrere argumentis variis, præſertim eruditiſſimi illius D. Ferdinandi de Mendoza, cujus aureos in Synodum Eliberitanam Commentarios, & ubique celeberrimos, nunquam ſine delectatione, nunquam ſine admiratione lego. Nunc aliorum, præſertim exterorum, præcipuæ objectioni, & ſolenni circa Epiſtolas alias priſcis Pontificibus adſcriptas, reſpondere oportet.

XXI. Opponit Auctor pſeudo-Iſidori editi anno mdcxxviii. & poſt ipſum Archipræſul Marea, ac Philippus Labbè (ut alios recentiores omittam) Epiſtolam hanc eſſe conſarcinatam ex centonibus Scriptorum poſteriorum, præſertim Siricii Papæ, Hieronymi, Ennodii, ac Gregorii Magni: proindeque adulterinam prorſus, aut ſaltem interpolatam mangonio Iſidori Mercatoris.

XXII. Aſſumptum oſtenditur. Nam verba illa Epiſtolæ a principio, *dilectionis & pacis veſtræ ſinceritatis gaudia audire, &c.* totidem verbis leguntur apud Siricium Papam Epiſt. a. Similiter & verba, quæ circa finem ejuſdem primi paragraphi extant, *facile ad deteriorem partem mens humana tranſducitur, &c.* leguntur in eadem Epiſtola Siricii.

XXIII. Quod attinet Ennodium, hujus verba in Apologia pro Symmacho Papa, ſunt quæ leguntur poſt finem §. ii. hujus Epiſtolæ: *Quod licet, non licet, & quod non licet, licet*,

cet &c. Similiter & loco Ennodii citato extant, quæ habeutur ſub initium §. 155. *Si quis tamen ſapientium, &c.* Ejuſdem generis ſunt quæ paullo poſtea ſequuntur: *Nam ſi enarranda cogerer aperire tranſacta &c.*

XXIV. Jam vero pariter aſſumenta quædam ex Hieronymo fuiſſe adjecta, argumento ſunt verba illa eiuſdem Epiſtolæ poſt medium: *Caveat unuſquiſque, ne aut linguam, aut aures babeat prurientes, ideſt, ne ipſe aut aliis detrabat, aut alias audiat detrabentes.* Quæ leguntur apud Hieronymum Epiſtola 2. ad Nepotianum. Similiter & apud eundem S. Doctorem Epiſtola 4. & 13. & prima ad Heliodorum, extant quæ paullo poſtea nomine Anteri proferuntur, præſertim illa: *Non eſt humilitatis meæ, neque menſuræ, judicare de cæteris, & de miniſtris Eccleſiarum ſiniſtrum quippiam dicere. Abſit ut quidquam ſiniſtrum de his loquar, qui Apoſtolica gradui ſuccedentes, Chriſti Corpus ſacro ore conficiunt, &c.*

XXV. Denique ex Sancto Gregorio Magno deſumpta videntur verba illa extrema ejuſdem Epiſtolæ: *Omnipatens Deus ſua vos protectione cuſtodiat, honoremque, & præceptum ſervare concedat.* Nam eadem fere leguntur apud Sanctum Doctorem Libro 4. Indictione 13. Epiſtola 50. fine.

XXVI. Hoc eſt argumentum judicio eorum Auctorum ἀναντίῤῥητον, quo perſuadere conantur, Epiſtolam præjactam eſſe adulterinam, aut ſaltem interpolatam centonibus aſſutis ex Patribus, & Scriptoribus, qui multis poſt Anterum ſæculis ſcripſerunt. Quo eodem ariete reliquas Epiſtolas veterum Pontificum nomine editas concutere, & ſolo æquare conantur, jactis in Iſidorum Collectorem plauſtris conviciorum plenis, quaſi e cerebro finxerit, aut ſaltem corruperit priſca illa monumenta.

XXVII. Verum quam multa peccent qui ita objiciunt, & obloquuntur Iſidoro Collectori, & quam alienus ille fuerit ab eo nævo, immo quam pius, & illuſtris Scriptor, nec ſane alius, quam S. Iſidorus Hiſpalenſis, jam ſatis, & ex inſtituto oſtenſum eſt in ſuperioribus, præſertim Diſſertatione I. & IV. ubi de auctoritate earum Epiſtolarum ſermo fuit.

XXVIII. Nunc ſatis ſit dicere, imprimis non eadem omnino verba, quæ habentur in hac Epiſtola Anteri (idemque eſt de aliis veterum Pontificum) extare apud Patres, & alios Scriptores temporum ſequentium, ſed partim eadem, partimque alia, ut non ſemel obſervavimus, iis perlectis, & collatis inter ſe. Sufficiat in exemplum locus poſtremus nobis objectus ex S. Gregorio, apud quem ne integra quidem linea extat eorum verborum, quæ leguntur in fine Epiſtolæ Anteri, & nuper exſcripta fuerunt, num. 25.

XXIX. Sed ſinamus, eadem omnino verba in periodis aliquot integris extare. Numquid continuo ſequitur, ut ex poſterioribus Scriptoribus aſſuta fuerint priſcis illis Epiſtolis? Potius putandum, Patres poſteriores, qua præditi erant veneratione antiquorum Romanæ Eccleſiæ Pontificum, illorum teſtimoniis uſos, iiſque, veluti margaritis, aut adamantibus Scripta ſua decoraſſe. Sic & multi ætatis mediæ, non tam in ea parte Scriptores, quam exſcriptores, Tractatus varios, atque Homilias in Sacræ Scripturæ Libros ediderunt, aut ex integro, aut magna parte contextos ex variis veterum Patrum locis, etiam non indicato ipſorum nomine ſingillatim. Et in ipſis Epiſtolis Decretalibus Pontificum Romanorum, tam veterum, quam recentium, omnino exploratis, ſive de quarum auctoritate nullus ambigit, occurrunt ſæpiſſime centones aſsuti ex aliis antiquioribus, etiam indubitatis: quoniam vel Pontifici ſcribenti, vel ei, qui ab Epiſtolis ipſi erat, placuit inſerere periodum aliquam ſibi opportunam, aut loquendi formulam, etiam non indicato ſonte, unde illam hauſit. Quin & ſæpe accidit, ut eadem initio verba habeantur in multis diverſorum Pontificum Epiſtolis, veluti prima Zephyrini, tertia Fabiani, tertia Hilari: ſimiliter facta collatione inter tertiam S. Leonis, & ſecundam Pelagii, ut alias prætercam, præſertim ſcriptas poſtremis ſæculis, in quibus paſsim eædem clauſulæ, atque integri paragraphi totidem verbis occurrunt. Lege plura alia, quæ circa hoc ipſum ſere præmiſi allegata Diſſertatione IV. præſertim a num. 25. & non eſt operæ pretium modo inculcare. Sane ibidem deprehendes, argumentum hoc generatim objectum priſcis Romanorum Pontificum Epiſtolis, viſum enerve Antonio Auguſtino, quem fruſtra adverſarii in partes ſuas trahere invitum tentant, ut Excurſu quinto ejuſdem Diſſertationis oſtenſum ſuit.

XXX. Quamvis autem hactenus occurrerim variis difficultatibus, & argumentis doctorum hominum elevantium auctoritatem Epiſtolæ Anteri, aut illam omnino rejicientium veluti apocrypham; fateor ingenue, me non ita reſpondiſſe, ut propterea ipſi fides explorata ſit habenda, prout extat. Neque enim in re adeo obſcura, cui plene explicandæ deſunt monumenta authentica priorum ſæculorum Eræ Chriſtianæ, poſſumus certo aliquid definire, ſed ſolum loqui ex conjectura, aut judicio probabili, quamquam veteribus monumentis innixo, uti hactenus factum eſt. Verum, ſi æque ingenue loquentur adverſarii, ſatebuntur plane, nec ſua ipſorum argumenta eſſe ἀναντίῤῥητα, ſed topica ſolum, aut veroſimilia, quibus pari reſponſione fiat ſatis.

XXXI. Aliunde vero Epiſtola ipſa Anteri, tot ſæculis immemorabili poſſeſſione auctoritatis munita, a Pontificibus ſequentibus, & Scriptoribus graviſſimis laudata, partimque exſcripta a Pelagio II. Papa circa annum DLXXXI. Epiſtola prima, quæ eſt ad Benignum Archiepiſcopum (licet nonnulli recentiores pro libito illam inter ſpurias recenſeant) & poſtea indubitanter circa annum CM. ab Auxilio Lib. I. *De ordinationibus Formoſi Papæ*; partim anno circiter MCCC. a Nicephoro, Lib. 14. Cap. 39. fine (quod argumento eſt, illam apud Græcos etiam fuiſse olim receptam, exploratamque) & doctrinam continens dignam Apoſtolica Sede, ac poſtea in variis Conciliis confirmatam (ut poſtea oſtendemus late) neque unquam impetita, aut incuſata τῆς νοθείας, donec Centuriatores Magdeburgenſes, Romanæ Eccleſiæ jurati hoſtes, illam allatrare cœperunt, digniſsima ſane eſt, quæ ab omnibus Chriſtianis *venerabiliter recipiatur*, prout generatim de iis Epiſtolis decrevit, aut potius declaravit S. Gelaſius I. Papa in Concilio Romaoo LXX. Epiſcoporum anno

CCXCIV. Accedit, quidquid fere traditur in hac Epiſtola circa tranſitiones iniquas Epiſcoporum ex ambitione, aut avaritia ad alias Eccleſias; ſimiliter & circa juſtas translationes multorum Epiſcoporum judicio factas, publica utilitate, aut neceſſitate urgente, haberi totidem fere verbis in Epiſtolis, Evariſti Papæ ſecunda, quæ eſt de Epiſcopis electis, Calliſti I. ſecunda ad Galliarum Epiſcopos, ac prima Pelagii II. Papæ ad Benignum Archiepiſcopum ſcripta anno DXC. ut proinde Pelagius hanc Epiſtolam S. Anteri ab oculos habuiſſe videatur: ſicuti & in omnes illas videntur reſpexiſſe Patres Eccleſiæ Hiſpanæ in Conciliis Toletanis, s. XII. & XVI. ubi Canonice, ut ipſi ajunt, id eſt, juxta earum præſcriptum, tranſtulerunt quoſdam Epiſcopos ad alias Eccleſias ampliores, ob utilitatem publicam, integro ſaltem ſæculo, antequam naſceretur ille Iſidorus, quem Mercatorem appellant, & corrupiſse Epiſtolas volunt ſub finem ſæculi octavi. Lege præſertim infra Diſſertat. XI. Excurſu V. & ſupra Diſsert. IV. nu. 82.

XXXII. Supereſt aliud Cl. V. Emmanuelis Schelſtrate argumentum contra γνησιότητα hujus Epiſtolæ, ex eo deſumptum, quod Eccleſia novem primis ſæculis nunquam permiſerit Epiſcoporum translationes contra quam hoc loco traditur. Verum id examen longum exigit Diſſert. ſequenti, ea qua conſtabit, aſsumptionem laudati Auctoris eſse falſam. Vide præſertim ibi num. 27. 28. & 34.

Poſtquam Typographus prælo expreſserat, quæ hactenus ſcripta fuerunt, accidit forte, ut legeremus Catalogum illum Pontificum Romanorum, qui ex pervetuſtis mſs. Codicibus membranaceis primo editus fuit Moguntiæ anno MDCII. & poſtea recuſus Plantinianis typis anno MDCXL. hortatu Cl. V. Laurentii Ramirez de Prado inter Opera Luitprandi, in quo pag. 185. hæc habentur de Antero Papa, quibus confirmantur plura ſuperius indicata de illius Pontificatu duodecim annorum, & ſcriptione Epiſtolæ præjactæ ad Hiſpanos.

ANTEROS natione Græcus, ex patre Romulo, ſedit annos duodecim, menſem unum, dies duodecim: fuit autem temporibus Maximini, & Africani Coſſ. Hic geſta Martyrum diligenter a Notariis exquiſivit, & in Eccleſia recondidit. Qui tertio Non. Januarii martyrio coronatur. Hic ordinavit Epiſcopum unum. Hic etiam conſultus de Epiſcoporum mutatione, fieri licere in ſuis Decretis reſpondit; non tamen cujuſquam libitu, aut dominatione, ſed communi utilitate, aut neceſſitate, ſicut Petrus Apoſtolorum Princeps de Antiochia Romam utilitatis cauſſa eſt translatus, ut ibi plus proficere poſſet. Et Euſebius etiam de parva quadam Civitate Apoſtolica auctoritate mutatus eſt Alexandriam. Similiter & Felix de Civitate, qua ordinatus erat electione Civium, propter doctrinam, & bonam vitam, quam habebat, communi Epiſcoporum, & reliquorum Sacerdotum, aut populorum conſilio tranſlatus eſt Epheſum. Quia, ſicuti Epiſcopi habent poteſtatem ordinare regulariter Epiſcopos, & reliquos Sacerdotes; ſic quotieſcumque utilitas, aut neceſſitas expoſcit, ſupradicto modo, & mutare, & inthronizare poteſtatem habent. Non enim de minori ad majorem Civitatem tranſfertur, qui non ambitu, nec propria voluntate; ſed aut vi, a propria Sede pulſus, aut neceſſitate coactus, aut utilitate loci, & populi, non ſuperbe, ſed humiliter ab aliis tranſfertur, & inthronizatur. Hic eiſdem Decretis ſuis ſancivit, ut quiſque inobediens ſpirituali animadverſione truncetur, & ejectus de Eccleſia, rabido dæmonum ore dilanietur: ſicut olim in veteri Lege, quicumque Sacerdotibus non obtemperaſſet, aut extra caſtra poſitus lapidabatur a populo, aut gladio cervice ſubjecta contemptum expiabat cruore. Hactenus ibi.

JOSEPHI CATALANI ADDITIO.

Quamquam præſtantiſſimus Cardinalis de Aguirre pluribus argumentis probare adnitetur, genuinam eſſe S. Anteri Papæ Epiſtolam ab ipſo ad Epiſcopos provinciarum Bæticæ, & Toletanæ ſcriptam, admirandumque ſit Scriptoris ingenium in ipſa Epiſtola S. Antero adjudicanda, communis eſt hodie Auctorum ſententia, falſo illam eſſe laudato Pontifici ſuppoſitam. Porro teſte erudito Georgio in Notis ad Martyrologium Adonis ad diem 3. Januarii, Martyrographi omnes vetuſtiores prædicta die de Sancto Antero meminere, nimirum, Beda, Romanum parvum, Ado, Uſuardus, Rabanus, Notkerus, & alii. Catalogus Bucherianus omnium vetuſtiſſimus habet pag. 271. *Anteros menſe uno, diebus decem. Dormit III Nonas Januarii. Maximo (pro Maximino) & Africano Coſſ.* hoc eſt, anno Chriſti 236. In Apographis Hieronymianis apud Florentinium pag. 995. & 997. colitur die 24. Novembris, ubi *Anteroditus* dicitur, ut ab Euſebio, Lib. VI. Cap. XXIX *Anterotes* appellatur. Ex his animadvertit Tillemontius Tomo III. pag. 694. diem 24. Novembris in Hieronymianis adnotatum, diem ordinationis ejus ſignificare, tertiam vero Januarii ejus obitum. S. Anteri Martyrium *dormitionis* vocabulo deſignatur, quod & de aliis Martyribus factum eſt, ut de S. Alexandro Martyre habetur apud Euſebium Lib. VI. Cap. XXIX. & XLVI. Sane Beda, Ado, Uſuardus, Rabanus, & Notkerus immani temporum labe, Antero duodecim Pontificatus annos tribuunt. Primus hos annos *duodecim* a Martyrologiis expunxit Baronius. Sumptus fuit error ex commentitiis numeris in Libro Pontificali, & ex vulgatis Catalogis Pontificum Romanorum; in aliquibus tamen ex his Catalogis, *menſem unum, & dies decem* ſediſse Anterus legitur. Errarunt & plerique eorum, dum paſſum fuiſse ſcribunt ſub *Maximiano*, pro Maximino. Nam quum Anterus deceſſerit, Maximino, & Africano Conſulibus, ut eſt etiam in veteri Pontificum Romanorum Catalogo apud Bollandum in Actis Sanctorum menſis Aprilis Tomo I. pag. XXVI. qui eſt annus Chriſti 236. Maximinus Auguſtus tum imperabat. A Notkero Anterus, viceſimus a Sancto Petro Pontifex dicitur; in Kalendario vero Vaticano 3806. decimus octavus, & quidem minus recte; nam a Beato Petro ad Anterum viginti Pontifices enumerantur, ut ſcite obſervat laudatus Georgius. Plura de Antero, & de Epiſtola ei ſuppoſita videri poſſunt Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ, & Vitarum Pontificum Romanorum Scriptores varii, & eruditi.

DIS-

DISSERTATIO UNDECIMA.

De translatione Epiſcoporum ab una Eccleſia in aliam, permiſſa ab Antero Papa ex gravi, & urgente cauſſa, an vere ſolita, aut licita fuerit a priſcis Eccleſiæ temporibus uſque ad tempora Formoſi Papæ, & præſertim in Hiſpania.

HUcuſque circa auctoritatem, ſive γνησιότητα *Epiſtolæ hujus diſceptatio fuit. Nunc autem confirmare, & exornare oportet doctrinam in ea traditam circa translationes Epiſcoporum; quæ profecto magni ponderis eſt, & obſervatu digniſſima, tum ad utilitatem Eccleſiarum, tum ad vitanda plurima mala, quæ ex oppoſito ſequi poſſunt, ac ſolent. Studebimus autem id breviter, & ordine præſtare, potius attendentes ad Decreta Pontificum, & Conciliorum Canones (quæ duo potiſſimum in hoc Opere nobis curæ ſunt) atque exempla varia Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, quam ad conſiderationes Theologorum Scholaſticorum, & Moralium, qui de Epiſcoporum translationibus alia methodo, & ſtylo differunt.*

EXCURSUS PRIMUS.

Translationes Epiſcoporum licere quidem, ubi communi utilitate, & neceſſitate urgente, præter ipſorum voluntatem, legitima auctoritate fiant. Porro tunc non intervenire mutationem ex parte Epiſcopi ab Eccleſia prohibitam,

II. OPortet in anteceſſum reſumere verba præcipua Sancti Anteri Papæ in hac Epiſtola, quibus reſpondet conſultationi Epiſcoporum Hiſpaniæ: *De mutatione ergo Epiſcoporum, unde ſanctam Sedem Apoſtolicam conſulere voluiſtis, ſcitote, eam communi utilitate, atque neceſſitate fieri licere, ſed non libitu cujuſquam, aut dominatione.* Aſſertio eſt bimembris. Priori ejus parte traditur, translationem Epiſcoporum licere, ubi communis utilitas, atque neceſſitas intervenit. Poſteriori negatur, licitam eſse libitu cujuſquam, aut dominatione.

III. Priorem partem probat S. Pontifex exemplis, at primum quidem S. Petri Apoſtolorum Principis, qui de Antiochia utilitatis cauſſa translatus eſt Romam, ut ibidem magis proficeret communi totius Eccleſiæ bono. Addendum vero, neque id factum, niſi poſtquam Petrus Antiochenam Eccleſiam ſeptem annis adminiſtraverat, ut conſtans veterum ſententia eſt cum Clemente Alexandrino apud Baronium ad annum Chriſti XXXIX. nec niſi poſt peragratas omnes Eccleſias in Syria erectas. Huc enim ſpectant verba illa Lucæ Actorum IX. Capite 5. *Factum eſt autem, ut Petrus dum per tranſiret univerſos, perveniret ad ſanctos, qui habitabant Liddæ, &c.* Itaque ne quidem ad Romanam Sedem, in qua toti orbi Chriſtiano tantam utilitatem allaturus erat Petrus, transferri voluit ex Eccleſia Antiochena, donec ſeptem annis omnes Eccleſias ejus Metropoleos, ideſt, totius Syriæ, perluſtraſſet, ac prædicatione imbuiſſet.

IV. Alterum exemplum affert Anterus in Euſebio, *qui de parva Civitate quadam, Apoſtolica auctoritate, mutatus eſt Alexandriam.* In quæ verba ad marginem extat apud editionem Conciliorum Labbeanam: *Ignotus viris doctis.* At enim Binius in Notis indubitanter ait: *Hic eſt ille Euſebius Alexandrinus Epiſcopus, qui ſcripſit octodecim Sermones nuper in vetuſtiſſimo Libro Bibliothecæ Cryptæ-Ferratæ, ut teſtatur Turrianus Cap. 2. Lib. 2. inventos, in quorum uno, quem,* De Aſcenſione Domini, *inſcripſit, uſus eſt verbo Homouſii, quod S. Athanaſius in Epiſt. ad Africanos ait, non fuiſſe in Synodo Nicæna inventum, ſed prius fuiſſe etiam ab Epiſcopis Alexandriæ uſurpatum, ad aſſerendum contra hæreticos conſubſtantialem Filii Dei.* Miror autem, eruditiſſimum Petavium Lib. 4. *Theologicorum Dogmatum*, de Trinitate Cap. 5. per totum, diſſerentem de vocabulo τοῦ ὁμοουσίου, & præferentem varia loca quorundam, qui eo uſi ſunt ante Nicænam Synodum, non recenſuiſſe inter eos Euſebium hunc Alexandrinum. Sed neque illius lucubratio, aut mentio aliqua extat in Bibliotheca Maxima Patrum Aniſſoniana, ubi plurium Euſebiorum Opuſcula proferuntur Tomis IV. V. & VI. niſi forte aliquis velit, Euſebium eundem eſſe, cujus Oratio de Commemoratione Sanctorum extat Tom. XXVII. ejuſdem Bibliothecæ, inter Scriptores incerti temporis, pag. 479. ex interpretatione Caroli Fabiani. At enim quæ in ea Oratione dicuntur, quantum colligere poſſum, nullatenus videntur ſcripta ante Concilium Nicænum, & multo minus ante tempus Sancti Anteri.

V. Denique alio exemplo utitur Felicis cujuſdam, qui *de Civitate, qua ordinatus erat electione Civium, propter doctrinam, & bonam vitam, quam habebat, communi Epiſcoporum, & reliquorum Sacerdotum, ac populorum conſilio, translatus eſt Epheſum.* Quiſnam autem fuerit is Felix, nemo hactenus, quem ſciam, vel divinando indicavit.

VI. Rationem autem, cur in iis exemplis nulla culpa intervenerit, eam aſſignat Pontifex. *Non enim tranſit de Civitate ad Civitatem, qui non ſuo libitu, aut ambitu hoc facit; ſed utilitate quadam, aut neceſſitate aliorum, hortatu, & conſilio potiorum transfertur. Nec transfertur de minori Civitate ad majorem, qui hoc non ambitu, nec propria voluntate facit, ſed aut vi, e propria Sede pulſus, aut neceſſitate coactus, aut utilitate loci, aut populi, non*

ſuperbe, ſed cum humilitate ab aliis translatus, & inthronizatus eſt: quia homo videt in facie, Deus autem in corde, & Dominus per Prophetam loquitur dicens: Dominus ſcit cogitationes hominum, quoniam vanæ ſunt. *Pſalm.*93. *Non ergo mutat Sedem, qui non mutat mentem. Nec mutat Civitatem, qui non ſua ſponte, ſed conſilio, & electione aliorum mutatur. Non ergo migrat de Civitate in Civitatem, qui non avaritiæ cauſſa, nec ſponte dimittit ſuam: ſed (ut jam dictum eſt) aut pulſus a Sede ſua, aut neceſſitate coactus, aut electione, & exhortatione Sacerdotum, & populorum translatus eſt in alteram Civitatem.* Itaque aliud eſt mutatio ex parte Epiſcopi, aliud translatio ex parte eorum, ad quos ſpectat transferre ex juſta, & urgente cauſſa. Illa nunquam licet, utpote quæ communiter ex ambitione, & avaritia procedit. Hæc vero in dictis rerum, & temporum circumſtantiis licet.

EXCURSUS II.

Quomodo aliqui recentiorum opinentur, translationes Epiſcoporum, etiam quavis urgente neceſſitate, aut utilitate, non fuiſſe admiſſas ab Eccleſia primis novem ſæculis, uſque ad tempus Formoſi Papæ, & quibus argumentis id oſtendere nitantur.

VII. VErum hinc maxime recentiores aliquot rejiciunt Epiſtolam S. Anteri, veluti ſuppoſitam, quod certum exiſtiment, non modo mutationes, ſive tranſitiones Epiſcoporum, ſed etiam translationes ex quavis juſta cauſſa utilitatis, vel neceſſitatis publicæ, vetitas, & illicitas fuiſse habitas in Eccleſia uſque ad tempus Formoſi Papæ, qui circa finem ſæculi noni illam rexit.

VIII. Probant id imprimis ex Conciliis, Niceno, & Sardicenſi, aliiſque Excurſu VI. allegandis, tum ex variis Romanorum Pontificum Decretis, præſertim S. Damaſi, S. Leonis I. S. Hilari, qui videntur palam prohibere omnem, non modo mutationem, ſive tranſitionem Epiſcopi, ſed etiam translationem ad aliam Eccleſiam, & vel mitiſſime pronunciantes decernunt, ut ſtatim ad illam redeat, & alioqui Epiſcopatu careat. Nec inibi indicatur ullo modo, licere translationem ex quavis urgente cauſſa neceſſitatis, vel utilitatis publicæ. Videtur itaque ſuppoſititia Epiſtola hæc Anteri, quæ oppoſitum fieri ex juſta cauſſa indulget.

IX. Secundo id colligunt ex matrimonio ſpirituali Epiſcopi uniuſcujuſque cum propria Eccleſia, prout loquuntur varii Pontifices, & Concilia ibidem alleganda. Quin & ajunt non ſemel, fortius eſſe vinculum ejuſmodi matrimonii ſpiritualis, quam carnalis. Sicuti ergo Jure Divino ſtatutum eſt vinculum matrimonii carnalis, ita ut nulla ex cauſſa liceat marito derelicta propria uxore aliam accipere: ita nec ullo modo, aut occaſione, licebit Epiſcopum uni Eccleſiæ ſponſæ ſuæ conjunctum transferre in aliam.

X. Tertio id oſtendere conantur exemplis. Cum enim Antiocheni Cives cenſerent ſibi maxime utilem, & neceſſarium Epiſcopum Euſebium illum, qui Cæſarienſi Eccleſiæ præerat, uſque adeo, ut vi illum ad ſe inde arripere conarentur, Conſtantinus Magnus Imperator palam reſtitit. Et quamvis Euſebium ipſum judicaret eo honore digniſſimum, cenſuit præponderari, & præferri debere *Domini mandatum, Apoſtolicumque Eccleſiæ Canonem*, ejuſmodi translationes prohibentem; & Euſebium laudavit, quod ea propter nullatenus conſenſiſset in ſui exaltationem, translationemque, ut patet ex Lib. 3. *Vitæ Conſtantini* apud eundem Euſebium Cap. 59. & 60. Cenſuerat igitur Eccleſia eouſque, translationes Epiſcoporum quacumque ex cauſſa prorſus illicitas eſse, contra quam dicitur in hac Anteri Epiſtola.

XI Quarto, Eccleſiam Latinam rigidiſſime abſtinuiſse a translationibus uſque ad finem noni ſæculi, contendit Chriſtianus Lupus Tom. I. in Scholiis ad Can. XV. Nicænum, & poſt ipſum D. Schelſtrate in *Defenſione Concilii Antiocheni* ad Can. XXI. Cap. 19. Etenim cum Marinus, qui Romanum Pontificatum iniit anno 881. a Baſilio accuſatus fuiſset, quaſi ex alia Eccleſia ad Romanam translatus fuiſset contra ſacros Canones id vetantes; Stephanus VI. illum defendens repoſuit: *Dicentes Marinum antea fuiſſe Epiſcopum ..... oſtendant hoc.* Ita enim legitur apud Auctorem Libri, qui *Pontificalis* appellatur. Si autem translatio ab una in aliam Eccleſiam poſset licere ex aliqua cauſsa juxta Decretum Anteri, vel alterius Romani Pontificis, aut Concilii probati, Stephanus VI. allegata illa, excuſaret translationem Marini.

XII. Unde iidem Auctores cenſent, poſt invectas, & obtruſas eo nono ſæculo Epiſtolas illas Iſidorianæ Collectionis, & nominatim hanc, quæ Antero adſcribitur, cœpiſse probari tranſlationes Epiſcoporum ab una Eccleſia in aliam, etiam ad Romanam. Cum enim Formoſus Epiſcopus Portuenſis ad Sedem Apoſtolicam evectus fuiſset, paullo poſtea, nimirum circa annum DCCCXCVIII. proptereaque male audiret apud plurimos, citatus Auctor Libri Pontificalis dixit in ejus defenſionem: *Bono totius Eccleſiæ Catholicæ, prout ſæpius factum fuerat, ex Epiſcopo Portuenſi ad moderandas habenas totius orbis Catholici translatus eſt ad Epiſcopatum, & Pontificatum Romanæ Eccleſiæ.*

XIII. Quare primus omnium in Occidente Auxilius, ordinatus Presbyter ab eodem Formoſo, auſus fuiſse videtur ejuſmodi translationes factas ob bonum publicum Eccleſiæ defendere duobus Libellis, primo editis a Joanne Morino, & poſtea recuſis Tom. XVII. Biblioth. Maximæ Patrum Aniſonianæ ſæculo X. quibus imprimis Formoſi ejuſdem translationem, veluti rite factam, tuetur, utilitate, & neceſſitate publica id poſcente; deinde id confirmat, tum allegata hac Epiſtola Anteri, tum exemplis in medium productis, præſertim Sancti Gregorii Nazianzeni, & Germani, qui ex propriis Eccleſiis ad Conſtantinopolitanam translati fuerant.

XIV. Sed tamen plures alii contendebant, iniquam fuiſse omnino eam translationem Formoſi a Sede Portuenſi ad Romanam, utpote contrariam ſacris Canonibus, & perpetuæ conſuetudini. Nemo enim eouſque fuerat electus Pontifex Romanus ex Epiſcopo, ſed tantum ex Diacono, ſeu Presbytero Eccleſiæ Romanæ. Quin & multi irritam prorſus fuiſse volebant, & proinde ordinationes a Formoſo factas debere iterari: atque in id probandum allegabant doctrinam, & exemplum Stephani quarti Pa-

pæ,

pæ, qui coacta magna Synodo Italorum, Gallorum, & Germanorum Præſulum, ex communi omnium ſenſu declaravit, ordinationem Conſtantini Papæ fuiſse irritam, eo quod contra ſacros Canones fuiſset electus Romanus Pontifex, cum laicus eſset, & nullis pene ſervatis interſtitiis ordinatus. Quare & omnes eos, qui a Conſtantino ordinati fuerant, decreverunt iterum ordinari debere, ſi ab Eccleſiis peterentur, veluti quorum præcedens ordinatio fuiſset prorſus irrita, & nulla. Videtur itaque Eccleſia uſque ad tempus Formoſi ſaltem in ea ſententia fuiſse, ut translatio Epiſcoporum, ſicut & ordinatio Pontificis facta contra ſacros Canones, nulla eſset. Unde demum corruit auctoritas, & doctrina Epiſtolæ Antero adſcriptæ, in qua translationes ejuſmodi dicuntur licitæ, ſi ex urgente cauſsa utilitatis, neceſſitatiſque publicæ fiant, & conſenſu multorum Epiſcoporum. Si enim vere docuiſset id Anterus ſæculo tertio, non fuiſset poſtea improbatum tot ſæculis ab Eccleſia.

EXCURSUS III.

Oppoſita ſententia ab Auxilio Presbytero, Formoſi Papæ defenſore, tradita, ac plurimis exemplis confirmata, refertur, & diverſimode illuſtratur, ac vera oſtenditur.

XV. EX oppoſito alii volunt, translationes Epiſcoporum de una in aliam Eccleſiam factas ob urgentem utilitatem, & neceſſitatem ejus, ſive ob majorem profectum ſpiritualem, licitas fuiſse, & conſuetas in Eccleſia, ſaltem Orientali, a primis ſæculis uſque ad tempora Formoſi Papæ, nec ſolum deinceps. Quam ſententiam certam exiſtimo.

XVII. Primus eorum, qui in Occidente hanc ſententiam ex inſtituto tenuiſse, & confirmaſse invenitur, eſt Auxilius nuper allegatus, Lib. 1. de Ordinationibus a Formoſo Papa factis, ubi imprimis illam probat ex Epiſtola hac Sancti Anteri Papæ, in qua dilucide habetur, translationes ex juſta cauſſa, & legitima auctoritate factas, eſſe licitas, & laude dignas. Ut autem conſtet, ſe non alio ſenſu probare illas, præmittit initio; *Prudens Lector, hæc de Scripturarum copiis, & Sanctorum Patrum documentis pauca deſloravimus: ſcilicet, quod ſi Epiſcopus a propria Sede fuerit pulſus, certa imminente neceſſitate, vel utilitate, in alia Eccleſia, quæ Præſulem non habet, inthronizari poſſit; non tamen abſque auctoritate dumtaxat Romani Pontificis*. Quamvis vero videatur iis verbis ſolum acturus de Epiſcopo a propria Sede pulſo (in quo nulla, aut longe minor difficultas apparet) poſtea videtur etiam loqui de iis, qui ab Eccleſia illa, quam pacifice regunt, & juſtis cauſſis transferuntur ad alias. Id enim denotant pleraque exemplorum, quibus utitur.

XVII. Porro ex poſterioribus Concilio Nicæno, ubi translationes vetitæ fuerunt Can. xv. allegat imprimis exemplum Sancti Gregorii Nazianzeni, cognomento Theologi, qui *non paucis labentibus annis poſt Nicænum Concilium, ob Eccleſiæ utilitatem, de Civitate ad Civitatem migravit. Nam cum prius unius Civitatis Cappadociæ, quæ Samſima dicebatur, fuiſſet Epiſcopus, B. Baſilii, & aliorum Epiſcoporum hortatu, & conſenſu, Nazianzo conſtitutus eſt. Deinde Conſtantinopolim demigravit. Neque enim audiendi ſunt, qui eum Synodali judicio aſſerunt a Conſtantinopolitana Sede projectum. Verum eſt, quia congregati ſunt Epiſcopi; ſed non adverſus eum, ſed magis adverſus inthronizatores ejus; videlicet, quod ſine ſuorum conſenſu eam inthronizare auſi fuerint. Ipſe nimirum ſanctiſsimus Pater teſtificatur, cujus teſtimonium utique verum eſt, quod Sedem illam rite acceperit, eique recte præſederit; immo & precibus pulſatus fuerit, ut eam non desereret; ſed propter aſsiduos corporis dolores, exteraſque infirmitates, curvamque ſenectam, iſtiuſmodi precibus aſſenſum præbere noluit: reverſuſque ad quietem, & Philoſophicam vitam, quam ſemper amaverat, in qua multiplices, ac ſaluberrimos fructus afferens, quievit in Domino. Hæc autem partim reperiuntur in geſtis, quæ de ejus Vita ſcripta ſunt; partim in Sermone ipſius, qui Syntactirius appellatur. Apertiuſque in Homilia inveniuntur, qua ipſe de ſe apud Conſtantinopolim adverſus eos diſſeruit, qui eum Sedem illam deſideraſſe, dicebant*. Hæc ibi Auxilius Cap. 2. Deinde Cap. 5. regreditur ad idem exemplum, & inquit: *Si quiſpiam temeritate accenſus objicere præſumpſerit, quod B. Baſilius, & idem luculentiſsimus Doctor Gregorius, ignari fuerunt Concilii Nicæni, & in hujuſmodi facto a ſancta Romana Eccleſia deviaverint, etiam imperitiæ cachinnum præbebit*. Unde quod in Gregorio reprehendit Chriſtianus Lupus, quaſi ſolum reſponderit obtrectatoribus ſuis, Canones Eccleſiæ vetantes Epiſcoporum translationes non eſse uſu receptos, intelligi debet ſano ſenſu: ut, nimirum, non eſsent recepti, niſi quoties juſta cauſsa translationis non eſt, neque alio ſenſu fuiſse editos a principio, aut intelligi debere. Cauſsam vero juſtam interveniſse, ut Gregorius tranſferretur, nemo abſque temeritate negare poteſt.

XVIII. Præterea Capite 3. indicat varia exempla tranſmigrationis Epiſcoporum, qui utilitate, vel neceſſitate inthronizati ſunt: *Perigenes enim in Patris eſt ordinatus Epiſcopus; ſed quoniam Cives ejus Civitatis eum ſuſcipere noluerunt, Romanæ Civitatis Epiſcopus juſſit eum inthronizari in Corinthum Metropolim, defuncto ejus Epiſcopo, eique, donec advixit, Eccleſiæ præſuit. Doſitheum Seleuciæ Epiſcopum Alexander Antiochenus Epiſcopus in Tharſum Ciliciæ demigravit. Reverentius ab Arcis Phœniciæ in Tyrum migratus eſt*. Nimirum, Auctori huic juxta impolitum illud ævum, idem erat verbum *migro*, & *demigro*, ac transfero.) *Joannes de Gordolyde mutatus eſt in Procoſo, & in ea præſedit Eccleſia. Palladius ab Helenopoli mutatus eſt in Aſponiam. Alexander ab alia Helenopoli in Adrianopoli* (forte, *in Adrianopolim*) *mutatus eſt. Meletius prius in Sebaſtena Eccleſia præſuit, & poſtea Antiochiæ Præſul eſt conſtitutus. Theoſebius ab Apamea Aſiæ transfertur in Eudoxiopolim, quæ dudum Salambria vocabatur. Polycarpus de Urbe Antapriſtena Myſiæ in Nicopolim Thraciæ mutatus eſt. Hierophilus de Trapezopo-*

Zopo-

zopoli Phrygiæ in Antiochiam mutatus eſt. Optimus ab Agardamia Phrygiæ in Antiochiam Piſidiæ migratus eſt. Sylvanus a Philippopoli Thraciæ mutatus eſt in Troada.

XIX. Porro in iis exemplis, & præcedenti S. Gregorii Nazianzeni, occurrunt translationes variæ Epiſcoporum, quorum plerique ex Eccleſia propria, in qua pacifice verſabantur, auctoritate Superiorum ob utilitatem, aut neceſſitatem publicam, mutati fuerunt ad alias Eccleſias majores (quod e re hujus quæſtionis eſt) alii vero cum non admitterentur in propriis Sedibus, aut injuſte ab iis pellerentur, quibus utiles judicabantur, translati fuerunt. Certe Gregorius, licet nunquam fuiſſet Epiſcopus Nazianzi, ſed ſolum coadjutor patris ſui in eodem Epiſcopatu, vere tamen poſtea, licet reluctans, Saſimorum Epiſcopus creatus eſt, urgente Baſilio Magno: ac poſtea anno CCCLXXIX. communi deſiderio, ac plauſu Catholicorum conſtitutus fuit Præſul Conſtantinopol. a Petro Epiſcopo Alexandrino, & in ea Sede confirmatus a Concilio Oecumenico Conſtantinop. celebrato anno CCCLXXXI. Lege Baronium ad eoſdem annos, & Nicephorum Lib. 14. Hiſtoriæ Cap. 39. ajentem *Divus Gregorius Saſimorum primum Cappadocum Urbis, deinde Nazianzi patriæ ſuæ Epiſcopatum ſortitus* (in hoc diſſidet a Baronio) *poſtea a ſecunda Synodo, & Meletio Antiocheno, prout eo atque decuit, in præclaram Conſtantinopolis Sedem translatus eſt.*

XX. Addit ſtatim Auxilius ex teſtimonio Euſebii Pamphili, ſive Cæſareenſis, Libro ſexto Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, Alexandrum cujuſdam Civitatis Cappadociæ Epiſcopum, cum veniſſet Hieroſolymam orationis cauſſa, detentum fuiſſe ab ejus Civibus, atque in locum Narciſſi Epiſcopi conſtitutum, & de cætero, quamdiu vixit, Hieroſolymitanæ Eccleſiæ præſediſſe. Et quidem Auxilius fideliter citat Euſebium, qui dicto Libro id refert, tum Capite octavo, tum latius nono ſequenti, ubi & plures Alexandri ipſius laudes profert. Neque ulla ibi mentio expulſionis, aut ejectionis Alexandri a Sede antiqua; ſed potius quieta ejus poſſeſſio indicatur, donec Hieroſolymam adiit peregrinationis cauſſa: *Cum tamquam Divino quodam oraculo* (inquit Euſebius) *ex Cappadocum regione, UBI PRIMUM IN EPISCOPALI GRADU FUISSET LOCATUS, Hieroſolymam, tum voti, tum locorum viſendorum cauſſa contenderet, illius Eccleſiæ Fratres eum excipiunt benigniſſime, & non amplius domum reverti permittunt &c.* Et notandum, id accidiſſe longe ante Concilium Nicænum, immo & ante tempora S. Anteri Papæ. Nam Alexander ipſe, cum jam eſſet Hieroſolymæ Epiſcopus, Origenem ordinavit Sacerdotem, teſtante id Euſebio ipſo Cap. 7. præcedenti ejuſdem Libri. Nimirum Origenes anno CCXXX. ordinatus fuit Presbyter ab Alexandro, ut recte tradit Baronius: ac proinde V. annis antequam Anterus eligeretur Pontifex, & XCV. prius, quam Nicæna Synodus cogeretur.

XXI. Præcedentibus exemplis adjungit Cap. 4. Auxilius aliud memorabile ex Chronicis Græcis, in quibus teſtatum habetur, anno ſecundo Artemii Imperatoris, qui & Anaſtaſius dictus eſt, Germanum ex Epiſcopo Cyziceni fuiſſe translatum ad Conſtantinopolitanam Eccleſiam, adſtante Sanctæ Romanæ & Apoſtolicæ Sedis Apocriſario Michaele Presbytero, conſentientibus Epiſcopis, & toto Clero, ac populo. Quam translationem approbavit idem Apocriſiarius hiſce verbis: *Divina gratia, quæ ſcit ſemper infirma erigere, & incompleta complere, tranſtulit, & ordinavit in ſacratiſſimam Sedem a Deo ſervatæ Civitatis Conſtantinopolitanæ præſentem Germanum ſanctiſſimum Archiepiſcopum.* Subdit autem Auxilius, & merito quidem: *Hæc non ideo prælibavimus, ut quaſi licitum ſit cuiquam Epiſcoporum ſe transferre ad Sedem* (aliam) *niſi certa imminente neceſſitate, vel utilitate.*

XXII. Unde demum, juxta hæc poſtrema verba interpretatur Canonem Nicænum vetantem Epiſcoporum translationes, adjunctis Decretis Chalcedonenſis Concilii, & Pontificum, Leonis, ac Gelaſii: ex quibus conſtare videtur, tum Epiſcopos illos, *qui proprias amiſerunt provincias, ex neceſſitate ad aliam Eccleſiam* tranſire poſſe, ut dicitur ex Synodo Chalcedonenſi citata, & a Leone confirmata: tum præterea juxta Decretum Gelaſii, illum Epiſcopum reprehendi, veluti deſertorem propriæ Eccleſiæ, *qui nullis exiſtentibus cauſſis* (nimirum, publicæ neceſſitatis, utilitatiſve) *ad aliam putaverit tranſeundum, temereque ſuſceptus fuerit*, ideſt, abſque legitima Superiorum auctoritate, quorum eſt examinare juſtitiam cauſæ, & transferre Epiſcopos.

XXIII. Pergit Auxilius, & objecto ſibi Canone Sardicenſi, in quo Epiſcopis transmigrantibus ad Eccleſias ſub inani aliquo prætextu, negatur communio etiam in fine vitæ, invehitur contra Oſium, quia eundem Canonem ſuggeſſit reliquis ejuſdem Concilii Patribus, atque in eo errorem Novati ſequutus fuerit; & Canonem ipſum vult inter Catharorum, ſive Novatianorum errores recenſendum. Verum deſipit, & errat toto cælo Auxilius in ea parte, adverſus celeberrimum illud Concilium ab Eccleſia Catholica, & ſpeciatim a ſanctis Patribus, ſumma ſemper veneratione receptum, ut recte monet Joannes Morinus in Notis præviis ad Librum ipſum. Nimirum ea pœna rite, ac ſancta ſtatuta fuit adverſus Epiſcopos ambitu quodam, aut avaritia Sedem mutantes, abſque ulla Novatianiſmi labe, aut ſpecie: ſicuti antea juſte impoſita fuerat ab eodem Oſio, & aliis Patribus in Concilio Eliberitano, ob quædam graviſſima crimina, probante illam S. Innocentio I. Papa, uti ſuo loco oſtendemus cum eruditiſſimo Mendoza in Commentariis ad idem Concilium. Et Canon ipſe ſemper in ſumma veneratione fuit cum reliquis Sardicenſis Synodi, quam alicubi Sanctus Auguſtinus *magnum, & plenarium totius Eccleſiæ Concilium* vocat.

XXIV. Itaque excepta hac parte, in qua Auxilius palam erravit, ſententia illius de juſta Epiſcopi translatione in aliam Eccleſiam, ubi Sede propria pulſus eſt, ſicuti & quoties publica neceſſitas, aut utilitas judicio Superiorum id exigit, videtur palam, ac ſæpe confirmata fuiſſe uſu ipſo Eccleſiæ, ſaltem Orientalis, quibuſlibet fere ſæculis ante tempora Formoſi Papæ. Id enim pleraque exempla ab Auxilio indicata extorquent. Quare opus non eſt in id confirmandum affere plura alia Euſebianorum, & ipſorum ſigniferi Euſebii Epiſcopi Nicomedienſis, quos Julius I. Papa arguit veluti contemptores Nicæni Canonis, eo quod in uſu habe-

rent

rent *de loco ad locum ed Epiſcopatus capiendos treeſilire*. Idemque legere eſt apud Theodoretum, Lib. 1. Cap. 19. ubi nominatim invehituc ea propter adverſus Euſeblum ipſum; & apud S. Damaſum Papam in Epiſtola ad Acholium Eurydicum edita a Luca Holiſthenio Par. 1. Coilectionis bipartitæ. Ea, inquam, eaempla prætermitto, veluti contraria Canonibus ſacris, & ſevere in Conciliis, Nicæno, ac Sardicenſi prohibita: quoniam non erant translationes legitimæ ex juſta cauſſa (de quibus ſolis agimus in hac Diſſertatione) ſed mutationes, & tranſitiones ambitioſæ Euſebianorum, quas eo nomine reprehenderunt Concilia, & Patres allegati, præter plures alios, quos laudabimus Diſſert. ſequenti.

EXCURSUS IV.

Nicephori Calliſti rationes, & exempla varia, quibus oſteeditur, omnibus ſere ſæculis uſque ad tempus Formoſi Papæ, apud Orientales in aſu fuiſſe translationes Epiſcoporum ex cauſſe neceſſitetis, vel utilitetis publicæ. Ubi obiter plura correcta, & obſervata adverſus quoſdam Scriptores.

XXV. Accedat Nicephorus Calliſtus, diligens abs dubio Scriptor, licet Schiſmaticus, qui Libro *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* xiv. eandem doctrinam late confirmat, quam Aucilius tradiderat quatuoc ante ipſum ſæculis. Auailius, nimirum, ſcripſit circa annum Chriſti CM. Nicephorus vero anno circiter MCCC. Nec vero omnia exempla ab hoc adducta commemorabo, quoniam multa illorum paullo ante ea Auailio indicavimus: ſed ſolum quædam alia, ec quibus conſtat, a primis Eccleſiæ ſæculis uſque ad tempora Formoſi Papæ, uſitatas fuiſſe, & probatas, non quidem Epiſcoporum tranſitiones, ſed translationes in Oriente. Hac enim diſtinctione adhibita, ſententiam ſuam, ſicuti & Auxilius ecponit, ac Decreta Eccleſiæ mutationes Epiſcoporum prohibentia, interpretanda monet. *Divini ſiquidem Canones* (ait) *& veteres Eccleſiæ Aetiſtites liberum eſſe voluernet: quotieſcumque legitima ſuaderet utilitas, ex Urbe una in aliam Epiſcopum transferre: videlicet ſi ſincerior pietas, vel Eccleſieſtica forte tranquillitetis conſtitutio traaslatioeem flagitaret. Tranſitioeem eamque probibent, non translationem. Hæc enim id, quod præter voluntatem, & præter inſtitutum fit omnino, ſignificat, & vox ee velut in inanimetis uſurpatur: illa vero de animetis, & quodammodo de eis dicitur, qui per arrogaatiem, forte miſceuderum rerum gratia in Thronos inſiliunt. Eam vero recte Cenon, ſicuti paullo poſt ſuſius expouam, probibet: legitimem eutem translationem nequaquam.* Quod ſtatim eaemplis plurimis probare aggreditur, & tandem fine Capitis confirmat ea hac ipſa Sancti Anteri Epiſtola, quam habemus præ manibus.

XXVI. Verum, ut præmiſi, ea iis omnibus exemplis, quæ memorat Nicephorus, miſſa facio ea, quæ antea Auxilius indicaverat, niſi forte cuipiam eorum addat aliquid obſervatu dignum. Mitto etiam quod de Petro Apoſtolo ait, gubernaſſe Eccleſiam Romanam, ac deinde *primum etiam Alexandrinam forte tranſiiſſe*. In quo palam fallituc, aut etiam fallit homo Schiſmaticus ad præferendam quodammodo Sedem Alecandrinam Romanæ: cum potius ec antiquis monumentis apud Baronium ad annum Chriſti XLV. conſtet, Petrum miſiſſe Aleaandriam Marcum Evangeliſtam, ut ipſius nomine ibidem Eccleſiam fundaret. Lege S. Innocentium I. Papam Epiſt. XX. ad Alexandrum Epiſcopum Antiochenum, ubi & Antiochenam Eccleſiam multis nominibus præfert Aleaandrinæ. Mitto denique Euſebianos quoſdam ab ipſo Nicephoro indicatos, quod ii potius ambitu quodam, aut avaritia tranſierint in ampliores Eccleſias, quam legitime tranſlati fuerint.

XXVII. Primus itaque occurrit Proclus, ob cujus defenſionem Nicephorus eo loco laborat, & tam multa obſervat. De illo præmiſerat, Cap. 38. præcedenti: *Cum in Presbyterorum Catbedra Dominum laudares, a Siſinio Eccleſiæ Cyzicenæ deſignatus eſt Antiſtes. Longo vero tempore poſt, quemadmodum diximus, Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Epiſcapatus ei commiſſus eſt.* Deinde plures ejus laudes proſequitur, ut conſtet, eum non ambitu, aut ſponte ſua, ſed legitima auctoritate, & cum ingenti utilitate Eccleſiæ promotum fuiſſe.

XXVIII. Sed enim exemplum hoc ſolum confert aliquid ad probandas tcanslationes Epiſcoporum ea Urbe, aut Eccleſia, ubi non admittuntuc, aut unde pelluntur: non autem ex Eccleſia, quam pacifice poſſident. Etenim teſte Socrate, Lib. 7. Cap. 28. cum Siſinius Proclum ordinaſſet Epiſcopum Cyaicenorum; ex auctoritate cujusdam Legis præcipientis, ne quis crearetur Epiſcopus injuſſu Præſulis Conſtantinopolitani, Cyziceni ipſi noluerunt Proclum accipere, ſed alium, quaſi ea Lex ſolum in gratiam Attici condita fuiſſet. Unde & ille poſtea privatam vitam Conſtantinopoli egit, donec vacante Sede Conſtantinopolitana, electus fuit Epiſcopus illius: *Cæleſtino Romano Papa* (inquit Nicephorus) *rem eam comprobante Epiſtolis tribus ad Cyrillum Alexandrinum, & Joannem Antiochenum, & Ruffum Theſſalonicenſem ſcripsis, quibus aſſerit, Canonibus non obeſſe Epiſcoporum de Urbe in Urbem legitimam ejuſmodi transleſionem.*

XXVIII. Quæ verba Cæleſtiui ita interpretatur D. Scheiſlrate contrariæ opinionis auctor, ut Pontifec cenſuerit, Proclum Cyaicenorum malitia eacluſum, potuiſſe eligi Epiſcopum Conſtantinopolitanum, non tamen transferri: veluti qui antea nullam Eccleſiam rexecat. At licet prius illud verum ſit, hoc ſecundum facile refellituc ec ipſo Cæleſtino citato infra ab eodem Nicephoro, ubi inquit: *Cæleſtinus Romæ Epiſcopus in ſuis, ſicut ipſe appellas*, Secretis, *Cep. 2. biſce utens verbis oſtendit* (idipſum) *Si Epiſcopus utilitatis gratia treesferatur, ne id per ſe ipſum faciet, ſed Pretribus cogentibus. Et rem eam ſacræ bujus Sedis eucdoritate expediat, non inanis gloriæ, verum utilitatis communis, eut neceſſitatis ergo.* Quæ pene verba videtur Cæleſtinus mutuaſſe ex Epiſtola Anteri, quam prædictus recentior cum aliis reſpuit. Itaque licet potuiſſet Cæleſtinus probare electionem Procli in Epiſcopum Conſtantinopolitanom eo ſpeciali titolo, quod in Sede Cyzicena admiſſus non fuiſſet; doctrioam tamen univerſalem tradidit probantem translationes Epiſcopocom legiti-

gitimas, & ex cauſsa juſta, ab una in aliam Eccleſiam: ideoque argumentum id Nicephori, attenta auctoritate Cæleſtini Papæ, nullam evaſionem permittit. Quod ipſum poſtea numero 34. confirmabimus illuſtri Decreto Pelagii II. Papæ.

;XXIX. . Magis adhuc urget aliud exemplum a Nicephoro obſervatum illis verbis: *Magnus ille Euſtathius a Berrhoea (quæ eſt ipſa Caleb) in Antiochiam translatus eſt, Conſtantino primo Chriſtiano Imperatore Imperium Romanum adminiſtrante*. Quod ſi forte aliquis pro D. Schelſtrate dicat, id non juſte factum, ſed contra ſacros Canones, rejicietur facile. Nam te.te Theodoreto Lib. 1. Cap. 7. ipſa Nicæna Synodus, quæ Epiſcoporum translationes vetuit, in locum Philogoni Epiſcopi Antiocheni apud ſe defuncti, tranſtulit prædictum S. Euſtathium ex Epiſcopatu Berrhœenſi. Sanctiſſimam vero illam Synodum non violaſſe ſuum Canonem xv. tranſitiones Epiſcoporum vetantem, palam eſt. Ita Synodus ipſa interpretata videtur Canonem ſuum, ut ſolum intelligeretur de tranſitionibus, ſive etiam de translationibus non factis ex juſta cauſsa, & legitima auctoritate. Utramque vero interveniſſe in ea translatione Euſtathii, jam ſatis evincit vel hoc unum, quod a tali, & tanta Synodo id geſtum fuerit.

XXX. Progreditur Nicephorus ad alia exempla, e quibus ſeligo pauca, juxta ea, quæ num. 25. & 26. præmonui: *Divus Meletius* (inquit) *primum Sebaſtiæ Epiſcopus eſt renunciatus, deinde autem cum magna gloria ad Antiochiam apud Orontem eſt vocatus*. Addendum vero, Meletium ipſum antea Berrhoea Sebaſten fuiſse translatum, non e contrario, ut male opinatur Socrates Lib. 2. Cap. 34. & tandem Sebaſta Antiochiam, communi decreto populi, & conſentientibus tam Catholicis, quam Arianis, ut inquit Theodoretus, Lib. 2. Cap. 31. & 32. eo quod utraque pars eum a ſe ſtare crederet. Verum Meletius aperte vexillum erexit pro Catholica Religione, & plura geſſit laude dignisſima. Itaque Meletium ſemel & iterum translatum fuiſse, negari non poteſt.

XXXI *Palladius* (inquit Nicephorus) *ab Helenopoli Bithyniæ Aſpunam tranſiit ..... Philippus ex Apamea Aſiæ Eudoxiopolim miſſus eſt, cui vetus nomen Salumbria fuit .... Optimus ex Agdamea Phrygum Antiochiam Piſidiæ*. Et poſt multa interjecta: *Rem hanc confirmat admirandus etiam ille Confeſſor Germanus, qui Anaſtaſio imperante Cyzico quoque Conſtantinopolim tranſiit. Item Thomas Theſſalonica Alexandriam de ſeptimæ Synodi ſententia, Conſtantino, & Irene imperantibus. Diviniſſimus quoque Patriarcha Ignatius ſub Baſilii Macedonis imperio, Baſilium Cretenſem Epiſcopum Theſſalonicam tranſmiſit. Sub eodem Imperio Johannes Majumæ Epiſcopus Alexandriam, & Amphilochius Cyzicenus Nicæam, atque inde Beatus Theodorus Laodiceam, translati ſunt*. Atque hi quidem omnes ante tempora Formoſi Papæ, ut omittam plures alios poſtea translatos, referente eodem Nicephoro. Porro priores illos, aut pleroſque eorum ſaltem, inſigni pietate, ac doctrina præditos, urgente neceſſitate, aut affulgente utilitate publica, communi Epiſcoporum, & populorum conſenſu translatos fuiſſe contra mentem ac ſenſum ſacrorum Canonum, nemo, niſi temere, affirmare poteſt.

XXXII. Conſulto diſtuli uſque modo exemplum aliud memorabile apud Nicephorum eodem Libro, de Sylvano Epiſcopo: *Troadem*, inquit, *e Philippopoli Thraciæ Sylvanus tranſiit; de quo admirandum quiddam memorabo. Is cum artem oratoriam primum apud Sophiſtum Troilum didiciſſet, ſtudium poſtea omne ad Chriſtianiſmum tranſtulit, aſceticamque conſectans vitam, pallium monaſticum tulit. Hunc ſibi conjunctum Atticus Epiſcopus Philippopolis Epiſcopum declaravit: in qua Urbe poſtquam triennium exegit, loci ejus hybernum rigorem non ferens (exiguum enim, & imbecille ei corpus erat) Atticum, ut alium in locum ſuum Epiſcopum ſubſtitueret, rogavit, non aliam, quam frigoris, cauſſam petitioni ſuæ prætendens. Porro Epiſcopo alio ei ſubrogato, Sylvanus Conſtantinopoli degens, cura ſumma monaſticam coluit vitam, humilitatis, & paupertatis tam ſtudioſus, ut in Urbe frequentisſima obambulans, ſparteis ſit ſandaliis uſus. Eo tempore non multo exacto, Troadis Epiſcopus mortuus eſt. Quapropter Troes Conſtantinopoli affuere, Epiſcopum petentes. Cum autem Atticus quemnam illis Antiſtitem deſignaret, deliberaret, Sylvanus viſendi ejus gratia ad eum venit. Quem ubi conſpexit, ſtatim ei Troiæ Epiſcopatum mandavit, atque ad eum converſus: Deinceps, inquit, omnis tibi Eccleſiaſticæ functionis defugiendæ præciſa eſt occaſio. Multus enim Troade calor eſt, opportunuſque, & commodus tibi a Deo paratus eſt locus. Proinde nihil morare, ſed protinus Trojam proficiſcere. Itaque Sylvanus tranſiit. Atque ibi miraculum inſigne manibus ejus editum eſt, quod profecto dignum eſt, ut commemoretur. In litore Trojano ingens oneraria navis, quæ magnas columnas ferret, conſtructa fuerat*, Platyn *a latitudine eam nautæ nominant. Hanc cum opus eſſet in mare devolvere, multi, qui funibus eam in undas traherent, confluxere. Illa vero diebus pluribus moveri loco non potuit: & homines immobilem ejus ſtationem dæmonis efficaciæ adſcripſerunt. Quapropter Epiſcopum Sylvanum adierunt, & ab eo, ut precationem ſuper ea funderet, petierunt; eam ipſam ſolam ad commovendam navim ſuffecturam eſſe credentes. Ille pro modeſtia ſua, non ipſius, ut hominis peccatoris, id opus, ſed alterius cujuſpiam, in quo Divinum Numen conquieſceret, eſſe dixit. Ubi vero illi magis etiam ei multa precari inſtitere, petitioni eorum vix tandem cedens, ad litus advenit; & oratione peracta, funem unum attigit, & alios operi ei inſiſtere juſſit. Paullulum navis ab illis impulſa eſt; & illa perinde, ac ſi animata eſſet, celeritate multa pervoluta, ad mare pervenit. Hæc res in provinciam omnem vulgata, religionem magnam Sylvano eſt atteſtata*. Deinde alias ejus laudes proſequitur Nicephorus: ex quibus colligitur, illius translationem, ſeu potius electionem ad alium Epiſcopatum, non fuiſse ſacris Canonibus contrariam, ſed potius juſtam, & Deo gratam. Et hactenus quidem de translationibus ante tempus Formoſi Papæ a Nicephoro indicatis; nam poſt

ipſum

ipſum plures alias recenſet, quæ ad hanc Diſſertationem non ſpectant.

E X C U R S U S V.

Idipſum demonſtratur illuſtribus exemplis Hiſpanæ Eccleſiæ in Conciliis Toletanis X. XII. & XVI. adverſus quoſdam recentiores ajentes, Eccleſiam Latinam rigidiſſime abſtinuiſſe a translationibus uſque ad tempus Formoſi Papæ.

XXXIII. QUamvis Chriſtianus Lupus in Scholiis ad Canonem XV. Nicænum, & D. Emmanuel Schelſtrate in Canonem XXI. Antiochenum Cap. 19. velint, Eccleſiam Latinam rigidiſſime abſtinuiſſe a translationibus Epiſcoporum, breviter iis opponam nonnulla exempla ſatis illuſtria, vel in una Hiſpania, quæ præterea nemo, niſi temere, audebit damnare, præſertim cum Eccleſia Hiſpana ſemper fuerit obſervantiſſima Romanæ, atque Apoſtolicæ Sedis, & proinde nihil circa electiones, aut translationes Epiſcoporum feciſſe cenſeatur, contra ſacros Canones. Vide apud Decretum Gratiani Diſt. 63. Cap. *Cum longe lateque*. Verum ad exempla veniamus.

XXXIV. Primum occurrit in S. Fructuoſo, qui in Concilio X. Toletano, quod anno Chriſti DCLVI. coactum fuit, ex Epiſcopatu Dumienſi ad Metropolitanam Sedem Bracarenſem, communi omnium Patrum conſenſu translatus fuit, cum Potamius ob lapſum carnis ſponte ea Sede ceſſiſſet, & memorabili exemplo ſe ergaſtulo ad pœnitentiam agendam mancipaſſet. Unde & Decreto Concilii poſt narratum lacrymabilem Potamii lapſum, dicitur: *Venerabilem Fructuoſum Eccleſiæ Dumienſis Epiſcopum, communi omnium noſtrum electione conſtituimus Eccleſiæ Bracarenſis gubernacula continere: ita ut omnem Metropolim provinciæ Gallæciæ, cunctoſque Epiſcopos, populoſque conventus ipſius, omniumque curam animarum Bracarenſis Eccleſiæ gubernandam ſuſcipiens, ita componat, atque conſervet, ut & Dominum noſtrum de rectitudine operis ſui glorificet, & nobis de incolumitate Eccleſiæ ejus gaudium præſtet*. Unde & inter alios Patres ejus Concilii, poſtea ſubſcribit Fructuoſus tertio loco, non jam veluti Epiſcopus Dumienſis, quod antea erat, ſed tamquam *Metropolitanus Bracarenſis*. Quam vero, non dicam ſacris Canonibus contraria, ſed potius Deo placita fuerit ea translatio, evincit ſatis auctoritas magna illius Concilii tot ſæculis ab Eccleſia probati, inſignis ſanctitas Fructuoſi, & ingens utilitas, quam regimine ſuo eidem Eccleſiæ Bracarenſi attulit. Notandum vero maxime eſt, priora verba ejuſdem Concilii, *Gratulationem nobis ſpiritualem Divina contulit gratia*, &c. Eſſe eadem ac Pelagii II. Papæ in Epiſtola ad Benignum Archiepiſcopum ſcripta anno DXC. in qua tradit, Epiſcoporum tranſlationes publica auctoritate factas, & ex juſta cauſa, licere, & nunquam fuiſſe prohibitas in ſacris Canonibus. Quare eam Epiſtolam Pelagii videntur ob oculos habuiſſe Toletani Patres; ſimiliter & illas S. Cæleſtini indicatas ſupra num. 27. & 28.

XXXV. Præterea in Concilio Toletano XVI. celebrato a LIX. Epiſcopis anno DCXCIII. Felix Epiſcopus Hiſpalenſis translatus fuit ad Sedem Toletanam loco Sisberti eo gradu dejecti, ob conjurationem adverſus Egicanem Hiſpaniæ Regem: ſimulque in eodem Concilio translati fuerunt, Fauſtinus Bracarenſis Hiſpalim, Felix Portucalenſis Bracaram, quamvis tunc nemo in ejus locum inveniatur ſuffectus Portucalenſi Eccleſiæ. Itaque tres ſimul fere translationes in eo Concilio graviſſimo factæ fuerunt. Formula abdicationis, & depoſitionis Sisberti hæc ibi extat Decreto XII. *Nos per hujus Decreti noſtri formulam, ſæpe dictum Sisbertum, ſecundum Edictum priſcum Synodicæ ſanctionis, ac Decretum de talibus promulgatæ Legis, ab Epiſcopali ordine, & honore dejicimus, a perceptione Corporis, & Sanguinis Chriſti excommunicatum in exilio perpetuo manere cenſemus, in fine tantum communionem per omnia percepturum*, &c. Depoſito autem Sisberto, progrediuntur ad tres translationes variorum Præſulum his verbis: *Nos cum conſenſu Cleri, ac populi, ad ſæpe dictam Toletanam Sedem pertinentis, prædictum venerabilem Fratrem noſtrum Felicem Epiſcopum, de Hiſpalenſi Sede, quam hactenus rexit, in Toletanam Sedem Canonice transducimus; & in eadem Cathedra Hiſpalenſi Fratrem noſtrum Fauſtinum Bracarenſis Sedis Epiſcopum; necnon & Felicem Portucalenſis Eccleſiæ Antiſtitem in præfata Bracarenſi Sede, ſimiliter Pontifices ſubrogamus*, &c.

XXXVI. Ubi, ut vides, ii graviſſimi Patres ſimul tres translationes Epiſcoporum faciunt, teſtantes ſe id Canonice agere: quoniam, nimirum, cenſebant, promotiones illas, aut valde neceſſarias, aut plurimum utiles futuras Eccleſiis iis, ad quas prædicti Epiſcopi transferebantur. Eo autem caſu arbitrabantur, licere ſibi juxta ſacros Canones decernere ejuſmodi translationes, nimirum, juxta Can. XIII. alias XIV. Apoſtolorum, & Decreta Romanorum Pontificum in Epiſtolis ſupra indicatis. Unde & ii tres Epiſcopi ſubſcribunt ad finem Concilii inter quinque Metropolitanos, unuſquiſque juxta titulum Eccleſiæ, ad quam translatus fuit. Loquendo autem nominatim de Felice Hiſpali Toletum translato, quam grata fuerit Deo illius promotio, ſatis conſtat ex prudenti regimine, quo exinde Toletanam Eccleſiam adminiſtravit. Unde Iſidorus Epiſcopus Pacenſis, qui paullo poſtea floruit, in Chronico ſuo ſcripſit: *Per idem tempus* (nimirum, circa finem ſæculi ſeptimi) *Felix Urbis Regiæ Toletanæ Sedis Epiſcopus, gravitatis, & prudentiæ excellentia nimia pollet, & Concilia ſatis præclara etiam adhuc cum ambobus Principibus agit*.

XXXVII. Cum vero eæ quatuor translationes in Conciliis Toletanis factæ fuerint ducentis & eo amplius annis ante tempus Formoſi Papæ, utpote qui anno Chriſti DCCCXCVIII. Pontificatum iniiſſe cenſetur; conſequens eſt contra Chriſtianum Lupum, & D. Emmanuelem Schelſtrate, ut Eccleſia Latina non ita rigide, prout ambo loquuntur, abſtinuerit a translationibus Epiſcoporum iis novem primis ſæculis. Conſtat præterea, illas judicio Toletanorum Patrum Canonice factas fuiſſe: quoniam, nimirum, perſpectum iis erat traditio-

ne antiqua derivata ex Epiſtolis ſanctorum Pontificum Evariſti, Calliſti I. & Anteri ad Hiſpanos, tum ex illa Pelagii II. Papæ ad Benignum Archiepiſcopum (in qua eædem veterum Pontificum allegantur circa translationes Epiſcoporum) denique & fortaſſe ex Epiſtolis S. Cæleſtini Papæ indicatis ſupra num. 27. & 28. aut præterea ex aliis Pontificum, vel Conciliorum Decretis, translationes Epiſcoporum ob publicam utilitatem, aut neceſſitatem factas, eſſe juſtas, labiſque puras, ubi legitima auctoritas intervenit. Cenſendum itaque, ea omnia a Conciliis Toletanis facta fuiſſe ex conceſſione Sedis Apoſtolicæ, contenta in eiſdem Epiſtolis. Vide infra num. 39.

XXXVIII. Huc etiam ſpectat quodammodo Caput IV. Concilii XII. Toletani, ubi juxta variarum Synodorum Canones, ibidem allegatos, inſtauratur Decretum, ut in locis ubi Epiſcopus non fuit, nullus Epiſcopus ordinetur. Cum vero Cuniuldus fuiſſet ordinatus Epiſcopus Aquis, ubi antea non erant Epiſcopi, Synodus non propterea illum cenſet damnandum, eo quod non ambitione, ſed Principis impulſione ordinatus fuiſset. Addunt tamen Patres: *Hoc illi remedium humanitatis concedimus, ut in Sedem aliam decedentis Epiſcopi transducatur, & prædictus locus* (nimirum, Aquenſis) *ſua monaſtica deinceps inſtitutione manſurus, non Epiſcopali ultra privilegio fretus, ſed ſub Abbatis regimine, ſicut hucuſque fuit, erit modis omnibus mancipandus*. Spectat, inquam, huc quodammodo id Decretum: quoniam Cuniuldus valide ordinatus fuerat Aquis Epiſcopus, quamquam illicite. Et tamen Toletani Patres indulgent, ut ſuppreſso Aquenſi Epiſcopatu, Cuniuldus ad aliam Sedem vacantem transducatur, ſive transferatur. Nec vero neſcii erant Canonum Sardicenſium ab Oſio Hiſpano, aliiſque olim conditorum: ſiquidem in eodem Decreto allegant nominatim idem Concilium, & illius Acta, ſicut & aliarum Synodorum. Inſuper ex teſtimonio S. Ildephonſi Toletani (niſi forte ſuppoſititium ſit, ut monui Diſsert. IV. Excurſu VII. fragmentum illud, quod legitur in continuatione ad Chronicon S. Iſidori) habemus, Theodiſclum ejus ſucceſsorem in Sede Hiſpalenſi, ob ſua ſcelera fuiſſe depoſitum *per Synodum*. Credibile autem eſt, admiſsa ea narratione, etiam tunc aliquem ex Epiſcopis præſentibus fuiſse Hiſpalim translatum, ut in aliis Conciliis memoratis. Cenſebant igitur, Epiſcoporum translationes ex cauſsa neceſsitatis, vel utilitatis publicæ, fieri poſse auctoritate legitima, nec in iis contradici Canonibus ſacris. Sed hæc, ut præmiſi, ſolum procedunt ex hypotheſi illius narrationis, quæ mihi admodum ſuſpecta eſt.

XXXIX. Fortaſsis vero eodem ſæculo ſeptimo, quo tria Concilia Toletana, X. XII. & XVI. celebrata ſunt, factæ fuerunt nonnullæ aliæ translationes in Hiſpania. Quid ſi & in aliis nationibus, Regniſve pariter ad Eccleſiam Latinam ſpectantibus? Quamvis autem non nihil circa id proferendum occurrat, præſertim circa S. Linum, quem a D. Petro quidam ajunt Veſontione Romam translatum, ſicut & S. Marcum Aquileja Alexandriam; linquo tamen exteris quibuſdam eruditis penitus examinandum, & maturius decernendum, veluti in re ipſorum propria. Et ſane ſtatuta ſemel *αὐθεντία* hujus Epiſtolæ S. Anteri, atque ſecundæ S. Calliſti I. ad omnes Galliarum Epiſcopos, ſatis veroſimile eſt, quod ante tempus Concilii Nicæni factæ fuerint aliquot legitimæ translationes in Hiſpania, Gallia, & Africa. Obiter tamen circa Galliam occurrit, ſevere prohibitas ibidem fuiſse translationes, ſeu potius tranſitiones, in Concilio II. Arelatenſi, Canone XIII. ubi dicitur: *Nullus cujuſque ordinis Clericus, non Diaconus, non Presbyter, non Epiſcopus, quacumque occaſione faciente, propriam relinquat Eccleſiam*. Idque videtur perpetuo fuiſſe ſervatum, aut fere ſemper, donec inclinante nono ſæculo, & occurrente translatione Actardi Nannetenſis, ſcripſit Hincmarus, multis annis ante Pontificatum Formoſi Papæ, Epiſt. 45. *Si autem cauſſa certa neceſsitatis, vel utilitatis exegerit, ut quilibet Epiſcopus de Civitate, in qua ordinatus eſt, ad aliam Civitatem transferatur, Synodali diſpoſitione, vel Apoſtolica Sedis conſenſione, apertiſſima ratione manifeſtum fieri debet, quia transfertur cauſſa Fidei, non temporalis* commodi: *pro animarum lucro, non pro rerum temporalium quæſtu*. Corrigendus tamen eſt, quatenus iis verbis indicat, fieri id poſse *Synodali diſpoſitione*, quaſi non ſemper, nec omnino requiratur Apoſtolicæ Sedis conſenſio. Hæc enim omnino intervenire debet in Epiſcoporum translationibus, ut definit Innocentius III. Lib. I. Decretal. Tit. 7 Cap. I. & longe antea declaraverant alii Pontifices, ac præſertim ineunte ſæculo quinto Sanctus Cæleſtinus I. Papa, verbis ſupra num. 28. allegatis a Nicephoro. Et hoc ſenſu interpretandum eſt Cap. 137. Lib. I. Capitularium: confirmatque Ivo Carnotenſis Epiſt. 146. Nec aliud voluiſſe, aut cenſuiſſe putanda eſt Eccleſia Africana in Concilio Carthaginenſi IV. Cap. 27. vel Hiſpana in Toletanis, X. & XVI. ſupra citatis. Cenſendum enim, id factum fuiſſe, juxta ea quæ varii Pontifices in ſuis Decretis, ſive Decretalibus Epiſtolis conſtituerant, ut ſtatim dicam.

EXCURSUS VI.

Stabilitur denuo juſtitia earundem translationum, præſertim in Hiſpania factarum ſæculo ſeptimo, ex ſacris Canonibus, & Decretis Romanorum Pontificum, quorum varia loca illuſtrantur, aut vindicantur. Argumenta opinionis contrariæ objecta Excurſu primo, enervia oſtenduntur, & enodantur.

XLVIII. VIdimus hactenus priſcis ſæculis uſque ad Formoſi Papæ tempora uſitatas fuiſſe translationes Epiſcoporum, legitima auctoritate, & ex juſta, ac publica cauſſa, in Eccleſia Orientali ſatis frequenter; in Occidentali autem noſtræ Hiſpaniæ ſaltem quater, aut quinquies. Vidimus etiam, qualiter Patres Concilii Toletani profiteantur, ſe Canonice, ideſt, juxta ſacros Canones, id facere. Videamus modo, an vere aliqui Canones extarent, quibus eæ translationes inniterentur. Indeque conſtabit ſatis falſitas opinionis relatæ Excurſu I. & illius fundamenta facile convellentur.

LXI. Primo quidem extabat Canon XIV. alias

alias XIII. inter L. Apoſtolis adſcriptos, & circa annum DXX. ex Græco Latine redditos a Dionyſio Exiguo, ac poſtea pariter in Hiſpania vulgatos anno circiter DCXXIV. a Sancto Iſidoro Hiſpalenſi, prout ſupra vidimus Diſſert. III. Excurſu VII. pag. 64. In eo autem Canone vetantur quidem tranſitiones Epiſcoporum, nimirum, ſpontaneæ ipſorum mutationes, frequenter ex ambitione, & avaritia ortæ; immo & non ſpontaneæ, ſive ad quas coguntur abſque juſta cauſſa, & legitima auctoritate: non vero translationes ex urgente cauſſa neceſſitatis, vel utilitatis publicæ, multorum Epiſcoporum judicio comprobata. Vide verba ejuſdem Canonis Diſſertatione ſeq. numero 2. & ſeqq. ubi & illius αὐθεντίαν vindicabimus adverſus Chriſtianum Lupum, qui ad eam labefactandam utitur argumento pure inficiali, & proinde enervi.

XLII. Secundo ducti videntur Epiſtola Anteri, quam præ manibus habemus. Collectio enim Canonum Iſidoriana, in qua illa ſemper extitit, facta fuerat a S. Iſidoro Hiſpalenſi anno circiter prædicto DCXXIV. ut Diſſertatione I. oſtenſum fuit. Quare Patres Concilii Toletani ſeptaginta fere annis poſtea celebrati, eidem Epiſtolæ innixi cenſuerunt, translationes Epiſcoporum juſta ex cauſa, & auctoritate totius Synodi illius fieri vete poſſe. Extabat & alia antiquior S. Calliſti I. Papæ ad omnes Galliarum Epiſcopos, in qua idipſum traditur Cap. 3. ubi palam probantur translationes legitimæ Epiſcoporum; tranſitiones vero ſpontaneæ arguuntur, & damnantur. Denique extabat celebris Epiſtola Pelagii II. Papæ ad Benignum Archiepiſcopum ſcripta, in qua pene mutuatis verbis ex Epiſtolis dictis Calliſti, & Anteri probantur translationes Epiſcoporum factæ ob utilitatem, & neceſſitatem communem Eccleſiæ. Porro Pelagius id Reſcriptum dedit die 13. Auguſti, Indictione quartadecima, ac proinde anno DLXXXI. cum S. Iſidorus eſſet puer, aut vix pubertatis annos attigiſſet. Non eſt autem dubium, quin Hiſpaniæ Epiſcopi intra ſæculum ſeptimum celebrantes Concilia Toletana, X. XII. & XVI. atque in iis transferentes quoſdam Epiſcopos Canonice, ut ipſi ajunt, haberent præ oculis eas Epiſtolas Calliſti, Anteri, & Pelagii II. Vide infra num. 48. Quin & inde haud leviter comprobatur adverſus eundem D. Schelſtrate, alioſque plurimos Diſſertatione IV. impugnatos, Epiſtolas illas Iſidorianæ Collectionis priſcis Pontificibus adſcriptas, non fuiſſe fabricatas ad Iſidoro Mercatore ſub finem octavi ſæculi, aut initio noni; ſiquidem exeunte ſeptimo ſæculo in prædicto Concilio Toletano illarum ratio habita fuit.

XLIII. Tertio innixi fuiſſe cenſentur alteri Epiſtolæ antiquiori Evariſti Papæ ad Epiſcopos Ægypti, quæ pariter tunc in Collectione Iſidori extabat, ſicut & nunc in omnibus Conciliorum editionibus. In ea enim ita prohibentur Epiſcoporum tranſitiones ambitioſæ, & adulterinæ, ut tamen indulgeantur translationes, *ex inevitabili neceſſitate, aut Apoſtolica, vel regulari mutatione*. Verba integra exſcribemus Diſſertatione ſequenti.

XLIV. Quarto ſuadebat idipſum Epiſtola alia S. Cæleſtini Papæ in ſuis Literis *Secretis*, uti eas appellat Nicephorus. Verba ejus Pontificis ſupra num. 28. exſcripſimus, nec repetere oportet, aut denuo expendere, præſertim cum apertiſſima ſint. Sed & urgentius adhuc id diſcere potuerunt ex Epiſtola Pelagii II. Papæ ad Benignum Archiepiſcopum, in qua ex inſtituto, ac doctiſſime ejuſmodi translationes tuetur, ſicuti & tranſitiones damnat. Vide Diſſert. XIII. num. 22. Dicere autem, omnes eas Epiſtolas eſſe ſpurias, nec vel unam earum germanam (quamvis forſan aliquot aſſumenta, aut errata, tot ſæculorum ſpatio iis irrepſerint) immane paradoxon quorundam recentiorum eſt, adverſus totam fere antiquitatem, & reliquum orbem Chriſtianum.

LXV. Quinto niti potuerunt Canone 27. Concilii IV. Carthaginenſis, in quo decretum fuerat: *Epiſcopus de loco ignobili ad nobilem per ambitionem non tranſeat; nec quiſquam inferioris ordinis Clericus. Sane ſi illud Eccleſiæ utilitas fiendum popoſcerit, Decreto pro eo Clericorum, & Laicorum Epiſcopis porrecto, in præſentia Synodi transferatur. Inferioris vero gradus Sacerdotes, vel alii Clerici, conceſſione ſuorum Epiſcoporum poſſint ad alias Eccleſias transmigrare*. Quid clarius pro doctrina hactenus ſtatuta? Porro auctoritas ejus Concilii maxima eſt, quoniam celebratum fuit a CCXIV. Epiſcopis Catholicis anno CCCXCVIII. ſub Anaſtaſio Papa, & ſemper in veneratione habitum ab Eccleſia, ac tandem confirmatum a Leone Papa III. tribus poſtea ſæculis.

XLVI. Hinc facile occurrere licet argumentis contrariæ opinionis Excurſu II. propoſitæ. Ad I. num. 8. objectum ex Conciliis Nicæno & Sardicenſi reſpondetur, imprimis Concilium Nicænum Can. XV. non tam prohibuiſſe translationes, quam tranſitiones Epiſcoporum. Id patet ex verbis Græcis, ubi habetur: ὥςε ἀπὸ πόλεως εἰς πόλιν μὴ μεταβαίνειν, μήτε ἐπίσκοπον, μήτε πρεσβύτερον, μήτε διάκονον. *Ut a Civitate in Civitatem, nec Epiſcopus, nec Preſbyter, nec Diaconus tranſeat*. Ita vertit Gentianus Hervetus, & optime quidem, nam μεταβαίνειν proprie ſignificat tranſire, digredi, emigrare, quod ſponte fit, ſive propria voluntate, & ambitione; ideoque eo Canone prohibetur. Quin & Dionyſius Exiguus in verſione ejuſdem Canonis, juxta alios Codices mſſ. ad marginem notatos apud Labbeum Tomo II. col. 42. melius vertit *tranſeat*, quam *transferatur*, prout in aliis legitur. Eam vero præterea eſſe germanam interpretationem, patet. Si quidem teſte Theodoreto Lib. I. Hiſt. Cap. 7. eadem Synodus Nicæna in locum Philogoni Epiſcopi Antiocheni apud ſe defuncti, tranſtulit S. Euſtathium Epiſcopum Berrhœenſem; nec ulla veri ſpecie dici poteſt, magnum illud Concilium aliquid egiſſe ſuo Canoni contrarium.

XLVII Quod attinet Sardicenſem Synodum, patet ſimiliter ex ipſius verbis, non prohiberi translationem ex urgenti cauſſa, & legitima auctoritate factam, ſed tranſitionem voluntariam, ſive migrationem ambitioſam. Etenim Can. I. dicitur: *Perniciosa corruptela funditus eradicanda eſt, ne cui liceat Epiſcopo de ſua Civitate in aliam tranſire*. Et ſtatim: *Manifeſta enim eſt cauſſa, qua hoc facere tentant*. Omnia hæc voluntariam migrationem denotant. Et illico: *Cum nullus in hac re inventus ſit Epiſcopus, qui de majore Civitate in minorem tranſierit. Ude apparet, avaritiæ eos ardore* in-

inflammari, & ambitioni ſervire. Hæc autem omnia incommoda nullum habent locum in translatione legitima, quæ urgenti ex cauſa neceſſitatis, aut utilitatis publicæ, præter voluntatem ipſius Epiſcopi, aut etiam contra illam fit a Superioribus, quorum intereſt juſtitiam cauſæ expendere, & transferre Epiſcopum ab una Eccleſia in aliam.

XLVII. Quamvis vero hæc interpretatio ſit germana, & ex ipſo contextu appareat manifeſta, placet illam firmare auctoritate Pelagii II. in Epiſtola ſupra citata ad Benignum Archiepiſcopum, in qua ex inſtituto improbat Epiſcoporum tranſitus, ſive tranſitiones; probat autem, & doctiſſime tuetur translationes ex juſta cauſa, & legitima auctoritate factas. Et citatis verbatim Canonibus Synodorum, Nicænæ, ac Sardicenſis, quibus omnis mutatio videbatur prohibita, ita eos exponit: *Quod enim in Canonibus legitur, non debere Epiſcopum de Civitate ad Civitatem tranſire, vel transferri; non de his dicitur, qui aut vi expulſi, aut neceſſitate coacti, aut auctoritate majorum hoc agunt: ſed de his, qui ardore avaritiæ inflammati, ſponte ſua proſiliunt, & potius ambitioni, quam utilitati Eccleſiæ ſervire, & ut dominationem agant, inſiſtere cupiunt*. Hæc ille, objecto ſibi Nicæno Canone. Deinde objectis pariter verbis Canonis ſecundi Sardicenſis, eadem prorſus interpretatione reſpondet. Porro eadem Pelagii verba exſcripſit bona fide Baronius ad annum Chriſti DXC. §. 7. & poſtea Binius, neque ulli ſuſpecta videbantur, donec Labbè Tomo V. Conciliorum col. 935. exhibens integram Epiſtolam illam, ſicuti & ſequentem ad Epiſcopos Italiæ, utramque recenſet inter ſuppoſitas Iſidori merces (ita habet ad marginem citatæ columnæ, nullam reddens rationem opinionis ſuæ in ea parte) fortaſſis quod in illa Pelagius non aliter quam Anterus in hac noſtra loquatur, quaſi profecto in pluribus aliis Epiſtolis omnium aliorum fere judicio certis exploratiſque, Pontifices non eandem doctrinam, & ſæpe eiſdem verbis traderent, ut jam alio loco monui. Præterea idem Pontifex paullo infra eodem ſenſu exponit Canonem XXI. Concilii Antiocheni, & liberas ab omni reprehenſione oſtendit translationes ſanctorum Alexandri, Gregorii, & Procli, aliorumque quamplurium generatim, quod non eſſent voluntariæ tranſitiones, ſed legitimæ, & juſtæ ordinationes Superiorum. Et certe Epiſtola prædicta Pelagii II. ad Benignum extat hodie in Codice vetuſtiſſimo Bibliothecæ Vaticanæ num. 630. ſcriptu circa annum DCCCLXX. tempore Nicolai I. Papæ, in quo deſinit illud exemplar Iſidorianæ Collectionis. Inſuper eidem volumini aſſuta ſunt ſeorſum circa finem Capitula, quæ centum circiter annis ante Nicolaum ipſum, Adrianus I. Papa die 13. Kal. Octobris, Indictione IX. (id eſt, anno DCCLXXXV.) tradiderat Ingilramno Medio-matricis Urbis Epiſcopo, *quando pro ſui negotii cauſſa agebatur*, & exſcribitur ad finem illorum ingens fragmentum ejuſdem Epiſtolæ Pelagii II. Unde palam evincitur, illam jam tum Romæ in ſcriniis Apoſtolicæ Sedis extitiſſe, multo tempore antequam Riculphus ex Hiſpania deferret Collectionem Iſidorianam in Germaniam. Ea omnia vidi in eo Codice, & videre quilibet poterit.

XLIX. Quod denique additur in eodem argumento de Sanctis Pontificibus, Damaſo, Leone, & Hilaro, pariter ſolvitur juxta doctrinam traditam. Loquuntur enim ſolum juxta verba, ac ſenſum præcedentium Eccleſiæ Canonum, ac proinde ſolum invehuntur adverſus tranſitiones voluntarias Epiſcoporum, veluti ambitioſas; non autem contra legitimas translationes, & ex juſta cauſa factas, quas Eccleſia nunquam improbavit, & ipſa Synodus Nicæna de facto exequuta fuit, ut jam vidimus num. 46.

L. Ad II. ex num. 9. dicemus plura Diſſertatione ſequenti, explanantes, quale ſit vinculum illud ſpirituale Epiſcopi cum propria Eccleſia, & quo ſenſu fortius vinculo matrimonii carnalis. Nunc ſatis ſit dicere, ex argumento objecto ſummum colligi, Epiſcopos Jure Divino poſitivo, quodammodo fundato in Jure naturali, adſtringi ad permanendum in propria Eccleſia, & non ambiendam aliam. Id vero non prohibet, ut urgente neceſſitatis, aut utilitatis communis cauſa, poſſit Romanus Pontifex, tamquam Vicarius Chriſti, atque ejus nomine, diſpenſare, ut omnino Epiſcopatu cedant, aut ad aliam Eccleſiam regendam deſtinentur: ſicuti & in matrimonio rato, ſed non conſummato, poſſe cenſetur et juſta cauſa diſpenſare; immo & de facto illud dirimit per ſolennem alterius conjugum profeſſionem in Religione approbata, ut habetur definitum in Concilio Tridentino Seſſ. 24. Canone VI.

LI. Ad III. Si vere talis eſſet, ac tantæ virtutis Euſebius Cæſareenſis, qualis, & quantæ putabatur ab Antiochenis, & ab ipſo Imperatore Conſtantino, neque alius par inveniretur ad Eccleſiam Antiochenam adminiſtrandam; haud dubium, quin auctoritate legitima eo transferri poſſet, ob majorem, & ampliorem Chriſtiani populi utilitatem. At enim, cum eo tempore Euſebiani frequenter Eccleſias majorum Urbium invaderent, nec Eccleſiis ſemel ſuſceptis contenti eſſent, & Canonem Nicænum eas tranſitiones vetantem contemnerent; oportuit, ut ad tempus ſaltem, nulla occaſione, nulliuſque utilitatis intuitu, permitteret Conſtantinus promotionem Euſebii Cæſareenſis: qui certe cum illo alio Nicomedienſi aliquomodo, & ſaltem ante tempus Concilii Nicæni, convenerat in Ariana impietate, quamvis non in invaſione majorum Sedium. Adde, eo ipſo tempore, Sanctiſſimorum Virorum valde feraci, inter Catholicos extitiſſe multos ſimplices Presbyteros, digniores Epiſcopatu Antiocheno, aut qui ſaltem viderentur æque utiles. Ubi autem invenitur dignior quis Sacerdos, aut æque dignus ad magnam aliquam Eccleſiam regendam, non licet eo transferre Epiſcopum alterius Eccleſiæ, ut palam colligitur ex Decretis Eccleſiaſticis Diſſert. ſeq. expendendis; quoniam tunc nulla neceſſitas cogit, ſive urget, ad faciendam translationem; neque vere affulget ulla publica utilitas in eo, ut Epiſcopus deſerat ſuam propriam Eccleſiam, cui præeſt, & prodeſt, ad regendam aliam, cujus utilitati æque conſuli poſſet per electionem, & ordinationem Sacerdotis alicujus ſimplicis, & æque digni.

LII. Ad IV. patet ex dictis toto Excurſu quarto, etiam in Eccleſia Latina factas interdum fuiſſe translationes Epiſcoporum, auctori-

Digitized by Google

ritate publica, & juſta cauſſa interveniente. Quamvis autem primus omnium Auxilius ex inſtituto illas defenderet, ut tueretur Formoſum Papam, ejuſque ordinationes; conſtat ſatis ex dictis Excurſu hoc, & præcedentibus, illas nunquam fuiſſe prohibitas ab Eccleſia Latina, aut Græca; ſed ſolum tranſitiones, ſive ambitioſas migrationes. Unde & ordinatio Formoſi Papæ, quamvis antea fuiſſet Epiſcopus Portuenſis, non ſolum valida fuit, ſed etiam licita, ſi tunc nemo alius inveniebatur æque utilis regendæ Romanæ Eccleſiæ, uti Auxilius indicat. Quod autem Stephanus VI. cenſuerit, ordinationem Conſtantini Papæ fuiſſe irritam, quoniam ex laico, & non ſervatis interſtitiis electus fuerat; ac proinde ordinatos ab eo, debere iterum ordinari; erat ſola quæſtio facti, nondum determinata ab Eccleſia quæſtione Juris, quæ tunc inter doctos homines circumferebatur, ut ſatis conſtat ex eodem Auxilio, & erudite obſervat Joannes Morinus in laudata ad ipſum Præfatione.

DISSERTATIO DUODECIMA.

De tranſitionibus Epiſcoporum prohibitis ab Antero Papa, quam contrariæ ſint Canonibus ſacris, ac Decretis Romanorum Præſulum, quam illicitæ, & pernicioſæ Eccleſiis.

HActenus egimus de tranſlationibus Epiſcoporum ab una in aliam Eccleſiam, factis ex urgente cauſſa neceſſitatis, vel utilitatis publicæ, & ex legitima auctoritate Superiorum: quas fuſe oſtendimus ſemper licitas fuiſſe, & eſſe, tam in Eccleſia Orientali, quam Occidentali, licet in hac raro admiſſæ fuerint novem primis Epochæ Chriſtianæ ſæculis. Nunc diſſerendum de tranſitionibus, quas S. Anterus in præſenti mutationes, *ſive* migrationes *appellat: quoniam voluntate ipſius Epiſcopi fiunt, ambitione, aut avaritia quadam tranſeundi ad ampliores, & opulentiores Sedes. Hac diſtinctione adhibita, & jam ante obſervata ab Auxilio, & Nicephoro, aliiſque, ut ibidem dictum fuit, oportet poſteriorum harum deformitatem oſtendere; quod jam alii ante nos fecerunt inſigni zelo, & doctrina, ut eam poſtea a tempore Euſebianorum in Eccleſia graſſatam, & adhuc modo graſſantem, exterminarent. Nos eodem conſilio, nonnulla ex innumeris huc ſpectantibus proferemus, utinam aliquo Dei obſequio, & Eccleſiæ fructu.*

EXCURSUS PRIMUS.

Appetitiones, & tranſitiones ambitioſæ quorundam Epiſcoporum ad aliam Eccleſiam, præſertim majorem, aut opulentiorem, improbatæ ab Antero Papa; quam ſevere prohibitæ fuerint juxta ſacros Canones. Plures eorum illuſtrati.

II. PRimo illas prohibet inter Canones Apoſtolorum (de quorum auctoritate egimus Diſſert. III.) tertius decimus, alias decimus quartus, ubi hæc habentur, juxta receptam verſionem Dionyſii Exigui: *Epiſcopo non licet alienam Parochiam* (ideſt, Eccleſiam) *propria relicta, pervadere, licet cogatur a plurimis: niſi forte qais cum rationabili cauſſa compellatur, tamquam qui poſſit ibidem conſtitutis plus lucri conferre, & in cauſſa Religionis aliquid profectus proſpicere. Et hoc non a ſe ipſo pertentet, ſed multorum Epiſcoporum judicio, & maxima ſupplicatione perficiat.* Porro is Canon authenticus eſt, & veluti talis laudatur a Conſtatino Magno apud Euſebium, Lib. 3. De vita ipſius Conſtantini, Cap. 59. ubi Imperator eundem Euſebium laudans ob recuſatum Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopatum, inter alia inquit: *Porro abs te prudenter ſane factum eſt, quod & Domini mandatum, Apoſtolicamqae Eccleſiæ Canonem ſervare decreviſti, Epiſcopatum Eccleſiæ Antiochenæ penitus repudiando, & in eo Epiſcopatu fungendo permanere laboraſti, quem ab initio Dei voluntote ſuſcepiſſes.* Id per hypocriſin factum fuiſſe ab Euſebio, cenſet Baronius ad annum CCCXXIV. Sed ego affirmare non auſim; cum aliqui ſcribant, Euſebium pie in orthodoxia vixiſſe, & obiiſſe, poſtquam in Concilio Nicæno damnavit hæreſim Arii. Deinde idem Conſtantinus Epiſt. 60. ſcribit ad Synodum, ne eundem Euſebium Cæſarea Antiochiam transferant, & ſubdit: *Veſtra prudentia ex Eccleſiæ Canone, & traditione Apoſtolica, ito veſtram poterit electionem moderori, ut Eccleſiaſticæ diſciplinæ ratio præſcribit.* Sed & in alia Epiſtola ad populum Antiochenum ea de re (quæ ibidem extat Cap. 58.) inquit Imperator de eodem Euſebio, quem Antiocheni ardenter Epiſcopum ſibi dari exoptabant: *Ego vero quamquam hominem, qui a vobis & tantis honoris ornamentis decorandus, & tanto amore, ac benevolentia complectendus judicatur, laudo plurimam; tamen Eccleſiæ Canon, qui ſingulis ratus, & ſtabilis debet manere, non ob eam cauſſam infringendus, aut debilitandus eſt.* Itaque nec totius populi Antiocheni preces, nec inſignia meritorum decora, quibus Euſebius cenſebatur ornatus, ſatis fuerunt, ut Conſtantinus aſſenſum præſtaret illi tranſlationi, qua utcumque læderetur antiquus Eccleſiæ Canon.

III. Hinc multa eliciuntur, ſeu potius ſponte ſua fluunt. Primum eſt, primis illis Eccleſiæ ſæculis receptum fuiſſe hunc Canonem circa translationes Epiſcoporum, eoque ductum Anterum Papam anno CCXXXVIII. ac poſtea Conſtantinum Magnum circa tempora Concilii Nicæni,

cæni, eas Epiſtolas ſcripſiſſe. Secundum, Canonem ipſum priori Conſtantini Epiſtola appellari, *Domini mandatum*, poſteriori vero *traditionem Apoſtolicam*. Tertium, requiri multa, ut Epiſcopus de una in aliam Eccleſiam, rite & ſine peccato transferatur. Etenim non ſatis eſt, quod a pluribus cogatur ad tranſitum, ſed præterea opus eſt, *ut ſit aliqua cauſſa conſentanea, quæ eum cogat hoc facere*, ut habet Hervetiana Canonis præjacti verſio; ſive, *rationabili cauſſa compellatur*, ut Dionyſius interpretatur.

IV. Quænam vero cenſeatur ejuſmodi cauſſa compellens ad tranſlationem, ſtatim ibidem additur, ὡς πλεῖον τι κέρδος &c. nimirum, ob majorem utilitatem, & profectum ſpiritualem populi, ad quem transfertur. Nimirum, quoniam Epiſcopus unius Eccleſiæ, cenſetur, attenta pietate, & doctrina, uberiorem fructum in alia reportaturus. Verum quoniam poſset quiſquam id facile credere, aut ſperare de ſe ipſo, & eo velamine obducere ambitionem, vel avaritiam, ſubditur ſtatim; καὶ τοῦτο δὲ οὐκ ἀφ' ἑαυτοῦ ἀλλὰ κρίσει πολλῶν ἐπισκόπων, καὶ παρακλήσει μεγίστῃ. *Idque non ex ſe, ſed multorum Epiſcoporum judicio, & maxima exhortatione*; ſive, ut vertit Dionyſius, *maxima ſupplicatione*. In quæ verba procul dubio videtur reſpexiſſe Sanctus Anterus, dum poſt initium ſecundi §. huius Epiſtolæ dixit de Euſebio Alexandrino: *propter doctrinam, & bonam vitam, quam habebat, communi Epiſcoporum, & reliquorum Sacerdotum, ac populorum conſilio, translatus eſt Epheſum*. Idemque fere poſtea repetit generatim circa eos Epiſcopos, qui rite, & ſancte ad alias Eccleſias transferuntur. Ea igitur omnia niſi adſint, *mandatum Divinum*, & *Apoſtolicus Eccleſiæ Canon*, ut loquitur Conſtantinus, violatur.

V. Secundo idipſum confirmatur ex Canone xv. Magnæ Synodi Nicænæ, cui initium: διὰ τὸν πολὺν τάραχον &c. Ubi rurſus prohibetur tranſitus Epiſcopi ἀπὸ πόλεως εἰς πόλιν, *a Civitate in Civitatem*. Si autem oppoſitum fiat, *quod factum erit, omnino infirmabitur, & Eccleſiæ reſtituetur*. Quibus verbis irrita certe decernitur ejuſmodi translatio, nimirum, facta aliter, quam antea ſtatutum ab Eccleſia fuerat. Porro Ruffinus Aquilejenſis, qui circa finem ejuſdem ſæculi quarti vixit, Lib. 2. *Eccleſiaſticæ Hiſt.* Cap. 6. quod in eo Canone legitur Græce: ἀπὸ πόλεως εἰς πόλιν, interpretatur, aut paraphraſtice exponit: *de Civitate inferiori ad majorem Eccleſiam*: quoniam tumultus, & ſeditiones, quas Synodus Nicæna in eo Canone vitare vult, non contigerant, niſi ob tranſitum prætenſum a quibuſdam Epiſcopis a minoribus Eccleſiis ad majores, opulentioreſque. Neque enim eouſque inventus fuerat Epiſcopus, qui a majori ad minorem tranſire vellet, ut poſtea videbimus ea Concilio Sardicenſi, & quotidie videmus.

VI. Verum quamvis ab ea ſacratiſſima Synodo, & omnium celeberrima, quotquot hactenus fuerunt, id ſtatutum ſuiſſet, aut potius confirmatum, juxta Apoſtolicam traditionem; Epiſcopi factionis Euſebianæ, ſicuti veram Deitatem, & Conſubſtantialitatem Filii Dei cum Patre ibidem definitam impugnarunt, ita etiam Canoni tranſlationes Epiſcoporum vetanti reſtiterunt. Propter eaque S. Julius I. Papa in Epiſtola ad Synodum Antiochenam, ubi Epiſcopi plures ejuſdem factionis convenerant, illos reprehendit, quod Nicænum Canonem, nimirum modo allegatum, totamque eam Synodum, *contemptui haberent, jam in uſu habentes de loco ad locum, ad Epiſcopatus capiendos, tranſilire, & rejecta Civitate concredita minore, transvolare ad magnam*. Quod præcipue dixit propter Euſebium Nicomedienſem, ejuſdem factionis ſigniferum, qui olim Beryto translatus Nicomediam, poſtea temerario auſu tranſierat in Conſtantinopolim. Porro Epiſtola ipſa eſt prorſus germana juxta omnes, utpote extans apud Athanaſium in Apologia ſecunda. Habetur edita Græce & Latine apud Collectionem Labbeanam Tomo II. col. 494. & ſeqq. Verba autem præcipua ibidem col. 499. ſunt: ἔδει τὸν πεπιστευμένον μικρὰν, μένειν ἐν τῇ πιστευθείσῃ, καὶ μὴ ἐξουθενεῖν μὲν τὸν πεπιστευμένον, μεταβαίνειν δὲ εἰς τὴν μὴ ἐγχειρισθεῖσαν, ἵνα τῆς μὲν παρὰ Θεοῦ δοθείσης καταφρονῇ, τὴν δὲ τῶν ἀνθρώπων κενοδοξίαν ἀγαπήσῃ. Ideſt: *Oportuit eam, cui concredita eſt parva Civitas, in ea, quæ credita eſt, permanere, & nequaquam, rejecta concredita, ad eam, quæ concredita non eſt, transvolare: ne eam, quæ a Deo data eſt, aſpernari; illam vero, quæ hominum ambitu conceſſa eſt, magnifacere videamur*.

VII. Sed tamen cum iteratæ prohibitiones Eccleſiæ non ſufficerent ad ambitionem eorum Epiſcoporum reprimendam, viſum eſt magno illi Oſio Cordubenſi Epiſcopo efficacius remedium adhibere in Sardicenſi Synodo Oecumenica, quam S. Auguſtinus alicubi *magnum*, & *plenarium totius Eccleſiæ Concilium* appellat. Ibidem itaque præſidens Oſius nomine Julii I. Papæ anno CCCXLVII gravisſime animadvertit in ejuſmodi Epiſcopos, tota Synodo probante, & ſubſcribente. Verba primi Canonis hæc ſunt: Ὅσιος ἐπίσκοπος πόλεως (Κορδύβης) εἶπεν &c. ideſt, juxta interpretationem Iſidori (& in idem fere recidunt Dionyſiana, ac Hervetiana) *Oſius Epiſcopus (Cordubæ) dixit: Non minus mala conſuetudo, quam perniciosa corruptela funditus eradicanda eſt, ne cui liceat Epiſcopo de ſua Civitate in aliam tranſire. Manifeſta eſt enim cauſſa, qua hoc facere tentant; cum nullus in hac re inventus ſit Epiſcopus, qui de majori Civitate in minorem tranſierit. Unde apparet, avaritiæ eos ardore inflammari, & ambitioni ſervire, ut dominationem exerceant. Si ergo omnibus placet, hujuſmodi pernicies auſterius vindicetur, nec laicam communionem habeat qui talis eſt. Univerſi dixerunt: Placet.* Obiter nota ex dictis ſupra Diſſert. IV. num. 51. eidem Sardicenſi Concilio interfuiſſe, non modo Oſium, ſed & alios quinque Hiſpaniæ Epiſcopos. Etenim in Epiſtola Synodica ad Julium Papam, quam ex Collectione Creſconii, & Hilarii Fragmentis edidit Vir Cl. Philippus Labbe, extant ſubſcriptiones illæ: *Oſius ab Spania Cordubenſis: Annianus ab Spanniis de Caſtulona: Florentius ab Spanniis de Emerita: Domnianus ab Spanniis de Aſturica: Caſtus ab Spanniis de Cæſaraugaſta: Prætextatus ab Spanniis de Barcilona*.

VIII. Quoniam vero ad vitandam adeo gravem & horribilem pœnam, poſſent aliqui excipere, aut excuſationem obtendere, quod non propria voluntate, ſed rogatu aliorum, & literis populi invitati tranſiiſſent ad aliam Eccleſiam, præcludit Oſius evaſionem hanc, ſive eodem

dem Canone, ut in Iſidoro extat, ſive ἡμίσεως ſequenti, uti alia eaemplaria habent: *Oſius Epiſcopus dixit: Etiam ſi talis aliquis extiterit temerarius, ut forſitan eucuſationem afferat, quod populi literus aceeperit; eum manifeſtum ſit, præmio, & mereede paueos, qui ſinceram fidem non babent, patuiſſe corrumpi, ut clamarent in Eccleſia, & ipſam petere viderentur Epiſcopum: omnino bas fraudes damnundas eſſe arbitror, itu ut nee luicam communionem in fiue aceipiat talis. Quod ſi vobis omnibus placet, ſtatuite. Univerſi dixerunt: Placet.*

IX. Hac graviſſima pœna, qua horribiliorem nullam indixit unquam Eccleſia adverſus enormiſſima ſcelera, percellendos Epiſcopos prædictos cenſuerunt unanimiter ſanctiſſimi Patres ejus Concilii Oecumenici (quod cenſetur appendia Nicænæ Synodi) & præſertim Oſius Præſes utriuſque, & quinque alii Epiſcopi Hiſpaniæ congregati Sardicæ cum ipſo: veluti qui doctrinam eandem a S. Antero Papa traditam centum & novem retro annis, ac ſemper euuſque in Hiſpania receptam, ac poſtea inſtauratam Nicææ, alte defixam habebat. Et ſane non aliud docuit, aut præcepit Oſius, quam egit. Nam licet ipſe fuiſſet tot Conciliorum pater, venerandus Pontificibus Romanis, chariſſimus Conſtantino Imperatori, & in ſummo pretio toti Eccleſiæ Occidentis & Orientis, noluit unquam tranſire ab Eccleſia Cordubenſi ad aliam, ſed in ea, quam ſemal a Deo ſuſceperat, permanſit uſque ad obitum longiſſimo vite curſu. Etenim S. Athanaſius in Epiſtola *ad ſolitariam vitam agentes*, teſtatur, Oſium tunc viventem, eo tempore annum a confeſſione ſua ſexageſimum egiſſe, nimirum, ab eo tempore, quo paſſus fuit pro Fide perſecutionem, & cruciatus ſub Maximiano, jam tum Epiſcopus Cordubenſis. Itaque ſeptuaginta circiter annis creditur perſtitiſſet in regimine illius Eccleſiæ, quamvis ob inſignem pietatem, & doctrinam digniſſimus alia longe majore cenſeretur.

X. Cum vero nullus prudens Legum lator, multo autem minus Eccleſia Catholica in Concilio Oecumenico congregata, poſſit indicere pœnam graviſſimam, qualis eſt prædicta, niſi propter grave ſcelus; patet, mutationem Epiſcoporum affectatam, aut procuratam ab iis a minori ad majorem Civitatem, quocumque velamine, aut prætextu, vere eſſe, ſicut & cenſeri ab ea ſanctiſſima Synodo graviſſimum ſcelus, quod adeo horribili pœna ſtatuerit vindicandum.

XI. Nec dubitarunt PP. Sardicenſes id Decretum tam ſeverum edere, quamvis videretur contrarium Nicæno Canoni XIII. in quo ſtatutum fuerat: περὶ δὲ τῶν ἐξοδευόντων &c. ideſt, juata verſionem Iſidori: *De bis vero, qui recedunt eu corpore, autiquæ Legis regula obſervabitur etiam nunc, itu ut ſi forte quis recedit eu tempore, neceſſario vitæ ſuæ viatico non defraudetur. Quod ſi deſperatus aliquis, recepta communione, ſupervixerit, ſit inter eos, qui in ſolu a ratione communicant. De omnibus tamen bis, qui a corpore recedunt, in tradendo eis communionem, cura, & probatio ſit Epiſcopi.* Alii poſtremam hanc partem Canonis ita vertunt: *Generaliter autem omni cuilibet in exitu poſito, & poſcenti ſibi communionis gratiam tribui, Epiſcopus probabiliter eu ablutione dare debebit.* In Græco habetur: Καθόλου δὲ καὶ περὶ παντὸς οὑτινοσοῦν ἐξοδεύοντος αἰτοῦντος τοῦ μεταλαχεῖν εὐχαριστίας, ὁ ἐπίσκοπος μετὰ δοκιμασίας ἐπιδότω. Sive, ut alii Codices habent, μεταδιδότω τῆς προσφορᾶς. Quibus reſpondent hæc in verſione Gentiani Herveti: *In ſumma autem de quolibet eucedente, & Euchariſtiæ participationem petente, Epiſcopus cum euaminatione oblationem impertiat.*

XII. Non, inquam, dubitarunt PP. Sardicenſes, & in iis Oſius, qui pariter Concilio Nicæno præſederat, eam Legem adeo ſeveram edere, & corrigere, aut potius explicare Canonem præjactum, ne intelligeretur de Epiſcopis procurantibus, aut quocumque inani prætextu admittentibus tranſlationem ſui in alias majores Eccleſias: quoniam experimento didicerant, Nicænum illum Canonem peſſundari, & contemni a quibuſdam refractariis, qui ſola acerbiore pœna, & horrorem incutiente, deterreri poſſent. Quare de iis inquit Theodoretus, Lib. 2. Cap. 31. *Nullam non Legem Euſebiani audacter, & libere perfringebant, dum ſuam impietutem ſtabilire molirentur. Atque fundamentum, quo eorum nitebatur blaſphemia, erat ſanctarum Legum violatio: ſiquidem multas ejuſmodi res in multis locis novabant.* Ac ſpeciatim loquens Lib. 1. Cap. 19. de Euſebio Nicomedienſi Arianorum duce: *Euſebius, parva babitu ratione deciſionum earum, quarum conſcribendarum paullo antea* (nimirum in Concilio Niceno) *una eum aliis Epiſcopis auctor fuerat, confeſtim relicta Nieomedia ad Sedem Epiſcopatus Conſtantinopolitani per ambitum arrepſit; idque contra Eccleſiæ Canonem, qui vetat, tum Epiſcopos, tum etiam Presbyteros de unius Civitatis Sede, ad alterius ſe Sedem transferre.* Et ipſi PP. Sardicenſes in literis ad Julium Papam inquiunt de Valente Epiſcopo Murſienſi: *Valens, relicta Eccleſia, aliam invadere voluit* (nimirum, Aquilejenſem longe ampliorem, & Metropolitanam) *ſollicitavit, perturbavit, ſeditionem commovit, atque unus e Frutribus noſtris Victor, qui fugere non potuit, obrutus, & conculcatus die tertia defecit.* Quin & ex tertia Synodali Epiſtola eorundem Patrum conſtat, unam cauſſarum, ob quas Euſebiani Concilium Sardicenſe exoſum habuerunt, fuiſſe, quod in eo tam ſevere prohiberentur *tranſpoſitiones a minoribus Civitatibus ad majores Parœcias*, quas ipſi tam intemperanter affectabant.

XIII. Et ea quidem ambitio uſque adeo execrabilis viſa eſt, ut Imperator Conſtantius, quamvis eorundem Euſebianorum patronus, illam abominatus fuerit in Eudoxio, qui ex Eccleſia Germanicæ in provincia Euſtrateſia, ubi Epiſcopum agebat, auſus fuerat invadere Eccleſiam Patriarchalem Antiochenam, & fingere, ſe ab ipſo Principe ad id invitatum fuiſſe. Qua de re Conſtantius in literis ad eandem Antiochenam Eccleſiam ita ſcribit, & invebitur adverſus Eudoxium ipſum, teſte Sozomeno, Lib. 4. Cap. 13. *Eudoxius a nobis miſſus ad vos non venit. Nemo quiſquam ſic putet. Ab eo longe abſumus, ut ejuſmodi hominibus favere velimus. Quod ſi præter cætera iſtud præterea comminiſcuntur; certe perſpicuum eſt, eos in Deum Optimum Maximum ementitos eſſe. At æquæ res ſunt, a quibus ſua ſponte abſtinennt illi, qui dominandi libidine accenſi Civitates invadere, & velut transfugæ*

ex

ex una in aliam devolare, omnes denique receſſus, & latebras, patentiæ, & facultatum augendarum ſtudio, rimari non ceſſant. Additque Imperator, inter eos Epiſcopos, fuiſſe quoſdam extreme improbos, nimirum, præſtigiatores, qui dæmoniacis artibus translationem ad majores Cathedras ſacrilego auſu tentarent. Nihil itaque mirum, quod Oſius tanto malo radicitus extirpando ea minaci Lege remedium ita violentum adhibuerit, & reliqui Patres Sardicenſes illud unanimiter probaverint.

XIV. Notandum vero, eas inanes quorundam Epiſcoporum technas, & excuſationes, ad obtegendam ambitionem in tranſitu ad ampliorem Sedem, tam minaciter prohibitas ab Oſio, & reliquis PP. Sardicenſibus, jam fuiſſe generatim prævifas a S. Antero Papa in hac Epiſtola. Propterea enim circa medium §. 2. poſtquam docuit, translationes non poſſe fieri, niſi ex juſta cauſa utilitatis, aut neceſſitatis populi, *hortatu, & conſilio potiorum*; ſubdidit ex Sacra Scriptura, ad reprimendum ejuſmodi dolos: *Homo videt in facie, Deus autem in corde*. Et præterea ex Pſalmo quodam: *Dominus ſcit cogitationes hominum, quoniam vanæ ſunt*. Et poſtea adverſus illos urget teſtimonium Chriſti, Matth. 23. *Væ vobis hypocritæ &c.* Quæ omnia cum perſpecta haberet Oſius, utpote ad Hiſpanos Epiſcopos olim ſcripta, & experimento in Euſebianis deprehendiſſet impotentem ambitionem, qua ampliores, & opulentiores Eccleſiarum Cathedras deperibant, ſuggeſſit cæteris PP. Sardicæ congregatis, ut in eos acerbiore ſolito ultione animadverterent.

EXCURSUS II.

Indicantur Canones aliorum Conciliorum, in quibus idipſum traditur, & proferuntur varia diverſorum Pontificum Romanæ Eccleſiæ Decreta, ſevere prohibentia tranſitiones voluntarias. Exhortatio ad DD. Epiſcopos, eruta ex eiſdem Canonibus, & Decretis.

XV. HAbemus ex præcedentibus juxta Canones Apoſtolorum, Conciliorumque Generalium, Nicæni, & Sardicenſis, translationem Epiſcoporum de una in aliam Eccleſiam, præſertim majorem, aut opulentiorem, quæ non fit ex juſta, atque urgente cauſſa, ſimul & legitima eorum auctoritate, ad quos ſpectat, illicitam prorſus eſſe, immo graviſſimum ſcelus, quod Eccleſia Catholica in Synodo Sardicenſi congregata tam horribili pœna punierit, quanta nullum aliud enorme flagitium. Quare non eſt, quod accumulemus inferiorum Conciliorum Canones, qualis eſt XXXVIII. Concilii Carthaginenſis III. & viceſimus ſeptimus IV. referturque Cap. *Epiſcopus*, 7. Quæſt. 1. & viceſimus primus Antiocheni (licet hunc alii, atque alii diverſimode interpretentur, ut legere eſt apud D. Schelſtrate in ejus defenſione pag. 607.) ac denique Canon quidam Capuanæ Synodi ſub Siricio Papa coactæ, quadrageſimo octavo loco extans in Codice Canonum Africanorum, ut alios Conciliorum Nationalium, ſeu Provincialium omittam. Poſſet enim fortaſſe aliquis eludere eorum auctoritatem hoc tempore, quod ſummum adſtringant in locis, aut provinciis, ubi editi ſunt. At enim ea exceptio non habet locum circa Canones Conciliorum Univerſalium jam antea prolatos, qui ubique terrarum vim obligandi ſemper habuerunt. Quin & poſtea omnes ii innovati fuerunt in Concilio Oecumenico Chalcedonenſi, Can. V. iis verbis: περὶ δὲ τῶν μεταβαινόντων ἀπὸ πόλεως εἰς πόλιν ἐπισκόπων ἢ κληρικῶν, ἔδοξε τοὺς περὶ τούτων κανόνας παρὰ τῶν ἁγίων πατέρων, ἔχειν τὴν ἰδίαν ἰσχύν. *De Epiſcopis, vel Clericis, qui a Civitate in Civitatem tranſeunt, placuit eos, qui editi ſunt a ſanctis Patribus, Canones ſuam vim obtinere.* Idemque eſt de Decretis, ſive Epiſtolis Decretalibus Romanorum Pontificum, quorum aliquot teſtimonia ſubjungo, prorſus conſona Epiſtolæ S. Anteri.

XVI. Imprimis occurrit Epiſtola II. Sancti Evariſti Papæ ad Epiſcopos Ægypti, in qua, tum dimiſſio Eccleſiæ propriæ, tum mutatio ad aliam, reprehenditur inſtar adulterii commiſſi ab Epiſcopo adverſus uxorem ſibi matrimonio copulatam, niſi ubi neceſſitas inevitabilis, & auctoritas legitima Superioris aliud exigunt: *Sacerdotes*, inquit, *vice Chriſti legatione funguntur in Eccleſia. Et ſicut ei ſua conjuncta eſt ſponſa, ideſt, Eccleſia, ſic Epiſcopis junguntur Eccleſiæ, unicuique proportione ſua*. Et paucis interjectis in eundem ſcopum, quæ brevitatis cauſa prætereo, ſubdit: *Et ſicut vir non debet adulterare uxorem ſuam, ita nec Epiſcopus, Eccleſiam ſuam; ideſt, ut illam dimittat, ad quam ſacratus eſt, abſque inevitabili neceſſitate, aut Apoſtolica, vel regulari mutatione, & alteri ſe ambitus cauſſa conjungat*. Quam rationem ex analogia matrimonii ſpiritualis ad carnalem, multis proſequitur Sanctus Pontifex, & poſtea varii ipſius Succeſſores eadem uſi ſunt, præſertim S. Calliſtus Papa, & Innocentius III. ut videbimus Excurſu tertio.

XVII. Ante vero quam illorum teſtimonia proferam, obſervare placet, in Concilio Alexandrino ex Epiſcopis Ægypti, Thebaidos, Libyæ, & Pentapolis congregato anno Chriſti CCCXXXIX. legi Epiſtolam illam ad orthodos Epiſcopos, qua invehuntur adverſus Euſebium Nicomedienſem, variarum Sedium invaſorem (extat Græce & Latine Tomo II. editionis Conciliorum Labbei col. 534. & ſeqq.) & de ipſo ajunt col. 3. ἄνθρωπος τάχα μὴ δὲ κατάστασιν ὅλως ἰσχηκὼς &c. *Homo qui ipſe prorſus Epiſcopus creatus non eſt, aut ſi unquam jus Epiſcopi habuit, idipſum reſcidit, ut qui principio Beryti pro Epiſcopo egerit, relictaque Beryto, Nicomediam ſe tranſtulerit, illam quidem Cathedram præter Leges deſtituens, iſtam vero nulla Lege invadens, proprii gregis ſine ulla charitate deſertor, & alieni nulla rationabili cauſſa occupator, prioris Epiſcopatus charitatem alieni cupidine aſpernatus eſt; nec tamen illum ipſum Epiſcopatum, quem tanta aviditate occupaverat, reſervavit. Ecce enim jam denuo inde deſiliens, alienum Epiſcopatum arripuit, ſemper aliorum Civitates oculis per invidiam adjectis oblimat, atque arrodit, perſuaſus in magnitudine Urbium Religionem eſſe ſitam, & ſortem Dei, ſecundum quam conſtitutus, ordinatuſque eſt, pro nihilo ducit; ignarus ſcilicet, Dominum, ubi duo, aut tres in nomine ejus congregati fuerint, in medio eſſe; nec ſecum recogitans dictum illud Apoſtoli, quo profitetur, ſe in alienis laboribus non gloriaturum; neque præ oculis habens* (nota hæc maxime)

xime) *illius præceptum : Alligatus es uxori ? ne quære ſolutionem . Quod ſi hoc de uxore dictum eſt , quanto magis de Eccleſia , atque adeo de Epiſcopatu : cui cum quis alligatus eſt , alium quærere non debet , ne adulter in ſacris Literis deprehendatur .*

XVIII. Ubi , ut vides , vinculum Epiſcopi cum Eccleſia illa ſpeciali , cui ſemel deputatus ſuit , cenſetur matrimonium cum ea celebratum , ut in illa Evariſti Epiſtola ; immo & fortius vinculo matrimonii carnalis . Hoc enim clare ſignificant Patres Concilii verbis illis : πόσῳ μᾶλλον ἐπὶ ἐκκλησίας ἐκ τῆς αὐτῆς ἐπισκοπῆς ; *Quanto magis de Eccleſia , atque adeo de Epiſcopatu?* Quare Epiſcopus ab Eccleſia propria voluntarie recedens , & alienam appetens , ibidem in iis verbis Græcis μοιχὸς , *mœchus* , ſicuti & Latine *adulter* , audit , inſtar mariti derelinquentis uxorem carnalem , & appetentis aliam feminam . Eodem ſenſu verba eadem Apoſtoli , *Alligatus es uxori &c.* interpretatur S. Ambroſius Lib. *De dignitate Sacerdotum* , Cap. 4. dicens : *Inhibet Apoſtolus , Epiſcopum duas uſurpare Eccleſias* ; & S. Hieronymus in Epiſtola ſua ad Oceanum : *Quidam interpretantur, uxores pro Eccleſiis , viros pro Epiſcopis debere accipi , & hoc in Nicæna quoque Synodo a Patribus eſſe decretum , ne de alia ad aliam Eccleſiam Epiſcopus transferatur , ne virginalis pauperculæ ſocietate contempta , ditioris adulteræ quærat amplexus* . In eundem ſenſum Novarinus ad 1. Cor. 7. citat Athanaſium in Apologia Imperat. Conſtant. cujus verba eadem ſunt, ac Concilii Alexandrini num. 17. exſcripta.

XIX. Innixi eidem doctrinæ de vinculo Epiſcopi cum propria Eccleſia , veluti ſponſa , alii Summi Pontifices Romani ſevere prohibuerunt translationes ejuſmodi . Ex iis S. Damaſus Pontifex in Synodo Romana , cujus literas ad Paullinum Epiſcopum Antiochenum Theodoretus refert , Lib. 5. Cap. 11. ita decernit : *Qui ab Eccleſiis , in quibus vixerant , ad alias ſe tranſtulerunt , uſque eo ſint a noſtra communione alieni , quoad ipſas ad Urbes redierint , in quibus erant primum ad aliquem Eccleſiaſtici Ordinis gradum elati . Quod ſiquis in alterius locum , qui mutavit Sedem , cooptatus ſit , tantiſper vacet ille , qui propriam Civitatem deſeruit , dum qui ei ſucceſſerit , obdormierit in Domino* . Certe ibidem Damaſus mitigaſſe videtur ſeveritatem Canonum Sardicenſium , qui acerbiore multo pœna ejuſmodi mutationes ulciſcebantur .

XX. Sed tamen ſæculo v. ſequenti S. Leo Papa in Epiſtola LXXXIV. quæ eſt ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem Epiſcopum , Vicarium ſuum per provincias Illyrici , in quas antiquum Euſebianorum virus irrepſerat circa Sedium mutationes, aliquanto ſeverius, quam Damaſus, eas puniendas decrevit . Etenim ibidem Cap. 8. ita decernit : *Si quis Epiſcopus , mediocritate Civitatis ſuæ deſpecta , adminiſtrationem celebrioris loci ambiverit , & ad majorem plebem ſe quacumque ratione tranſtulerit, non ſolum a Cathedra pellatur aliena , ſed & carebit propria , ut nec illis præſideat , quos per avaritiam concupivit , nec illis , quos per ſuperbiam ſprevit* . Ubi plane eos arguit ſuperbiæ & avaritiæ : ſicuti & eorum vitiorum notati fuerant in Concilio Sardicenſi. Nec refert, quod Leo non meminerit matrimonii ſpiritualis inter Epiſcopum , & Eccleſiam propriam eo loco, ſicut nec Damaſus in teſtimonio præcedenti . Sat enim eſt , quod toties ab aliis id jam traditum fuiſſet .

XXI. Redeamus ad noſtram Hiſpaniam , in qua Sanctus Hilarus Papa , proximus ſucceſſor ejuſdem Leonis , injecta memoria Patrum Nicænorum, qui translationes Epiſcoporum vetuerant, eaſdem prohibet denuo in Epiſt. 11. quæ eſt ad Aſcanium, & reliquos Tarraconenſis provinciæ Epiſcopos. Etenim idem Cap. 2. ait : *In quorum contumeliam* (nimirum , Patrum Nicænorum) *a ſuperbo ſpiritu etiam illa pars contemnitur , qua vetatur, ne quis, relicta Eccleſia ſua, ad alteram tranſire præſumat. Quod nimis improbe conniventibus , & (ut doleatur gravius, vobis aſſerentibus , Irenæus Epiſcopus conatur admittere : quod noſtra auctoritate roborari cupitis , quos maxime de rebus illicitis magna indignatione probatis accendi &c.* Deinde in alia Epiſtola ad Aſcanium ipſum ſpeciatim ſcripta , quæ inter alias eſt tertia , inquit ex indulgentia quadam circa Irenæum , qui Sedem mutaverat : *Ante omnia (quæ ſola humanitate decernimus) Irenæum ad Eccleſiam ſuam redire compelle : ad quam ſponte potius redire debebit , ſi a Sacerdotali conſortio non metuit privari* . Sed de hoc iterum in Notis ad eam Epiſtolam . Nunc obiter ſolum obſervare placet , ibi non reprehendi translationem aliquam legitimam , ideſt, debita auctoritate , & ex juſta cauſſa factam ; ſed tranſitionem ambitioſam Irenæi ad aliam Sedem , & voluntariam mutationem adverſus ſacros Canones , ut palam oſtendunt verba prioris Epiſtolæ Hilari paullo ante exſcripta . Quare exemplum Irenæi, & doctrina laudati Pontificis , immerito urgetur ab Emmanuele Schelſtrate in Canonem Antiochenum XXI. Cap. 19. adverſus translationes Epiſcoporum : cum inde ſolum improbentur tranſitiones , aut ſummum translationes non factæ ex urgenti, & legitima cauſſa .

XXII. Præterea Pelagius II. Papa in Epiſtola ad Benignum Archiepiſcopum (fruſtra & pro libito a quibuſdam delicatis νοθίας incuſata) quæ eſt prima illius Tomo v. Collectionis Labbeanæ col. 935. ex inſtituto docet , ac doctiſſime probat , Canonibus ſacris , quos ibidem exſcribit , & Decretis quibuslibet Eccleſiæ, non prohiberi translationes Epiſcoporum factas auctoritate legitima , & ex juſta cauſſa neceſſitatis ſive utilitatis publicæ : ſed ſolum tranſitiones ; nimirum mutationes illorum , qui *ſponte proſiliunt, aut temeritatis, aut ambitionis cauſa hoc faciunt . Nam aliud eſt ſponte tranſire ; & aliud coacte , aut neceſſitate venire* . Et poſt plurima ibidem interjecta , propius ad finem , quam ad medium Epiſtolæ , concludit : *Hoc autem ſummopere prævidendum eſt , ne cauſſa arrogantiæ , aut avaritiæ unquam fiat : quia hi a prædictis Canonibus damnantur , non illi, qui neceſſitate , aut utilitate , Majorum conſilio , & ſana, pura , ac Deo placita intentione , hoc faciunt* . Quæ omnia dum ſcriberet Pelagius , videtur ob oculos habuiſſe Epiſtolam illam Sancti Anteri Papæ , in qua illuſtranda verſamur .

XXIII. Attendant , quæſo , poſtrema Pelagii verba quicumque DD. Epiſcopi ſuam , &

ſubditorum ſalutem amant. Evolvant pariter Anteri verba, quorum idem ſenſus, & vis eſt. Videant, ne forte abducantur deſiderio honorabilioris, aut opulentioris Cathedræ: quod Sancti ii Pontifices ambitioni, & avaritiæ tribuunt, ſacrique Conciliorum Canones, præſertim Sardicenſes, execrantur, & ulciſcuntur, negata iis communione, etiam in extremo vitæ: qua pœna majorem nullam impoſuit unquam Eccleſia hominibus extreme improbis, ac deploratæ conſcientiæ. Nemo inanes excuſationes obtendat, quaſi invitatus, aut rogatus fuerit ad promotionem: nam illas diſerte memorat Canon ſecundus Sardicenſis, & ea acerbiori vindicta punit. Nemo fallat ſeipſum, quaſi utilitatis publicæ intuitu tranſlationem exuptet, aut quærat, etiam ab iis, qui auctoritate legitima funguntur. Nam & in eo ipſo deſiderio latet virus ambitionis, & avaritiæ, dum illuſtrior, aut opulentior Sedes exoptatur: & id ipſum prohibet magna Nicæna Synodus verbis iis extremis Can. XIII. *Et hoc non a ſeipſo pertentet, ſed multorum Epiſcoporum judicio, & maxima ſupplicatione.* Quin & ſi forte judicio proprio duceretur, veluti ſe dignum judicans ampliori Sede, aut majorem utilitatem ipſi allaturus, vel ex eo capite arrogans, & ſuperbus deprehenderetur.

XXIV. Sicut itaque omnes ſancti Patres, cohærenter ad plurima Scripturæ loca, docent, ambitioſam eſſe, ac maxime periculoſam, exitialemque ſaluti æternæ, appetitionem Epiſcopatus (de quo fuſe, & ex inſtituto egi Diſp. VIII. Philoſophiæ Moralis Q. 3. per totam) ita & ex eiſdem, ac ſacris Canonibus liquet, execrabilem eſſe omnino, & ſuperbiæ, atque avaritiæ ream appetitionem Epiſcopatus majoris, vel ditioris. Quod ut altius infigatur, reſumo verba illa ſancti, & Oecumenici Concilii Sardicenſis: *Cum nullus in hac re inventus ſit Epiſcopus, qui de majori Civitate in minorem tranſierit .... apparet, avaritiæ eos ardore inflammari, & ambitioni ſervire, ut dominationem exerceant.* Cumque ab eo tempore uſque modo, mille trecentorum & quadraginta quinque annorum ſpatio, idipſum experimento compertum ſit, vix enim aliquis legitur, vel dicitur migraſſe a majore in minorem Eccleſiam, conſequens eſt, ut de omnibus iis, qui promotionem deſiderarunt, aut (quod adhuc pejus eſt) procurarunt, quocumque prætextu adhibito, idipſum cenſuerit ſanctiſſima illa Synodus. Eant nunc, qui variis cavillis id peccatum extenuare conantur.

XXV. Si quis autem nunc talis eſt inter DD. Epiſcopos, neque enim quemquam in ſingulari indicare, aut notare auſim, videat, & expendat, quali pœna dignus habitus fuerit a ſanctiſſimis iis Patribus, quorum Canones Eccleſia perpetuo venerata eſt, tamquam *Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia conſecratos*, ut Sanctus Leo Papa, & alii Pontifices loquuntur. Videat, inquam, & attente conſideret, ſi forte id ſcelus admiſit, qua contritione cordis, quibus gemitibus, qua pœnalium operum ſatisfactione debeat Deum placare is, qui judicio totius Eccleſiæ in eo Concilio meruit, non modo in decurſu totius vitæ, ſed etiam in obitu communione privari, etiam laica, veluti putre membrum a totius Eccleſiæ Corpore abſciſſum, traditum Satanæ in interitum carnis, privatumque omni honore, & privilegio nominis Chriſtiani, ut recte exponit Chriſtianus Lupus Tom. I. pag. 131. in Scholiis ad primum Canonem Sardicenſem. Deinde allegat ejuſdem Synodi Epiſtolam tertiam in qua Gregorium Alexandriæ pſeudo-Epiſcopum, ejuſque gregales, *exauctoratos omnino, ab Officio Epiſcopatus ſubmovet: decernit, non modo Epiſcopos non eſſe, ſed ne dignos quidem Fidelium communione: ab Eccleſia ſeparat, mandatque haberi alienos, & indignos Chriſtiano nomine.* Quare ſi qui e recentioribus, ſive Theologis, ſive Canoniſtis, aliter loquuntur, & peccatum id variis prætextibus, aut evaſionibus minuere conantur; non audiendi, veluti loquentes contra tam ſeveram, & manifeſtam ſacrorum Canonum ſententiam, & cenſuram.

EXCURSUS III.

Epiſcopum unumquemque Jure Divino contrahere vinculum ſpiritualis matrimonii cum propria Eccleſia, & fortius quidem, quam matrimonii carnalis: ut proinde non poſſit transferri ad aliam abſque diſpenſatione Romani Pontificis conceſſu ex cauſſa juſta. Varia Epiſtolarum Decretalium loca expenſa, aut illuſtrata.

XXVI. Vidimus ſupra num. 16. 17. & 18. qualiter aliquot Romani Pontifices, & Patres Concilii Alexandrini, ac nonnulli Doctores ſacri dixerint, Epiſcopum unumquemque cotrahere matrimonium cum ſua propria Eccleſia, ac ratione ejus vinculi adſtringi, ne ſponte, aut arbitrio proprio appetat aliam, aut ei conjungatur, ſi vult non eſſe, & haberi adulter. Nunc ſupereſt, quædam alia Pontificum Romanorum verba expendere, quibus eadem veritas altius infigatur.

XXVII. Imprimis occurrit Epiſtola ſecunda S. Calliſti I. ad omnes Galliarum Epiſcopos, & refertur 7. Q. 1. Canone, *Sicut alterius*; in qua Cap. 3. agens de mutatiunibus Epiſcoporum, poſtquam allegaverat verba Apoſtoli Rom. 7. loquentis de alligatione uxoris ad virum quamdiu vivit, idem vinculum agnoſcit inter Epiſcopum, & propriam Eccleſiam: *Similiter*, inquit, *& ſponſa Epiſcopi, quia ſponſa, uxorque ejus dicitur Eccleſia, illo vivente ei eſt alligata: eo vero defuncto, ſoluta eſt, & cui voluerit, nubat, tantum in Domino, ideſt, regulariter. Si enim eo vivente, alteri nupſerit, adultera judicabitur. Similiter & ille, ſi alteram ſponte duxerit, adulter æſtimabitur, & communione privabitur .... Si autem utilitatis cauſſa fuerit mutandus, non per ſe hoc agat, ſed Fratribus invitantibus, & auctoritate hujus ſanctæ Sedis hoc faciat, non ambitus, vel utilitatis.* Quibus omnibus conſonant prædicta teſtimonia, & Epiſtola Sancti Anteri non multis poſtea annis ſcripta, in qua illuſtranda verſamur.

XXVIII. Non me fugit, utramque Calliſti Epiſtolam, in omnibus Conciliorum editionibus extantem eſſe quibuſdam recentioribus ſuſpectam, ac nominatim iis, qui Romæ Gratiani emendationem curarunt, quod avide excepit Labbeus, & adnotavit Tomo I. col. 609. ad marginem, citato in id Antonio-Auguſtino Dialogo 4.

logo 4. Lib. 2. ubi de eadem emendatione. At noluit Labbeus, uti par erat, indicare ibi, magnum illum Virum alia omnia ſenſiſſe. Etenim ibidem ante medium interrogat: *Calliſti I. Epiſtolas cur rejiciunt?* Reſpondet B. idest, Franciſcus Eduardus: *Cauſſam nullam accepi.* Deinde pag. ſequenti, redit A. Auguſtinus ad idem inſtitutum, & ait: *Negaſſe Viros ſelectos Romæ dicebat, quidquam Calliſtum I. ſcripſiſſe: fortaſſe quia Iſidoro parum credendum putarent, cujus auctoritate illæ Epiſtolæ fulciuntur. Quod ſi Calliſti Epiſtolas rejicimus, hæc verba poſterioris tantum ſunt. Sed malo credere, ſecundum Calliſtum a primo verba hujus Capitis ſumpſiſſe.* Itaque Clariſſimus ille Vir, etiam objecto ſibi eorum Criticorum ſenſu, prædictas duas Epiſtolas Calliſto I. adſcriptas in Collectione Iſidori, cenſuit legitimas: idemque illum ſenſiſſe circa reliquas fere nomine veterum Pontificum editas, jam ſupra Diſſertatione IV. late aſſeruimus, eaſcriptis ipſius verbis.

XXIX. Verum, ne doctrina tradita in ea Epiſtola videatur pendere a teſtimonio incerto, aut ſub opinionibus poſito, miſſis iis inſtrumentis, quorum fides non eſt explorata inter Eruditos recentiores, veniamus ad alia decretoria. Inter ea vero ſunt teſtimonia illuſtria Innocentii III. Pontificis graviſſimi, & ſapientiſſimi, toto fere Titulo ſeptimo Libri primi *Decretalium*, ubi de tranſlatione Epiſcoporum agitur. Ibidem enim non ſemel doctrinam illam a veteribus traditam de conjugio ſpirituali inter Epiſcopum, & Eccleſiam, immo & de fortiori vinculo, quam ſit matrimonii carnalis, luculenter confirmat.

XXX. Proferamus ſolum præcipua illius verba. Cap. 2. *Inter corporalia*, hæc habet: *Cum ergo fortius ſit ſpirituale vinculum, quam carnale, dubitari non debet, quin omnipotens Deus ſpirituale conjugium, quod eſt inter Epiſcopum, & Eccleſiam, ſuo tantum judicio reſervaverit diſſolvendum, qui diſſolutionem etiam carnalis conjugii, quod eſt inter virum, & feminam, ſuo tantum judicio reſervavit, præcipimus, ut quos Deus conjunxit, homo non ſeparet. Non enim humana, ſed potius Divina poteſtate, conjugium ſpirituale diſſolvitur, cum per tranſlationem, diſpoſitionem* (forte *depoſitionem*) *aut ceſſionem, auctoritate Romani Pontificis, quem conſtat, eſſe Vicarium Jeſu Chriſti, Epiſcopus ab Eccleſia removetur. Et ideo tria hæc, quæ præmiſimus, non tam Conſtitutione Canonica, quam inſtitutione Divina, ſunt Romano Pontifici reſervata.*

XXXI. Præterea Cap. *Quanto perſona* ſequenti, eandem doctrinam repetit, præſertim, dum allegatis eiſdem verbis Chriſti, *quos Deus conjunxit, homo non ſeparet*, Matth. 19. ſubdit: *Poteſtatem transferendi Pontifices, ita ſibi reſervavit Dominus, & Magiſter, quod ſoli B. Petro Vicario ſuo, & per ipſum Succeſſoribus ſuis, ſpeciali privilegio tribuit, & conceſſit, ſicut teſtatur antiquitas, cui Decreta Patrum ſanxere reverentiam exhibendam, & evidenter aſſerunt Sacrorum Canonum ſanctiones. Non enim homo; ſed Deus ſeparat, quos Romanus Pontifex (qui non puri hominis, ſed veri Dei vicem gerit in terris) Eccleſiarum neceſſitate, vel utilitate penſata, non humana, ſed Divina potius auctoritate diſſolvit.* Ubi & palam citat Decreta Patrum, ac Sacros Canones pro eadem doctrina, nimirum loca ipſa a nobis allegata num. 16. 17. 18. & 27.

XXXII. Denique Cap. *Licet* 4 eodem Titulo inquit: *Sicut legitimi matrimonii vinculum, quod eſt inter virum, & uxorem, homo diſſolvere nequit, Domino dicente in Evangelio, quos Deus conjunxit, homo non ſeparet: ſic & ſpirituale fœdus conjugii, quod eſt inter Epiſcopum, & Eccleſiam, quod in electione initiatum, ratum in confirmatione, & in conſecratione intelligitur conſummatum, ſine illius auctoritate ſolvi non poteſt, qui Succeſſor eſt Petri, & Vicarius Jeſu Chriſti.*

XXXIII. Conſonant iis omnibus verba illa Epiſcopi conſecratoris ad eum, qui conſecratur: *Accipe annulum fidei, ſcilicet ſignaculum, quatenus ſponſam Dei ſanctam, videlicet Eccleſiam, intemerata fide ornatus illibate cuſtodias.* Quo annulo deſignat matrimonium ſpirituale uniuſcujuſque Epiſcopi cum propria Eccleſia, ſicut & verbis iis declarat ſpirituale Chriſti conjugium cum Eccleſia univerſali: quoniam annulus apud omnes nationes fuit, & eſt ſignum, ac pignus conjugii. Ideoque S. Evariſtus Papa in Epiſtola II. dixerat de Epiſcopis: *Vice Chriſti legatione funguntur in Eccleſia: ſicut ei conjuncta eſt ſponſa, ideſt, Eccleſia* (nimirum *univerſalis*) *ſic Epiſcopi junguntur Eccleſiæ unicuique, proportione ſua.*

XXXIV. Unde adhuc quando aliquis exiſtens intra ditionem, ac ſinum Eccleſiæ Romanæ ordinatur Epiſcopus alicujus Eccleſiæ occupatæ ab infidelibus, contrahit vinculum ſpiritualis conjugii cum illa, quoniam vere Epiſcopus illius eſt, & veluti talis habetur in Concilio Tridentino Seſs. 14. Cap. 2. *De Reformatione*, ubi ejuſmodi Epiſcopis, tanquam veris, præſcribitur ratio habenda in eo miniſterio. Neque ideo violatur Canon ſextus Concilii Chalcedonenſis Act. 15. ubi præcipitur, μηδένα ἀπολελυμένως χειροτονεῖσθαι &c. ideſt: *Nullum abſolute ordinari, nec Presbyterum, nec Diaconum, nec omnino aliquem eorum, qui ſunt in ordine Eccleſiaſtico* (ac proinde, nec Epiſcopum) *niſi ſpecialiter in Eccleſia Civitatis, vel Pagi, vel Martyrio, vel Monaſterio, is, qui ordinatur, deſignetur. Eos autem, qui abſolute ordinantur, decrevit ſancta Synodus, irritam, ac invalidam habere ejuſmodi manuum impoſitionem, & nuſquam exercere, ac operari poſſe ad ejus, qui ordinavit, injuriam*, ut vertit Gentianus Hervetus, omnino cohærenter tranſlationibus Dionyſii, & Iſidori. Non, inquam, violatur is Canon, nam quiſquis inter Catholicos degens, ordinatur Epiſcopus alicujus Eccleſiæ admodum diſtantis, & ab infidelibus occupatæ, vere ipſi conjungitur ſpeciali illo vinculo. Non enim ordinatur ἀπολύτως, ſive ἀπολελυμένως, ideſt, *abſolute*) quod ſolum vetat Synodus illa) ſed relate, ſive in ordine ad illam Eccleſiam, quamvis ex accidenti illam regere non poſſit. Unde ſi contingat, eam infidelibus eripi, aut pateat locus eo accedendi cum ſpe aliqua utilitatis, poteſt, & debet Epiſcopus ita ordinatus accedere ad illam, ut munus ſuum rite obeat. Quin & ubi nulla ſpes humana affulget, nonnulli ita ordinati, etiam hiſce poſtremis ſæculis, adeunt Cl-

Civitates, Diœceſes ſibi deſignatas inter Gentiles, Mahumetanoſque, atque alios infideles, & ibidem fructum aliquem reportare conantur, ac ſolent. De Bartholomæo quodam Bononienſi, olim ordinato Epiſcopo Armeniæ, refert Leander Bononien. *De viris illuſtribus*, eo acceſſiſſe, & plura mirabilia patraſſe in Fidei propagationem. Mitto Epiſcopos Regionarios, ut vocant, omnibus fere ſæculis deſtinatos ad prædicandum apud infideles, & barbaros, non abſque fructu, quotieſcumque ii rite ſuum munus obierunt, aut obeunt. Ac certe, quemadmodum Epiſcopus expulſus ab Eccleſia, & Urbe, ubi miniſtrabat, non deſinit eſſe Epiſcopus, nec exuitur vinculo matrimonii initi, quamvis illa ab infidelibus capiatur, ſine ulla ſpe humanæ recuperationis: Ita etiam qui, durante eo ſtatu, ordinatur poſtea Epiſcopus illius, vere contrahit cum ea ſpirituale conjugium. Etenim per ſe loquendo, & vi ordinationis, nihil minus habet, quamvis ea accidenti nequeat obire munus ſuum.

XXXV. Itaque doctrina tradita de conjugio ſpirituali Epiſcopi cum Eccleſia illa, ad quam regendam deputatur, certa omnino, & Catholica eſt, utpote palam contenta in Epiſtolis Decretalibus certis, atque exploratis Romanorum Pontificum (de quarum auctoritate irrefragabili late egimus in *Defenſione Cathedræ S. Petri*, Diſp. xxx. & alibi ſæpe) præſertim Innocentii III. in teſtimoniis nuper allegatis, quæ nullam omnino exceptionem admittunt.

XXXVI. Secundo pariter certum eſt, teſtante eodem Innocentio verbis num. 30. exſcriptis (idque antea declaraverat Concilium Alexandrinum num. 17. & 18. expenſum) fortius eſſe vinculum ſpirituale, quam carnale; ac proinde Epiſcopi ordinati cum ſua Eccleſia, quam mariti cum uxore. Neque inde impeditur, ut præoccupemus difficultates quaſdam, ut ſæpius diſpenſari poſſit in ſpirituali matrimonio Epiſcopi, quam carnali mariti: quoniam frequentius occurrunt cauſſæ legitimæ ad prius illud diſſolvendum, quam ad hoc poſterius. Hoc enim, ubi ratum eſt, & nondum conſummatum, ſolvitur per profeſſionem ſolennem alterius conjugum in Religione probata; quod raro accidit, & ex privata utilitate ſpirituali. Frequentius autem occurrere poſſunt, & ſolent cauſſæ legitimæ ad diſpenſandum in matrimonio ſpirituali Epiſcopi cum propria Eccleſia, ſive ut abſolute cedat Epiſcopatu, ſive ut transferatur ad aliam; & eæ quidem publicæ neceſſitatis, vel utilitatis communis. Quare ſemper eſt fortius vinculum matrimonii ſpiritualis: tum quia ſolum ex urgentiori cauſſa, nimirum publica, quamvis frequentius occurrente, diſſolvi poteſt; tum præterea, quia adhuc facta diſſolutione, permanet in anima Epiſcopi character firmus, atque indelebilis, veluti ſignaculum, quo Eccleſiæ ſuæ ſemel conjunctus fuit, tanquam ſponſus. Maritus autem carnalis nullum characterem accipit, etiam ex matrimonio conſummato: ideoque poſt mortem alterius conjugum, nihil omnino remanet prioris vinculi.

XXXVII. Tertio conſtat ex eodem teſtimonio: quemadmodum vinculum matrimonii carnalis oritur, non ex diſpoſitione hominum, ſed ex Jure Divino; ita etiam vinculum matrimonii ſpiritualis inter unumquemque Epiſcopum, & propriam Eccleſiam, non tam oriri ex Jure Canonico, ſive Eccleſiaſtico, quam ex inſtitutione Dei. Quare quemadmodum in caſibus iis, quibus Ramanus Pontifex diſſolvere poteſt matrimonium carnale ante ſui conſummationem, non diſpenſat in eo, niſi ex juſta, & urgenti cauſſa, idque tamquam Chriſti Vicarius in terra: ita etiam quoties legitima cauſſa occurrente diſpenſat circa matrimonium ſpirituale Epiſcopi cum propria Eccleſia, id ſolum agit, tamquam Vicarius Chriſti. Unde concludit Innocentius dicto Cap. *Inter corporalia*, verbis illis: *Et ideo tria hæc, quæ præmiſimus*, nimirum, translatio, depoſito, & ceſſio Epiſcoporum, *non tam Conſtitutione Canonica, quam inſtitutione Divina, ſoli ſunt Romano Pontifici reſervata*.

XXXVIII. Nec propterea negat Innocentius, auctoritatem transferendi Epiſcopos ſemel, aut iterum poſſe delegari a Romano Pontifice alicui Concilio Nationali, immo & Metropolitanis, ut fatetur ibi Innocentius, verbis illis: *Præſertim cum nec ſine auctoritate Romani Pontificis fiat ceſſio, vel dejectio memorata: qui ut hæc poſſent, ex Canone illo Metropolitanis indulſit*. Neque ulla ratio id vetat. Quin & ita factum nonnunquam fuiſſe, colligitur ex variis veterum teſtimoniis, & nominatim in noſtra Hiſpania, ubi in Conciliis, x. xii. ac xvi. Toletano, leguntur factæ translationes variæ Epiſcoporum, ut oſtenſum fuit Diſſert. xi. Excurſu v. inconſulto Romano Pontifice, verum non abſque aliquo S. Sedis privilegio, aut conceſſione antecedenti clauſa in hac Anteri Epiſtola, aliiſque diverſorum Pontificum ſupra indicatis; aut etiam ſpeciatim facta Eccleſiæ Hiſpanæ graviſſimæ, ac fideliſſimæ erga Romanam Eccleſiam.

XXXIX. Quarto patet exinde, quemadmodum Romanus Pontifex ad diſpenſandum licite, immo & valide, in iis quæ ſunt Juris Divini immediate, v. g. in matrimonio rato, & non conſummato, eget cauſſa gravi, & ſuo judicio ſufficiente, ad interpretandum voluntatem Divinam in caſu occurrente: ita & ad diſpenſandum cum Epiſcopo in vinculo conjugii ſpiritualis cum propria Eccleſia, per translationem, egere cauſſa gravi, & quæ ipſius judicio ſit ſufficiens. Alioqui diſpenſatio non modo illicita, ſed invalida etiam futura videtur, quemadmodum & circa matrimonium carnale; nam, ut audivimus ex Innocentio, vinculum ſpirituale fortius eſt. Itaque, neceſſum eſt, ut occurrat occaſio, ſive cauſſa, qua interveniente, Romanus Pontifex interpretari prudenter poſſit, nolle Deum in iis circumſtantiis, ut Epiſcopus permaneat in priori conjugio cum Eccleſia illa, ſed tranſeat ad regendam aliam, media diſpenſatione.

XL. Hæc autem cauſſa non eſt, aut major auctoritas Epiſcopi ex præſtantiore Eccleſia, aut major opulentia ex ditiore: quarum appetitio in Concilio Oecumenico Sardicenſi, & in tot Epiſtolis Pontificum, ambitioni, & avaritiæ adſcribitur. Sita itaque debet eſſe in cauſſa aliqua neceſſitatis, ſive utilitatis publicæ: quam commodius declarabimus mox in Excurſu ſequenti.

EX-

EXCURSUS IV.

Explanantur cauſſæ legitimæ ad juſtam tranſlationem Epiſcoporum exactæ, ſive ut Romanus Pontifex diſpenſet cum iis in ſolvendo priori conjugio ſpirituali. Eadem quoque conſideratio proponitur Principibus, & Conſiliariis, ne præſentent quemquam, niſi ex eiſdem cauſſis. Incommoda ex oppoſito ſecuta.

XLI. CUM omnis diſpenſatio, ut valida ſit, & licita, cauſſam rationabilem, ſeu proportionatam exigat, & præſertim diſpenſatio in iis, quæ ſunt Juris Divini; conſequens eſt, ut Romanus Pontifex nequeat diſpenſare in vinculo matrimonii inito ab Epiſcopo cum propria Eccleſia, per translationem ad aliam (idemque eſt de ceſſione) niſi juſta, & proportionata cauſſa adſit. Nimirum, Juris Divini eſſe id vinculum, ſatis conſtat ex dictis toto Excurſu præcedenti; ideoque Innocentius Papa III. Cap. *Inter corporalia*, citato dixit: *Tria hæc, quæ præmiſimus* (ſcilicet translatio, depoſitio, ac ceſſio Epiſcopi) *non tam Conſtitutione Canonica, quam inſtitutione Divina, ſoli ſunt Romano Pontifici reſervata*.

XLII. Cauſſa autem ſufficiens, & neceſſaria ad validam, licitamque diſpenſationem, illa ſolum eſt, qua exiſtente, poſſit Romanus Pontifex prudenter interpretari, nolle Deum in iis circumſtantiis, ut Epiſcopus permaneat ſub vinculo ſpiritualis matrimonii initi cum certa aliqua Eccleſia, ſed transferatur ad aliam, aut omnino cedat Epiſcopatu, mediante ipſius diſpenſatione. Nam aliter Epiſcopus vi prioris vinculi adſtringitur Jure Divino ad permanendum cum ſponſa ſua. Neque enim quæ Deus conjunxit (ut recte juxta verba Chriſti expendit Innocentius) poteſt homo ſeparare, ac proinde nec Romanus Pontifex, niſi tanquam Chriſti Vicarius, interpretetur prudenter, voluntatem ipſius eſſe, ut vinculum illud hic, & tunc relaxetur propter juſtam cauſſam occurrentem, & media diſpenſatione tollatur. Alioqui enim Jus, ac præceptum Divinum perſiſtit in poſſeſſione, obligatque omnino, donec, legitima diſpenſatione accedente, deſinat adſtringere; ut patet a ſimili in vinculo matrimonii carnalis.

XLIII. Prædicta autem cauſſa, ea ſolum eſſe poteſt, quam ſacri Canones, & Romani Pontifices ſæpiſſime declaratam habent, & nos late ex iis tota fere Diſſertat. præcedenti expoſuimus. Eæ autem ſunt generatim, utilitas, & neceſſitas Eccleſiæ. Nam ita exponunt, non modo Anterus, Evariſtus, & Calliſtus, Romani Pontifices, ac deinde Damaſus, Leo, Gelaſius, & Pelagius II. ipſorum Succeſſores: ſed etiam ſacri Canones ibidem laudati Excurſu VI. & poſtea in hac ipſa Diſſert. Excurſu I. ac ſæpe alias obiter. De neceſſitate jam ſæpe monuimus, illam eſſe, qua Epiſcopus aliquis rite ordinatus, citra culpam ſuam, non admittitur a populo, aut inde pellitur. Tunc enim auctoritate legitima promoveri poteſt ad aliam Eccleſiam, ut ſæpiſſime factum legitur omnibus fere ſæculis, & jam in ſuperioribus obſervatum relinquimus. Qualis autem ſit neceſſitas ſufficiens ad cedendum Epiſcopatu, declarat Innocentius III. Cap. *Niſi jam pridem*, *De renunciatione*: Neque id ſpectat ad Epiſtolam S. Anteri, in qua verſamur.

XLIV. Utilitatis nomine, & re, intelligitur profectus major ſpiritualis, qui prudenter ſperatur ex translatione Epiſcopi ad aliam Eccleſiam, *tamquam qui poſſit ibidem conſtitutis plus lucri conferre, & in cauſſa Religionis aliquid profectus proſpicere*, ut dicitur in Canone XIII. ſeu XIV. Apoſtolorum, juxta verſionem Dionyſii Exigui. Si enim non major fructus ſperetur prudenter, ſed æqualis, aut etiam minor; nulla eſt ratio diſpenſandi, nec interpretandi, Deum velle, ut iis circumſtantiis Epiſcopus deſerat priorem ſponſam, ſive Eccleſiam, quæ certum jus habet, ut a ſuo Epiſcopo regatur eſtque in poſſeſſione ſub regimine ipſius. Quare & in eodem Canone vetante tranſitum Epiſcopi, præmiſſum fuerat immediate, *niſi forte quis rationabili cauſſa compellatur*. Sive, ut vertit Gentianus Hervetus, *niſi ſit aliqua cauſſa rationi conſentanea, quæ eum cogat hoc facere*. Ubi autem non major fructus ſpiritualis ſperatur prudentibus conjecturis, manifeſtum eſt, nullam cauſſam rationabilem eſſe, quæ cogat, immo nec ſuadeat, ut transferatur.

XLV. Hinc palam evincitur, ſi inveniatur alius non Epiſcopus, ſed Sacerdos ſimplex, qui prudenter credatur, vel æqualem, vel majorem fructum ſpiritualem allaturus in ea majori Eccleſia, non licere ullatenus translationem alicujus Epiſcopi ad illam. Tunc enim nulla ratio eſt, quæ *cogat*, ſive *compellat* (ut juxta utramque verſionem accipiamus, quod Græce dicitur: εἰ μή τις εὔλογος αἰτία ᾖ, ἡ τοῦτο βιαζομένη αὐτὸν ποιεῖν.) ad translationem; permanetque vinculum matrimonii ſpiritualis initi ab Epiſcopo, cum ſua Eccleſia, quæ certe jus habet, ne ſponſo ſuo privetur, etiam ob majorem alterius utilitatem, ubi hæc haberi poteſt pariter per Sacerdotem alium nullo vinculo adſtrictum.

XLVI. Hujus autem majoris utilitatis judicem eſſe Epiſcopum ipſum, vetat idem Canon, dum ſubdit ſtatim: *Et hoc non a ſeipſo pertentet, ſed multorum Epiſcoporum judicio, & maxima ſupplicatione perficiat*. Quod & Sancti Pontifices jam laudati non ſemel monent. Cum enim nemo cenſeatur æquus arbiter in cauſſa propria, & privatus amor facile unumquemque abducat in id, quod majoris honoris, aut commodi eſt; fieri facile poſſet, ut Epiſcopus de ſua induſtria ſperaret plus utilitatis, quam prudenter expectare liceret. Itaque plures alios Epiſcopos judices eſſe vult Canon Apoſtolicus, ſicut & Romani Præſules, ejus majoris utilitatis; ipſorumque dumtaxat judicio, & *maxima ſupplicatione*, ſive *exhortatione* (ut vertit Hervetus, quod Græce habetur παρακλήσει) translationem fieri. Unde Pontifex Romanus, ad quem ſolum ſpectat jus transferendi, ut paullo ante vidimus in Innocentio III. in unaquaque regione per Miniſtros ſuos, ac deinde Romæ per conſultationem Dominorum Cardinalium inquirit diligenter cauſſas translationis; quamvis nonnunquam ſæculis præcedentibus id ſatis veroſimiliter indultum cenſeatur Epiſcopis nonunquam in nationali Concilio congregatis, ut patet ex Toletano X. XII. & XVI. ubi id factam legitur, & Decretum antea invenitur in Concilio Carthaginenſi IV. Canone XXVII. quod celebratum fuit a CCXIV. Epiſcopis anno CCCXCVIII.

XLVII. In provinciis autem illis, & regionibus,

nibus, ubi Principes ex indulto Sedis Apoſtolicæ habent jus præſentandi Epiſcopos, debent illi, & ipſorum Senatores, ſeu Miniſtri, quibus conſultatio, & propoſitio committitur, diligentiſſime incumbere, & nullius utilitatis, aut honoris intuitu, expendere eam majorem utilitatem, a quo prudenter ſperari valeat: nec proponere quemquam Epiſcopum ad novam aliam, ſive majorem Eccleſiam, ubi invenitur alius nondum Epiſcopus, a quo major, vel æqualis fructus, prudenter expectari poſſit. Alioqui enim injuriam irrogabunt priori Eccleſiæ, eruntque cauſſa, ut vinculum matrimonii ſpiritualis contractum ab ejus Epiſcopo, ſolvatur contra Jus Divinum, ſaltem quantum in ipſis eſt. Et certe cum Pontifex Romanus, & DD. Cardinales Romæ verſentur, procul diſſiti, nequeunt habere exactam notitiam meritorum, ac circumſtantiarum ſpecialium: ideoque deferre ſolent in ea parte Principibus, atque ipſorum Miniſtris, & Officialibus Sedis Apoſtolicæ deputatis ibidem ad rem attente exquirendam: veluti qui intra ditionem propriam cenſentur rem accurate examinare, & habere exploratam. Quare licet Pontifex bona fide diſpenſans in translatione, cui faciendæ credit veram, & legitimam cauſſam ſibi fuiſſe propoſitam, non peccet; proponentes tamen illam non vere, aut ſine diligenti, & maturo examine, ſunt rei violati præcepti Divini de non ſolvendo conjugio ſpirituali Epiſcopi cum propria Eccleſia, *niſi forte, quis cum rationabili cauſſa compellatur, tamquam qui poſſit ibidem conſtitutis plus lucri conferre, & in cauſſa Religionis aliquid profectus proſpicere &c.* ut eadem Apoſtolici Canonis verba reſumam.

XLVIII. Sunt & aliæ rationes urgentiſſimæ, ut non niſi raro, & ſolum ex urgenti admodum cauſſa, transferantur Epiſcopi, indicatæ a ſapientiſſimo magiſtro Dominico Soto, Lib. 3. *De juſtitia, & jure*, Quæſt. 6. Art. 2. poſt Concl. 9. §. *Verum ex hoc*. Placet illius verba exſcribere, ut ob oculos ſint DD. Conſiliariis, quorum muneris eſt proponere Principi Epiſcopos præſentandos Romano Pontifici ad aliam Eccleſiam: *Enimvero mutationes iſtæ, & aſcenſus, quam fieri poſſit, maxime cavendi ſunt: tum quod fomentum ambitioni ſumminiſtrant (ſunt enim in cauſſa, ut Epiſcopi ſemper ſint animi pendentes, & ſicut materia prima, nunquam ſua forma contenti: quare neque charam habere poſſunt ſponſam, neque juſtam illius gerere curam) tum quod non eſt Paſtori ætas in cognoſcendis, ſummutandiſque novis, ac novis gregibus tranſigenda.*

XLIX. Inſuper Lib. 10. ejuſdem Operis, *De juſtitia, & jure*, Quæſt. 2. Art. 4. expendens interrogationes Epiſcopo fieri ſolitas in ordinatione: *Vis ea, quæ ex Divinis Scripturis intelligis, plebem, & verbis docere, & exemplis? Vis B. Petro, ejuſque Succeſſoribus fidem, & obedientiam exhibere?* Subdit ex ſe prædictus Auctor: *Si votum facis* (ut D. Thomas ait) *non Pontifici tantum, ſed Deo votum fit. Atque adeo perpetuo vinculo obligatus reſtat Epiſcopus Eccleſiæ ſuæ, quam per annulum deſponſat. Quapropter divortium eſſet, ſi non cum illa perpetuo permaneret*. Quæ pariter DD. Conſiliarii conſiderare debent, ne ejus violationis voti, ac divortii complices ſint.

L. Accedit, quod jam alii obſervarunt, & experientia frequens docet, nonnullos Epiſcoporum, ob ſpem Sedis amplioris, avaros eſſe erga pauperes, dum ſibi congerunt pecunias ad ſumptus translationis faciendos, & fortaſſis ad eam obtinendam, interventu Potentiorum, quos demereri ſtudent obſequiis, doniſque. Ad hæc, ubi magis ætate gravantur, & vix poſſunt curam gerere minoris gregis, inſano auſu exoptant amplioris regimen ſuſcipere, ac propriæ conſcientiæ vim inferunt affectata quadam ſpe reportandi majorem utilitatem Eccleſiæ majori. Verum totum id ex ambitione dominandi, & avaritia ortum ducere, jam tredecim retro ſæculis monuit Oecumenica Synodus Sardicenſis, & puniendum decrevit acerbiſſima pœna negatæ iis communionis, etiam in extremo vitæ, ut vidimus num. 7. Caveant autem Principes, & Conſiliarii, ne forte conniventes, aut conſentientes eorum Epiſcoporum deſideriis, reatu ejuſdem criminis implicentur, & prædictorum malorum cauſſa exiſtant.

LI. Conſulto abſtinui in hac Diſſertatione ab allegandis recentioribus Theologis, quamvis præcipuos ipſorum legerim, circa Epiſcoporum translationes. Satis enim viſum eſt adire fontes ſacrorum Canonum, Decretorumque Sedis Apoſtolicæ, atque ea omnia expendere, & inde quidquid ſponte ſua fluit, colligere, prætermiſſis variis ſpeculationibus, & digreſſionibus, quæ rem magis obſcurant, quam exponunt. Et hæc ſatis fuerint circa Epiſtolam S. Anteri Papæ; utinam in Dei obſequium, Eccleſiæ utilitatem, & Epiſcoporum, plebiumque ſibi commiſſarum, ſpiritualem fructum ceſſura.

ADMONITIO AD LECTOREM.

LII. Quoniam ſtatim exhibenda eſt, ſervato temporum ordine, Epiſtola quædam S. Lucii Papæ ad Hiſpanos, viſum fuit præmittere geſta illius breviter indicata in pervetuſtis Codicibus membranaceis, quorum exemplar quoddam primo editum fuit Moguntiæ anno MDCII. deinde vero recuſum anno MDCIX. Antuerpiæ typis Plantinianis Balthaſaris Moreti, inter Opera Luitprandi, pag. 189. Porro in hac Vita Lucii fit mentio ejuſdem Epiſtolæ. Quapropter viſum utramque hoc loco exhibere, quoniam ambæ ad ſcopum noſtri Operis ſpectant.

S. LUCIUS.

LIII. *Lucius, Natione Romanus, ex patre Porphyrio, ſedit annos tres, menſes tres, dies tres; fuit autem temporibus Galli, & Voluſiani, uſque ad Valerianum III. & Gallienum. Hic primum fuit in exilio, poſtea ad Eccleſiam incolumis reverſus eſt: demum a Valeriano capite truncatur 1. Non. Martii. Hic ordinavit Epiſcopos ſeptem, Presbyteros quatuor, Diaconos quatuor. Hic propter malevolos, & Sacerdotum perſecutiones, conſtituit, ut duo Presbyteri, & tres Diaconi, Epiſcopum in omni loco non deſerant, ut juxta Apoſtolum, etiam ab his, qui foris ſunt, ſtudium habeatur, bonum conſervari teſtimonium; quod in Epiſtola, quam omnibus Galliæ, & Hiſpaniæ Epiſcopus deſtinavit, apud ipſos ſervari hortatus eſt. Conſtituit in eadem etiam, ut criminationes majorum natu, per alios non fiant, niſi per eos, qui crimina intendunt; & ipſi tales, ut digni ſint, & irreprehenſibiles appareant, & actis publicis ſe omni ſuſpicione, & inimicitiis carere doceant, & Fidem, ac con-*

verſationem irreprehenſibilem ſe ducere oſtendant. Et quia hoc fieri ante quoslibet judices interdum difficile animadvertit, ad alios Eccleſiaſticos judices, ubi major auctoritas fuerit, poſtulanti audientiam, non negandam eſſe, decrevit. Item in eadem, juxta Sanctorum Apoſtolorum, & eorum Succeſſorum Decretum, præcipiendo conſtituit; ut, ſi quilibet Metropolitanus Epiſcopus, niſi quod ad ſuam ſolummodo pertinet Parochiam, niſi conſilio, & voluntate omnium Comprovincialium Epiſcoporum extra aliquid agere tentaverit, gradus ſui periculo ſubjaceat, & quod egerit, irritum habeatur, & vacuum. Conſenſu etenim, & conſilio ſolummodo omnium provincialium Pontificum Metropolitano Epiſcopo licere conſtituit agere, & diſponere de eorum cauſſis, & Eccleſiis, & Clericis, atque ſæcularium neceſſitatibus, aut de communibus quibuſcumque negotiis agi neceſſe fuerit. Similiter de ipſis provincialibus ſtatuit, ut nihil eis ſegregatim, aut communiter abſque Metropolitano agere liceat, niſi de his ſolummodo quæ ad eorum proprias Parochias pertineat. Similiter Apoſtolica auctoritate præcepit, ut nullus Metropolitanus Epiſcopus abſque omnium Suffraganeorum ſuorum præſentia aliquorum eorū audiat cauſſas; alioquin irrita erunt, & ipſe cauſſam dabit pro facto. Item præcepit, ut per ſingulas provincias hoc Epiſcopi obſervent, ne poſteriores ſe prioribus ſuis præferant; ne eis inconſultis, niſi quantum ad propriam Parochiam pertinet, aliquid agant: ſed de communibus eorum cauſſis conſonam ſententiam proferant, & determinent; quia aliter acta, nullas vires habebunt, nec Eccleſiaſticæ reputabuntur. Item in eadem Epiſtola de expoliatione dotis, & oblationum Eccleſiarum conſultus, prius multis rationibus, & multorum auctoritate hoc genus invaſionis, & rapinæ ſacrilegium eſſe, oſtendit; poſtmodum & auctoritate, & Decreto Prophetarum, Apoſtolorum, eorumque Succeſſorum, & omnium Catholicorum Patrum exemplis, tales præſumptores, & Eccleſiæ raptores, atque ſuarum facultatum alienatores, a liminibus ſanctæ matris Eccleſiæ anathematizat, & damnat, & ſacrilegos eſſe, judicat; & non ſolum eos, ſed omnes eis conſentientes; quia non ſolum qui faciunt, ſed etiam qui facientibus conſentiunt, rei ſunt, & judicantur. Par enim pœna, & agentes, & conſentientes comprehendet. Hactenus ibi. In quibus memorantur ea ipſa, quæ continentur in Epiſtola ipſa Lucii ad Epiſcopos Galliæ, & Hiſpaniæ, ſtatim exhibenda.

EPISTOLA LUCII PAPÆ PRIMI

AD GALLIÆ, ATQUE HISPANIÆ EPISCOPOS.

Ad annum Chriſti CCLIII. vel circiter.

SUMMA CAPITUM.

UT duo Presbyteri, & tres Diaconi in omni loco Epiſcopo adhæreant, propter teſtimonium Eccleſiaſticum, & de accuſatione Epiſcoporum, & de unanimitatis concordia inter Metropolitanum, cæteroſque Epiſcopos, & ut raptores, atque Eccleſiaſticarum rerum ablatores, invaſores, alienatores, ut fures, & ſacrilegi anathematizentur.

I. *Occaſio reſcribendi Epiſcopis Galliæ, & Hiſpaniæ.*

II. *Ut Epiſcopi ſemper teſtes ſecum Presbyteros, ac Diaconos habeant.*

III. *De criminationibus Epiſcoporum, ſive majorum natu, & ut audientia ad majores perſonas appellantibus non negetur.*

IV. *Ut Metropolitanus ſine conſilio Epiſcoporum nihil agat, nec ipſi ſine illius, niſi quod ad proprias Eccleſias pertinet.*

V. *Ut Metropolitanus ſine Epiſcopis cauſam eorum non audiat.*

VI. *Ne poſteriores Epiſcopi prioribus ſe præferant, nec, eis inconſultis, aliquid agant.*

VII. *De iis, qui res Eccleſiæ, vel oblationes Fidelium auferunt, & qui eis conſentiunt.*

Dilectiſſimis Fratribus omnibus in partibus Occidentalibus,
tam in Galliis, quam in Hiſpaniis conſiſtentibus,
Lucius Epiſcopus in Domino ſalutem.

I. LIteras Dilectionis veſtræ, quas ad B. Petri Apoſtoli Sedem pro veſtra cauſſa * negotii miſiſtis, libenter ſuſcepimus, ſed de veſtris afflictionibus non modice contriſtati ſumus. Significaſtis enim, vos tam a quibuſdam, non rectam Fidem tenentibus, ſed erroribus implicitis, quam & ab aliis eos imitantibus, perſequi, & infamari, atque veſtras Eccleſias ſuis dotibus, & Fidelium oblationibus ſpoliari, veſtroſque Miniſtros nimis vexari, & ideo multos a vobis, & a recta Fide diſcedere, quoniam eis non poteſtis defenſionem impendere, nec ea, quæ neceſſaria ſunt, miniſtrare. Nolite mirari, Fratres, ſi vos malevoli,

* Sanctus Leo Epiſtola 28.

voli, & impii perſequuntur; cum ipſum Chriſtum, Caput noſtrum, ſint perſecuti. Unde & conſolatricem ipſam habetis veritatem, quæ ait: [Matth. 10.] *Si patrem familias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domeſticos ejus?* Ipſa iterum conſolans nos loquitur, dicens: [Joann. 15.] *Si de mundo fuiſſetis, mundus quod ſuum erat, diligeret: ſed quia non eſtis de mundo, ſed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.*

II. Propter tales, Fratres, hortamur vos, ſicut & in hac Sancta Eccleſia conſtitutum habemus, ut ſemper teſtes vobiſcum Sacerdotes, & Diaconos habeatis. Et licet conſcientia ſufficere poſſit propria, tamen [1. Tim. 3.] propter malevolos, juxta Apoſtolum, etiam *teſtimonium vos oportet habere bonum ab iis, qui foris ſunt.* Quoniam & in hac Sancta Sede [* De Conſec. Diſt. 1. Jubemus Apoſtolica auctoritate.] conſtitutum habemus, ut * duo Presbyteri, vel tres Diaconi in omni loco Epiſcopum non deſerant, propter teſtimonium Eccleſiaſticum.

III. Epiſcopi ergo non ſunt leviter accuſandi, vel detrahendi, quia [* Greg. Ep. 32. lib. XII.] injuria eorum ad Chriſtum pertinet, cujus vice, & legatione funguntur in Eccleſia. Unde nobis, & omnibus, qui nobiſcum ſunt in noſtro ſolatio, ſicut & olim factum invenimus, conſtitui placuit, ut criminationes majorum natu, per alios non fiant, niſi per ipſos, qui crimina [* Anianus Capite 25. Tit. 1. Lib. IX. Cod. Theod.] intendunt; * ſi tamen ipſi digni, & irreprehenſibiles apparuerint, & actis docuerint publicis, * omni ſe carere ſuſpicione, atque inimicitia irreprehenſibilem Fidem, ac converſationem ducere. [* Concil. Arelat. Cap. 11.] * Unde placuit, ut a quibuſcumque judicibus Eccleſiaſticis, * ad alios judices Eccleſiaſticos, [* Hadr. Coll. C. 9.] ubi eſt major auctoritas, ſi fuerit provocatum, audientia non negetur.

IV. Item conſtituimus, ſicut & a Sanctis Apoſtolis, eorumque Succeſſoribus decretum reperimus, ſi quis Metropolitanus Epiſcopus, niſi quod ſolummodo ad propriam pertinet Parochiam, ſine conſilio, & voluntate omnium Comprovincialium Epiſcoporum, * extra aliquid agere tentaverit, gradus ſui periculo ſubjacebit; & quod egerit, irritum habeatur, & vacuum. [* Concil. Carthag. III. c. 10. 3. q. 1. Nullus autem Primas, ſub nomine Caliſti ponitur ibi.] Sed quicquid de Comprovincialium Epiſcoporum [* Hadrian. Coll. C. 46.] cauſſis, eorumque Eccleſiarum, & Clericorum, atque ſæcularium neceſſitatibus, aut de quibuſcumque omnibus cauſſis agere, aut diſponere neceſſe fuerit, hoc cum omnium conſenſu Comprovincialium agatur Pontificum, non aliquo dominationis faſtu, ſed concordi, & humillima adminiſtratione, ſicut Dominus ait: [Matth. 20. Marc. 10. Matth. 23.] *Non veni miniſtrari, ſed miniſtrare.* Et alibi: *Qui major eſt veſtrum, erit miniſter veſter*, & reliqua. Similiter ipſi Comprovinciales Epiſcopi, cuncta cum ejus conſilio, niſi quantum ad proprias pertinet Parochias, agant, juxta Sanctorum conſtituta Patrum, ut uno animo, uno ore concorditer Sancta glorificetur Trinitas in Sæcula.

V. Similiter, auctoritate fulti Apoſtolica, præcipimus, ut nullus [* Hadr. Coll. C. 14.] Metropolitanus * Epiſcopus, abſque cæterorum omnium Comprovincialium Epiſcoporum inſtantia, aliquorum audiat cauſas eorum, quia irrita erunt, & ipſe cauſam pro facto dabit.

VI. Epiſcopi vero per ſuas Provincias obſervent, ne poſteriores ſe [* Concil. Milev. C. 13. Codex Afr. C. 86.] prioribus ſuis præferant: * nec eis inconſultis, niſi quantum ad propriam pertinet Parochiam, aliquid agant, ſed omnes de communibus eorum cauſis conſonam ſententiam proferant, & determinent, quoniam [* Hadr. Coll. C. 3.] aliter acta nullas vires habebunt, * nec Eccleſiaſtica reputabuntur. Bonum eſſet, Fratres, & valde Deum timentibus, & pie vivere volentibus neceſſarium, ſi intra Catholicam Eccleſiam nullius mali, aut infeſtationis alicujus, erga Domini Sacerdotes, aut juſte, & pie volentes vivere, germen exurgeret. Sed quia, prævalente invidia, quod deterius eſt, ſurgit, & creſcit, atque nimis ſe in omnes partes extendit, idcirco [* Servos. * Sacerdotes.] neceſſe eſt, illud Eccleſiaſtico, & Apoſtolico abſcindi mucrone, ne * ſervis Dei, ac Domini * Sacerdotibus valeat nocere, aut perdere.

Exhonoravit enim Dominus, ut in Eccleſiaſtico legitur Libro, *conventus malorum, & deſtruxit eos Deus uſque in finem. Sedes Ducum ſuperborum deſtruxit Deus, & ſedere fecit mites pro eis. Radices gentium ſuperbarum areſecit Deus, & plantavit humiles ex ipſis gentibus. Terras gentium evertit Dominus, & perdidit eas uſque ad fundamentum. Areſecit ex ipſis, & diſperdidit eos, & ceſſare fecit memo-*

*moriam eorum de terra. Perdidit Deus memoriam ſuperborum, & reliquit memoriam humilium ſenſu. Non eſt creata hominibus ſuperbia, neque iracundia nationi mulierum. Semen hominum honorabitur hoc, quod timet Deum: ſemen autem hoc exhonorabitur hominum, quod præterit mandata Domini. In medio fratrum, rector illorum in honore, & qui timent Dominum, erunt in oculis illius. Gloria divitum honoratorum, & pauperum, timor Dei eſt. Noli deſpicere hominem juſtum pauperem, & noli magnificare virum peccatorem divitem. Magnus, & Judex, & potens eſt in honore; & non eſt major illo, qui timet Deum. Servo ſenſato liberi ſervient, & vir prudens, & diſciplinatus non murmurabit correptus, & inſcius non honorabitur. Noli te extollere in faciendo * opera tua, & noli cunctari in tempore anguſtiæ. Melior eſt, qui operatur, & abundat in omnibus, quam qui gloriatur, & eget pane. Fili, in manſuetudine ſerva animam tuam, & da illi honorem ſecundum meritum ſuum. Peccantem in animam ſuam quis juſtificabit? Et quis honorificabit exhonorantem animam ſuam? Pauper gloriatur per diſciplinam, & timorem ſuum: & eſt homo, qui honorificatur propter ſubſtantiam ſuam. Qui autem gloriatur in paupertate, quanto magis in ſubſtantia, & qui gloriatur in ſubſtantia, paupertatem vereatur. Sapientia humiliati exaltabit caput illius, & in medio magnatorum conſidere illum faciet.*

* Opere tuo, vel opus tuū.

Eccl. 11.

Non laudes virum in ſpecie ſua, neque ſpernas hominem in viſu ſuo. Brevis in volatilibus apis, & initium dulcoris habet fructus illius. In veſtitu ne glorieris unquam, nec in die honoris tui extollaris, quoniam mirabilia opera Altiſſimi ſolius, & glorioſa, & abſconſa, & inviſa opera illius. Multi tyranni ſederunt in throno, & inſuſpicabilis portavit diadema. Multi potentes oppreſſi ſunt valde, & glorioſi traditi ſunt in manus alterorum. Priuſquam interroges, ne vituperes quempiam: & cum interrogaveris, corripe juſte. Priuſquam audias, non reſpondeas verbum, & in medio ſeniorum ne adjicias loqui. De ea re, quæ te non moleſtat, ne certeris, & in judicio peccantium ne conſiſtas. Fili mi, ne in multis ſint actus tui, & ſi dives fueris, non eris immunis a delicto. Si enim ſequutus fueris, non apprehendes, & non effugies, ſi præcurreris. Eſt homo laborans, & feſtinans, & dolens impius, & tanto magis non abundabit. Eſt homo marcidus, egens recuperatione, plus deficiens virtute, & abundans paupertate: & oculus Dei reſpexit illum in bono, & erexit illum ab humilitate ipſius, & exaltavit caput ejus, & mirati ſunt in illo multi, & honoraverunt Deum. Bona, & mala, vita, & mors, paupertas, & honeſtas a Deo ſunt. Datio Dei permanet juſtis: & profectus illius ſucceſſus habebit in æternum. Eſt qui locupletatur parce agendo, & hæc pars mercedis illius in eo, quod dicit. Inveni requiem mihi, & non manducabo de bonis meis ſolus: & neſcit, quod tempus prætereat illum, & relinquet omnia aliis, & morietur.

* opere.

*Sta in teſtamento tuo, & in illo colloquere, & in * opera mandatorum tuorum veteraſce. Ne manſeris in operibus peccatorum. Confide autem in Deo, & mane in loco tuo. Facile eſt enim in oculis Dei ſubito * honeſtari pauperem. Benedictio Dei in mercedem juſti feſtinat, & in honore veloci proceſſus illius * juſtificat. Ne dicas, quid eſt mihi opus? &, quæ erunt mihi ex hoc bona? Nec dicas, ſufficiens mihi ſum, & quid ex hoc peſſimabor? In die bonorum, ne immemor ſis malorum, & in die malorum, ne immemor ſis bonorum: quoniam facile eſt coram Deo in die obitus retribuere unicuique ſecundum vias ſuas. Malitia horæ oblivionem facit luxuriæ magnæ: & in fine hominis denudatio operum illius. Ante mortem ne laudes hominem quemquam, quoniam in filiis ſuis agnoſcitur vir. Non omnem hominem inducas in domum tuam: multæ enim inſidiæ ſunt doloſi. Sicut enim eructant præcordia * fœtantium, & ſicut perdix inducitur in caveam, & ut caprea in laqueum: ſic & cor ſuperborum, & ſicut perſpector videns caſum proximi ſui.*

* honeſtare.

* Fructificat

* Fœtentium.

*Bona in * malum convertit inſidiator, & in electis ponit maculam. A ſcintilla una augetur ignis, & ab uno doloſo augetur ſanguis.*

* *Mala convertens inſidiatur.*

*Homo vero peccator ſanguini inſidiatur. Attende tibi a peſtifero: fabricat enim mala, ne forte inducat ſuper te ſubſannationem in perpetuum. Admitte ad te alienigenam, & ſubvertet in turbine, & abalienabit te a * tuis propriis.* Tales, chariſſimi, valde ſunt cavendi, uſquedum aut convertantur, aut abſcindantur verbo divino. *Beatus autem eſt ille, qui non eſt lapſus in verbo ex ore ſuo, & non eſt ſtimulatus in triſtitia delicti. Felix qui non habet animi ſui triſtitiam, & non * abſcedit a ſpe ſua. Scriptum eſt enim: Melior eſt unus timens Deum, quam mille impii.* Sapiens vero non * eſt omnis qui nocet.

*Viis. — *Eccl.* 14. — * Excidit. — *Eccl.* 16. — 6. Q. 1. *ſapiens n n eſt.* & ſupra in Decret. Cornelii 6. — * Xyxti ſent. 292.

VII. Res quoque Eccleſiarum veſtrarum, & oblationem Fidelium, quas ſignificaſtis a quibuſdam irruentibus vexari, vobiſque, & Eccleſiis veſtris auferri, indubitanter maximum eſt peccatum; teſtante * ipſa Scriptura, quæ ait: *Qui abſtulerit aliquid patri, vel matri, & dicit, hoc non eſſe peccatum, homicidæ particeps eſt.* Pater ergo noſter ſine dubio Deus eſt, qui nos creavit: & mater noſtra Eccleſia, quæ nos in Baptiſmo ſpiritualiter generavit. Et ideo qui Chriſti pecunias, & Eccleſiæ aufert, fraudat, & rapit, homicida * in conſpectu juſti judicis eſſe deputabitur. Unde ſcriptum eſt: *Qui rapit pecuniam proximi ſui, iniquitatem facit.* Qui autem pecunias, vel res Eccleſiæ abſtulerit, ſacrilegium facit. Unde & Judas, qui pecuniam fraudavit, quæ uſibus Eccleſiæ, ideſt pauperibus, quos Eccleſia paſcere debet, diſtribuebatur juſſu Salvatoris (cujus vicem Epiſcopi tenent) non ſolum fur, ſed fur, & * ſacrilegus factus eſt.

*S. Bonif. Ep. 19. — *Prov.* 28. — 17. Q. 4. *qui rapit.* — * *S. Greg. Ep.* 36. *Lib.* 2. — *Joan.* 13. — *S. Hieron. Ep.* 2. — * *S. Auguſt. tract.* 50. *in Joann.*

De talibus enim, ideſt, qui facultates Eccleſiæ rapiunt, fraudant, vel auferunt, Dominus comminans omnibus, per Prophetam loquitur, dicens: *Deus, ne taceas tibi, ne ſileas, & non quieſcas, Deus. Quia ecce inimici tui tumultuati ſunt, & qui oderunt te, levaverunt caput. Contra populum tuum nequiter tractaverunt, & inierunt conſilium adverſum arcanum tuum. Dixerunt: venite, & conteramus eos de gente, & non ſit memoria nominis Iſrael ultra; quoniam tacuerunt corde, pariter contra te fœdus pepigerunt tabernacula Idumææ, & Iſmaelitarum, Moab, & Agareni, Gebal, & Ammon, & Amalec, Palæſtina cum habitatoribus Tyri. Sed & Aſſur junxit ſe cum eis, facti ſunt brachium filiorum Lot. Facilis ſicut Madian, ſicut Siſaræ, ſicut Jabin in torrente * Ciſon. Contriti ſunt in Endor, fuerunt quaſi ſterquilinium terræ. Pone Duces eorum, ſicut Oreb, & Zeb, ſicuti Zebee, & Salmana. Omnes principes eorum, qui dixerunt: Poſſideamus nobis pulchritudinem Dei: Deus meus pone illos ut rotam, quaſi ſtipulam ante faciem venti. Quomodo ignis comburit ſilvam, & ſicut flamma devorat montes, ſic perſequeris eos in tempeſtate tua, & in tuo turbine turbabis eos. Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine. Confundantur, & conturbentur uſque in æternum, & erubeſcant, & pereant: & ſciant, quia nomen tuum Dominus, ſolus tu excelſus ſuper omnem terram.*

Pſal. 82. *ex interp. S. Hieronymi diverſa a vulgata.* — *Ciſon.

Hæc fieri Prophetæ, hæc Apoſtoli, hæc Succeſſores eorum, & omnium Catholicorum Patrum vetant Decreta, & tales præſumptiones, * ſacrilegium eſſe dijudicant. Quorum nos ſequentes exempla, omnes tales præſumptores, & Eccleſiæ raptores, * atque ſuarum facultatum alienatores, una vobiſcum a liminibus Sanctæ Matris Eccleſiæ anathematizatos, Apoſtolica auctoritate pellimus, & damnamus, atque ſacrilegos eſſe judicamus. Et non ſolum eos, ſed omnes conſentientes eis: *Quia non ſolum qui faciunt, rei judicantur, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.* Par enim pœna, & agentes, & conſentientes comprehendit. *Vos ergo, Fratres, vigilate, & orate. Viriliter agite, & confortamini in Domino, & omnia veſtra*, juxta Apoſtolum, *in charitate fiant.*

* Sacrilegia judicant. — *17. Q. 4. *Omnes raptores.* Hincm. Ep. 8. edit. Mogunt. Concil. Cariſiacéſe in Ep. ad Epiſcopos Galliæ. — *Rom.* 1. — *Matth.* 26. — *Corinth.* 16. — 14. Q. 1. *A recta ergo*, & in Decret. Felicis Papæ.

A recta ergo Fide, & Apoſtolico tramite propter ullam * perſecutionem nolite recedere, ſcientes, quia (juxta Salvatoris ſententiam) *beati ſunt, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam.* Hæc eſt Apoſtolorum viva traditio, * hæc vera charitas, quæ prædicanda eſt, & præcipue diligenda, ac fovenda, atque fiducialiter ab omnibus tenenda. Hæc Sancta, & Apoſtolica Mater omnium Eccleſiarum Chriſti Eccleſia, quæ per Dei Omnipotentis gratiam a tramite Apoſtolicæ traditionis nunquam erraſſe probatur, nec hæreticis novitatibus * depravanda ſuccubuit: ſed, ut in exordio normam Fidei Apoſtolicæ percepit ab Auctoribus ſuis, Apoſtolorum Chriſti Prin-

*Perturbationem. — *Matth.* 5. — * Agatho ad Imp. Conſt. act. 6. Concilii CP. adverſus Monothelitas. — * depravata.

Principibus, illibata ſine tenus manet, ſecundum ipſius Domini Salvatoris divinam pollicitationem, qui Diſcipulorum ſuorum Principi in ſuis fatus eſt Evangeliis, *Petre*, (1) inquiens, *ecce Satanas expetivit, ut cribraret vos, ſicut qui cribrat triticum. Ego autem pro te rogavi, ut non deficiat Fides tua, & tu aliquando converſus, confirma Fratres tuos.*

Conſideret itaque veſtra excellens prudentia, quam bonum ſit, perſiſtere in diſpenſatione vobis credita, & in Fide recta, atque Hæreticis, & æmulis Chriſti repugnare, & nunquam a veritatis tramite declinare: quoniam Dominus, & Salvator omnium, cujus Fides eſt, qui pro nobis mori non dubitavit, & proprio nos ſuo redemit Sanguine, Fidem B. Petri non defecturam promiſit, & confirmare eum Fratres ſuos admonuit: quod Apoſtolicos Pontifices, meæ exiguitatis Prædeceſſores, confidenter feciſſe ſemper, cunctis eſt cognitum. Quorum & puſillitas mea, licet impar, & minima, pro ſuſcepto tamen divina dignatione miniſterio, pediſſequa cupit exiſtere.

Væ enim erit nobis, qui hujus miniſterii onus ſuſceptum habemus, ſi veritatem Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, quam Apoſtoli prædicaverunt, prædicare neglexerimus (2). Væ erit nobis, ſi ſilentio veritatem oppreſſerimus, quam erogare nummulariis jubemur (3), ideſt, Chriſtianos populos imbuere, & docere. Quid in ipſius Chriſti futuro dicturi ſumus examine, ſi Sermonum ejus veritatem confundimur prædicare? Quid erit de nobis, cum de commiſſis nobis animabus, & de officio ſuſcepto, rationem juſtus Judex Chriſtus Dominus noſter diſtrictam exegerit? Ideo, Fratres, hortor * dilectionem veſtram, obteſtor, & moneo, ut qua debetis, & poteſtis ſolicitudine, vigiletis ad inveſtigandos Hæreticos, & inimicos Sanctæ Dei Eccleſiæ, & a ſanis mentibus, ne peſtis hæc latius divulgetur, ſeveritate, qua poteſtis, pro viribus extirpetis; quoniam, ut habebit a Deo dignæ remunerationis præmium, qui diligentius, quod ad ſalutem commiſſæ ſibi plebis proficiat, fuerit exequutus: ita ante tribunal Domini de reatu negligentiæ ſe non poterit excuſare, quicumque plebem ſuam contra ſacrilegæ perſuaſionis Auctores noluerit cuſtodire. Data Kalendis Aprilis, Gallo & Voluſiano Viris Clariſſimis Conſulibus.

DISSERTATIO DECIMATERTIA.

An Epiſtola hæc Sacti Lucii germana ſit, an potius ſuppoſititia, prout aliqui eruditorum ſuſpicantur.

I. Cenſeo, non eſſe facile ſuppoſitionis damnandam, utpote quam tot ſæculis Eccleſia recepit inter alias Pontificum, ac perpetuo venerata fuit, quamvis hoc ſæculo nonnullis hominibus eruditis, etiam Catholicis, appareat ſuppoſita. Unde in editione noviſſima Conciliorum Philippi Labbe, & Gabrielis Coſſartii Tomo I. col. 721. initio hæc ipſi nota loutitur ad marginem: *Suſpecta eodem jure cum aliis Iſidori mercibus*. At quibuſnam, rogo, ſuſpecta? Nulli antiquorum: deinde ex recentioribus, non Turriano, non Antonio Auguſtino, non Baronio, nec Binio, non Sauſſajo, nec Franciſco Macedo in *Aſſertore Romano*, Vindicia III. Cap. 3. Sectione 1. pag. 130. nec Joanni Doujat, cujus Prænotionas Canooicas Pariſiis editas anno 1687. poſt hæc ſcripta legere licuit Lib. 2. Cap. 26. num. 18. Non denique aliis plurimis, niſi paucis quibuſdam, & delicatis nimium, qui ob unam, aliamve difficultatem occurrentem, & enodatu facilem, non dubitant hujuſmodi ſacris, & venetandis inſtrumentis nigrum theta præfigere, illaque arguere, aut νοθείας, aut interpolationis ſaltem.

II. Præcipuum caput, unde litem intentant, ſumitur ex die, & Conſulatu, in quo Epiſtola ad finem data dicitur. Nimirum ibidem legitur: *Data Kalendis Aprilis, Gallo, & Voluſiano Viris clariſſimis Conſulibus*. Ubi recentiores ad oram ſcribunt: *Anno CCLII. vivente adhuc Cornelio*. In quo ſupponunt, Epiſtolam fuiſſe ſcriptam anno CCLII. & Cornelium tunc Pontificem: ac proinde colligunt, nullum eſſe locum, ut eodem tempore Lucius eſſet Pontifex, & veluti talis ſcriberet.

III. Sed enim imprimis incertum eſt, nec ex ea Epiſtola conſtat, quo anno ſcripta fuerit; cum Gallus, & Voluſianus ſimul tribus annis Conſulatum geſſerint intra Pontificatum Cornelii, & Lucii, continuata ſerie. Deinde juxta chrono-taxim Baronii, Cornelius electus fuit Pontifex anno CCLIV. & Lucius anno CCLV. ante cujus initium iidem Conſules jam occiſi fuerant. Juxta Catalogum autem vetuſtiſſimum Bibliothecæ Vaticanæ, quem initio fere hujus noſtri Tomi edidimus, Cornelius Papa perhibetur electus anno CCLI. & Lucius anno CCLII. quo certe juxta Faſtos Onuphrii, ab aliis correctos, iidem Gallus, & Voluſianus primum Conſulatum gerebant. Porro inita hac ratione, facile intelligitur, quod Epiſtola data fuerit iiſdem Coſs. anno ipſo CCLII. Quod ſi vero ponatur vivens adhuc Cornelius uſque ad diem 14. Septembris, fatemur, non eſſe locum, ut Lucius Kalendis Aprilis ejuſdem anni Literas dederit tanquam Pontifex. Nihil autem vetat, ut anno ἀμέσως ſequenti 253. illas dederit, quo certe iidem

(1) *Luc.* 22. (2) 1. *Corinth.* 9 (3) *Matth.* 25. Luc. 16. * S. Leo Ep. 2. adverſus Manichæos.

iidem Gallus, & Voluſianus ſecundum Conſulatum inierunt. Idemque eſt adhuc de Conſulatu tertio illorum anno CCLIV. ſere ex integro. Nam non niſi circa finem ejuſdem anni occiſi ſunt, ſuccedentibus in locum ipſorum Valeriano, & Gallieno. Statuta autem hac chrono-taxi, difficultas objecta evaneſcit.

IV. Juxta opinionem autem Baronii, & aliorum, Cornelius electus fuit anno CCLIV. inter Paſcha, & initium Maji, ac tribus annis, & decem diebus Eccleſiam rexit, uti legitur apud Librum Pontificalem Damaſo adſcriptum. Alii vero illi tribuunt unum annum, menſes quinque, & dies quatuordecim, ut propterea anno CCLV. die 14. Septembris palmam Martyrii conſecutus fuerit. Lucius vero electus fuit Pontifex poſt triginta quinque dies (ut emendatiores Codices a Baronio laudati habent) nimirum anno eodem CCLV die viceſima Octobris. Unde Epiſtolam præjactam potuit ſcribere anno CCLVI. proxime ſequenti, Kalendis Aprilis. Nam tunc Pontifex erat, etiam juxta opinionem Euſebii Cæſarcenſis, qui octo menſes ſolum ipſi in Pontificatu tribuit: quanto magis juxta Baronium, qui unum annum, quatuor menſes, & duodecim dies fuiſſe vult; aut juxta citatam Librum Pontificalem Damaſi, porrigentem ejus regimen uſque ad tres annos, menſes tres, & dies tres? Quod certe conſonat præcipuis, & antiquiſſimis Italiæ Codicibus a V. Cl. Luca Holſthenio collatis cum Romano exemplari. Porro in Chronico Dextri nomine edito dicitur anno CCLVI. *Lucius Papa tenet, regitque Eccleſiam Romanam*. Ubi Bivarius in Commentariis pag. 287. monet, Dextri teſtimonio Lucium anno CCLVI. non dici Pontificatum iniiſſe, aut abſolviſſe, ſed ſolum Eccleſiam rexiſſe. At enim quam mali commatis ſit Chronicon illud, nec aliud præſeferens, quam ſolia ficus, fructu fere vacua, jam ſæpe monui variis locis, & antea obſervarunt plures Viri doctiſſimi intra, & extra Hiſpaniam.

V. Verum oppones (inito eodem computo Card. Baronii) anno CCLVI. Kalendis Aprilis non fuiſſe Conſules Gallum, & Voluſianum, ſed Maximum, & Valerianum, qui hoc anno primum ſuum Conſulatum geſſit, ſequenti vero ſecuodum, ut colligit Baronius ex antiquis numiſmatum Inſcriptionibus. Ergo fieri non potuit, ut Lucius Epiſtolam ſcriberet anno CCLVI. Kalendis Aprilis, Gallo, & Voluſiano Conſulibus, ut in ea dicitur. Quod ſi vero aliquis contendat, datam fuiſſe anno CCLV. Kalendis Aprilis; id eſt manifeſte falſum, cum adhuc viveret S. Cornelius Papa; idemque eſt, ſi retrahatur ad annos præcedentes.

VI. Reſpondeo juxta eam chrono-taxin, anno ipſo CCLV. quo Lucius electus fuit Pontifex die viceſima Octobris, Conſules fuiſſe Gallum, & Voluſianum, ſub quibus Epiſtola Lucii data ſcribitur. Ut enim colligitur ex antiquis Inſcriptionibus apud Hubertum, atque Adolphum, laudatis a Baronio, Gallus, & Voluſianus Augg. eo anno CCLV. Conſules fuerunt. Si eorum Conſulatus perduravit uſque ad Kalendas Aprilis CCLVI. (juxta ea, quæ præmiſimus Diſſert. X. num. 9.) ceſſat prorſus difficultas, & omnia ſibi conſonant. Si autem ponantur eo die jam functi Conſulatu, & utrique ſucceſſiſſe Maximus, ac Valerianus; in locum *Aprilis*, ſubſtituere oportet alium menſem ex præcedentibus anni ejuſdem CCLVI. vel Novembrem, aut Decembrem anni anterioris CCLV. cujus Octobri inclinante electum fuiſſe Lucium dicunt. Itaque data ea hypotheſi, erratum dumtaxat irrepſit circa menſem. Quod ſane leve eſt, & paſſim contingens in vetuſtis inſtrumentis, quorum αὐθεντία vix ab aliquo in dubium vocatur, ne quidem eorum, qui ſe circa priſcorum Puntificum Epiſtolas, Ariſtarchos, aut ſeveros judices exhibent. Neque operæ pretium eſt indicare exempla, cum innumera occurrant apud Hiſtoricos, tum noſtrates, tum exteros, poſt quos omnes ingenti Reipublicæ literariæ bono Joannes Mabillon nuperrime edidit magnum, & aureum Opus *De Re Diplomatica*; ſimiliter & Papebrochius *Propylæum* ſuum ad Acta Sanctorum Maji, ſeu *Conatum Cronologico-hiſtoricum*; ex quorum regulis, & obſervationibus variis, internoſci, & diſcerni poſſint Diplomata, Scripturæ, & Privilegia vera a falſis, ſuppoſitiſque.

VII. Hactenus occurrendum cenſui difficultati propoſitæ, juxta computum Card. Baronii. Si autem ſequamur chrono-taxin Onuphrii, & aliorum, nodus idem facilius extricabitur. Juxta illam enim Cornelius fuit electus Pontifex, Decio Augusto III. & Q. Herennio Coſs. id eſt, anno CCLI. inter Paſcha, & initium Maji. Si autem Pontifex fuit unico anno, & quinque menſibus (ut volunt multi) mors Cornelii fuit 14. Septembris anni CCLII. immediate ſequentis; atque electio Lucii die viceſima Octobris ejuſdem anni, in quo vere Conſulatum geſſerunt II. Gallus, & Voluſianus, prout in fine præjactæ Epiſtolæ habetur. Quare ceſsat prorſus objecta difficultas ex ea parte. Aliunde vero reſtat ſcrupulus ex plurimis Catalogis Pontificum veteribus, nuper editis a D. Schelſtrate, in quibus fere omnibus tribuuntur Cornelio duo anni Pontificatus: ut proinde Lucius non fuerit electus Pontifex eo anno CCLII. quo Conſules erant Gallus II. & Voluſianus, ſed ſequenti CCLIII. Verum facile occurritur huic difficultati: quoniam anno CCLIV. iidem Gallus, & Voluſianus, III. geſſerunt Conſulatum, ac proinde locus fuit, ut eo durante ſcriberet Lucius Kalendis Aprilis.

VIII. Magis urgere videtur, quod plurimæ periodi hujus Epiſtolæ legantur totidem fere verbis, apud Scriptores tempore poſteriores, quorum loca indicavimus ad oram ejuſdem Epiſtolæ; ut propterea ad ejus γνησιότητα ſtabiliendam oporteat divinare, & tribuere Lucio Papæ ſpiritum propheticum, quo anteverterit, & dictaverit verba ipſa Scriptorum, qui ipſius tempore nondum nati fuerant. Huc enim ſpectant marginales illæ citationes S. Leonis, S. Gregorii, Codicis Theodoſiani, Conciliorum Arelatenſis, Carthaginenſis III. & Milevitani, Agathonis, & Adriani Pontificum, atque Hincmari Rhemenſis Præſulis.

IX. Huic argumento, quo præfidenter, ac ſæpe utuntur hypercritici recentiores, ut pleraſque Epiſtolas veteribus Pontificibus adſcriptas exſibilent, jam ſatis occurrimus ſupra Diſſert. IV. Excurſu II. per totum. Quare juxta dicta ibidem ſatis ſit monere hoc loco, potius exiſtimandum, Scriptores Lucio poſteriores mutuaſse ab ipſo verba, & venerationis cauſa

ſuis

Digitized by Google

ſuis lucubrationibus inſeruiſſe (ut ſæpe alias factum conſtat) quam ea fuiſſe Lucio ſuppoſita, aut aſſuta ipſius Epiſtolæ. Reliqua ibidem dicta evolve, ne eadem inculcare cogamur.

X. Quod attinet verba Pſalmi 82. citata in eadem Epiſtola juxta verſionem Sancti Hieronymi diverſam a vulgata Pſalmorum, non urget. Neque enim propterea cogimur dicere, Iſidorum Collectorem affinxiſſe Lucio verba ipſa verſionis longe poſtea publici juris factæ a maximo Doctore. Quin potius fieri omnino potuit, ut ille verſionem ejus Pſalmi jam olim receptam in Eccleſia, & laudatam a Lucio Papa, evulgaret. Vide loco citato num. 20. & ſeqq. plura alia huc ſpectantia.

XI. Denique alia argumenta, quæ difficultatem ingerare poſſent circa αὐθεντίαν hujus Epiſtolæ, cum vulgaria ſint, & in ſuperioribus ſoluta, præſertim Diſſert. IV. nuper allegata, non eſt, quod hoc loci recoquantur. Si quid evincunt, ad ſummum erit, quod interpolata ſit centonibus quibuſdam aſſutis ab aliquo ſciolo, vel parachroniſmo quopiam temere intruſo, ſalva remanente medulla, ſive ſubſtantia, ut ita loquar, totius Epiſtolæ. Circa quod recole dicta ibidem, præſertim num. 100. & 101. Neque enim nobis animus fuit, aut eſt, vetera illa Pontificum monumenta ita tueri, ut omnino negemus, illorum exemplaribus ſordes aliquas, & nævos tot ſæculorum curſu irrepſiſſe. Sic certe contigit plurimis aliis, quibus tamen omnes Viri docti, & ipſi recentiores nobis adverſantes (præſertim ubi e re ſua eſſe intelligunt) exploratam fidem habent.

XII. Sane Lucium Papam, non unam, ſed plures Epiſtolas Decretales ſcripſiſſe, conſtat aperte ex S. Cypriano ipſius ſynchrono Epiſt. 67. ajente: *Illi enim* (nimirum Lucius, & Cornelius Romani Pontifices) *pleni Spiritu Dei, & in glorioſo martyrio conſtituti, dandam eſſe lapſis pacem, cenſuerunt; & pœnitentia acta, fructum communicationis, & pacis, non eſſe negandum, literis ſuis ſignaverunt.* Sicuti autem Lucius Epiſtolas de eo argumento ſcripſit, quæ non extant: cur non etiam ſcripſerit hanc, quæ a mille octoginta, ut minimum, annis extitiſſe convincitur ex ipſa Collectione Iſidori, facta paullo poſt Concilium II. Hiſpalenſe celebratum anno DCXIX.? Nimirum, jam ſupra Diſſert. I. oſtenſum fuit ex antiquiſſimis exemplaribus ejuſdem Collectionis, omnes eas veteres Epiſtolas veterum Pontificum, quotquot detegi ab Iſidoro Hiſpalenſi potuerunt, uſque ad tempora S. Gregorii Magni, compilatas ibidem fuiſſe, ac proinde Lucianam hanc, in qua verſamur.

XIII. Falſi vero ſunt quicumque cenſuerunt, Epiſtolam LXXIX. juxta editionem Rigaltii, alias ſeptimam Libri tertii, extantem apud Cyprianum ipſum, nomine Lucii inſignitam, fuiſſe ſcriptam ab eodem Lucio Papa. Conſtat enim, quendam alium Epiſcopum, Lucium nomine, ejus auctorem fuiſſe, ut recte monuit Baronius ad annum CCLVII. num. 4.

XIV. Denique Lucium Pontificem ſcripſiſſe hanc Epiſtolam vere ad Epiſcopos Galliæ, & Hiſpaniæ, non ſolum conſtat ex omnibus Collectionibus Epiſtolarum Decretalium factis a tempore Sancti Iſidori uſque modo, decurſu undecim circiter ſæculorum, ſed etiam ex ejuſdem Lucii Vita ſupra num. 53. exhibita, juxta antiquiſſima exemplaria, præſertim verbis illis: *Duo Presbyteri, & tres Diaconi, Epiſcopum in omni loco non deſerant: ut juxta Apoſtolum, ab iis, qui foris ſunt, ſtudium habeatur conſervare* (fortean, *conſervandi*) *bonum teſtimonium. Quod in Epiſtola, quam omnibus Epiſcopis Galliæ, & Hiſpaniæ deſtinavit, apud ipſos ſervari, hortatus eſt.*

JOSEPHI CATALANI ADDITIO.

Quamquam eruditiſſimus Cardinalis de Aguirre omnem ſuam operam impenderit, ut Epiſtolam, quæ Lucii Papæ nomine circumfertur, datam ad Galliæ, & Hiſpaniæ Epiſcopos, genuinum eſſe ipſius Lucii fœtum probet, multiſque etiam argumentis oſtendere conetur; vix tamen id ſuadere Viris eruditis poterit, qui hanc Epiſtolam, aliaſque veterum Romanorum Pontificum uſque ad Siricium ſuppoſititias communiter cenſent, exceptis iis apud Euſebium, alioſque Patres extantibus. Ceterum quod Lucii Vitam ſpectat, Cornelio Papæ ob Chriſtum Martyrio coronato ſucceſſit Lucius, Porphyrii filius, Romanus anno 255. XIII. Kalendas Novembris. Ei & Pontificiam dignitatem, & reverſionem ab exilio, quo affectus eſt, Pontificatu vix inito, gratulatur S. Cyprianus Epiſtola 58. Idemque Epiſtola 67. ſcribit, ejus perinde, ac deceſſoris Cornelii ſtudium enituiſſe adverſus hæreticos Novatianos. Ita enim de utroque loquitur: *Illi pleni Spiritu Dei, & in glorioſo Martyrio conſtituti, dandam eſſe lapſis pacem conſuerunt, & pœnitentia acta, fructum communicationis, & pacis, negandum non eſſe, literis ſuis ſignaverunt.*

In Libro Pontificali legitur, ſtatutum a Lucio, ut duo Presbyteri, & Diaconi tres Epiſcopum uſque comitarentur, teſtes vitæ ejus, & actionum. Cujus Decreti ſanciendi cauſam dediſſe putantur calumniæ in Cornelium confictæ a Novatiano. Quemadmodum autem S. Evariſtus Papa, uti legitur in eodem Libro Pontificali, cavit, ut ſeptem Diaconi *cuſtodirent Epiſcopum prædicantem propter ſtylum veritatis*, teſtimonium ſcilicet veræ, ac ſanæ prædicatæ ab eo doctrinæ; ita Lucius duos Presbyteros, & Diaconos tres Epiſcopo comites adjunxit, *propter teſtimonium Eccleſiaſticam*, ut nimirum de Vita ejus, ac moribus, reſpondere malevolis, ac teſtari poſſint. Nam *propter malevolos, juxta Apoſtolum, oportet, Epiſcopum & teſtimonium habere bonum ab iis, qui foris ſunt*, ut eſt in Canone, *Jubemus*, De Conſecratione, Diſt. 1. ubi hoc Lucii Decretum recitatur, & quidem ex ſuperius deſcripta Epiſtola, quam Cardinalis de Aguirre egregie illuſtravit.

Teſte Baronio, & aliis, obiit Lucius anno Chriſti CCLVII. die IV. Martii, non quidem Martyr, ſed Confeſſor, ut notat Pagius in ejus Vita. Nomen enim ejus memoratur, non in Indiculo depoſitionis Martyrum, ſed in Indiculo depoſitionis Epiſcoporum apud Bucherium de doctrina temporum. Nec refert, quod dicatur Martyr a S. Cypriano in Epiſtola a Baronio anno CCLVII. recitata; nam ea modo loquendi illorum temporum, Lucius vocatur Martyr, quia pro Fide in exilium miſſus fuit, multaque pro ea pertulit. Notatus legitur in variis Martyrologiis, ut notat Georgius ad Martyrol. Adonis.

DIS-

DISSERTATIO DECIMAQUARTA.

De cauſſa Baſilidis Legionenſis, & Martialis Aſturicenſis, in Hiſpania Epiſcoporum, diſcuſſa hoc anno in Concilio Africano II. Præſide S. Cypriano ad annum circiter CCLVIII.

I. C*Elebris eſt apud Eccleſiaſticos Scriptores cauſſa utriuſque Epiſcopi indicati in epigraphe. Hæc vero varia eſt juxta diverſa exemplaria Epiſtolæ Sancti Cypriani poſtea exhibendæ. Communior eſt, quæ ita habet:* Cyprianus, Cæcilius, Primus, Polycarpus, Nicomedes, Lucianus, Succeſſus, Sedatus, Fortunatus, Januarius, Secundinus, Pomponius, Honoratus, Victor, Aurelius. Sattius, Petrus, alius Januarius, Saturninus, alius Aurelius, Venantius, Quietus, Rogatianus, Tenax, Felix, Fauſtus, Quintus, alius Saturninus, Lucius, Vincentius, Liboſus, Geminus, Marcellus, Jambus, Adelphius, Victoricus, & Paullus, Felici Præsbytero, & plebibus conſiſtentibus ad Legionem, & Aſturicæ, item Lælio Diacono, & plebi Emeritæ conſiſtentibus Fratribus in Domino ſalutem.

E X C U R S U S I.

Hiſtoria ejus controverſiæ deſumpta ex Epiſtola Sancti Cypriani ad Clerum, & plebes in Hiſpania conſiſtentes. Obſervationes nonnullæ circa illam.

II. POrro Epiſtola hæc in Chronico Dextri nomine edito refertur ad annum CCLV. hiſce verbis: *Felix Presbyter Vallatæ Urbicuæ in Vaccæis, ſcribit ad Cyprianum Carthaginenſem Epiſcopum in cauſſa Baſilidis Aſturicenſis Epiſcopi, illumque de maximis accuſat criminibus.* At enim permiſſo, id Chronicon Dextro Auctore prodiiſſe, annus congruit Catalogo vetuſtiſſimo Pontificum ſuperius edito, non autem chrono-taxi Cardin. Baronii. Nam ex dicendis illico, & ex Epiſtola S. Cypriani exhibenda paullo poſt, aperte conſtat, Felicem Presbyterum non ſcripſiſſe ad S. Cyprianum, niſi poſtquam Baſilides jam damnatus in Hiſpania, atque in ordinem rĕdactus, Romam contenderat ad Stephanum Papam, & ab eo circumvento impetraverat reſtitutionem in ſuam Eccleſiam Legionenſem, redieratque ad illam adminiſtrandam. In quo certe oportuit non modicum tempus inſumi. Cum vero juxta eandem chrono-taxim habeamus, Stephanum fuiſse electum Pontificem Romanum anno CCLVII. die nona Aprilis; conſequens eſt, ut Epiſtola Felicis nequidem eo anno ſcripta fuerit, ſed ſummum proxime ſequenti, in quo Valerianus tertium, & Gallienus ſecundum Conſulatum geſſit: ac proinde anno quarto Imperii utriuſque, juxta calculum laudati Baronii eo loco, cujus verbis rem enarrare placet, aut ex toto, aut in maximam partem erutis ex laudata Cypriani Epiſtola.

III. Accidit, inquit, in Hiſpania, ut Baſilides, & Martialis, quorum alter Legionenſis, alter Aſturicenſis Eccleſiæ Epiſcopus erat, amboque libellatici lapſi, non ſolum in Eccleſiam recipi, ſed & in ea, ut prius, præſidere ſatagerent. Sed his obnitentes Fideles, loco ipſorum ſobſtituendos curarunt Epiſcopos Sabinum atque Felicem. Aliorum vero Schiſmaticorum, quorum Princeps Novatianus Romæ fuerat, pertinax erat illa ſententia, & dura ſeveritas, ut lapſis quantumlibet pœnitentibus, occluſa ſemper remaneret Eccleſia, totaque illorum cauſſa eſſet Dei judicio reſervanda. Harum vero ſectarum aſſeclæ, longe, lateque vagantes, ubicumque eſſent, negotium facesſebant Catholicæ communionis Fidelibus.

IV. At quænam fuerit cauſsa Baſilidis Epiſcopi, ex Cypriani Epiſtola ad Hiſpanos ſcripta accipienda eſt. Hic libelli labe primo conſperſus, alia facinora ſuperaddidit, de quibus hæc Cyprianus: *Baſilides adhuc præter libelli maculam, cum in infirmitate decumberet, in Deum blaſphemavit, & ſe blaſphemaſſe confeſſus ſit; & Epiſcopatum pro conſcientiæ ſuæ vulnere ſponte deponens, ad agendam pœnitentiam converſus ſit, Deum deprecans, & ſatis gratulans, ſi ſibi vel laico communicare contingeret.* Bene hue uſque Baſilides, qui lapſus, ſe in pœnitentium claſsem conjecit, laicam exoptans communionem, quod pii cæteri facerent. At quid poſtea? Cum videret, in Sedem ſuam ſubrogatum fuiſse Sabinum, livore tabeſcens, quod jure non poſset, dolis, atque fallaciis explere conatus eſt: quippe qui ad Apoſtolicam Sedem Romam ſe contulit, ſeque injuſte Sede privatum conquerens, ut in Epiſcopatum reſtitueretur, Stephanum Romanum Epiſcopum multis mendaciis interpellat, quod Cyprianus eadem Epiſtola docet his verbis poſt recenſitam ordinationem Sabini legitime factam:

V. *Nec reſcindere ordinationem jure perfectam poteſt, quod Baſilides poſt crimina ſua detecta, & conſcientiam etiam propria confeſſione nudatam, Romam pergens, Stephanum Collegam noſtrum longe poſitam, & geſtæ rei, & tacitæ veritatis ignarum fefellit: ut exambiret reponi in Epiſcopatu, de quo fuerat juſte depoſitus. Hæc eo pertineat, ut Baſilidis non tam abolita ſint, quam cumulata delicta, ut ad ſuperiora peccata, ejus etiam fallaciæ, & circumventionis crimen acceſſerit. Neque enim tam culpandus eſt ille, cui negligenter obreptum eſt, quam hic accuſandus, qui fraudulenter obrepſit.* Hæc Cyprianus, nihil Summi Sacerdotis detrahens poteſtati, Epiſcoporum cauſsas judicantis, & quæ ab aliis Epiſcopis facta eſsent, deſtruentis, ac penitus irritantis, ſed tantum de obreptione facta, non tam in ipſum, quam in Baſilidem, jure quidem expoſtulans. Videas hoc exemplo antiquiſſimum

uſum Eccleſiæ, ex remotiſſimis orbis partibus Epiſcopos, qui aliquid injuſti a Collegis paſſos eſſe prætexerent, provocare ſolere ad Romanum Pontificem, tanquam Primarium Eccleſiæ univerſalis Antiſtitem.

VI. De Martiale autem, quod Apoſtolicam Sedem adierit, nihil habetur expreſſum; de cujus cauſſæ meritis idem Cyprianus ſcribit; & cum eum neſando idololatriæ libello inſamatum dixit, hæc addit: *Martialis quoque præter gentilium turpia, & lutulenta convivia, & collegia diu frequentata, & filios in eodem collegia, exterarum gentium more, apud profana ſepulcra depoſitos, & alienigenis conſepultos; Actis etiam publice habitis apud Procuratorem ducenarium obtemperaſſe ſe idololatriæ, & Chriſtum negaſſe conteſtatus ſit &c.* Hæc de Martialis cauſſa Cyprianus. In quo (quod ad priſtinos Eccleſiæ mores pertinet) illud eſt obſervandum, inter alia, crimini datum Martiali, quod filios in profanis ſepulchris gentilium ſepeliſſet: quibus plane ſignificatur, Chriſtianos a gentilibus ſepulcra diſcreta habere ſolitos, nefaſque fuiſſe, ſe illis poſt obitum commiſcere, a quibus viventes abhorruiſſent: quæ obſignaſſe voluimus ob aliquos leviter nimis dicentes, in Urbis Cœmeteriis, una cum Chriſtianis gentiles quoque ſepeliri conſueviſſe; nam immane ſcelus id (ut vidimus) eſſe cenſebatur.

VII. Cum igitur hunc in modum Baſilidis, & Martialis cauſſa ſe haberet, haud putandum, Epiſcopos Hiſpaniæ, qui hos depoſuerant, & alios Epiſcopali judicio ſubrogaverant, aut Eccleſias, quæ hos ſuſceperant, quieviſſe: ſed apud Stephanum Romanum Pontificem cauſſam audentius eſse proſecutos, atque hæc eadem S. Cypriano Epiſcopo Carthaginenſi innoteſcere voluiſse. Etenim ſuffectos in lapſorum locum Epiſcopos Sabinum, ac Felicem miſerunt, quibus literas ad Cyprianum dederunt: his quoque, & ſuas privatas in eadem cauſsa ſcriptas addidit S. Felix Cæſarauguſtanus Epiſcopos, de quo hæc præclare idem S. Cyprianus: *Felix de Cæſarauguſta Fidei cultor, & defenſor veritatis &c.* Veroſimili quidem, & vehementi ducimur conjectura, ut exiſtimemus, hos electos in Africam miſsos fuiſse Epiſcopos, ut ſic Cypriani quoque ſuffragio ſua ipſorum electione probata, inde tum ipſius, tum aliorum ipſius Collegarum literis pariter communiti Romam ad refellenda Baſilidis mendacia adnavigarent, SediſqueApoſtolicæ auctoritate compeſcerent contumaces, qui Hiſpaniæ Epiſcopos contempſiſſent. Quæ autem hæc ſequuta ſint, nulla prorſus memoria, Scriptorum jactura, remanſit.

VIII. His acceptis literis ab Hiſpanis Sabino, atque Felice Legatis Epiſcopis: placuit Cypriano colligere Collegas antiſtites, & in ſacro eorum conſeſſu ſcriptas ab Epiſcopis Hiſpaniæ ad eos literas recitari, ab iiſdem Legatis ſuam ipſorum proſequentibus cauſſam cuncta narrari. Quibus auditis, & cognitis, Cyprianus omnium Collegarum nomine ad Legionenſem, & Aſturicenſem Eccleſias, quarum illi erant Epiſcopi, & ex quibus literas acceperant de his quæ Synodo placuiſsent, literas reddidit, quarum eſt exordium.

IX. *Cum in unum conveniſſemus, legimus literas veſtras, Fratres dilectiſſimi, quas ad nos per Felicem & Sabinum Epiſcopos noſtros, pro Fidei veſtræ integritate, & pro Dei timore feciſtis: ſignificantes, Baſilidem, & Martialem libellis idololatriæ commaculatos, & nefandorum facinorum conſcientia vinctos, Epiſcopatum gerere, & Sacerdotium Dei adminiſtrare non oportere. Et deſideraſtis reſcribi ad hæc vobis, & juſtam pariter, ac neceſſariam, ſolicitudinem veſtram, vel ſolatio, vel auxilio noſtræ ſententiæ ſublevari.* Ac demum poſt alia, quæ ſit ſua, ac Collegarum, immo & totius Catholici orbis Epiſcoporum ſententia, quidve de eadem re antea Cornelius Papa decreverit, his verbis ſignificat: *Fruſtra tales Epiſcopatum ſibi uſurpare conantur: cum manifeſtum ſit, ejuſmodi homines, nec Eccleſiæ Chriſti poſſe præeſſe, nec Deo Sacrificia offerre debere: maxime cum jam pridem nobiſcum, & cum omnibus omnino Epiſcopis in toto mundo conſtitutis, etiam Cornelius Collega noſter, Sacerdos pacificus, ac juſtus, & Martyrio quoque dignatione Domini honoratus, decreverit, ejuſmodi homines ad pœnitentiam quidem agendam poſſe admitti; ab ordinatione autem Cleri, atque ſacerdotali honore prohiberi.*

X. Huc uſque Baronius ex Cypriano, præter cujus Epiſtolam nihil invenies in tota antiquitate Eccleſiaſtica, unde cauſſa hæc Baſilidis, & Martialis innoteſcat. Neque enim hactenus, quod ſciam, ullum aliud vetus inſtrumentum detegi potuit, in quo vel obiter ejus rei mentio fiat, niſi forte Epiſtola S. Xyſti II. Papæ non multo poſtea exhibenda.

XI. Quod autem, idem doctiſſimus Cardinalis verbis num. 6. exſcriptis Felicem illum de Cæſarauguſta nominatum a Cypriano, cenſeat ejuſdem Urbis Epiſcopum, non probo. Neque enim Sanctus ille Doctor illum vel appellat, vel indicat Epiſcopum, dum ait: *Felix de Cæſarauguſta Fidei cultor, & defenſor veritatis, literis ſuis ſignificat &c.* Quin & palam in eadem Epiſtola, Felix idem *Presbyter* dicitur, quo nomine Sacerdos Epiſcopo inferior ſignificatur. Nam illius epigraphe eſt: *Cyprianus, Cæcilius, Primus, Polycarpus &c. FELICI PRESBYTERO, & plebibus conſiſtentibus ad Legionem, & Aſturicæ.* Vides, Felicem ibi ſolum appellari Presbyterum, ad quem reſcribit Cyprianus, ut patet ex primis Epiſtolæ verbis: *Legimus literas veſtras &c.* Atque infra: *Utque ALIUS FELIX de Cæſarauguſta, Fidei cultor, & defenſor veritatis, literis ſuis ſignificat.*

XII. Itaque duo Felices palam diſtinguuntur in ea Epiſtola: alter ſimplex Sacerdos, ſive Presbyter, qui ſcripſerat Cypriano, & ad quem ipſe reſcribit: alter vero forte Epiſcopus, non quidem Cæſarauguſtanus, ſed Legionenſis, vel Aſturicenſis, ſimul cum Sabino. Ambo enim in locum Baſilidis, & Martialis depoſitorum ſuffecti videntur iis duabus Eccleſiis regendis; & uterque nomine Cleri, ac plebium ſuarum, in Africam contenderat ad Cyprianum; ut amborum electio rata haberetur, & patrocinium haberet apud Sedem Apoſtolicam. Quare de iis, veluti Epiſcopis, & coram adſtantibus, inquit Cyprianus: *Ut Felix, & Sabinus Collegæ noſtri aſſeverant.* Ac ſtatim: *Utque alius Felix de Cæſarauguſta &c. literis ſuis ſignificat*; nimirum, ille ipſe, qui in epigraphe ejuſdem Epiſtolæ dicitur Presbyter, nuſquam vero Epiſcopus.

XIII. Unde lapſi abs dubio in ea parte fuerunt, non modo Baronius, & ante illum

Morales Lib. 9. Cap. 45. ad annum cclv. ſed & poſtea Martinus Carrillo in Catalogo Præſulum Cæſarauguſtanorum, ac Murillus in Hiſtoria Cæſarauguſtæ, aliique rerum Aragoniæ Scriptores, dum Felicem ipſum ejus Urbis Epiſcopum fuiſſe voluerunt, ob non ſatis accurate lectam Cypriani Epiſtolam. Antonius vero Auguſtinus, ſubacto Vir judicio, & emunctioris naſi, ſatis percepit ex ipſis Cypriani verbis, Felicem hunc non fuiſſe Epiſcopum Cæſarauguſtæ, in Epiſtola ad Hieronymum Blanças, quam ſub initium hujus Tomi exſcripſimus.

XIV. Quod vero is Felix *de Cæſarauguſta*, dicatur a Cypriano; retinendum eſt, prout in omnibus Codicibus mſs. Cypriani legitur. Erat enim Presbyter ejus Eccleſiæ. Quare non facile aſſentiendum Bivario ad annum cclv. ubi cum pſeudo-Dextro legit *Vallata Urbicua*; quæ ſane eſt immanis mutatio. Nimirum artifex ejus pſeudo-chronici, & *ipſe doli fabricator Epæus*, non potuit temperare ſibi, quin pro ratione genii novarurientis, vice Urbis Cæſarauguſtæ in Epiſtola S. Cypriani nominatæ, ſubſtitueret, *Vallatam Urbicuam*, & ex duobus nominibus incomplexis unum faceret complexum, uti ſæpe alias in M. Marcello Eugenio, Aulo Cornelio Palma, Marco Maximo, aliiſque plurimis.

XV. Sane apud Livium Lib. 40. ſolum legitur incomplexum nomen *Urbicua*, Oppidi fortis, in Hiſpania citeriore, quod multi volunt hodie appellari *Arbecam* in Regno Valentiæ, ut legere eſt apud doctiſſimum Ambroſium Morales, Lib. 7. Cap. 18. Nemo autem veterum, immo nec medii temporis Scriptor certus, illam præterea nominavit *Vallatam*. Verum quidem eſt in Itinerario Antonini memorari *Vallatam*, Oppidum quoddam, ſed diſtans xv. paſſuum millibus ab Urbe Aſturica, ac proinde in Hiſpania ulteriore, ac Regno Legionis; & diſſitum ab *Urbicua* trecentis circiter paſſuum millibus. Sed jam ipſam Sancti Cypriani Epiſtolam proferamus.

EPISTOLA SANCTI CYPRIANI EPISCOPI, ET MARTYRIS,

Ad Clerum, & plebes in Hiſpania conſiſtentes De Baſilide, & Martiale.

Cyprianus, Cæcilius, Primus, Policarpus &c. Felici Presbytero, & plebibus conſiſtentibus ad Legionem, & Aſturicæ; item Lælio Diacono, & plebi Emeritæ conſiſtentibus, Fratri in Domino ſalutem.

Anno circiter cclviii.

I. CUM in unum conveniſſemus, legimus Literas veſtras, Fratres dilectiſſimi, quas ad nos per Felicem, & Sabinum Epiſcopos noſtros pro Fidei veſtræ integritate, & pro Dei timore feciſtis, ſignificantes, Baſilidem, & Martialem Libellis idololatriæ commaculatos, & neſandorum facinorum conſcientia vinctos, Epiſcopatum gerere, & Sacerdotium Dei adminiſtrare non oportere: & deſideraſtis, reſcribi ad hæc vobis, & juſtam pariter, ac neceſſariam ſolicitudinem veſtram, vel ſolatio, vel auxilio noſtræ ſententiæ ſublevari. Sed enim deſiderio huic veſtro non tam noſtra conſilia, quam Divina præcepta reſpondent, quibus jampridem mandatur voce cæleſti, & Dei Lege præſcribitur, quos, & quales oporteat deſervire Altari, & Sacrificia Divina celebrare. In Exodo namque ad Moyſen Deus loquitur, & monet, dicens: *Sacerdotes, qui accedunt ad Dominum Deum, ſanctificentur; ne forte derelinquat illos Dominus*. Et iterum: *Et cum accedunt miniſtrare ad Altare Sancti, non adducent in ſe delictum, ne moriantur*. Item in Levitico præcipit Dominus, & dicit: *Homo, in quo fuerit macula, & vitium, non accedet offerre dona Deo.*

II. Quæ cum prædicta, & manifeſta ſint nobis, præceptis Divinis neceſſe eſt obſequia noſtra deſerviant, nec perſonam in ejuſmodi rebus accipere, aut aliquid cuiquam largiri poteſt humana indulgentia, ubi intercedit, & Legem tribuit Divina præſcriptio. Neque enim immemores eſſe debemus, quid ad Judæos per Iſaiam Prophetam loquutus ſit Dominus, increpans, & indignans, quod contemptis Divinis præceptis, humanas doctrinas ſequerentur: *Populus iſte*, inquit, *labiis ſuis honorificat me, cor vero eorum longe ſeparatum eſt a me. Sine cauſſa autem colunt me, mandata, & doctrinas hominum docentes*. Quod item Dominus in Evangelio repetit, & dicit: *Rejicitis mandatum Dei, ut traditionem veſtram ſtatuatis*. Quæ ante oculos habentes, & ſolicite, ac religioſe conſiderantes in Ordinationibus Sacerdotum, nonniſi immaculatos, & integros Antiſtites eligere debemus, qui ſancte, & digne Sacrificia Deo offerentes, audiri in precibus poſſint, quas faciunt pro plebis Dominicæ incolumitate, cum ſcriptum ſit: *Deus peccatorem non audit: ſed ſiquis Deum coluerit, & voluntatem ejus fecerit, illum audit.*

III. Propter quod plena diligentia, exploratione ſincera, oportet, eos ad Sacerdotium deligi, quos a Deo conſtet audiri. Nec ſibi plebs blandiatur, quaſi immunis eſſe a contagio delicti poſſit, cum Sacerdote peccatore commu-

Digitized by Google

municans, & ad injuſtum, atque illicitum propoſiti ſui Epiſcopatum conſenſum ſuum commodans, quando per Oſee Prophetam comminetur, & dicat cenſura Divina: *Sacrificia eorum tanquam panis luctus: omnes, qui manducant ea, contaminabuntur*. Docens ſcilicet, & oſtendens, omnes omnino ad peccatum conſtringi, qui fuerint profani, & injuſti Sacerdotis Sacrificio contaminati. Quod item in Numeris manifeſtari invenimus, quando Core, & Dathan, & Abiron, contra Aaron Sacerdotem ſacrificandi ſibi licentiam vendicaverunt. Illic quoque per Moyſen præcepit Dominus, ut ab eis populus ſeparetur, ne facinoroſis conjunctus, eodem facinore & ipſe perſtringatur. *Separamini*, inquit, *a tabernaculis hominum iſtorum duriſſimorum, & nolite tangere ea, quæ ad eos pertinent, ne ſimul pereatis in peccato eorum*. *Oſee 9.*

IV. Propter quod plebs obſequens præceptis Dominicis, & Deum metuens, a peccatore præpoſito ſeparare ſe debet, nec ſe ad ſacrilegi Sacerdotis Sacrificia miſcere, quando ipſa maxime habeat poteſtatem, vel eligendi dignos Sacerdotes, vel indignos recuſandi. Quod & ipſum videmus de Divina auctoritate deſcendere, ut Sacerdotes, plebe præſente, ſub omnium oculis deligatur, & dignus, atque idoneus publico judicio, ac teſtimonio comprobetur, ſicut in Numeris Dominus Moyſi præcepit, dicens: *Apprehende Aaron fratrem tuum, & Eleazarum filium ejus, & impones eos in montem coram omni Synagoga, & exue Aaron ſtolam ejus, & indue Eleazarum filium ejus, & Aaron appoſitus moriatur illic*. Coram omni Synagoga jubet Deus conſtitui Sacerdotem, ideſt, inſtruit, & oſtendit, Ordinationes Sacerdotales nonniſi ſub populi aſſiſtentis conſcientia fieri oportere, ut plebe præſente, vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur, & ſit Ordinatio juſta, & legitima, quæ omnium ſuffragio, & judicio fuerit examinata. *Num. 20.*

V. Quod poſtea ſecundum Divina Magiſteria obſervatur in Actis Apoſtolorum, quando de ordinando in locum Judæ Epiſcopo Petrus ad plebem loquitur: *Surrexit*, inquit, *Petrus in medio diſcentium; fuit autem turba in uno*. Nec hoc in Epiſcoporum tantum, & Sacerdotum, ſed in Diaconorum Ordinationibus obſervaſſe Apoſtolos animadvertimus, de quo & ipſo in Actis eorum ſcriptum eſt: *Et convocaverunt*, inquit, *illi duodecim totam plebem Diſcipulorum, & dixerunt eis*. Quod utique idcirco tam diligenter, & caute convocata plebe tota gerebatur, ne quis ad Altaris miniſterium, vel ad Sacerdotalem locum indignus obreperet. Ordinari enim nonnunquam indignos, non ſecundum Dei voluntatem, ſed ſecundum humanam præſumptionem, & hæc Deo diſplicere, quæ non veniant ex legitima, & juſta Ordinatione, Deus ipſe manifeſtat per Oſee Prophetam, dicens: *Sibimetipſis conſtituerunt Regem, & non per me*. *Act. 6.* *Oſee 8.*

VI. Propter quod diligenter de traditione Divina, & Apoſtolica obſervatione obſervandum eſt, & tenendum, quod apud nos quoque, & fere per Provincias univerſas tenetur, ut ad Ordinationes rite celebrandas, ad eam plebem, cui Præpoſitus ordinatur, Epiſcopi ejuſdem Provinciæ proximi quique conveniant, & Epiſcopus deligatur, plebe præſente, quæ ſingulorum vitam pleniſſime novit, & uniuſcujuſque actum de ejus converſatione perſpexit.

VII. Quod & apud vos factum videmus in Sabini Collegæ noſtri ordinatione, ut de univerſæ fraternitatis ſuffragio, & de Epiſcoporum, qui in præſentia convenerant, quique de eo ad vos Literas fecerant, judicio Epiſcopatus ei deferretur, & manus ei in locum Baſilidis imponeretur. Nec reſcindere Ordinationem jure perfectam poteſt, quod Baſilides poſt crimina ſua detecta, & conſcientiam etiam propria confeſſione nudatam, Romam pergens, Stephanum Collegam noſtrum longe poſitum, & geſtæ rei, ac tacitæ veritatis ignarum fefellit, ut exambiret, reponi ſe injuſte in Epiſcopatum, de quo fuerat juſte depoſitus. Hoc eo pertinet, ut Baſilidis non tam abolita ſint, quam cumulata delicta, ut ad ſuperiora peccata ejus etiam fallaciæ, & circumventionis crimen acceſſerit. Neque enim tam culpandus eſt ille, cui negligenter obreptum eſt, quam hic execrandus, qui fraudulenter obrepſit. Obrepere autem ſi hominibus Baſilides potuit, Deo non poteſt, cum ſcriptum ſit: *Deus non deridetur*. *Galat. 6.*

VIII. Sed nec Martiali poteſt profuiſſe fallacia, quominus ipſe quoque de-

Tit. 1. delictis gravibus involutus Epiſcopatum tenere non debeat, quando & Apoſtolus moneat, & dicat: *Epiſcopum oportet eſſe ſine crimine, quaſi Dei diſpenſatorem*. Quapropter cum (ſicut ſcripſiſtis, Fratres dilectiſſimi, ut & Felix, & Sabinus Collegæ noſtri aſſeverant, utque alius Felix de Cæſarauguſta Fidei cultor, ac defenſor veritatis ſuis Literis ſignificat) Baſilides, & Martialis neſando idololatriæ Libello contaminati ſint; Baſilides adhuc inſuper præter Libelli maculam, cum in infirmitate decumberet, in Deum blaſphemaverit, & ſe blaſphemaſſe confeſſus ſit; & Epiſcopatum pro conſcientiæ ſuæ vulnere ſponte deponens, ad agendam pœnitentiam converſus ſit, Deum deprecans, & ſatis gratulans, ſi ſibi vel laico communicare contingeret. Martialis quoque præter Gentilium turpia, & lutulenta convivia, & Collegia diu frequentata, & filios in eodem Collegio exterarum gentium more apud prophana ſepulchra depoſitos, & alienigenis conſepultos; actis etiam publice actis apud Procuratorem ducenarium obtemperaſſe ſe idololatriæ, & Chriſtum negaſſe conteſtatus ſit; cumque alia multa ſint, & gravia delicta, quibus Baſilides, & Martialis implicati tenentur; fruſtra tales Epiſcopatum ſibi uſurpare conantur, cum manifeſtum ſit, ejuſmodi homines nec Eccleſiæ Chriſti præeſſe, nec Deo Sacrificia offerre debere. Maxime cum jampridem nobiſcum, & cum omnibus omnino Epiſcopis in toto mundo conſtitutis, etiam Cornelius Collega noſter, Sacerdos pacificus, ac juſtus, & Martyrio quoque dignatione Domini honoratus, decreverit, ejuſmodi homines ad pœnitentiam quidem agendam poſſe admitti, ab Ordinatione autem Cleri, atque Sacerdotali honore prohiberi.

IX. Nec vos moveat, Fratres dilectiſſimi, ſi apud quoſdam in noviſſi-
1. Timoth. 4. mis temporibus, aut lubrica Fides nutat, aut Dei timor irreligioſus vacillat,
2. Petr. 2. aut pacifica concordia non perſeverat. Prænunciata ſunt hæc futura in ſæculi fine, & Domini voce, atque Apoſtolorum conteſtatione prædictum eſt: deficiente jam Mundo, atque appropinquante Antichriſto, bona quæque deficere, mala vero, & adverſa proficere. Non ſic tamen, quamvis noviſſimis temporibus in Eccleſia Dei, aut Evangelicus vigor cecidit, aut Chriſtianæ virtutis, aut Fidei robur elanguit, ut non ſuperſit portio Sacerdotum, quæ minime ad has rerum ruinas, & Fidei naufragia ſuccumbat; ſed fortis, & ſtabilis honorem Divinæ Majeſtatis, & Sacerdotalem Dignitatem plena timoris obſervatione tueatur.

1. Machab. 2. X. Meminimus, & tenemus, ſuccumbentibus licet, & cedentibus cæ-
1. Reg. 19. teris, Mathathiam Legem Dei vindicaſſe fortiter: Eliam, Judæis deficienti-
Daniel. 6. & 4. bus, atque a Religione Divina recedentibus, ſtetiſſe, & certaſſe ſublimiter
**ſolicitudine.* Danielem, nec * ſolitudine regionis alienæ, ne perſecutionis aſſiduæ infeſtatione deterritum frequenter, ac fortiter glorioſa edidiſſe Martyria: tres item Pueros, nec annis, nec minis fractos, contra ignes Babylonicos fideliter obſtitiſſe, & victorem Regem in ipſa ſua captivitate viciſſe. Viderit, vel prævaricatorum numerus, vel proditorum, qui nunc in Eccleſia contra Eccleſiam ſurgere, & Fidem pariter, ac veritatem labeſactare cœperunt. Permanet apud plurimos ſincera mens, & Religio integra, & non niſi Domino, & Deo ſua anima devota, nec Chriſtianam Fidem aliena perfidia deprimit ad ruinam, ſed magis excitat, & exaltat ad gloriam, ſecundum quod Beatus Apoſtolus Paulus hortatur, & dicit: *Quid enim ſi exciderunt*
Rom. 3. *a Fide quidam eorum, numquid infidelitas illorum Fidem Dei evacuavit? Abſit. Eſt enim Deus verax, omnis autem homo mendax*. Si autem omnis homo mendax eſt, & ſolus Deus verax; quid aliud ſervi, & maxime Sacerdotes Dei ſacere debemus, niſi ut humanos errores, & mendacia relinquamus, & præcepta Dominica cuſtodientes, in Dei veritate maneamus?

XI. Quare etſi aliqui de Collegis noſtris extiterunt, Fratres dilectiſſimi, qui Deificam Diſciplinam negligendam putant, & cum Baſilide, & Martiale temere communicant, conturbare Fidem noſtram res iſta non debet, cum Spiritus Sanctus in Pſalmis talibus comminetur, dicens: *Tu au-*
Pſal. 49. *tem odiſti Diſciplinam, & abjeciſti Sermones meos retro. Si videbas furem, concurrebas ei, & cum adulteris portionem tuam ponebas*. Conſortes, & participes oſtendit eos alienorum delictorum fieri, qui fuerint delinquentibus copulati. Sed & hoc idem Paulus Apoſtolus ſcribit, & dicit: *Suſur-*
Rom. 1. *ratores, detractores, abhorentes Deo, injurioſi, ſuperbi, jactantes ſui,*
ad-

Plura ex hac Epiſtola loca explicata habes ſupra in Excurſ. I.

adinventores malorum, qui cum juſtitiam Dei cognoviſſent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, morte ſunt digni; non tantum qui faciunt ea, ſed & qui conſentiunt eis, qui hæc agunt: quoniam qui talia, inquit, *agunt, morte ſunt digni*. Manifeſtat, & comprobat, morte dignos eſſe, & ad pœnam venire, non tantum illos, qui mala faciunt, ſed etiam eos, qui talia agentibus conſentiunt: qui dum malis, & peccatoribus, & pœnitentiam non agentibus, illicita communicatione miſcentur, nocentium contactibus polluuntur, & dum junguntur in culpa, ſic nec in pœna ſeparantur.

XII. Propter quod, integritatis, & Fidei veſtræ religioſam ſolicitudinem, Fratres dilectiſſimi, & laudamus pariter, & probamus, & quantum poſſumus, adhortamur Literis noſtris, ne vos cum prophanis, & maculatis Sacerdotibus communicatione ſacrilega miſceatis; ſed integram, & ſinceram Fidei veſtræ firmitatem religioſo timore ſervetis. Opto vos, Fratres chariſſimi, ſemper bene valere.

E X C U R S U S II.

Notæ uberiores in eandem S. Cypriani Epiſtolam. Porro Baſilidem, & Martialem depoſitos fuiſſe tanquam libellaticos deterioris conditionis, quam alios quoſdam, & reſtitutione indignos. Diſciplina Eccleſiæ veteris circa Epiſcopos reſtituendos, aut eligendos. Monita ad Principes, & Conſiliarios eodem ſpectantia. Quis tandem fuerit finis controverſiæ prædictæ.

XVI. PRæter ea, quæ proxime obſervavimus circa Epiſtolam hanc, oportet nonnulla adnotare, quibus illuſtrior reddatur. Atque id imprimis, Eccleſiæ Hiſpanæ a priſcis iis ſæculis magnam conjunctionem fuiſſe cum Africana. Propterea enim Felix Presbyter, ac plebes Legionenſis, Aſturicenſiſque, Epiſcopos Felicem, & Sabinum, ſuffectos in locum Baſilidis, & Martialis rite depoſitorum, miſerunt ad S. Cyprianum, ut cum reliquis Africanæ Eccleſiæ Epiſcopis, horum depoſitionem, & illorum electionem ſuffragio ſuo probaret. Ea vero neceſſitudo, ſeu fraternitas utriuſque Eccleſiæ, continuata, aut aucta fuit ſæculis ſequentibus, ut videbimus ſuo tempore, ac loco. Porro Epiſtola ipſa in editionibus Pamelii, & Rigaltii eſt ſexageſima octava.

XVII. *Cum in unum conveniſſemus &c.* Hinc conſtat, S. Cyprianum congregaſſe Synodum, advocatis triginta quinque Epiſcopis ſecum, ut cauſſam Baſilidis, & Martialis examinarent. Lectis vero Epiſtolis Felicis Presbyteri, & plebium prædictarum, auditaque relatione Sabini, & Felicis Epiſcoporum, viſa fuit juſta illorum depoſitio, & horum electio. Illi enim de ſceleribus graviſſimis adverſus Religionem Catholicam, in ipſa Cypriani Epiſtola memoratis, convicti, & confeſſi, ſe Epiſcopatu indigniſſimos reddiderunt. Quare Clerus, & populus utriuſque Eccleſiæ duos alios in ipſorum locum Præſules ſibi delegit.

XVIII. *Libellis idololatriæ maculatos*. Duo genera libellatorum erant, hoc eſt, eorum, qui libellos a Magiſtratu ethnico impetrabant, ad vitæ, aut etiam bonorum fortunæ ſecuritatem. Alterum eorum, qui conſtanter profitentes Religionem Chriſtianam interius exteriuſque, vitam, & facultates redimebant pecunia a Magiſtratu, ab eoque libellum ſecuritatis impetrabant, ne injuſte vexarentur. Alterum vero illorum, qui ad necem, direptionemve bonorum vitandam, ſcriptis ſchedulis coram Magiſtratu proteſtabantur, ſe Fidem Chriſtianam abjurare, & ad ethnicorum caſtra tranſire, quamvis id non facerent ex animo, unde & libellos ſecuritatis accipiebant.

XIX. Porro primum illud libellatorum genus hoc loco non reprehenditur a Cypriano, dum invehitur adverſus Baſilidem, & Martialem *libellis idololatriæ maculatos*. Quin potius in eo nullum idololatriæ crimen agnoſcit Epiſt. quinquageſima ſecunda, quæ eſt ad Antonianum, dum inquit: *Cum inter ipſos, qui ſacrificarint, multa ſit diverſitas; quæ inclementia eſt, & quam acerba duritia, libellaticos cum iis, qui ſacrificaverunt, jungere? quando is, cui libellus acceptus eſt, dicat: Ego prius legeram, & Epiſcopo tractante cognoveram, non ſacrificandum idolis, nec ſimulacra a ſervo Dei adorari debere. Et idcirco ne facerem quod non licebat, cum occaſio libelli fuiſſet oblata, quem nec ipſum acciperem, niſi oſtenſa fuiſſet occaſio, ad Magiſtratum veni, vel alio eunte mandavi, Chriſtianum me eſſe, ſacrificare mihi non licere, ad aras diaboli venire non poſſe, dare me hoc præmium, ne quod non licet faciam.*

XX. Sed & multo uberius idem libellatorum genus criminis expers tradidit S. Petrus Alexandrinus Præſul ſanctiſſimus in Canonibus, quos protulit in Sermone *περὶ μετανοίας*, ideſt, *De Pœnitentia*. Præſertim vero ibidem Can. XII. inquit: Τοῖς γὰρ ἀργύρια δεδωκόσι πρὸς τὸ ἀνενοχλήτους αὐτοὺς παντάπασι γένεσθαι ὑπὸ πάσης κακίας, οὐκ ἔστιν ἔγκλημα προσάγειν: ζημίαν γὰρ δὲ ἀπώλειαν χρημάτων ὑπήνεγκαν, ἵνα μὴ τὴν ψυχὴν ἑαυτῶν ζημιωθῶσιν ἢ ἀπολέσωσιν, ὅπερ ἄλλοι κτι αἰσχροκέρδεια οὐ πεποιήκασι. Scilicet: *Iis enim, qui pecuniam dederunt, ut ab omni improbitatis moleſtia omni ex parte remoti eſſent, crimen intendi non poteſt. Damnum enim, & jacturam pecuniarum ſuſtinuerunt, ne ipſorum animæ detrimento afficerentur, vel ipſas etiam perderent: quod alii propter turpe lucrum non fecerunt.* Hæc ille ſanctiſſimus Epiſcopus, & inſignis Chriſti Martyr, occaſione diræ perſecutionis. *Dum hæc ſcriberem die 18. Septembris 1686. accepi Salmanticæ nuntium Roma miſſum, cum notitia exaltationis ad ſacram purpuram, præter omnium expectationem, ſicuti & ultra omne meritum.*

XXI. Alterius itaque, & deterioris conditionis libellatici fuerant Baſilides, & Martialis. Porro utriuſque lapſum complectitur Cyprianus initio verbis illis: *Baſilidem, & Mar-*

tialem Libellis idololatriæ commaculatos, & nefandorum facinorum conſcientia vinctos, Epiſcopatum gerere, & Sacerdotium Dei adminiſtrare non oportere; quæ continebantur in Litteris ad Cyprianum ex Hiſpania ſcriptis. Exinde vero ſatis conſtare videtur, duos prædictos Epiſcopos ſpectaſſe ad poſterius libellaticorum genus valde execrabile, in cujus vindictam jure merito in ordinem redacti fuerint, ſuffectis aliis ipſorum loco. Indignum enim erat, & probroſum Eccleſiæ, ut in eo gradu perſiſterent homines ii, qui palam, & publice Chriſtum abnegaverant, etiamſi forte Fidem ipſius intra animum retinerent.

XXII. Porro licet Epiſtolæ huic non præferretur Cypriani nomen, ſatis innoteſceret ex ſtylo, & majeſtate ſententiarum, ac pondere rationum, ab eo prodiiſſe. Digniſſima lectu eſt, præſertim iis hominibus, qui eligunt quemquam, & iis, qui eliguntur ad gradum Sacerdotii, & multo magis ad Epiſcopatum. Non enim hominibus, aut ſcelere aliquo maculatis, aut infamia facinoris cujuſpiam notatis conferendus eſt: ſed iis tantum, qui innocentia morum, virtutum excellentia, & doctrinæ ornatu præfulgent. Alioqui Electores horribilem Dei vindictam experientur, veluti complices, & rei tum iniquæ exaltationis, tum ſcelerum eorum, quæ committuntur ab indigne electo. Propterea, inter alia inquir idem S. Cyprianus: *Plena diligentia, exploratione ſincera, oportet, eos ad Sacerdotium eligi, quos a Deo conſtet audiri. Nec ſibi plebs blandiatur, quaſi immunis eſſe a contagio delicti poſſit, cum Sacerdote peccatore communicans, & ad injuſtum, atque illicitum prepoſiti ſui Epiſcopatum, conſenſum ſuum commodans, quando per Oſee Prophetam comminatur, & dicit Scriptura Divina: Sacrificia eorum tanquam panis luctus; omnes qui manducant ea, contaminabuntur.* Hæc, quæſo, legant, & tot alia Scripturæ teſtimonia a Cypriano allegata (quæ plane horrorem incutiunt) quicumque auxilium, favorem, aut conſenſum præſtant, ut aliquis indignus ad Sacerdotium, vel Epiſcopatum promoveatur.

XXIII. Admirationi eſt, quam diligens examen præmitteretur primis illis Eccleſiæ ſæculis, priuſquam aliquis eligeretur Epiſcopus, immo Presbyter, vel Diaconus. Legat qui volet, inter alios Scriptores, doctiſſimum Franciſcum Hallier, inſigne Sorbonæ decus, in vaſto illo volumine, *De ſacris Ordinationibus*. Sane nunc digniſſimos Epiſcopatu cenſeremus eos, qui tunc vix admitterentur ad Sacerdotium, immo ad Diaconatum. Tanta in iis exigebatur innocentia vitæ, ſanctitas morum, & præſtantia doctrinæ. Interrogabatur populus publice coram omnibus Epiſcopis totius provinciæ, non ſemel, nec bis, ſed decies, vicies, tricies, & nonnunquam eo amplius, an iis dotibus præfulgeret, qui proponebatur ad Sacerdotium, præſertim ad Epiſcopatum, & tota multitudo clara voce reſpondebat iterato, numerantibus Notariis, quoties illa præſtitiſſet aſſenſum.

XXIV. Extant modo illuſtria teſtimonia ſacræ Scripturæ, quamvis tunc Sacerdotium eſſet longe minus perfectum, quam modo, & figura, aut umbra Sacerdotii Chriſtiani. Et ſatis eum morem indicat Cyprianus hoc ipſo loco, confirmatque teſtimoniis Scripturæ, repetendo alltius, quæ in Veteri Teſtamento leguntur, ubi quiſpiam eligebatur Sacerdos. Huc quippe ſpectant potiſſimum illa S. Doctoris verba, allegato prius Numerorum decimo Capite: *Coram omni Synagoga jubet Deus conſtitui Sacerdotem; ideſt, inſtituit, & oſtendit, ordinationes Sacerdotales non niſi ſub populi aſſiſtentis conſcientia fieri, ut plebe præſente, vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur, & ſit ordinatio juſta, & legitima, quæ omnium judicio, & ſuffragio fuerit examinata.* Nimirum tunc, & multis ſæculis poſtea, ut paullo ante præmiſerat Cyprianus, plebs *maxime poteſtatem habebat, vel eligendi dignos Sacerdotes, vel indignos recuſandi.*

XXV. Nunc autem, ablata a populis poſt tot ſæcula facultate nominandi, aut præſentandi; & conceſſa Regibus, ſeu Principibus quibuſdam ſupremis, hi ſubeunt idem onus deligendi Viros maxime dignos tam præcelſo gradu. Idemque eſt de ipſorum Conſiliariis, ſive Miniſtris, quotquot ad eam nominationem, ſeu præſentationem ullo modo concurrunt ſuffragio, conſiliove. Si enim digniorem prætermittant, reddent ſtrictiſſimam rationem Deo, quoniam impedierunt magna illa, ſeu majora bona, quæ ex illius electione in tot populis, & millibus hominum ſequerentur. Si autem, quod longe pejus eſt, indignum exaltari curent, aut faciant, non modo rei erunt, ob bona impedita, ſed etiam ob innumera mala illata in tot ſubditis; qui plerumque vitam inſtituunt, & mores exigunt ad exemplum Epiſcopi, ſeu Prælati. Et cum frequentius, ac facilius ſit naturæ hominis lapſæ, ac corruptæ imitari Principem, ſive Rectorem in vitiis, quam in virtutibus; plura mala ſequuntur ex electione indigni, quam bona ex digni cujuſpiam exaltatione.

XXVI. Sed nimius ſim, & moroſus erudito Lectori, ſi ultra ea, quæ Cyprianus hoc loco monet, & tot alii Sancti Patres, ac nominatim Gregorius Magnus in *Paſtorali*, quidquam adjungere velim. Hoc unum addo, ex geſtis in hac cauſſa Baſilidis, & Martialis ſatis conſtare, quam antiqua ſit in Hiſpania a primis ſæculis Eræ Chriſtianæ appellatio Epiſcoporum ad Sedem Apoſtolicam. Baſilides enim dejectus Epiſcopatu, contendit ad Stephanum Papam, quamvis dolo, & malis artibus, ut reſtitueretur. Præſules vero Hiſpaniæ, cognita ejus fraude, conſuluerunt vicinos, & amicos Carthaginenſis provinciæ in Africa Epiſcopos, quid agendum eſſet. Nimirum, Baſilides innitebatur Decreto Stephani Papæ licet per fraudem extorto. Epiſcopi autem Hiſpani ultra juſtam, & evidentem cauſſam ad deponendos & Baſilidem & Martialem, veluti libellaticos manifeſtos, habebant pro ſe præcedentem ſententiam, ſive Legem S. Cornelii Papæ, hoc loco memoratam a S. Cypriano, ut ejuſmodi homines, depoſito Sacerdotio, in ordinem pœnitentium redigerentur. Itaque attenta evidetia ſceleris, & jure præſcripto ab Apoſtolica Sede ſub Cornelio, videntur Epiſcopi Hiſpaniæ perſtitiſſe in priore ſententia depoſitionis Baſilidis, ac Martialis, ſubſtitutioniſque Sabini, & Felicis in loco ipſorum.

XXVII. Hactenus inveſtigare, & invenire licuit ea, quæ in dicta cauſſa contigerunt, ex Epiſtola S. Cypriani; nec enim præterea Scriptores Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ aliquid addidiſſe

per-

Digitized by Google

perhibentur circa finem illius. Verumtamen fortaſſe conjici poteſt ex Epiſtola ſtatim exhibenda S. Xyſti II. Papæ, Baſilidem, & Martialem ab illo reſtitutos fuiſſe poſtea in Sedes ſuas, ut cauſſa ipſa, ſervato juris ordine, tractaretur. Porro Epiſtola S. Cypriani communiter cenſetur, & a doctiſſimo Cardinali Baronio collocatur anno CCLVIII. tempore S. Staphani Papæ, cujus Pontificatum ille ponit ab anno CCLVII. uſque ad CCLX. alii vero cum Onuphrio ab anno CCLIV. uſque ad CCLVII. Quidquid vero ſit de veritata alterutrius chrono-taxeos, Stephanum viventem eo tempore ſatis indicat Cyprianus ipſe circa medium Epiſtolæ verbis illis: *Baſilides poſt crimina ſua detecta, & conſcientiam etiam propria confeſſione nudatam, Romam pergens, Stephanum Collegam noſtrum longe poſitum, & geſtæ rei, ac tacitæ veritatis ignarum fefellit, ut exambiret, reponi ſe in Epiſcopatum, de quo fuerat juſte depoſitus &c.* Non diceret autem Stephanum Collegam ſuum, & cæterorum Præſulum, nullo alio addito, ſi jam tunc obiiſſet. Mortuo autem Stephano, quarto Nonas Auguſti anno CCLX. juxta eandem Baronii chronotaxin, vel CCLVII. juxta aliam Onuphrii, S. Xyſtus II. poſt viginti duos dies, nono Kalendas Septembris in ejus locum ſuffectus eſt, qui premens veſtigia deceſſoris ſui, videtur reſcidiſſe Acta apud Hiſpaniam, ac Sedibus ſuis præter juris ordinem ſpoliatos Baſilidem & Martialem reſtituiſſe. Verum exhibeamus ſtatim brevem ſynopſim Vitæ ipſius, qualiter extat in Libro Pontificali, cum correctionibus mſs. Lucæ Holſthenii, juxta antiquiſſimos Italiæ Codices, & poſtea Epiſtolam.

JOSEPHI CATALANI ADDITIO.

Antequam Vitam, atque Epiſtolam Xyſti Papæ II. referamus, notandum illud præſertim cenſemus, recte quidem Cardinalem Baronium, Chriſtianum Lupum, alioſque Auctores Eccleſiaſticæ antiquitatis peritiſſimos ex deſcripta ſuperius S. Cypriani Epiſtola, quam alias egregie illuſtravit ſapientiſſimus Cardinalis de Aguirre, colligere, antiquiſſimum Eccleſiæ uſum eſſe, ut ex remotiſſimis orbis partibus Epiſcopi, qui ſe injuſta perpeſſos eſſe a Collegis ſuis crederent, provocarent ad Romanum tanquam primarium Eccleſiæ Univerſalis Antiſtitem. Ejus rei exempla jam multa occurrunt in Eccleſiaſtica Euſebii Cæſarienſis Hiſtoria, quæ longum eſſet hoc loco referre. Pervetuſtam hanc diſciplinam, quam nonnulli ex Hæreticis perperam impugnarunt, jam nos non uno in loco Operum noſtrorum, ubi ſeſe dedit occaſio, aperte oſtendimus, probavimuſque. Sunt jam fere innumeri, & docti Scriptores, qui de eadem re fuſe, egregieque tractarunt. Sed legendus præ ceteris memoratus Chriſtianus Lupus, qui antiquas variarum Eccleſiarum ad Romanam Apoſtolicam Sedem appellationes pluribus Diſſertationibus omnigena eruditione refertis enarravit, Sedique ipſi Apoſtolicæ præſcriptum Jus, & a priſcis Chriſtianæ Religionis temporibus ſervatum, adverſus quorumdam pſedo-criticorum calumnias ſolide vindicavit. Sane digna lectu ſunt, quæ idem præſtantiſſimus Lupus Tomo VIII. editionis Venetæ, Diſſertatione I. *De antiquis Gallicanæ Eccleſiæ ad Apoſtolicam Sedem appellationibus* Cap. VI. in eam S. Cypriani Epiſtolam adnotavit, ex qua illud etiam docet, quædam Paſchaſii Queſnelli commenta everti. Sed nec omittendæ eruditiſſimi Baluzii, & aliorum doctorum Virorum in ipſam Epiſtolam Notæ, ex quibus non modo varias Lectiones ex diverſis mſs. Codicibus, qui in diverſis celeberrimis Bibliothecis extant, deſumptas addiſcimus, verum etiam varia veteris Eccleſiaſticæ diſciplinæ Capita, quæ ſæculo III. quo Sanctus Cyprianus claruit, in uſu erat, explicata habemus. Satis autem ſit, ea potiſſimum adnotaſſe, quæ rem noſtram ſpectant quamaxime, quæque alias, ut dictum eſt, a Cardinale de Aguirre adnotata ſunt.

VITA S. XYSTI II. PAPÆ

Additis ad marginem variis Lectionibus mſs. Codicum.

XXVIII. *XYSTUS * natione Græcus * ex Philoſopho ſedit * annos duos, menſes undecim, dies ſex. Martyrio coronatur. Fuit autem temporibus Valeriani, & Decii, quo tempore fuit maxima perſecutio. Eodem tempore hic comprehenſus a Valeriano, & ductus, ut ſacrificaret dæmoniis: * quia contempſit præcepta Valeriani, capite truncatus eſt, & cum eo alii ſex Diaconi, Feliciſſimus, & Agapitus, Januarius, & Magnus, Vincentius, & Stephanus, ſub die 6. Idus Auguſti; & Presbyteri præfuerunt a Conſulatu Maximi, & Gravionis uſque ad Conſulatum Tuſci, & Baſſi 13. Kal. Auguſti, quo tempore ſæviſſima perſecutione arguebatur Beatus Xyſtus ſub Decio. Et poſt Paſſionem Beati Xyſti poſt tertiam diem paſſus eſt & Beatus Laurentius ejus Archidiaconus 4. Idus Auguſti, & Claudius Subdiaconus, & Severus Presbyter, & Creſcentius Lector, & Romanus Oſtiarius: hic fecit Ordinationes duas per menſem Decembris, Presbyteros IV. Diaconos VII. Epiſcopos per diverſa loca duos. Qui vero ſepultus eſt in Cœmeterio Calliſti via Appia. Nam * ex Diaconi ſupradicti ſepulti ſunt in Cœmeterio Prætextati via Appia 8. Idus Auguſti. Beatus autem Laurentius ſepultus eſt in via Tiburtina in Cœmeterio Cyriacæ in Agro Verano in Crypta cum aliis multis Martyribus 4. Idus Auguſti, & ceſſavit Epiſcopatus dies * XXXV.*

* Flor. ſecūd. omittit *Xyſtū* Flor. Caſs. & Vat. & *Philoſophus*.
* Reg. & Flor. *annū* 1. Flor. *dies* 23.
* Flor. *qui cōtempſit præcepta Valeriani, & ob id capite &c. & cum eo alii ex Diaconis.* Hunc locum ex geſtis Pontificalibus citat Rodulphus Presbyter in Vita Rhabani apud Broverū antiqu. Fuldēſ. Lib. 3. pag. 140. qui vulgatam lectionem confirmat. Sed putem legendū, *alii ſex ex Diaconis Fel. &c. ex Presbyteris Januarius &c.*
* Vat. & Reg. *ſex Diaconi.*
* Caſs. 26. Vat. 25.

EPI-

EPISTOLA XYSTI PAPÆ II.

AD EPISCOPOS HISPANIÆ.

I. *Exhortatio ad ordinem, unitatem, & Diſciplinam Eccleſiaſticam ſervandam.*
II. *Si quis adverſus Epiſcopos, vel Auctores Eccleſiæ cauſam habuerit, qui ſe geret.*
III. *De Epiſcopis rebus expoliatis, aut a Sede pulſis.*
IV. *Ut nullus Epiſcopus alterius parochianum retineat, ordinet, vel judicet.*
V. *De Epiſcopis injuſte damnatis, & Apoſtolica auctoritate reſtitutis.*
VI. *Quod excommunicati Epiſcopos accuſare non poſſunt, nec illi, qui eos in ſua non recipiunt accuſatione, nec major a minori judicari, vel damnari.*

ANNO CCLVII. AUT CIRCITER.

Dilectiſſimis Fratribus per Hiſpaniarum Provincias conſtitutis, Xyſtus Epiſcopus in Domino ſalutem.

S. Leo Ep. 54. I. MAGNO munere miſericordiæ Dei, totius Eccleſiæ Catholicæ multiplicata ſunt gaudia, cum Eccleſiarum ſtatus eo viget ordine, quo Apoſtoli, eorumque Succeſſores illum ſtatuerunt. Et cum antiqui hoſtis aſtutia eum conturbari cognoſcimus, non modico contriſtamur mœrore. Quam ob cauſam, Fratres, hortamur vos, monemus, & flagitamus, ut a tramite Apoſtolicæ Inſtitutionis nequaquam recedatis, nec a capite diſſideatis, ſed Fidem, & ordinem, quem Apoſtoli, & Apoſtolici Viri ſtatuerunt, abſque hæſitatione teneatis. Nam ſi columnæ alicujus magnæ domus corruerint, ipſa poſtea domus minime ſtabit. Sic & vos, qui columnæ Eccleſiæ eſtis, ſi labefactari cœperitis, Sancta Eccleſia, quæ per vos regitur, tabeſcet, & labetur.

Matth. 5. Rom. 1. Hæc, Fratres, quæ dico, valde timenda ſunt, & ſummo moderamine penſanda, atque, ne fiant, cavenda. Ipſa enim Veritas per ſe dixit: *Vos eſtis ſal terræ, quod ſi ſal evanuerit, in quo ſalietur? &c.* Ideo vos, chariſſimi, moneo, quia vobis debitor ſum, & valde vos diligo. Et quando bona audio de vobis, congratulor ſatis; & e contra, quando diverſa, nimis conturbor. * Ego vero quamvis a vobis per longa terrarum intervalla disjunctus ſim, ſum tamen omnino vobiſcum corde conjunctus. Ideoque de veſtra beatitudine erga me modis omnibus confido, quia cum me viciſſim diligitis, a me longe non eſtis. [* S. Greg. Ep. 6. Lib. 4.]

Matth. 13. Marc. 4. Luc. 13. Matth. 13. Luc. 13. Dan. 13. Unde magis gratias referimus illi grano ſinapis, quod ex modici, deſpicabiliſque ſeminis ſpecie, ita ramis ex eadem radice ſurgentibus, atque ſe diſtendentibus, uſquequaque diffuſum eſt, ut in eis volatilia Cæli cuncta nidificent; gratiaque ſit fermento illi, quod tribus farinæ ſatis, totius humani generis maſſam in unitate conſperſit; atque parvo lapidi, qui abſciſſus de monte ſine manibus, occupavit univerſam faciem Orbis terræ. Qui ad hoc naturam noſtræ carnis, & ſtatus ſervilis formam aſſumens, humiliter ſe uſquequaque diſtendit, ut omni humano genere in unitatem redacto, totius Corpus unitum perficeret Eccleſiæ, atque ita ad totius compaginis pertineret commodum, membrorum partialis iſta diſtinctio. Unde nos quoque a vobis longe non ſumus, quia in illo, qui ubique eſt, unum ſumus.

Agamus ergo ei gratias, qui ſolutis inimicitiis in carne ſua, fecit, ut in omni Orbe terrarum unus eſſet grex, & unum ovile ſub uno Paſtore, ſemper memores, quod vos veritatis prædicator admoneat, dicens: *Soliciti *ſervate unitatem ſpiritus in vinculo pacis.* Vinculum enim pacis nemo ſervat, dum alium infeſtat, aut verbis, aut factis perſequitur. Ideo, Fratres, iſta prætulimus, quia audivimus inter vos accuſationes exerceri, & pulſos a Sedibus Epiſcopos, aut ſuis rebus expoliatos judicari. [Epheſ. 4. * ſervare.]

2. Q. 7. Si quis contra Epiſcopum. * Hadr. coll. c. 2. ex Cõc. Aurel. V. c. 17. II. Quapropter ſtatutum eſt, ut ſi quis contra Epiſcopum, vel Actores Eccleſiæ, ſe proprium credidit habere negotium, * non prius adeat judices, quam ad eos recurrat charitatis ſtudio, ut familiari colloquio commoniti, ea ſanare debeant, quæ in querimoniam deducuntur. Quod ſi aliter egerit, communione privetur.

III. Ne-

Digitized by Google

III. Nemo Pontificum deinceps aliquem Epiſcopum ſuis expoliatum rebus, aut a Sede pulſum, excommunicare, aut judicare præſumat, quia non eſt privilegium, quo expoliari poſſit jam nudatus.

IV. Nullus Epiſcopus alterius Parochianum præſumat retinere, aut ordinare abſque ejus voluntate, vel judicare; quia ſicut irrita erit ejus ordinatio, ita & * dijudicatio, quoniam cenſemus, nullum alterius judicis, niſi ſui, ſententia * teneri. Nam qui eum ordinare non potuit, nec judicare ullatenus poterit. Iſta enim vobis deinceps tenenda, & Fratres vicisſim adjuvare mandamus.

V. Fratres vero, quos timore terreno injuſte damnaſtis, ſcitote, a nobis juſte eſſe reſtitutos. Quibus, ex S. Petri, & Apoſtolica auctoritate, omnia, quæ eis ablata ſunt, integerrime reddi, præcipimus, ſi non vultis vos, & Principes veſtri a Collegio noſtro, & membris Eccleſiæ ſeparari. * Juſto enim judicio Dei datur plerumque peccatoribus poteſtas, qua Sanctos ipſius perſequantur; ut qui Spiritu Dei juvantur, & aguntur, fiant per laborum exercitia clariores. Illi tamen, qui hoc agunt, nullatenus evadent pœnam; quia, ut ait Dominus: *Væ illi, per quem ſcandalum venit.* Et quamquam juxta Salvatoris ſententiam, *neceſſe ſit venire ſcandala, væ tamen per quem veniunt.*

De * occultis enim cordis alieni temere judicare, peccatum eſt; & eum, cujus non videntur opera, niſi bona, iniquum eſt ex ſuſpicione reprehendere, cum eorum, quæ homini ſunt incognita, ſolus Deus judex ſit juſtus, qui inſpector eſt verus. Unde ſcriptum eſt: *Incerta non judicentur, quouſque adveniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium.* Et quamvis vera ſint, non tamen credenda ſunt, niſi certis indiciis comprobentur, niſi quæ manifeſto judicio convincuntur, niſi quæ judiciario ordine publicantur. * Nullus ergo poteſt humano condemnari examine, quem Deus ſuo judicio reſervavit. Hæc omnia ſummopere ſunt præcavenda, ne præſumptores eſſe videamur. Et accuſatio Epiſcoporum non eſt facile recipienda, dicente Domino: *Non ſuſcipies vocem mendacii.* Et Apoſtolus inquit, adverſus Presbyterum inſcriptionem non recipiendam * abſque duobus, vel tribus idoneis teſtibus. Si hæc de Presbyteris, vel cæteris Fidelibus ſunt præcavenda, quanto magis de Epiſcopis?

Quibus cognitis, magis vos dominari velle manifeſtum eſt, quam conſulere Fratribus, aut ſuſtentare eos, quia honor inflat ſuperbiam; & quod proviſum eſt ad concordiam, tendit ad noxam. Decuerat namque, juxta præfatas regulas, ut ſi aliquid egiſſent contra ſuum ordinem, mandare nobis, & expectare, quid ad veſtra conſulta reſcriberemus, in tantum, ut ſi etiam quidquam grave, intolerandumque committerent, noſtra præſtolaretur cenſura, ut nihil prius, aut aliquid aliud decerneretis, quam quod nobis placere cognoveritis, & a regulis præſtitutis nulla, aut negligentia, aut præſumptione recederetis. Ceſſet hujuſmodi, preſſa noſtra auctoritate, præſumptio; vitentur hujuſmodi nocumenta, quia nequaquam talia patienter ferre poſſumus machinamenta, quoniam convenit nobis paternarum Sanctionum diligenter eſſe cuſtodes. Merito namque cauſa nos reſpicit, ſi ſilentio faveamus errori.

VI. Et inſuper a Sanctis Prædeceſſoribus noſtris plerumque jam ſtatutum, ut nemo anathema in noſtra ſuſcipiatur accuſatione, nec illi, qui nos in ſua nolunt recipere querela, vel accuſatione, cum nos ſuper illos ſciamus a Domino conſtitutos, non illos ſuper nos. Et ſicut major non poteſt a minore judicari, ita nec colligari; quia rarum eſt omne, quod magnum eſt. Portemus onera omnium, qui gravantur, quinimmo hæc portat in nobis B. Apoſtolus Petrus, cujus vice fungimur Legatione, & cujus regula informamur, quatenus ejus fulti auxilio, ab omnibus nune, & in perpetuum tueamur adverſis. Data XVII. Kal. Auguſti, * Valeriano, & Decio Viris Clariſſimis Conſulibus.

* Idem ſupra in Decr. Alexandri Papæ. Et infra in Decr. Julii Papæ. Supra in Decret. Sixti I. & ſimiliter in Decr. Julii Papæ.
* Hadr. Coll. c. 16.
* Anian. ad Conſt. unicū tit. 16. Lib. 4. Cod. Theodoſ. 9. q. 1. Fratres, quos timore.
* Proſperi ſent. 23. ex S. Auguſt. in Pſalm. 118.
Matth. 18.
* Ejuſdem ſent. 21. ex S. Auguſt. in eundem Pſal.
1. Cor. 4.
In Decr. Ivonis Lib. 4.
* S. Iſid. Synon. II. c. 26.
* Hadr. Coll. c. 51. & 67. & Conſtant. Magn. ad PP. Nicænos.
2. Q. 7. Accuſatio Epiſcoporum.
Exod. 23.
1. *Timoth.* 5.
* Vide Ep. 2. Julii I. Papæ, ubi idem fere legitur.
* adnotatio ſuſpecta.

EXCURSUS III.

Notæ in Epiſtolam S. Xyſti. Porro illam videri ſcriptam occaſione cauſſæ Baſilidis, & Martialis, nondum terminatæ tempore Sancti Stephani Papæ. Ambos fuiſſe ſuis Sedibus reſtitutos a Xyſto, veluti depoſitos non ſervato juris ordine. Ordinationes aliorum in locum eorum, irritas fuiſſe declaratas. Finem denique totius controverſiæ neſciri adhuc.

XXIX. INdicavimus ſupra num. 27. cauſſam Baſilidis, & Martialis non videri terminatam fuiſſe in Hiſpania Reſcripto illo S. Cypriani, & aliorum Africæ Præſulum: quin potius ambos, aut ſaltem Baſilidem, munitum protectione Stephani Papæ, qui illum Eccleſiæ ſuæ reſtitui mandaverat, contendiſſe iterum apud Sedem Apoſtolicam tempore Xyſti II. Papæ, ut ſententia deceſſoris ipſius rata, & firma haberetur, & tandem impetraſſe reſtitutionem, donec tractaretur cauſſa juxta ordinem juris. Huc enim ſpectare videtur præcipuus contextus Epiſtolæ Xyſti, hortantis initio ad pacem, concordiam, & unitatem ſervandam; ac concludentis Caput primum verbis illis ad Hiſpaniæ Epiſcopos: *Ideo, Fratres, iſta prætulimus, quia audivimus, inter vos accuſationes exerceri, & pulſos a Sedibus Epiſcopos, ac ſuis rebus ſpoliatos judicari.*

XXX. Quinam, rogo, ii Epiſcopi a Sedibus pulſi, & ſuis rebus ſpoliati eo tempore in Hiſpania erant, aut hactenus inventi fuerunt (adhuc juxta Chronica illa nuper detecta, aut potius excogitata) niſi Baſilides, & Martialis? Deinde Capite ſecundo videtur invehi contra Epiſcopos actores, quaſi non ſervaſſent in eorum depoſitione ordinem debitum, admonendo utrumque reum priuſquam in judicio denunciarent. Quod de cætero vetat Xyſtus, indicta anathematis pœna.

XXXI. Quoniam vero fortaſſe actores excipere poſſent, & tueri depoſitionem præcedentem Baſilidis, ac Martialis, quod fuiſſent libellatici manifeſti, & propterea incurriſſent pœnam depoſitionis generatim indictam a S. Cornelio Papa omnibus iis, qui Fidem Chriſtianam abnegaſſent; hanc evaſionem præcludit Xyſtus Cap. 3. dicens: *Nemo Pontificum deinceps aliquem Epiſcopum ſuis expoliatum rebus, aut a Sede pulſum, excommunicare, aut judicare præſumat: quia non eſt privilegium, quo expoliari poſſit jam nudatus.* Quod ipſum fere jam decreverat prius S. Alexander I. Papa, & confirmarunt poſtea alii Romani Pontifices, ut oſtendit Iſidorus ſupra in Præfatione ad Concilia num. 7. & 4. ſeqq. Baſilides autem cauſſabatur, ſe fuiſſe ſpoliatum, & Sede ſua pulſum, antequam ſervaretur juſtitiæ ordo ad judicium proferendum. Fortaſſis etiam allegabat, ſe non fuiſſe libellaticum peſſimæ conditionis, ſed innoxiæ, & nunquam reprehenſæ a SS. Patribus, juxta dicta ſupra num. 19. & 20. Utrius autem generis libellaticus fuiſſet, nondum erat in Hiſpania legitime examinatum. Quapropter interim Xyſtus hoc loco Cap. quinto Decretum reſtitutionis fert (pro Baſilide, & Martiale, uti apparet) dum pariter alloquens Epiſcopos Hiſpaniæ, inquit: *Fratres vero, quos timore terreno injuſte damnaſtis, ſcitote, a nobis juſte eſſe reſtitutos. Quibus ex S. Petri auctoritate omnia, quæ ablata ſunt, integerrime reddi, præcipimus, ſi non vultis vos, & Principes veſtri, a Collegio noſtro, & membris Eccleſiæ ſeparari.*

XXXII. Tota hæc deliberatio Xyſti videtur ob oculos fuiſſe Iſidoro in Præfatione citata num. 9. ubi ita loquitur de Epiſcopis abſque ordine judiciario depoſitis: *Nullus enim, qui ſuis eſt rebus ſpoliatus, aut a Sede propria, vi, aut terrore expulſus, antequam omnia ablata ſibi, ei Legibus reſtituantur, & ipſe pacifice diu ſuis fruatur honoribus, Sedique ſuæ regulariter reſtitutus, ejus multo tempore potiatur honore, juxta Canonicam accuſari, vocari, judicari, aut damnari, inſtitutionem poteſt.* Et num. ſequenti allegat S. Leonem Papam in Epiſtola ad Concilium Chalcedonenſe miſſa, cui initium, *Optaveram quidem, dilectiſſimi*, ubi inquit: *Quia vero non ignoramus, per pravas æmulationes, multarum Eccleſiarum ſtatum fuiſſe turbatum, plurimoſque Fratres injuſte Sedibus ſuis pulſos, & in exilia deportatos; his primitus adhibeatur medicina juſtitiæ, ne quiſquam ita careat propriis, ut alter utatur alienis. Quem ita errorem omnes relinquant, ut nemini quidem perire honor debeat, ſed prioribus Epiſcopis cum omni privilegio ſuo jus proprium reformetur.*

XXXIII. Hæc cum ita ſint, exiſtimo, Xyſtum in hac Epiſtola, prementem veſtigia deceſſoris ſui Stephani, ægre tuliſſe depoſitionem Baſilidis, & Martialis e Sedibus ſuis, atque illos ſpoliatos ſine ordine judiciali reſtituiſſe, ut cauſſa rite, & ordine tractaretur. Nimirum cum cauſſæ majores, & præſertim judicia Epiſcoporum, ab initio fere naſcentis Eccleſiæ, reſervata fuerint Apoſtolicæ Sedi (ut omnia ſacræ antiquitatis monumenta clamant, & oſtenſum fuit ſupra variis locis, præſertim tota Diſſert. VII.) nec Stephanus, nec Xyſtus voluerunt confirmare damnationem, & depoſitionem Baſilidis, & Martialis factam a Clero, & plebibus Hiſpaniæ, etiam poſtquam probata fuit a S. Cypriano, & aliis Epiſcopis provinciæ Carthaginenſis; ſed decreverunt, utrumque reſtitui, ut cauſſa ipſa ſervato juris ordine juxta præſcriptum Sedis Apoſtolicæ diſcuteretur.

XXXIV. Sic certe ſequentibus ſæculis alii Romani Pontifices ſe geſſerunt, præſertim Nicolaus I. in cauſſis Rhotadi Sueſſionenſis, & Hincmari Laudunenſis Epiſcopi. Immo & in noſtra Hiſpania occurrent aliæ controverſiæ ſimiles, præſertim circa Epiſtolam Vigilii Papæ ad Profuturum, extantem apud Concilium Bracarenſe I. Et quidem in Concilio celeberrimo Sardicenſi Can. 4. proponitur: *Ut ſi quis Epiſcopus fuerit depoſitus judicio Epiſcoporum, qui ſunt in vicinia, & dicat, rurſus ſibi defenſionis negotium competere* (quod certe contigit in cauſſa Baſilidis, & Martialis) *non prius in Cathedram alius ſubſtituatur, quam Romanus Epiſcopus ſententiam ferat.*

XXXV. Semel autem ſtatuto, quod primum Stephanus, & deinde Xyſtus, Decretum reſtitutionis protulerint in gratiam Baſilidis, ac Martialis, conſequens eſt, ut irritam judicaverint electionem Sabini, & alterius (qui cenſetur

ſetur Felix) in locum ipſorum. Fateor, S. Cyprianum in Epiſtola ſuperius exſcripta probaſse illorum depoſitionem, & iſtorum ſubſtitutionem, quoniam certa omnino, & publica ipſi viſa ſunt ſcelera illa, quæ in literis ex Hiſpania acceptis, de Baſilide, & Martiali narrabantur, & utrumque palam dignum reddebant depoſitione. Sed tamen hæc ipſa, non, niſi juris ordine ſervato, exequenda fuit: & utroque reo Sedem Apoſtolicam appellante, differri debuit, cum ad illam ſolam ſpectent judicia Epiſcoporum. Quin & Xyſtus impræſenti videtur reprehendere Clerum Hiſpaniæ, quod S.Cyprianum ea de reconſuluiſset, priuſquam Sedem Apoſtolicam, ut optime ante nos obſervavit Ambroſius Morales Libro nono Cap. 45. hinc.

XXXVI. Denique quis adhuc exitus fuerit hujus controverſiæ in Hiſpania poſt acceptas Xyſti literas, nemo veterum indicat; nemo recentiorum, niſi ſolum divinando, affirmare poteſt.

E X C U R S U S IV.

Criticorum plurium objecta adverſus præjactæ Epiſtolæ auctoritatem, extricantur.

XXXVII. MAjoris momenti eſset diſſerere nunc circa γνησιότητα, vel νοθείαν Epiſtolæ Xyſti, ni jam in ſuperioribus, præſertim Diſsert. IV. plura circa alias ſimiles monuiſsemus. Nunc autem ſatis ſit nonnulla obiter libare. Imprimis notari ſolet, quod ab initio uſurpentur plurima verba S. Leonis Papæ Epiſtola 54. duobus circiter ſæculis poſtea ab eo ſcripta.

XXXVIII. Deinde arguitur pariter interpolationis verborum illorum: *Ego vero, quamvis a vobis per longa terrarum intervallo disjunctus ſim, ſum tamen omnino vobiſcum corde conjunctus*, quæ pariter intruſa fuerunt ex Epiſtola S.Gregorii 36. Lib. 4. longe poſterioris.

XXXIX. Eodem ſpectat quod habetur hoc loco §. V. Epiſtolæ Xyſti verbis illis: *Juſto enim judicio Dei datur plerumque peccatoribus poteſtas, quo Sanctos ipſius perſequantur, ut hi, qui Spiritu Dei juvantur, & aguntur, fiant per laborum exercitia clariores*. Videtur enim deſumptum ex S. Proſpero Sent. 33. & Auguſt. in Pſal. 118.

XL. Denique opponunt, adnotationem Epiſtolæ falſam eſse, cum dicatur data XVII. Kal. Auguſti, Valeriano, & Decio Viris Clariſs. Conſulibus. Conſtat enim, tam tempore Stephani, quam Xyſti Papæ, Conſules fuiſse continuata ſerie IV. annorum, Valerianum, & Gallienum, ab anno CCLIV. ad CCLVIII. juxta chrono-taxim Onuphrii: juxta Baronianam vero, ab anno CCLVI. ad CCLVI. in quo ponitur ab ipſo mors Xyſti. Non ergo Epiſtola illius recte dicitur data ſub Conſulatu Decii, cujus nulla mentio eſt in Faſtis eorum annorum.

XLI. Hæc vero, ſicuti & alia ſimilia, quæ objici ſolent Epiſtolis veterum Pontificum, ut ſuſpectæ habeantur, vel etiam nothæ, jam præoccupata fuerunt, ut dixi, variis locis, præſertim Diſsert. IV. Et ut monui ibidem num. 28. ac ſequentibus, facilius creditu eſt, quod Pontifices ſucceſsores, aut qui erant ab Epiſtolis ipſorum, uſurparent aliquid antiquiorum, quam e converſo, uti ſemper factum eſt in Romana Curia, & quotidie fieri videmus in Reſcriptis Pontificiis. Idemque eſt, quoties in his veteribus monumentis leguntur loca quædam, ſive teſtimonia, etiam oblonga, quæ extant totidem verbis, aut præterpropter in Libris poſterioribus Scriptorum, vel in Codice Theodoſiano, &c. Ut enim monet doctiſſimus Archipræſul Antonius Auguſtinus, alibi a nobis expenſus, credibile admodum eſt, Imperatores Chriſtianos, ſicuti & Patres poſteriores, voluiſse ſua Edicta, & ſcripta exornare verbis anteriorum Pontificum, quos impenſiſsime venerabantur, etiam tacito eorum nomine. Alioqui liceret, vocare in dubium auctoritatem innumerabilium Epiſtolarum Decretalium, in quibus integræ periodi paſſim occurrunt, & loca oblonga prorſus eadem. Nemo autem propterea auſus fuit dicere, Epiſtolis antiquiorum aſsumenta ex poſterioribus irrepſiſse, ſed potius omnibus perſuaſum eſt, recentiores ex prioribus ea mutuaſse.

XLII. Verum ſinamus ultra, irrepſiſse in eam, aliaſque ſimiles Epiſtolas priſcis Pontificibus adſcriptas, loca aliqua mutuata ex poſterioribus, imprudentia cujuſpiam Exſcriptoris, qui intra Corpus Epiſtolarum poſuerit loca poſteriora, ad marginem alicujus exemplaris collocata a quopiam homine docto. Sinamus etiam, quod aliquis ſciolus ea aſsumenta ingeſſerit, & veneranda illa inſtrumenta immani auſu interpolaverit. Non propterea negandum eſt, eas Epiſtolas quoad præcipuam ſui partem, & veluti ſubſtantiam, aut medullam, ut ita loquar, ab iis Pontificibus, quorum nomine proferuntur, ſcriptas fuiſſe, & conſervatas in ſcriniis Apoſtolicæ Sedis, aliiſque locis; quanquam longiſſimo ſæculorum curſu tandem eo res devenerit, ut non inveniantur pura illa, & puta exemplaria, quæ primis Eræ Chriſtianæ ſæculis extabant, ſed alia ſolum iis additamentis ſuperinduta.

XLIII. Doctorum autem, & eruditorum hominum eſt inter germana, & adſcititia diſcernere; non autem omnia indiſcriminatim abjicere, aut etiam vilipendere, uti auſus fuit David Blondellus in ſuo *Pſeudo-Iſidoro*, propterea jure reprehenſus ab Archipræſule Marca, quamvis & hic ſuſpectas habeat predictas Epiſtolas. Dato enim, & minime conceſſo, interpolatas exiſtere poſteriorum Scriptorum locis, ſive Conciliorum, ſive Pontificum, ſive Patrum; non propterea ſperni debent, ſed potius in pretio haberi, tum ob ſalutarem doctrinam, & pietatem illorum ſanctiſſimorum Eccleſiæ Romanæ Præſulum, qua ab initio dictatæ fuerunt: tum etiam ob gravitatem, & qualitatem teſtimoniorum ſequentis ævi, quibus olim ad marginem exornatæ fuerunt, & tandem intra Corpus ipſum poſita a quopiam imprudente, vel ſciolo. Sententiæ enim ſanctorum Pontificum, & doctiſſimorum Eccleſiæ Patrum, ubicumque extent, in ſummo pretio eſſe debent.

XLIV. Unde non eſt opus reſpondendi ſingillatim ad ea, quæ opponuntur ex locis SS. Leonis, Gregorii, Proſperi, atque Auguſtini. In omnibus enim eadem ratio eſt, ut vel primum ſcripta fuerint verba illa a priſcis Pontificibus, e quibus poſteriores Patres ea deſumpſerint; vel irrepſerint poſtea e margine alicujus

cujus exemplaris, ſucceſsu temporum, in Corpus ipſum Epiſtolarum.

XLV. Tandem quod opponitur de Conſulatu Valeriani, & Decii, leve eſt, & a delicatiſſimis quibuſque, ubi e re ſua eſse intelligunt, contemni ſolet: cum facillimum ſit in tam longo ſæculorum curſu, & varietate exemplarium, nomen alicujus Conſulis pro alio ſubrogatum fuiſse. Fatemur itaque, Epiſtolam Xyſti datam fuiſse Coſs. Valeriano, & Gallieno, non autem Valeriano, & Decio. Hic enim circa finem ſui Conſulatus tertii occiſus fuerat ſexennio antequam Xyſtus eligeretor Pontifex. Non eſt autem adeo immane mendum, vel erratum, ut Valeriano Auguſto Decius, potius quam Gallienus datus fuerit ſocius, in aliquot exemplaribus Epiſtolæ prædictæ. Nec certe in longiſsimo ſpatio mediæ ætatis erat exacta illa cura, & obſervatio Faſtorum Conſularium, quæ olim fuerat, & modo eſt in tanta eruditionis luce, ut non aliquoties ab exſcriptoribus, ſeu librariis unum nomen pro alio intruderetur.

JOSEPHI CATALANI ADDITIO.

Xyſtus, ſeu Sixtus, ut apud pleroſque Auctores antiquos legitur, hujus nominis II. ut Baronius ſupputat anno CCLX. VIII. Kal. Septembris in Stephani Papæ locum ſucceſſit. Notat Pagius in ejus Vita, eum ordinatum fuiſſe circa diem 24. Auguſti anno 274. Ejus geſta in Pontificatu nos latent; id tantum ex Indiculo depoſitionis Martyrum obſervat Pearſonius in Annalibus Cyprianicis ad annum 258. §. 2. eum Petri, & Pauli Apoſtolorum Corpora *ad Catacumbas tranſtuliſſe, magis in dies ſæviente perſecutionis ardore, ut ibi Stationes tutius haberi poſſent*. Liber Pontificalis Pontificem permutando, ut ſæpe ſolet, Cornelium pro Sixto poſuit; ſed uti poſt alios idem Pagius notavit in Sixti II. Vita, hic Pontifex, non Cornelius, ea trophæa, quæ, ut tradit Cajus, qui circa annum CC. ſcripſit, tunc temporis in Vaticano aſſervabantur, in Catacumbas tranſtuliſſe videtur. Porro Stationem, cujus paullo ſuperius facta eſt mentio, ita explicat Petavius in animadverſionibus ad S. Epiphanium pag. 356. *Ego Stationem religioſum illud Fidelium officium arbitror, quo certis diebus ad Synaxim adeuntes, ibidem ad Nonam uſque perſeverabant, ad quam inſuper jejunia producebant. Unde, & pro multitudine ipſa, conventuque nonnunquam ſolet accipi*. His adde quod docet eruditus Dufreſne in ſuo Gloſſario, verbo *Statio*, ubi hæc ad rem habet: *Statio veteribus dictus Cœtus, ſive Conventus Fidelium in Eccleſia, maxime is, qui Dominico fiebat die, apud Tertullianum*, De corona Militis. *Ita autem vocantur ejuſmodi Conventus, metaphora ſumpta a militibus, qui dum præſidium certo loco collocant, Stationem facere dicuntur*.

His obiter notatis, duæ Decretales tribuuntur Sixto II. Papæ Epiſtolæ, quarum prima ſcripta eſt *Grato Coepiſcopo*, ſecunda *Fratribus per Hiſpaniarum Provincias conſtitutis*. Ambas adulterinas Viri eruditi cenſent, utpote conſarcinatas, ut ajunt, ex variis ſuperiorum Pontificum, & Conciliorum ſententiis. At vero quod alteram Sixti Epiſtolam ſpectat ad Hiſpanos miſſam, non ſunt omnino ſpernenda doctiſſimi Cardinalis de Aguirre argumenta ſuperius deſcripta, quibus eam laudato Pontifici vindicat, criticorumque objectiones refellit. Quicquid ſit, teſte Euſebio, Lib. 7. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, *Cap*. 7. Sixtum hunc Papam per Literas *de Sabellianis hæreticis, utpote qui tunc temporis increſcebant, certiorem fecit Dionyſius Alexandrinus*. Duraſſe etiam Sixto II. Pontifice controverſiam de Baptiſmo, deducit Sandinus in Vita ejuſdem Pontificis ex Epiſtolis de ea quæſtione a memorato Dionyſio Alexandrino ad eum datis, quarum fragmenta recitat laudatus Euſebius Lib. 7. Cap. 5. & 9. *Nam profecto*, inquit, *opus habeo, Frater, conſilio tuo, & ſententiam tuam expeto, ne forte ipſe halluciner*.

Martyrium tandem ſubiit Sixtus die 6. Menſis Auguſti anni 258. ſub Valeriano, & Gallieno Imperatoribus, & cum eo Beatus Quartus, ut legitur in Epiſtola S. Cypriani ad Succeſſum; ſed Feliciſſimus, & Agapitus Diaconi, Januarius, Magnus, Vincentius, Stephanus Subdiaconi alio die Martyrium ſubierunt, ut legere eſt in Critica Baronii anno 258. num. 5. & ſeq. Poſt triduum, die ſcilicet decima Auguſti S. Laurentius Diaconorum primus, cui S. Sixtus coronam prædixerat, Martyrio itidem coronatus eſt. Ceterum extat S. Sixti Papæ II. memoria in variis antiquis Martyrologiis, ad diem 6. Auguſti, uti obſervat eruditiſſimus Dominicus Georgius in ſuis ad Martyrologium Adonis Notis ad eandem diem, in qua varia ſcitu digna adnotat ex antiquiſſimis mſs. Codicibus quæ ad laudati Pontificis cultum, & celebritatem ſpectant, quæque hoc loco referre, non eſt noſtri inſtituti. Benedici autem conſueviſſe uvas feſto die S. Sixti, ideſt die VI. Auguſti, alio loco diximus.

VITA DIONYSII PAPÆ

Ex Libro Pontificali Damaſo Papæ adſcripto.

*DIONYSIUS ex Monacho, cujus generationem reperire non potuimus, ſedit annos VI. menſes II. dies IV. Fuit temporibus Gallieni, ex die XI. Kal. Auguſti, * Æmiliano, & Baſſo Coſſ. uſ-* * Aureliano.
que in diem ſeptimum Kal. Januarii, Conſulatus Claudii, & Paterni. Hic Presbyteris Eccleſias diviſit, & Cœmeteria, Parochiaſque, & Diœceſes conſtituit. Hic fecit Ordinationes duas per menſem Decembrem, Presbyteros XII. Diaconos VI. Epiſcopos per diverſa loca num. VII. Qui * Sexto.
*etiam ſepultus eſt in Cœmeterio Calliſti via Appia, * Kal. Januarii, & ceſſavit Epiſcopatus dies quinque.*

EPI-

EPISTOLA DIONYSII PAPÆ

AD SEVERUM EPISCOPUM CORDUBENSEM,

De Eccleſiis Parochianis, ut ſingulæ ſingulis dentur Presbyteris, & ut nullus alterius Parochiæ terminos vel jus invadat. Anno circiter CCLXX.

Dionyſius Epiſcopus Severo Epiſcopo ſalutem.

OLim & ab initio * tantam percepimus a Beato Petro Apoſtolorum Principe fiduciam, ut habeamus auctoritatem univerſali Eccleſiæ, auxiliante Domino, ſubvenire; & quidquid nocivum eſt, auctoritate Apoſtolica corrigere, & emendare. Ad hoc enim Divinæ * diſpenſationis proviſio gradus, & diverſos conſtituit ordines eſſe diſtinctos, ut dum reverentiam minores potioribus, & potiores minoribus dilectionem impenderent, una concordiæ fieret ex diverſitate contextio, & recte Officiorum generaretur adminiſtratio ſingulorum. Neque enim univerſitas poterat alia ratione ſubſiſtere, niſi hujuſmodi magnus eam differentiæ ordo ſervaret. Quia vero creatura in una, eademque æqualitate gubernari, vel vivere non poteſt, Cæleſtium Militiarum exemplar nos inſtruit: quia dum ſint Angeli, ſint Archangeli, liquet, quia non æquales ſunt, ſed in poteſtate, & ordine, ſicut noſti, differt alter ab altero. Si ergo inter eos, qui ſine peccato ſunt, iſta conſtat eſſe diſtinctio; qui hominum abnuat huic ſe libenter diſpoſitioni ſubmittere? Hinc etenim pax, & charitas mutua ſe vice complectuntur, & manet firma concordiæ in alterna, & Deo placita dilectione ſinceritas, quia unumquodque tunc ſalubriter completur officium, cum fuerit unus, ad quem poſſit * recurrere, præpoſitus.

De Eccleſiis ergo * Parochianis, unde Apoſtolicam Sedem conſulere voluiſti, qualiter ſint cuſtodiendæ per * Cordubenſem Provinciam, ac dividendæ Sacerdotibus, nihil tuæ charitati melius nobis videtur intimare, quam ut ſequaris, quod nos in Romana Eccleſia nuper egiſſe cognoſcitur. * Eccleſias vero ſingulas ſingulis Presbyteris dedimus, Parochias, & Cœmeteria eis diviſimus, & unicuique jus proprium habere ſtatuimus; ita videlicet, ut nullus alterius Parochiæ terras, terminos, aut jus invadat, ſed unuſquiſque ſuis terminis * ſit contentus, & taliter Eccleſiam, & plebem ſibi commiſſam cuſtodiat, ut ante Tribunal æterni Judicis, ex omnibus ſibi commiſſis rationem reddat, & non judicium, ſed gloriam pro ſuis actibus accipiat. Hanc quoque normam, chariſſime, te, & omnes Epiſcopos ſequi convenit: & quod tibi ſcribitur, omnibus quibuſcumque potueris, notum facias, ut non ſpecialis, ſed generalis fiat iſta præceptio. Crimina vero, quæ Epiſcopis impingere dicis, per alios non ſinas ullo modo fieri, niſi per ipſos, qui crimina intendunt. Si tamen ipſi digni, & irreprehenſibiles apparuerint, & actis docuerint publicis, omni * ſe carere ſuſpicione, & inimicitia, & irreprehenſibilem fidem, converſationemque ducere. Nemini enim de ſe confeſſo, credi poteſt ſuper crimen alienum: quoniam ejus, omniſque rei * confeſſio periculoſa eſt, & * admitti non debet. Similiter alieni erroris ſocium, vel a ſui voluntarie propoſiti tramite recedentem, aut Sacris Patrum Regulis, & Conſtitutionibus inobedientem, ſuſcipere non poſſumus, nec debemus, nec impetere recte credentes, vel Sanctorum Patrum Sanctionibus obtemperantes permittimus, quia infames omnes eſſe cenſemus, qui ſuam, aut Chriſtianam prævaricantur Legem, aut Apoſtolicam, vel regularem libenter poſtponunt auctoritatem.

Hæc * itaque, Frater chariſſime, quæ pro affectu Sacerdotalis nominis, & honoris impendimus, tibi, tuiſque ſubditis, & omnibus tenenda, & aliis nuncianda, atque prædicanda mandamus, quibus & pietas ad utilitatem, & ſit ad fructum dilectio. Unde objurgando, hortando, ſuadendo, blandiendo, * conſolando, prodeſſe, quibus poſſumus, feſtinemus. Lingua noſtra bonis fomentum ſit, pravis aculeus. * Timidos retundat, iratos mitiget, pigros exacuet, deſides * hortando ſuccendat, refugientibus ſua-

* S. Leo Ep. 24.
* S. Greg. Ep. 52. Lib. 4. quibuſdam leviter dumtaxat commutatis.
* Recurri.
* Parochialibus.
* Corduba Hiſpali ſubjecta fuit tempore Dionyſii Papæ, anno vero circiter 790. ſub Mauris caput erat Regni Hiſpanici.
* 13. Q. 1. Eccleſias ſingulas ſingulis.
* S. Leo I. Ep. 89.
* Conc. Arel. I. c. 13. 15. Q. 3. Nemini præterquam.
* Profeſſio ita in ms.
* Hadr. coll. 64. & An. interpretat. Cōſtit. 12. tit. 1. Lib. 11. Cod. Theodoſ. 3. Q. 4. Alieni.
* S. Greg. Ep. 113. Lib. 7. cujus verba, ac ſtylum nemo non ſtatim agnoſcet.
* Conſulendo.
* Tumidos.
* Hortatu.

ſuadeat, aſperis blandiatur, deſperatos conſoletur, ut quia doctores (1) dicimur, viam ſalutis gradientibus oſtendamus. Simus in cuſtodia vigilantes, aditum contra hoſtis inſidias ſoliciti muniamus. Et ſi quando (2) perditam ovem de commiſſis gregibus error abduxerit, toto illam annifu ad caulas Dominicas revocare contendamus, ut de Paſtoris nomine, quod habemus, non ſupplicium, ſed præmium conſequamur. Quia ergo in his omnibus Divinæ gratiæ adjutorium opus eſt, Omnipotentis Dei aſſiduis precibus clementiam exoremus, quatenus ad hæc nobis operanda, & velle tribuat, & poſſe concedat, atque in ea nos via, cum fructibus boni operis, quam ſe Paſtor Paſtorum eſſe teſtatus eſt, dirigat, ut ſine quo (3) nihil agere poſſumus, per ipſum implere omnia valeamus. Data v. Idus Septembris (4) Claudio, & Paterno Viris clariſſimis Conſulibus.

NOTÆ VARIORUM.

XLVI. Eccleſias vero ſingulas ſingulis Presbyteris dedimus; Parochias & Cæmeteria eis diviſimus &c.* Hanc Parochiarum diſtinctionem non primum a Dionyſio, ſed ab Evariſto factam eſſe, patet es iis, quæ ſupra diximus in Notis ad Vitam ejuſdem Evariſti, verbis: *Hic titulos*. Verum cum in perſecutione Valeriani publico Edicto, de quo ſupra in Notis ad Vitam Xyſti egimus, Presbyteri ab Eccleſiis relegarentur, & Chriſtianorum in Cœmeteriis conventus vetarentur, Parochiarum, Eccleſiarum, & Cæmeteriorum confuſio ſine dubio facta eſt: ſublato autem Valeriano, reſtituta per Gallienum pace Eccleſiæ, conceſſa viciſſim libera facultate adeundi Cœmeteria, Dionyſius Romanus Pontifex Parochias Presbyteris per eſilium, vel martyrium ſpoliatas, alias aliis aſſignavit: tempore perſecutionum confuſas iterum diviſit, ac pro ratione diſtribuit, Cæmeteriaque ſingulis, quod ante eum fecerant quidam anteceſſores, viciſſim conſignavit. Vide Baronium anno CCLXX. num. 17. Binius.

XLVII. Epiſtola hæc impetitur a plerifque recentioribus, veluti interpolata locis aliquot Pontificum poſteriorum. Imprimis enim priora illa verba: *Olim ab initio &c.* extant apud S. Leonem Epiſtola 24. Similiter & quæ paullo poſt ſequuntur: *Ad hoc enim diſpoſitionis proviſio &c.* leguntur, quibuſdam leviter mutatis, apud S. Gregorium Magnum Epiſtola 52. Lib. 4. ſicuti & illa alia num. 70. initio: *Hæc itaque, Frater chariſſime &c.* apud eundem Epiſt. 113. Libri 7.

XLVIII. Huic tamen difficultati propoſitæ adverſus alias veterum Pontificum Epiſtolas, ſatis jam reſpondimus ſupra a num. 41. & latius Diſſert. IV. præſertim a num. 28. neque opus eſt noviter immorari. Quod ſi vero adhuc delicati aliquot contendant, nec Leonem, nec Gregorium, ea veluti fragmenta ex priſcis Pontificibus deſumpſiſſe, atque Epiſtolis ſuis inſeruiſſe; ſed potius a ſciolo quopiam, aut imprudenti addita fuiſſe Epiſtolis antiquiorum Pontificum; inde ſummum evincent, interpolatas eſſe, ſicuti & alia plurima veterum Inſtrumenta inveniuntur; quæ tamen ab omnibus eruditis recepta ſunt, & in veneratione habentur, ſalva eorum ſubſtantia, ut ita dicam, aut medulla manente.

XLIX. Porro licet in Pontificali Damaſi Papæ nomine extante, & ſimul in Catalogo vetuſtiſſimo Pontificum jam a nobis ſuperius editto tribuantur Sancto Dionyſio Papæ ſolum ſex Pontificatus anni, communiter tamen ipſi tribui ſolent duodecim, ſaltem inchoato anno duodecimo. Immo & in numeris marginalibus ejuſdem Catalogi collocatur ejus Pontificatus ab anno CCLIX. uſque ad CCLXX. ſicuti juxta Baronium ab anno CCLXI. uſque ad CCLXXII. Quare quod in corpore ejuſdem Catalogi habetur: *Sedit annos VI.* videtur palam corrigendum, ut legatur: *Sedit annos XI.* unica litera V. numerali in X. mutata.

L. Utcumque autem res ſe habeat, Conſulatus ibidem aſſignatus Claudii, & Paterni reſpondet ultimo anno Pontificatus, & vitæ Dionyſii, quæ cenſetur Eræ communis CCLXX. juxta Onuphrium, Scaligerum, ac Petavium: juxta Baronium vero CCLXXII. Quippe inter utroſque unius biennii diſcrimen eſt in chronotaxi uſque ad annum CCLXXV. dumtaxat. Ejus autem diſcriminis ratio eſt, quod quidam Eram communem, ſive vulgarem annorum Chriſti, qua numeramus ab Incarnatione Verbi, ducunt a vero Chriſti Natali: alii autem volunt, verum Chriſti Natalem fuiſſe biennio anteriorem Era communi. De reliquo poſtea in Conſulatibus jam conveniunt. Mitto opinionem Domini Schelſtrate, & aliorum collocantium Chriſti Natalem quadriennio ante annos Eræ vulgaris. Cardinalis de Aguirre.

JOSEPHI CATALANI ADDITIO.

S. Dionyſius ſub Stephano I. Romanæ Urbis Presbyter, quem eruditiſſimum, planeque admirandum Virum fuiſſe teſtimonio Dionyſii Alexandrini licet agnoſcere apud Euſebium Lib. 7. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, Cap. 7. creatus eſt Pontifex anno 261. pridie Idus Septembris juxta Baronii ſupputationem. Teſte autem Pagio in laudati Pontificis Vita Romanam Sedem regendam ſuſcepit die 22. menſis Julii anni 259. Hic juxta Auctorem Libri Pontificalis, & Epiſtolam, quam Eruditi pene omnes ipſi falſo adſcriptam cenſent, *Presbyteris Eccleſias diviſit, & Cæmeteria, & Parochias & Diœceſes inſtituit.* Quæ verba ita explanat Baronius: *Dionyſii opus fuit Parochias ab deceſſoribus ſuis diſtinctas limitibus certis, Presbyteriſque diviſas, qua perſecutio Valeriani turbaverat, iterum dividere, ac pro ratione diſtribuere, Cæmeteriaque ſingulis conſignare.* Vide eruditiſſimum Blanchinium in Notis ad Anaſtaſium Bibliothecarium Tomo 2. pag. 231. & 232.

(1) Doctores. (2) Per devia. (3) Facere nihil aſſurgimus. (4) An. 269.

VITA S. EUTYCHIANI PAPÆ

Ex Libro Pontificali ſub nomine Damaſi, cum correctionibus mſs. Lucæ Holſthenii ex præſtantiſſimis Italiæ Codicibus.

LI. *EUTYCHIANUS natione Thuſcus ex patre Marino de Civitate Lunæ, ſedit * annos octo, menſes decem, dies quatuor. Fuit autem temporibus Aureliani a Conſulatu Aureliani tertio, & Marcellini, uſque in diem Idus Decembris, Caro ſecundum, & Carino Coſſ. Hic * conſtituit, ut fruges ſuper Altare tantum fabæ, & uvæ benedicerentur. Hic temporibus ſuis per diverſa loca 342. Martyres manu ſua ſepelivit. Qui hoc conſtituit, ut quicumque Fidelium Martyrem ſepeliret, (ſine Dalmatica, aut Colobio purpureo nulla ratione ſepeliret,) quod tamen ad notitiam * ſibi divulgaretur. Hic * fecit Ordinationes quinque per menſem Decembris, Presbyteros XIV. Diaconos V. Epiſcopos per diverſa loca IX. Martyrio coronatur, qui etiam ſepultus eſt Cœmeterio Calliſti via Appia VIII. Kal. Auguſti, & ceſſavit Epiſcopatus dies VIII.*

* Flor. duo, & Caſſin. *an.* 1. *menſ.* 1. *diem* 1.
* Vat. *præcepit benedici*, deleto *ut* juxta Flor. quoque, & Caſſin.
Quæ anſulis clauduntur, deſūt io Vat.
* Flor. & Caſſ. *fui.*
* Flor. *ſec. ordinat tres.*

EPISTOLA EUTYCHIANI PAPÆ
AD JOANNEM,
ET AD OMNES EPISCOPOS BÆTICÆ PROVINCIÆ.

** De Fide Incarnationis Domini.*

Chriſtus ut ſalva proprietate utriuſque naturæ, verus Deus, & homo verus extiterit.

Chariſſimis Fratribus, Joanni, & omnibus per Bæticam Provinciam conſtitutis Epiſcopis, Eutychianus Epiſcopus in Domino ſalutem.

HORTATUR nos æquitas poſtulationis, deſiderio fraternitatis tuæ * gratanter * annuere, & conſultis tuis breviter reſpondere. Et quamvis dilectionem tuam ſciam ad omne opus bonum eſſe devotam, * ut tamen efficacior fiat ad illos, qui ſane non ſapiunt, qualiter eos de Incarnatione Salvatoris noſtri informare debeus, mandamus. * Unum igitur hoc immobile fundamentum, una hæc felix Fidei petra, Petri ore confeſſa: *Tu es*, inquit, *Chriſtus filius Dei vivi*, tanta in ſe argumenta ſuſtinens veritatis, quantæ perverſitatis quæſtiones, & infidelitatis calumniæ movebuntur.

* Symm. Ep. 5. ad S. Cæſar'um.
* Innuere.
* S. Leo Ep. 46.
* S. Leo Ep. 97. ex Hilarii libris de Trinitate, quos citat.
Matth. 16.

Jam in cæteris diſpenſatio voluntatis paternæ ſit; * ergo partus, & Corpus, poſtque Crux, mors inferni, ſalus noſtra eſt. Humani enim generis cauſſa Dei filius natus ex Virgine eſt, & Spiritu Sancto, ipſo ſibi in hac operatione famulante, & ſua, Dei videlicet, inumbrante virtute, corporis ſibi initia conſevit, & exordia carnis * inſtitutit, ut homo factus ex Virgine, naturam in ſe carnis acciperet, per quam hujus admiſtionis ſocietatem, ſanctificatum in eo univerſum humani generis corpus exiſteret. Et quemadmodum omnes in ipſo per id, quod corporeum ſe eſſe voluit, conderentur; ita rurſum in omues ipſe per id, quod ejus eſt inviſibile, referretur.

* Virgo, partus, & corpus, poſtque crux, mors inferi, ſalus noſtra eſt. *Sic omnino legendum.*
* Inſtruxit.

Dei igitur imago inviſibilis pudorem humani exordii non recuſavit, & per conceptionem, partum, vagitum, & cunas, omneſque noſtræ naturæ contumelias tranſcurrit. Quid tandem dignum a nobis tantæ dignationis * affectu rependetur? Inenarrabilis ergo a Deo originis, unus unigenitus Deus, in corporis humani formam Sanctæ Virginis utero inſertus accreſcit: qui omnia continet, intra quem, & per quem cuncta ſunt, humani partus lege profertur. Ad cujus vocem Archangeli, atque Angeli tremunt, Cælum, & terra, & omnia hujus mundi re-

* Affert.

* Vagitu.

reſolvuntur elementa, * vagitus infantiæ auditur. Qui inviſibilis, & incomprehenſibilis eſt, non viſu, ſenſu, tactuque moderandus, cunis eſt obvolutus.

Hæc ſi quis indigna Deo recolit, tanto ſe majoris beneficii obnoxium confitetur, quanto minus hæc Dei convenerunt majeſtati. Non ille eguit homo effici, per quem homo factus eſt: ſed nos eguimus, ut Deus caro fieret, & habitaret in nobis; ideſt, aſſumptione carnis, unus interna univerſæ carnis incoleret. Humilitas ejus, noſtra nobilitas eſt: contumelia ejus, honnr noſter eſt. Quod ille Deus in carne conſiſtens, hoc nos viciſſim in Deum ex carne renovati. * Plane vitam ſuam neſcit, qui Chriſtum Jeſum ut verum Deum, itá & verum * ignorat hominem. Et ejuſdem periculi res eſt, Jeſum Chriſtum, vel Spiritum Sanctum, Deum non credere, vel carnem noſtri corporis in Chriſtum denegare: *Omnis ergo*, ait, *qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in Cælis eſt: qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui eſt in Cælis.*

* Nam ſic plane.
* Idem S. Leo ibidem ex eodem S. Hilario.
Matth. 10.

Joann. 1.

Hæc *Verbum caro factum* loquebatur, & homo Jeſus Chriſtus, Dominus Majeſtatis docebat, mediator ipſe in ſe ad ſalutem Eccleſiæ conſtitutus, & ipſo illo inter Deum, & homines mediatoris ſacramento, utrimque unus exiſtens, dum ipſe ex unitis in idipſum naturis, naturæ utriuſque res eadem eſt; ita tamen, ut neutro careret in utroque, ne forte Deus eſſe homo naſcendo, delineret: & homo rurſum, Deus manendo, non eſſet. Hæc itaque humanæ beatitudinis Fides vera eſt, Deum & hominem prædicare, Verbum, & carnem confiteri; neque Deum neſcire quod homo ſit: neque carnem ignorare, quod Verbum ſit. * Natus igitur Unigenitus Deus ex Virgine homo, & ſecundum plenitudinem temporum in ſemetipſo profuturus in Deum Hominem, hunc per omnia Evangelici ſermonis modum tenuit, ut ſe Dei Filium credi doceret, & hominis Filium prædicaret, & admoneret, loquens, & gerens homo univerſa, quæ Dei ſunt; loquens, & gereus deinde Deus univerſa, quæ hominis ſunt; ita tamen, ut ipſo illo utriuſque generis ſermone, nunquam niſi cum ſignificatione hominis loquutus ſit, & Dei.

* Idem eadem Epiſt. ex eodem S. Hilario.

* Hinc.

Hæc * itaque ſallendi ſimplices, atque ignorantes, hæreticis occaſio eſt, ut quæ ab eo ſecundum hominem dicta ſunt, dicta eſſe ſecundum Divinæ Naturæ infirmitatem mentiantur: & quia unus, atque idem eſt loquens omnia, quæ loquitur de ſemetipſo, omnia eum de Divinitate loquutum eſſe contendant. Nec ſane negamus, totum illum, qui ei manet, naturæ ſuæ eſſe ſermonem. Sed ſi Jeſus Chriſtus & homo, & Deus, & neque cum homo ſit, tum primum Deus, neque tum, cum & homo ſit, & Deus, tum non etiam & Deus, neque poſt hominem in Deo, non totus homo, totus Deus, unum, atque idem neceſſe eſt dicatur ejus eſſe ſacramentum, quod generis. Et cum in eo ſecundum tempus diſcernis hominem a Deo, Dei tunc, atque hominis diſcerne ſermonem. Et cum Deum, atque hominem in tempore confiteris, Dei tunc, atque hominis in tempnre dicta dijudica.

Cum vero ex homine, & Deo, rurſus totius hominis, totius jam Dei tempus intelligis: ſiquidem illud ad demonſtrationem temporis dictum eſt, tempori cooptato quæ dicta ſunt; ut cum aliud ſit ante hominem Deus, aliud ſit homo, & Deus, aliud ſit poſt hominem, & Deum, totus homo, & totus Deus; non confundas temporibus, & generibus diſpenſationis ſacramentum, cum pro qualitate generum, ac naturarum, alium cum ſacramento hominis neceſſe eſt ſermonem fuiſſe non nato, alium adhuc morituro, alium etiam æterno. Noſtri igitur cauſa hæc omnia Jeſus Chriſtus gerens, & corporis noſtri homo natus, ſecundum conſuetudinem naturæ noſtræ loquutus eſt, non tamen omittens naturæ ſuæ eſse, quod Deus eſt. Nam tametſi in partu, & paſſione, & morte naturæ noſtræ rem peregerit, res tamen ipſas omnes virtute naturæ ſuæ geſſit.

Videſne ita Deum, & hominem prædicari, ut mors homini, Deo vero carnis excitatio deputetur? Non tamen ut alius ſit, qui mortuus eſt, & alius ſit, per quem mortuis reſurgit. Spoliata enim carne,

Chri-

Chriſtus eſt mortuus : & rurſus, Chriſtum a mortuis excitans, idem Chriſtus eſt, carne ſe expolians. Naturam Dei in virtute Reſurrectionis intellige : diſpenſationem hominis in morte agnoſce. Et cum ſint utraque ſuis geſta naturis, unum tamen Chriſtum Jeſum eum memento eſſe, qui utrumque eſt. Hæc igitur demonſtranda a me paucis fuerunt, ut utriuſque naturæ formam tractari in Domino noſtro Jeſu Chriſto meminiſſemus : quia qui manens in forma Dei, formam ſervi ſuſcepit, ipſe Divinitatem nequaquam amiſit. Cæterum, Fratres, hortamur vos, ut moneatis eos converti ad Deum.

Unde ſcriptum eſt : *Fili, ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem. Subito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te. Noli anxius eſſe in divitiis injuſtis : nihil proderunt tibi in die obductionis, & vindictæ. Non ventiles & in omnem ventum, & non eas in omni via. Sic enim peccator probatur duplici lingua. Eſto firmus in via Domini, & in veritate ſenſus tui, & ſcientia, & proſequatur te verbum pacis, & juſtitiæ. Eſto manſuetus ad audiendum verbum Dei, ut intelligas, & cum ſapientia feras reſponſum. Si eſt tibi intellectus, reſponde proximo : ſin autem, ſit manus tua ſuper os tuum, ne capiaris in verbo indiſciplinato, & confundaris. Honor, & gloria in ſermone ſenſati, lingua vero imprudentis, ſubverſio illius. Non appelleris ſuſurro, & lingua tua ne capiaris, & confundaris. Super furem enim eſt confuſio, & pænitentia, & * denotatio peſſima ſuper bilinguem : ſuſurratori autem odium, inimicitia, & contumelia. Juſtifica puſillum, & magnum ſimiliter. Noli fieri pro amico inimicus proximo. Improperium enim, & contumeliam malus hæreditabis, & omnis peccator invidus, & bilinguis. Non te extollas in cogitatione animæ tuæ velut taurus, ne forte elidatur virtus tua per ſtultitiam, & folia tua comedet, & fructus tuos perdet, & relinqueris velut lignum aridum in eremo. Anima enim nequaquam diſperdit, qui ſe habet, & in gaudium inimici dat illum, & deducit in ſortem impiorum.*

Eccleſ. 5.

* Devotatio.

Talibus vos exhortationibus, Fratres, viciſſim monetote, & bona ſemper ſectamini, malaque vitate. * Magnis enim ſtudiis (ſecundum Beatum Apoſtolum) prævavendum eſt, *ne Fides, & Diſciplina Domini blaſphemetur*. Et ſi illa nonnunquam ſinenda ſunt, quæ (ſi cæterorum conſtet integritas) ſola nocere non valeant : illa tamen ſunt magnopere prævavenda, quæ recipi ſine manifeſta decoloratione non poſſunt. At ſi ea ipſa, quæ nullo detrimento aliquoties indulgenda credentur, vel rerum, temporumque cogit intuitus, vel acceleratæ proviſionis reſpectus excuſat ; quanto magis illa ſunt nullatenus mutilanda, quæ nec ulla neceſſitas, nec Eccleſiaſtica prorſus extorquet utilitas? Iccirco, Fratres, iſta prætulimus, ut hæ ſpecies, quas non licet offerri ſuper Altare, * juxta Conſtitutionem Apoſtolorum, eorumque Succeſſorum, ad domum Sacerdotum deferantur, & a Sacerdotibus benedicantur, & per ſimplicem benedictionem benedicta, demum a populis ſumantur : fabæ tantum, & uvæ, & cætera, quæ Apoſtoli conſtituerunt, ſuper Altare offerantur. * Optamus igitur, Fratres chariſſimi, & totis Omnipotentem Dominum precibus exoramus, ut dilectionem veſtram in amoris ſui conſtantiam faciat magis magiſque ferveſcere, atque in pace Eccleſiæ in una vos concedat manere concordia. * Admonemus etiam Fraternitatem veſtram, ut in commiſſis vobis animabus ſolerter invigiletis, animarumque magis lucris, quam commodis vitæ præſentis intendatis,

*Gelaſius Ep. 9.
1. Timoth. 6.

* Can. 3.4.5. Apoſtol. ex verſione Dionyſ. Exigui.

*S. Greg. Ep. 52. Lib. 4.

*S. Greg. Ep. 25. Lib. 11.

In continendis vero, ac diſponendis rebus Eccleſiaſticis diligentes cuſtodes exiſtatis, ut ex omni parte ſuſceptum vos condigne geſſiſſe Paſtoris officium, venturus Judex, cum ad judicandum venerit, debeat approbare. * Omnipotens autem Deus ſua vos protectione cuſtodiat, honoremque a Deo vobis collatum, moribus ſervare concedat, atque cum multiplici fructu animas vobis commiſſas ad paſcua æterna adducere, ſibique condigne repræſentare adjuvet, voſque inter Sanctos, & Electos ſuos collocare dignetur. Data 11. Idus Aprilis, Aureliano, & * Marcello Viris Clariſſimis * Conſulibus.

*S. Greg. Ep. 50. Lib. IV.

*Marcellino
* Anno 275. nondum defuncto Felice

EX-

E X C U R S U S V.

Notæ in eam Epiſtolam hiſtoricæ, & dogmaticæ. Porro ſcriptam fuiſſe præcipue adverſus hæreſim Paullii Samoſateni, adhuc graſſantem. Objecta quædam contra illius γνησιότητα enervantur.

LII. NOn poſſumus diffiteri, ingentem difficultatem eſſe ad tuendam auctoritatem hujus Epiſtolæ, prout jacet. Sed tamen certo dici poteſt, fuiſſe Eutychiano Papæ occaſionem valde opportunam ad ſcribendam illam contra Paullum Samoſatenum, qui aliquot annis ante blaſphemo, & putido ore effutierat, & adhuc diſſeminare pergebat, Chriſtum Dominum fuiſſe purum hominem. Ea inſania refutatur in hac Epiſtola, & oſtenditur, fuiſſe quidem hominem in tempore genitum virtute Spiritus Sancti in utero Mariæ ſemper Virginis: ſed ſimul ex æternitate unigenitum Filium Dei, verum Deum, immenſum, & Creatorem rerum omnium: *Inenarrabilis ergo* (inquit inter alia) *a Deo originis, unus Unigenitus Deus, in corporis humani formam ſanctæ Virginis utero inſertus accreſcit: qui omnia continet, intra quem, & per quem cuncta ſunt, humani partus lege profertur.* Et poſt aliqua: *Plane vitam ſuam neſcit, qui Chriſtum Jeſum ut verum Deum, ita & verum ignorat hominem. Et ejuſdem periculi res eſt, Jeſum Chriſtum, vel Spiritum Sanctum, Deum non credere, vel carnem noſtri corporis in Chriſto denegare.*

LIII. Itaque fuit congrua occaſio Pontifici Eutychiano refutandi hæreſim illam, ſicuti fuerat ejus deceſſori S. Felici Papæ, qui legitur eam damnaſſe in Epiſtola quadam ad Eccleſiam Alexandrinam, memorata a S. Cyrillo Alexandrino in Apologia, Vincentio Lirinenſi in Commonitorio Cap. 42. & Concilio Chalcedonenſi Actione I. Sed & ante tempus utriuſque Pontificis a Dionyſio Papa, & Diunyſio alio Alexandrino, damnatus fuerat idem Paullus Samoſatenus cum ſuis erroribus, teſte S. Athanaſio libro de Synodis, circa annum CCLXV. Præterea anno ἀμέσως ſequenti, qui fuit Dionyſii Papæ ſextus, Synodus Alexandrina celebrata fuerat contra illum; cui inter alios fere infinitos (ut loquitur Euſebius Lib. 7. Hiſtoriæ Cap. 21.) interfuere S. Firmilianus Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus, S. Gregorius Neocæſarienſis cognomento Thaumaturgus, ejuſque frater Athenodorus Epiſcopus Ponti. Cæterum Sanctus Dionyſius Alexandrinus eo vocatus, ire non valens ob nimiam ſenectutem, & ægritudinem, ut inquit Idacius in Chronico Cap. 21. miſit literas, quibus Paulli errores execrabatur. Eos ipſe abjuravit, propterea in ſua Antiochena Sede manere permiſſus.

LIV. Verum, uti mos Hæreſiarcharum eſt, aliquanto poſt tempore rediit ad ingenium ſuum, inſtaurata eadem hæreſi, adverſus quam coacta fuit alia Synodus Antiochiæ anno Chriſti CCLXXII. convenientibus illuc finitimarum regionum plurimis Epiſcopis juxta Euſebium, Cap. 23. citati Libri. In quorum præſentia Malchio ejuſdem Eccleſiæ diſertiſſimus Presbyter egregia diſputatione Paullum de hæreſi convicit, propterea Sede ſua pulſum, ſubrogato in ejus locum Domno, omni virtutum genere prædito. Unde & Patres ejus Concilii Synodicam ſcripſerunt ad Dionyſium Papam, & omnes Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopos, in qua narrabant, præter hæreſim Paulli, ejuſdem ſacrilegia, fraudes, rapinas, turpitudines, luxuriam, ſaltum in ſedendo, & incedendo, quin & adeo irreligioſum fuiſſe, ac deveniſſe eo impietatis, ut in locum Pſalmorum, ſive cantuum ſacrorum, ſolenniſſimo Paſchatis die, in media Eccleſia introduxiſſet cantilenas inanes a mulieribus in laudem ſuam paratas. Hic fuit genius, hi mores hominis illius blaſphemi in Filium Dei, cui ſolam naturam humanam conceſſit, Divinam negavit. Et omnibus fere ſæculis experimento compertum eſt, Hæreſiarchas vitiorum mancipia fuiſſe, Deo id juſte permittente. Atque inde aliqua utilitas oritur, ne reliqui homines fidem præſtent in doctrina iis, quorum execrabilis eſt vita. Nempe antiqua, & vera ſententia eſt illa: Quorum vita contemnitur, doctrina deſpicitur.

LV. Sed quamvis Paullus eum ſua hæreſi in ea Synodo damnatus fuiſſet, ac Sede ſua ejectus, immo & domo Epiſcopali (quam deſerere nolebat) expulſus Decreto Imperatoris Aureliani, quem appellaverat (primo exemplo tunc introducto appellationum a judiciis Eccleſiaſticis ad Principes ſæculares) non propterea aut depoſuit errorem, aut is extinctus fuit, ſed diu permanſit in plurimis hominibus ab illo ſeductis, qui Paullianiſtæ dicti fuerunt, & ita nominantur execrationis cauſa in Concilio Nicæno Can. XIX. ubi & poſt ſui converſionem baptizandi intra Catholicam Eccleſiam decernuntur, veluti qui intra ſectam Paulli Samoſateni irritum, & inane Baptiſma accepiſſent.

LVI. Hæc cum ita ſint, habuit plane Eutychianus Pontifex cauſſam ſcribendi Epiſtolam hanc ad Hiſpanos contra hæreſim Paullianiſtarum, anno circiter CCLXXVI. id eſt, triennio aut quadriennio poſtquam illa in ſecunda Synodo Antiochena, nuper memorata, fuerat proſcripta. Et quemadmodum Patres Antiocheni illam damnantes, naturam Divinam, atque humanam in Chriſto Domino aperte confeſſi ſunt, ac verum Deum ſimul, & hominem agnoverunt: ita & Eutychianus ad extirpandum errorem illum adhuc graſſantem, cenſuit opportunum, aut neceſſarium, ſcribere ad Epiſcopos Hiſpaniæ (fortaſſis etiam ad alios, quamvis literæ non extent) ea de re.

LVII. Notanda vero maxime, & lectu digniſſima ſunt verba quædam prædictæ Epiſtolæ Synodalis præcipuorum Epiſcoporum, Hymenæi, Theophili, Theotecni, Maximi, Procli, & Boleni, adverſus errorem ejuſdem Paulli, quæ attentius legi, & conſiderari velim a recentibus Paullianiſtis, Photinianis, Socinianis, & aliis noſtri ſæculi Ariomanitis. Profitentur Antiocheni Patres, *ſe tradere Fidem, quam acceperant ab initio, habuerantque traditam, & conſervatam in Catholica Eccleſia, uſque in hodiernum diem, per ſucceſſionem ab Apoſtolis; & qui oculis ſuis viderunt, & adminiſtri facti ſunt Verbi, prædicatum ex Lege, & Prophetis, & Novo Teſtamento.* Mox ſubjungunt, juxta cam antiquam Fidem, Chriſtum eſſe, σοφίαν καὶ λόγον, καὶ δύναμιν Θεοῦ, πρὸ αἰώνων ὄντα, οὐ προγνώσει, ἀλλ' οὐσίᾳ, καὶ ὑπο-

Digitized by Google

ὑπόστασιν Θεὸν, Θεοῦ υἱὸν, ideſt, *Sapientiam & Verbum, virtutemque Dei, ante ſæcula exiſtentem, non ſola præſcientia, ſed ſubſtantia, & ſubſiſtentia Deum, Dei Filium.* Quid illuſtrius?

LVIII. Hoc ergo ipſum fere profitetur Eutychianus Papa in præſenti Epiſtola adverſus eundem Paullum, & ipſius ſequaces; ut qui non ceſſerant Synodicæ damnationi ejus hæreſeos, cederent ſaltem Sedi Apoſtolicæ, ſive Romano Pontifici ex Cathedra definienti veritatem Naturæ Divinæ, & humanæ in Chriſto homine; ſeu potius illam declaranti. Nam ea veritas non ſolum in ſacris Literis teſtata habetur variis locis, ſed etiam perpetuo credita, & palam tradita fuerat ab Apoſtolis, eorumque Succeſſoribus, & Patribus, ac Scriptoribus Eccleſiaſticis uſque ad Pontificatum Eutychiani ipſius, ut fuſe oſtendimus in Prolegomenis editionis Romanæ ad Tomum II. Theologiæ S. Anſelmi. Huc enim, inter alia, potiſſimum ſpectant illa Eutychiani verba: *Hæc itaque humanæ beatitudini: Fides vera eſt, Deum & hominem prædicare, Verbum & carnem confiteri: neque Deum neſcire, quod homo ſit, neque carnem ignorare, quod Verbum ſit.*

LIX. Hiſce jam conſtitutis, ſuperſunt difficultates aliquot Criticorum adverſus ejuſdem Epiſtolæ auctoritatem. Imprimis obſtare videntur aſſumenta plura ex Patribus poſterioribus mutuata initio illius toto Capite primo, nimirum, ex Symmacho Epiſtola v. ad Cæſarium, S. Leone Epiſt. XCVII. (ubi major pars habetur eorum, quæ hoc loco dicuntur ſeqq. Capitibus) Gelaſio Epiſtola IX. ac tandem ex Gregorio Epiſtola LIII. Libri IV. & Epiſtola XXV. Lib. II. & Epiſt. L. Libro IV. Quæ omnia evidenter concludere videntur, ſaltem interpolatam eſſe Eutychiani Epiſtolam, dato quod non ſit cenſenda prorſus ſubdititia.

LX. Non diffiteor, vehementem eſſe ſuſpicionem, ut illa fuerit interpolata, poſitis initio ad marginem teſtimoniis Pontificum ſequentium a quopiam homine docto, veluti exornationis cauſſa; & poſtea a quopiam imprudente, aut ſciolo collocatis intra corpus ejuſdem Epiſtolæ, ut ſæpe alias monui, præſertim Diſſert. IV. Idque facile potuit contingere, ſive ante, ſive poſt tempus S. Iſidori, qui ſane ſolum collegit illas Pontificum Epiſtolas, prout circumferebantur uſque ad tempus ſuum circa annum DCXX. paullo poſt celebratum ab ipſo Concilium Hiſpalenſe II. ut Diſſertatione I. oſtenſum fuit.

LXI. Vel fortaſſe quiſpiam perſiſtet in eo, quod non ſemel cum Franciſco Turriano, Antonio Auguſtino, Severino Binio, Andrea Sauſſajo, & aliis monuimus, dictumque fuit in hac ipſa Diſſertatione num. 4t. ac ſeqq. facile credi poſſe, Pontifices, & Patres poſteriores mutuaſſe ex antiquioribus ea fragmenta, ſive periodos, aut ſententias, quæ in Epiſtolis prædictis inveniuntur. Sic certe in locis ipſis S. Leonis Papæ paullo ante indicatis, ea quibus litem nobis intentant adverſarii, inveniuntur αὐτολεξεὶ teſtimonia plurima S. Hilarii ſæculo fere integro antiquioris, quin ullus Vir doctus exinde interpolata dixerit S. Hilarii ſcripta aſſumento aliquo ex Epiſtolis poſterioribus Sancti Leonis.

LXII. At dices, eſſe longe diſparem rationem; quia S. Leo iis locis nominatim allegat S. Hilarium, & illius verba exſcribit. Hoc & ipſe fateor. Sed repono adhuc, ſolenne fuiſſe multis antiquorum Patrum in lucubrationes ſuas transferre loca integra antiquorum, etiam non laudatis, ſive allegatis iis; ac de S. Iſidoro ſpeciatim id obſervat Archiepiſcopus Marca (alioqui nobis contrarius) ſubditque vel ex eo capite non modicam apud doctos homines meruiſſe laudem, quamvis alii eam ob cauſſam plagiarii cenſerentur. Itaque fieri potuit, ut poſteriores Pontifices ex prioribus verba uſurparent in Epiſtolis ſuis, etiam nulla ipſorum mentione facta, qualiter omnibus ſæculis facere ſoliti ſunt Romani Præſules, quorum innumeræ Epiſtolæ, & Diplomata certa, atque explorata, magna ſui parte contexta ſunt eiſdem ſententiis, & clauſulis.

LXIII. Sed quid reſpondebimus difficultati a Criticis objectæ ex Conſulatu Aureliani, & Marcelli, ſub quo data ponitur hæc Epiſtola, II. Idus Aprilis? nimirum anno Æræ communis, ſive vulgaris, aut Chriſtianæ CCLXXV. Opponunt enim, eo die Aprilis adhuc ſuperſtitem fuiſſe Felicem Eutychiani deceſſorem, utpote mortuum eo anno, III. Kal. Junii, juxta Librum Pontificalem ab Holſthenio correctum.

LXIV. Certe mirum eſt, eruditiſſimum Philippum Labbe, aliſque ſimiles Scriptores, ob levem hunc ſcrupulum rejeciſſe, aut ſuſpectam habuiſſe Epiſtolam præjactam, ubi ſoliti ſunt errata longe majora diſſimulare in aliis veterum monumentis, præſertim ubi e re ipſorum eſt. Imprimis ergo dicimus, vere Conſules fuiſſe eo anno CCLXXV. Aurelianum, & Marcellum, ſeu Marcellinum, ut in quibuſdam exemplaribus Faſtorum habetur. Itaque potuit ſub eorum Conſulatu Eutychianus eam Epiſtolam ſcribere. An vero eo ipſo anno viveret adhuc die ſecundo Aprilis S. Felix Papa, non ſatis conſtat, cum ejus Pontificatus a quibuſdam longior, a quibuſdam brevior ponatur. In duobus mſs. Florentinis eidem tribuuntur anni quatuor, menſes vero in uno eorum ſex, in altero tres. In Ponificali ſub nomine Damaſi ſcripto, dumtaxat numerantur duo anni, menſes decem, dies viginti quinque. In tanta autem varietate incertum eſt, quonam anno diem obierit Felix; & fortaſſe accidit, non ſub Conſulatu Aureliani, & Marcelli, qui contigit anno CCLXXV. ſed Aureliani, & Julii Capitolini, incidentis anno proxime præced. CCLXXIV. juxta Onuphrium, & alios, quos noviſſime ſequitur Pagius. Hac autem ratione inita, potuit abs dubio Eutychianus toto anno CCLXXV. Pontificatum gerere, ac proinde Epiſtolam hanc dare II. Idus Aprilis, uti in ea habetur. Quod ſi vero quis id contentioſius neget, erratum erit in ſolo menſe, quod paſſim diſſimulatur in mille aliis monumentis antiquorum certis, & exploratis.

LXV. Hactenus licuerit præmittere Apparatum ad Concilia Hiſpaniæ, & explanationem ac defenſionem tum Præfationis S. Iſidori, tum etiam Collectionis eorundem ab ipſo factæ. Nunc accedamus jam ad ea exhibenda, quotcumque ad Hiſpaniam ſpectant. In omnibus vero

vero Collectionibus præmitti ſolet ORDO CELEBRANDI CONCILIUM, quem Hiſpanica Eccleſia ab antiquiſſimo tempore obſervavit. Illum itaque huc loco exhibendum cenſuimus.

JOSEPHI CATALANI ADDITIO.

Tametſi ea ſit hodie communis omnium Eruditorum ſententia, dues Decretales Epiſtolas, quæ Euthychiano Papæ tribuuntur, primam ad omnes per Bœticam Provinciam conſtitutos Epiſcopos, ſecundam ad Epiſcopos Siciliæ, ſuppoſititias eſſe, quia ſcilicet præter alia ſuppoſitionis indicia, integra in iis loca poſteriorum Pontificum recitentur; fateri nihilominus cogimur, haud levia eſſe retionum momenta, quibus præſtantiſsimus Cerdinalis de Aguirre, conatus eſt primam Epiſtolam Decretalem Euthychieno Pontifici vindicare. Porro inter alie, quæ in ipſa Epiſtola ſaneita ab Euthychiano Pxpa dicuntur, unum eſt, quod hic Pontifex conſtituit, fruges fabas, & uvas ſuper Altari benedici. Extat hoc idem Decretum tanquam ab eo editum in Libro Pontificali, ubi illius Vita refertur, his verbis: *Hic conſtituit, ut fruges ſuper Altare tantum fabæ, & uvæ benedicerentur*. Non quod id ante non fieret, ſed quod nondum id eſſet ſanctione Decretum; uti inter alios notat Sendinus in Vita ejuſdem Eutychiani Pontificis.

Quod uverum benedictionem ſpectat, fiebat illc die feſto S. Sixti Pepæ II. id eſt die VI. Auguſti, legiturque ea benedictio in Libro Sacramentorum S. Gregorii, apud Menardum, a quo quædam adduntur in Notis. Hanc ipſam hebent Græci die item VI. Auguſti in Euchologio edito a Jacobo Goar. Ritus autem ejus ſic deſcribitur ipſa die S. Sixti, in antiquo Miſſali Lugdunenſi, apud Joannem Cardinalem Bonam, Lib. II. *Rerum Liturgicarum*, Cep. XIV. & Edmundum Martene in ſuo Opere, *De antiqua Eccleſiæ diſciplina in Divinis celebrandis Officiis*, Cap. XXXIII. *De Feſtis Julii & Auguſti*, ed VIII. Idus Auguſti: *In Canone Miſſæ antequam Sacerdos dicat*, Per quem hæc omnie Domine ſemper bona creas, *ponantur a Diacono ſuper Altare ad partem dextram prope manum Sacerdotis dextrum acini uvarum in vaſe mundo, & Sacerdos dicat*, Benedic Domine hos fructus novos uvæ, quos tu Domine rore Cæli, & inundantia pluvierum, & temporum ſerenitate, atque tranquillitete ad meturitatem perducere dignatus es, & dediſti eos ad uſus noſtros cum gratiarum actione percipere in Nomine Dumini noſtri Jeſu Chriſti. *Deinde Sacerdos aſpergat acinos uvarum, aqua benedicta, & poſtea ſubjungat*, Per quem hæc omnia. *Diaconus vero elevet vas acinorum de Altari, & tradat Vicemagiſtro Chori*. Quo accepto, *ipſe videlicet Vicemagiſter Chori diſtribuat acines uvarum omnibus de conventu in Choro exiſtentibus, & omnibus aliis laicis in Eccleſia*. Vide plure de hoc ritu explicata a nobis Tomo noſtro II. Conciliorum in Commentario ad Canonem XXVIII. Synodi Trullanæ, in quo verios de ipſa benedictione Ritue es Codices recenſuimus.

Teſte Auctore Libri Pontificalis, & ut habetur etiam in prædicta Epiſtola ad Epiſcopos per Provinciem Bœticem conſtitutos, quæ Eutychiani Papæ nomine circumfertur, cavit is etiam Pontifex, nequis Mertyrem ſepeliret *ſine Dalmatica, aut Colobio purpurato*. Quod Decretum ite explicat præſtentiſſimus Blanchinus in Notis ad Anaſtaſium Bibliothecerium Tomo 2. Parte 2. peg. 244. *Vindicandorum Martyrum curam promovens cautus Pontifex, providenter præcepit, ut adderentur indicia certa Martyrii in eorum depoſitione. Adhiberi mandavit Colobium, aut Dalmaticam non qualemcumque, ſed purpuratam ad involvendos Martyres, quos etiam purpuratos vocare conſuevit Eccleſia in Hymn. omnium Sanctorum*. Vos purpurati Martyres.
Ante hoc Decretum Eutychiani conſueverunt Chriſtiani ſacra Martyrum Corpora ſepelire cum linteis ipſorum ſanguine reſperſis. Quid ſint Colobium, & Dalmatice, explicuimus nos Tomo I. Romani Pontificalis in Prulegomenis, de iiſque ſacris veſtibus trectant paſſim tum veteres, tum recentiores rerum Liturgicarum Scriptores. Ceterum Colobie, & Dalmaticæ erent Tunicæ talares. In eo autem diſtebant Dalmaticæ a Tunicis, & Colobiis, quod Dalmeticis amplæ erant manicæ, Tunicis ſtrictæ, Colobiis vel nullæ, vel breviores. Vox Dalmatica oppido antique eſt, ejuſque meminit Pontius in Vita S. Cyprieni ſub finem: *Et cum ſe Dalmatica ſpoliaſſet, & Diaconibus tradidiſſet, in Linea ſtetit*. Fuſe de iis, aliiſque Sacris veſtibus diximus nos Tomo I. Romani Pontificelis in Prolegomenis, & in alio Opere, quod inſcripſimus, *De Codice Sancti Evangelii, atque ſervatis in ejus lectione, & uſu variis ritibus*, Libro II. Sequioribus ſeculis, quod non modo Pontificibus, verum etiam ipſis Dieconis honos ille tribueretur, ut cum Dalmaticis ſepelirentur, ut S. Gregorius indicat Lib. 4. Dielogorum, Cap 40. jem idem S. Gregorius Lib. 4. Epiſtola 44. ſancivit, ne feretrum quo Romani Pontificis Corpus ad ſepeliendum ducitur, Dalmaticis tegeretur. Momoria tandem S. Eutychiani Papæ in multis Martirologiis legitur, quæ non eſt opus hic referre.

APPARATUS AD CONCILIA HISPANIÆ

PARS TERTIA

De Ordine ſervato in Conciliis Hiſpaniæ.

IN *collectionibus, tum mſs. tum excuſis Conciliorum, ante omnia illa præmitti ſolet* Ordo celebrandi Concilia, *ſimiliter &* Via Regia, *atque* Exhortatio ad Regem. *Quæ Scripta, ſive Opuſcula videntur primo concepta, atque in uſum, ſanctionemque deducta apud Concilia Hiſpaniarum, ut patebit ex eorum contextu, & obſervationibus noſtris. Ea itaque omnia hoc loco exhibere viſum, antequam Concilia ipſa proferamus.*

ORDO

ORDO CELEBRANDI CONCILIUM.

Incipit Ordo de celebrando Concilio.

Hora itaque diei prima ante Solis ortum ejiciantur omnes ab Eccleſia; obſeratiſque foribus, cuncti ad unam januam, per quam Sacerdotes ingredi oportet, Oſtiarii ſtent. Et convenientes omnes Epiſcopi pariter introeant, & ſecundum ordinationis ſuæ tempus reſideant. Poſt ingreſſum omnium Epiſcoporum, atque conſeſſum, vocentur deinde Presbyteres, quos cauſſa probaverit introire. Nullus inter eos * audeat ingredi Diaconorum. Poſt hos ingrediantur Diacones probabiles, quos ordo popoſcerit intereſſe; & corona facta de Sedibus Epiſcoporum, Presbyteres a tergo eorum reſideant, Diacones in conſpectu Epiſcoporum ſtent; deinde ingrediantur * & laici, qui electione * Concilii intereſſe meruerint. Ingrediantur quoque & Notarii, quos ad recitandum, vel ad excipiendum ordo requirit, & obſerentur januæ. Sedenteſque in diuturno ſilentio, * dicat Archidiaconus: *Orate*; ſtatimque omnes in terra proſtrabuntur, & orantibus diutius tacite cum fletibus, atque gemitibus, unus ex Epiſcopis ſenioribus ſurgens, Orationem palam fundat ad Dominum, cunctis adhuc in terra jacentibus, dicens:

II. Adſumus, Sancte Spiritus, adſumus: peccati quidem * humanitate detenti, ſed in Nomine tuo ſpecialiter adgregati. Veni ad nos, * adeſto nobis, & dignare inlabi cordibus noſtris: doce nos quid agamus, quo gradiamur oſtende, * quid efficiamus operare. Eſto ſolus, & ſuggeſtor, & effector judiciorum noſtrorum, qui ſolus cum Deo Patre, & Filio nomen poſſides glorioſum. Non nos patiaris perturbatores eſſe Juſtitiæ, qui * ſumme diligis æquitatem. Ut ſiniſtrum nos non ignorantiæ trahat, non favor inflectat, non acceptio muneris, vel perſonæ corrumpat; ſed junge nos tibi efficaciter, ſolius tuæ gratiæ dono, ut ſimus in te unum, & in nullo deviemur a vero; qualiter in Nomine tuo collecti, ſic in cunctis teneamus * cum moderatione pietatis juſtitiam, ut hic a te in nullo diſſentiat ſententia noſtra; & in futuro pro bene geſtis conſequamur præmia ſempiterna. Amen.

Te condonante, qui cum Patre, & Filio unus permanes Deus, per infinita ſæcula ſæculorum.

In qua Oratione, nec Oratio * paterna, nec benedictio; ſed ipſa ſolummodo Oratio confirmetur. Quando autem plurimi Metropolitani fuerint, * tunc ab altero hæc Oratio dicatur:

Alia.

Domine, qui nos juſtitiam loqui, & quæ recta ſunt, præcipis judicare, tribue nobis, ut nec iniquitas in ore, nec pravitas inveniatur in mente, ut puro corde purior ſermo conſentiat, procedat in operibus juſtitia, nec appareat dolus in lingua.

A tertio vero Metropolitano, loco tertio hæc Oratio pronunciatur.

Jeſu Domine, qui ſacro verbi tui Oraculo promiſiſti, ut ubi duo, vel tres in Nomine tuo fuerint adgregati, medius dignareris adeſſe, adeſto cœtui noſtro propitius, & cor noſtrum perluſtra miſericors, ut ita rectum juſtitiæ tramitem teneamus, ne a bono miſericordiæ aliquatenus aberremus. *Alia.*

Diſſolve, Domine, noſtrarum mentium ligaturam, & obligationis impiæ confringe catenam, ut tibi laudem pro liberatione reddamus, cujus ultionem pro tranſgreſſione paveſcimus.

Alia.

Deus, qui veritatem loqui filios hominum cupis, & eorum caſto judicio delectaris, mentem nos dignare habere rectam, ut poſſimus labiis veram depromere juſtitiam.

III. Finita autem Oratione, & reſponſo ab omnibus, *Amen*, rurſus dicit Archidiaconus: *Erigite vos*. Et confeſtim omnes ſurgant, & cum omni timore Dei, & diſciplina, tam Epiſcopi, quam Presbyteri ſedeant. Sicque omnibus in ſuis locis in ſilentio conſidentibus, Diaconus Alba indutus, Codicem * Canonum in medio proferens, Capitula de Conciliis in-

Ex Lib. Vvigilano, ſive Albeldenſi, qui aſſervatur in Bibliotheca Regia D. Laurentii ms. longe vetuſtiora, & correctiora hæc ſunt, quā quæ impreſſa circūferuntur. Vide Conc. Tol. IV. C. 4.

* Se ingerat. Presbyteris & Diacon qualiter ad Concil. admittantur.

* Laici quoque.

* Concilio.

* Atque cor totum habentes ad Dominum Sacerdotes.

V. de Concil. Tol. an. 1592. ad finem.

* Immanitate.

* Eſto nobiſcum.

* Quid efficere debeamus, ut te auxiliante, tibi in omnibus placere valeamus.

* Summam.

* Moderamine.

* Dicatur.

* Hæc verba non extant in ms. Juſtelli.

* Forte ie Codex Canonum erat, qui a tempore Sancti Leonis Papæ ubique re-

ceptus fuerat, & cujus mſs. duo extant nunc in Monaſterio Rivipoll. Cataloniæ. Vide Diſſert. 11. ſupra. Succeſſit Collectio Canonum elaborata a S. Iſidoro Hiſpalen. qui fuit Præſes hujus Concilii IV. Toletani, & illam perfecerat poſt Côcil. Hiſp. II. coactum anno 619.

agendis pronunciat: ideſt, ex Concilio Chalcedonenſi, Era XVIII. item ex Capitulis Orientalium Patrum, quæ Martinus Epiſcopus de Græco in Latinum vertit, Era XVIII. de Synodo facienda. Item ex Concilio Toletano IV. Era III. Item ex Concilio Agathenſi Era * XVI. ſive ex Sermone Sancti Ambroſii de pace, vel aliud de Canonibus, quod Metropolitano aptius viſum fuerit, ut legatur. Finitiſque Titulis, Metropolitanus Epiſcopus Concilium alloquitur, dicens:

Exhortatio.

IV. Ecce Sanctiſſimi Sacerdotes, præmiſſis Deo precibus, Fraternitatem veſtram cum pia exhortatione convenio, & per Divinum Nomen obteſtor, ut ea, quæ a nobis de Deo, de Sacris Ordinibus, vel * veſtris moribus, vobis fuerint dicta, cum omni pietate ſuſcipiatis, & cum ſumma reverentia perficere intendatis. Quod ſi forſan aliquis veſtrum aliter quam dicta fuerint, ſenſerit, ſine aliquo ſcrupulo * con notionis, in noſtrorum omnium * collatione; ea ipſa, de quibus dubitaverit, conferenda reducat, qualiter Deo * mediante, aut doceri poſſit, aut doceat. Deinde ſimili vos obteſtatione conjuro, ut nullus veſtrum in judicando, aut perſonam excipiat, aut quolibet favore, vel munere pulſatus, * a veritate diſcedat, ſed cum tanta pietate quidquid cœtui noſtro ſe judicandum intulerit, ut nec diſcordans contentio ad ſubverſionem juſtitiæ inter nos locum inveniat, nec item in perquirenda æquitate vigor noſtri ordinis, vel ſolicitudo tepeſcat.

* XXXV.
* Sanctis.
* Contentionis.
* Copulatione.
* Auxiliante.
* A juſto judicio ſcienter avertatur.
* Hanc exhortationem.

V. Poſt * allocutionem Concilii, qua Metropolitanus ſolet Synodum alloqui univerſalem, ſtatim Rex cum ſuis Optimatibus ingreditur in Concilium, & imprimis corona Sacerdotum poſt ſe dimiſſa, ad Altare converſus, ibi Orationem dicit; ſed ipſa Oratione ſupra acta, ad Concilium converſus dicit, & humo * proſtratus, atque inde ſe erigens, & ſe ipſum precibus Sacerdotum commendat, & adloquendo Concilium, ut juſtiſſime agant, religioſa exhortatione inſinuat. Poſtquam autem expleverit exhortationem ſuam a Diacono dicitur, *Oremus*.

* *Ita legendū. non homo, ut eſt apud Binium.*

Ritus converſionis ad Orientem antiquus in Eccleſia.

VI. Tunc Rege converſo ad Orientem, omnes Sacerdotes in terra pariter proſternantur, ſicut & prius; ſicque dicatur hæc Oratio Dominica.

Rex Deus, a quo Regum regitur Regnum, quo gubernante ſublime, quo deferente, ſit fragile, Famulo tuo N. ſolers moderator adſiſte. Da ei, Domine, Fidei rectitudinem firmam, & Legis tuæ cuſtodiam indefeſſam: ita morum honeſtate præpolleat, ut tuæ majeſtati complaceat; ita nunc præſit populis, ut coronetur poſt tranſitum cum electis. Pater noſter.

Benedictio.

VII. Benedicat tibi, Sereniſſime Princeps, virtutum Dominus, & Omnipotens Deus. Amen,

Inſpiret tibi ſacere miſericordiam, & temperare juſtitiam. Amen.

Qui tibi tribuit Regnum, ipſe cor tuum conſervet inlæſum a nocibilitate omnium populorum. Amen.

Et qui conventum noſtrum pro Domino veneraris, cum tuis omnibus poſt longa ſæcula coroneris. Amen.

Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui cum Deo Patre, & Sancto Spiritu, unus Deus gloriatur in ſæcula ſæculorum.

Qua benedictione ſuſcepta dicitur illi a Diacono:

In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, ite cum pace.

* *Hæc verba procul dubio addita fuerunt longe poſt Concil. IV. Tolet. & plurimis annis poſt obitū S. Iſidori Hiſpal. qui an. 636. obiit. Conciliū autem XI. quod hoc loco citatur, habitum fuit an. 675.*
* Humanitas.

VIII. Sicque cunctis reſpondendum eſt: *Deo gratias*. Statimque idem Princeps ſecedit a conventu Concilii. Poſt egreſſum igitur Regis, & exhortationem Metropolitani, quæ prius dicta eſt, introibunt omnes quique fuerint Presbyteres, Diacones, vel Religioſi ad audiendam doctrinam. Sicque Archidiaconus lecturus eſt Canonem Toletani * Concilii XI. Era I. *Ne tumultu Concilium agitetur*. Quo Canone perlecto, ſtatim Concilium Epheſinum ex ordine perlegetur: deinde conlatio pariter, & inſtructio de Myſterio Sanctæ Trinitatis habebitur, ſimulque & ordinibus Officiorum, ſi in omnium ſedibus ejuſdem celebritatis * unitas teneatur. Pro his quoque cauſſis, prout ſpatium diei permiſerit, & Epiſtolæ Papæ Leonis ad Flavianum Epiſcopum de erroribus Eutychetis, & Myſterio Sanctæ Trinitatis legendæ ſunt, Canones quoque de unitate officiorum.

IX. Nec

IX. Nec aliud aliquid ante * tranſibitur, quam iſta omnia explicentur; ita tamen ut in totis tribus diebus Litaniarum nihil aliud agatur, nec retractetur, niſi ſola conlatio de Myſterio Sanctæ Trinitatis, & de Ordinibus Sacris, vel officiorum inſtitutis; itaut hæc tota * peragantur per iſtos tres dies; nihil aliud, ſicut jam dictum eſt, niſi ſola quæſtio, de his, quæ prædicta ſunt, habeatur, itaut lectio ſemper congruens* cauſſam ordinis, quæ quærenda eſt, antecedat.

*Tranſeatur.
* Partiantur.
* Ordini, & cauſſæ.

Item Oratio in ſecundo die in inchoatione Concilii dicenda .

Noſtrorum tibi, Domine, curvantes genua cordium, quæſumus, ut bonum, quod nobis a te requiritur, exequamur; ſcilicet, ut prompta tibi ſolicitudine gradientes, diſcretionis arduæ ſubtile judicium faciamus, ac miſericordiam diligentes, clareamus ſtudiis tibi placitæ actionis.

Item Oratio die tertio, quæ inchoatione Concilii dicitur .

A te, Domine, interni clamoris vocibus * unanimiter poſtulamus, ut reſpectu tuæ gratiæ ſolidati, præcones veritatis efficiamur intrepidi, tuumque valeamus verbum cum omni fiducia loqui. *

* Proclamantes.
* *Hic finitur editio Surii .*

X. Poſt hæc in quarto die reliquæ cauſſæ per ordinem admittendæ ſunt. Sicque omnes, qui de Religioſis in retro actis diebus pro ſpirituali inſtructione interfuerunt Concilio, foris egredientur; reſidentibus aliquibus Presbyteris in Concilio, quos Metropolitanus * ordinaverit honorandos. Per ſingulos tamen illos tres dies Litaniarum Epiſcopi, vel Presbyteres cum admonitore primum Orationibus * proſtrabuntur. Sicque collecta a Metropolitano Oratione, & dicente Diacono : *Erigite vos*, conſurgent, & de Divinis tantum, ut dictum eſt, rebus conlationem habebunt. In reliquis tamen diebus, eunctis adſtantibus, Oratio colligenda eſt. Et ſic conſidentes cauſſarum negotia * judicabunt. Nullus tamen tumultus, aut inter conſidentes, aut inter adſtantes habebitur. Eodem autem modo, eodemque ordine ad Concilium omnes per ſingulos dies ingrediantur, quo ſuperius jam præmiſſum eſt. Nam etſi Presbyteres, & reliqui, aut Diaconus, Clericus, ſive Laicus de his, qui foris ſteterint, Concilium pro qualibet re crediderit appellandum, Eccleſiæ Metropolitanæ Archidiacono cauſſam ſuam intimet, & ille Concilio denunciet; tunc illi & introeundi, & proponendi licentia concedatur. Nullus autem Epiſcoporum a cœtu communi ſecedat, antequam hora generalis ſeceſſionis adveniat. Concilium quoque nullus ſolvere audeat, niſi fuerint cuncta determinata: ita ut quæcumque deliberatione communi finiuntur, Epiſcoporum ſingulorum manibus ſubſcribantur. Ita tamen, ut ante duos, vel tres dies, quam ſolvatur Concilium, omnes Conſtitutiones a ſe editas diligenti conſideratione retractent. * Item in die, qua Concilium abſolvendum eſt, Canones, qui in Sancta Synodo conſtituti ſunt, coram Eccleſia in publico relegantur. Quibus explicitis, reſpondetur : * *Amen* .

* Probaverit.
* Se proſternant.
* *Juſte, & religioſe cogitent.*
* Singulatim.
* Ne in aliquo offendiſſent.
* In Choro.

XI. Deinde ad locum redeuntes, ubi in Concilio reſidebant, Canones ipſos ſubſcripturi ſunt. Admonendi quoque a Metropolitano ſunt de Paſcha ventura, * quoto veniet. Admonendi ſunt etiam, quo tempore, ſuperveniente anno ad Concilium faciendum veniant, & eligendi etiam de Epiſcopis, qui cum Metropolitano dies feſtos * Nativitatis Domini, & Sanctum Paſcha debeant celebrare. Poſt hæc, dicente Archidiacono, *Oremus*, omnes ſimul in terram pariter proſtrabuntur : ubi diutiſſime orantibus, hanc unus ex Majoribus Orationem dicturus erit :

Oratio .

XII. Nulla eſt, Domine, humanæ conſcientiæ virtus, quæ inoffenſe poſſit tuæ voluntatis judicia expedire. Et ideo quia imperfectum noſtrum viderunt oculi tui, perfectioni deputa, quæſumus, quod perfecto æquitatis fine concludere præoptamus: te in noſtris principiis * occurſurum popoſcimus; te quoque in hoc fine judiciorum noſtrorum indultorem noſtris exceſſibus ſperamus; ſcilicet, ut ignorantiæ parcas, errori indulgeas, ut perfectis votis perfectam efficaciam largiaris. Et quia conſcientia remordente tabeſcimus, ne aut ignorantia nos traxerit in errorem, aut præceps forſan voluntas impulerit juſtitiam declinare, ob hoc te poſcimus, te rogamus, ut ſi quid offenſionis in hac Concilii celebritate adtraximus, te condonante, remiſſibile habeamus, ut in eo,

* Venturo, quo veniat die. Vide Epiſt. 95. S. Leonis ad Epiſcopos Galliæ, & Hiſpan. circa Feſtum futurum Paſchæ ann. 455. Recole etiam dicta in ſuperioribus Diſſert. VIII. n. 11. & ſeqq.
* Natalis.
* Occurſore.

quod

quod ſoluturi ſumus adgregatum Concilium, a cunctis primum abſolvamur noſtrorum nexibus delictorum: qualiter, & transgreſſores venia, & confitentes tibi ſubſequatur remuneratio ſempiterna. Per Dominum &c.

Benedictio.

XIII. Patris Dei Filius, qui eſt initium, & finis, complementum vobis tribuat charitatis. Et qui vos ad expletionem hujus fecit pervenire Concilii, abſolutos vos efficiat ab omni contagione delicti. Amen.

Ut ab omni reatu liberiores effecti, abſoluti etiam per donum Spiritus Sancti, felici reditu veſtrarum Sedium cubilia repetatis inlæſi. Amen.

Præcedente lumine Divinitatis Domini noſtri, qui omnia regit in ſæcula ſæculorum.

In margine erat: Huic oratio paterna adjungitur, & cunctis adhuc tacentibus, hæc Benedictio explicatur.

Quibus explicitis, dum dictum fuerit ab Archidiacono: *Erigite vos*; omnes illico pariter exſurgentes, reſidente Metropolitano, ab ipſo primum incipientes, oſculum ſibi invicem omnes pariter dabunt. Sicque poſt datam ſibi invicem pacem, dicit Diaconus:

In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti eamus cum pace. Deo gratias.

Et ſic conventus totus abſolvitur.

EXHORTATIO AD PRINCIPEM,

ALIAS

VIA REGIA.

Ex Cod. Alveldenſi Bibliothec. Regi D. Laurentii, & Regi Monaſterii S. Æmiliani.

DEus Omnipotens, o Clariſſime Rex, quando voluit, & ubi voluit, de Regali, nobilique genere te nobiliter procreavit, & miſericorditer ad lavacrum regenerationis perduxit; caput tuum Sacri Chriſmatis oleo linivit, & dignanter in filium adoptavit; conſtituit te Regem populi terræ, & proprii Filii ſui in Celo fieri juſſit hæredem: his etenim ſacris ditatus muneribus, rite portas Diadema Regis; primum, quia de ſemore Regis, Regalique deſcendis proſapia, decenter tibi convenit, & bene multa regere Regna. Secundo, quia te Regem eſſe, & Sacri Chriſmatis unctio, & Fidei conſeſſio, operiſque confirmat, & actio. Tertio, quia ut æternum cum Chriſto perciperes Regnum, miſericorditer adhuc te parvulum Rex Regum adoptavit in filium. Hæc te perſpicua, claraque indicia ab infantia Regem clamitant, Regemque confirmant. Supereſt, ut hæc ipſa Regalia, quæ percepiſti bona a Domino munera, ſolicite ſalva cuſtodias, & operibus pariter, moribuſque defendas: exiguo etenim tempore in hac, qua vivimus, morabimur vita, quia viam univerſæ carnis pergimus, & celeri curſu ad promiſſam quotidie patriam feſtinamus. Reſtat ergo, ut de illa tantum ſolicite interrogemus via, quæ nos a latronibus tutos, vitiiſque deſæcatos, deſideratam feliciter ducat ad patriam: hortatur etenim nos de hac re Propheta, cum dicit: *State ſuper vias, & videte, & interrogate de ſemitis antiquis, & videte, quæ ſit via bona, & ambulate in ea, & invenietis requiem animabus veſtris*. Solicite ergo hæc a nobis, diſcreteque quærenda eſt via, quæ nos ſalvos ad requiem perducat æternam: & quum, Domino nobis monſtrante, fuerit inventa, caute, diſcreteque nobis ambulandum eſt per eam, ne ad dexteram inclinantibus, aut ad ſiniſtram occurrat illa, de qua Propheticus ſermo denunciam clamitat: *Eſt via, quæ videtur hominibus recta, cujus noviſſima demergunt ad infernus*. Sed ne aliquis noſtrum per ignorantiam in hoc oberrans incidat devium, pie nos Propheta admonet Eſaias, & ad rectam, ſanctamque viam dulciter revocans, clamat: *Et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, & aures tuæ audient verbum poſt tergum monentis. Hæc eſt via, ambulate in ea, neque ad dextram, neque ad ſiniſtram*. Nam & Iſraeliticus populus, cum per aliena tranſiens regna, ad repromiſſionis tenderet patriam, nuncios miſit ad Sehon Regem Amorrhæorum, dicens: *Obſecro, ut tranſire mihi liceat per terram tuam: non declinabimus ad dextram, neque ad ſiniſtram, ſed per viam regiam gradiemur, donec pertranſeam fines tuos*. Et tibi ergo, nobiliſſime Rex, ſi vis ad ſupremam feliciter promiſſionis tendere patriam, diligenter regia quærenda eſt via, quia cum ſis Rex in terra, ad Cælorum properans

Ungebantur Hiſpaniæ Reges.

Jer. 6.

Proverb. 16.

Iſaiæ. 30.

Deut. 17.

rans regna, per regiam debes currere viam: trita etenim eſt, & anti-
quitus Sanctorum Regum veſtigiis confricata. Per illam Joſue firmiſſimo Joſue c. 6.
properans gradu, multorum Regum colla comminuit, & nefandorum
phalanges ſtravit, Hierichuntinos muros evertit, & Iſraelitico populo
terram repromiſſionis diſtento fune diviſit: per illam David indeclinabi-
liter gradiens, perſecutori Sauli pepercit, lapideo ictu Goliam extinxit, Reg. 1. & 2.
& ab improperio Allophylorum Dei populum liberavit, & ſibi regnum Reg. 4. c. 20.
perpetuum ſolidavit: per illam firmiter ambulantem Ezechiam miſeri-
corditer Dominus viſitavit, a mortis termino revocavit, quinquies ter-
nos ad vitam addidit annos; per illam adhuc ambulans Salomon, quaſi
fluvius aqua, impletus eſt ſapientia, & ab illa recedens, inexpiabilem Reg. 3. C. 3.
gloriæ ſuæ intulit maculam: per illam intrepidus Joſias Rex juſtus am- Reg. 4. C. 22.
bulans, excelſa comminuit regna, abominationes diverſas a populo Dei
abſtulit, & juſtificationes a Domino multiplices accepit. Ecce conſpi-
cis, Rex nobiliſſime, qualiter per regiam ad Dominum Reges ambu-
lant viam, & ad Cælorum regna cum cæteris Sanctis Reges quoque fe-
liciter volant. Via enim regia eſt, quæ per Prophetam vocatur Sancta,
per quam non tranſibit pollutus (ait idem Propheta) *nec invenietur ibi
leo* (Diabolus ſcilicet, qui rugiens, circuit quærens quem devoret) *nec* Iſai. 35.
mala beſtia (Dæmon videlicet) *aſcendet per eam*; ſed eſt directa via, & 1. Pet. C. 5.
ambulabunt qui redempti a Domino, & liberati fuerint, per eam, per
quam & te quotidie, auxiliante Domino, ire cognoſcimus, & gratula-
mur, & ad æternam gloriam te eſſe venturum fideliter credentes non
dubitamus. Tantum eſt, ut quod cœpiſti bonum, perficias, & uſque
ad perſeverantiæ finem perducas: quia non qui inchoaverit, ſed qui per-
ſeveraverit, ſalvus erit.

DE OBSERVANDIS MANDATIS DEI.

Attende ergo, o clementiſſime, & mitiſſime Rex, quantum nos di-
ligat Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui eum promiſſione ſuam a nobis
exigit dilectionem, & Spiritum Sanctum dicit nobiſcum eſſe in æternum
manſurum, ſi poſt dilectionem ſuam mandata ejus ſervaverimus: ab ipſo
enim, ut jam ſuperius diximus, nobis omnia bona conceduntur: & velle *Hæc omnia
bonum, & operari, ab illo prius nobis largitur: diligimur enim, ut di- videntur de-
ligamus; amamur, ut amemus; cognoſcimur, ut cognoſcamus; adjuva- ſumpta ex Co-
mur, ut operemur, & operando virtutibus ditemur. Ergo ſi te dilectio cilio Arauſi-
Dei, proximique demulcet, conſequens eſt, ut facias, quod ille præce- cano II. quod
pit: quia in tantum diligis, in quantum facis: neque enim poteſt ſin- celebratū fuit
cere Deum diligere, qui mandata ejus fideliter non cuſtodit. Ipſo te anno 529. vel
Domino docente, intellige: ait enim: * Si quis diligit me, ſermonem ex Capitulis
meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & man- Sedis Apoſto-
ſionem apud eum faciemus. Et: * Qui non diligit me, ſermones meos licæ adverſus
non ſervat. Joannes quoque Apoſtolus dilectione Dei repletus in Epiſto- Pelagianos,
la ſua ait: In hoc ſcimus, quoniam cognovimus eum, ſi mandata ejus ob- atque ipſorū
ſervamus; qui dicit ſe noſſe eum, & mandata ejus non cuſtodit, men- reliquias. Vi-
dax eſt, & in eo veritas non eſt: qui ſervat verbum ejus, vere in hoc de qua diximus To. III.
charitas Dei perfecta eſt. Liber quoque Job ore Domini ſacratus, de Theologiæ Sā-
hoc ipſo teſtis eſt, maxime de Regibus dicens: * Non auferet a juſto ocu- cti Anſelmi,
los, & Reges in Solio collocat in perpetuum, & illuc eriguntur: reve- Diſp. CXIV.
lat quoque aurem eorum, ut corripiat; & loquitur, ut revertantur ab *Joan. 14.
iniquitate. Si audierint, & obſervaverint, complebunt dies ſuos in bo- *Joan. 1. C. 3.
no, & annos ſuos in gloria: ſi vero non audierint, tranſibunt per gla- *Job. 36.
dium, & ſtultitia conſumentur. De ſe quoque ipſe Iob bonum, rectum-
que dans teſtimonium, ait: * Veſtigia Dei ſequutus eſt pes meus: viam *Job. C. 23.
ejus cuſtodivi, & non declinavi ex ea: a mandatis labiorum ejus non
receſſi, & in ſinu meo abſcondi verba oris ejus. Tale ergo de te, o bo-
ne Rex, volumus ſemper audire teſtimonium, tale videre frequenter
& opus. Ipſe quoque Dominus de dilectione ſua, atque mandatorum
ſuorum obſervantia, populum Iſraeliticum admonens, dicit: * Et nunc *Levit. 26.
Iſrael audi præcepta, & judicia, quæ ego doceo te, ut faciens ea vivas & Deut. 28.
in eis. Obſerva, & cave, ne quando obliviſcaris Domini Dei tui, & ne-
gligas mandata ejus, atque judicia, & cæremonias, quas ego præcipio
tibi hodie; ne poſtquam comederis, & ſatiatus fueris, domus pulchras
ædi-

ædificaveris, & habitaveris in eis, habuerisque armenta & ovium greges, argentum, & aurum, cunctarumque rerum copia, elevetur cor tuum, & non reminiſcaris Domini Dei tui. Et nunc Iſrael, quid Dominus Deus tuus petit a te, niſi ut timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis ejus, & diligas eum, ac ſervias ei in toto corde tuo, & in tota anima tua, cuſtodiaſque mandata, & cæremonias ejus, quas ego præcipio tibi hodie, ut bene ſit tibi? Si autem audieris, ut facias omnia mandata ejus, faciet te Dominus excelſiorem cunctis gentibus, quæ verſantur in terra: benedictus eris in Civitate, & benedictus in agro: benedictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ: mittet Dominus ſuper cellaria tua, & ſuper omnia opera manuum tuarum benedictionem: dabit Dominus inimicos tuos, qui conſurgunt adverſus te, corruentes in conſpectu tuo. Addit quoque Dominus adhuc ad Iſraelem dicens: * Si in præceptis meis ambulaveritis, & mandata mea cuſtodieritis, & feceritis ea, dabo vobis pluvias temporibus ſuis, & terra gignet germen ſuum, & pomis arbores replebuntur. Apprehendet meſſium tritura vindemiam, & vindemia occupabit ſementem: & comedetis panem veſtrum in ſaturitate, & abſque pavore habitabitis in terra veſtra: dabo pacem in finibus veſtris: dormietis, & non erit, qui exterreat: auferam malas beſtias, & gladius non tranſibit terminos veſtros; perſequemini inimicos veſtros, & corruent coram vobis: perſequentur quinque de veſtris centum alienos, & centum ex vobis decem millia: cadent inimici veſtri gladio in conſpectu veſtro. Quod ſi non audieritis me, nec feceritis omnia mandata mea, ſi ſpreveritis Leges meas, & judicia mea contempſeritis, ut non faciatis ea, quæ a me conſtituta ſunt, ut ad irritum perducatis pactum meum; ego quoque hæc faciam vobis: viſitabo vos velociter in egeſtate, & ardore: corruetis coram hoſtibus veſtris, & ſubjiciemini his, qui oderunt vos, fugietiſque, nemine perſequente. Per Eſaiam quoque Dominus ad Iſrael clamat, & dicit; * Utinam attendiſſes mandata mea; facta fuiſſet ſicut flumen pax tua, & juſtitia tua ſicut gurgites maris; & fuiſſet ſicut arena ſemen tuum, & ſtirps uteri tui, ut lapilli ejus; non interiſſet, & non fuiſſet attritum nomen ejus. Bonum ergo tibi eſt, o Rex, ut diligas Dominum Deum tuum, & ob dilectionem ejus nimiam, ſolicite, & diligenter cuſtodias illius præcepta; ſancta ſunt enim mandata ejus, & juſta; obſervantibus vero ſalutaria: propterea Pater & Filius & Spiritus Sanctus ad te venient, & in perpetuum lætam manſionem facient, & beatus eris in perpetuum, tali hoſpite viſitatus: propterea complebuntur in benedictionibus dies tui, & in gloria anni tui.

* Iſai. 48.

DE JUDICIO.

* Eccl. 4.

*In judicando pupillis eſto miſericors ut pater, & pro viro matri illorum, & eris tu velut filius Altiſſimi obediens, & miſerebitur tui, magis quam mater. Job quoque ait: *Oculus fui cæco, & pes claudo; pater eram pauperum, & cauſſam, quam neſciebam, diligentiſſime inveſtigabam. Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam: flebam quondam ſuper eum, qui afflictus erat, & compatiebar pauperi. Nam & hanc Regiam eſſe virtutem, Rex Salomon approbat dicens: * Rex qui judicat in veritate pauperes, thronus ejus in æternum firmabitur. Si vis ergo, o Rex, ut thronus tuus a Domino in æternum firmetur, non ceſſes juſtificare pauperem, & pupillum, non ceſſes ſubvenire viduæ, & oppreſſo; non ceſſes defendere advenam, & deſolatum: ſubveni miſero, eleva jacentem, ſolida confracta, conforta, & robora laſſum: divitiis non ceſſes fulcire mendicum; de manu peccatoris non ceſſes liberare oppreſſum. Audi, quid Regibus, Regumque judicibus Dominus per David clamitat, dicens: * Judicate egenum, & pupillum; humilem, & pauperem juſtificate: erigite pauperem, & egenum, de manu peccatoris liberate eum. Huic ſententiæ concordans Liber Eccleſiaſticus ait: Libera eum, qui injuriam patitur de manu ſuperbi. Eſaias nihilominus prædicans ait: * Quærite judicium, ſubvenite oppreſſo, judicate pupillo, defendite viduam, & venite, & arguite me, dicit Dominus. Si fuerint peccata veſtra, ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur; & ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, velut lana munda erunt.

* Job. 29.
* Proverb. 29.
* Pſal. 81.
* Cap. 4.
* Cap. 1.

Si

Si volueritis, & audieritis me, bona terræ commedetis. Vide ergo, & diligenter attende Rex, quid defenſoribus evenit pauperum; ſe illis eſſe debitorem, ſeque redditorem pronunciat Deus; nivis candorem peccatoribus promittit, & albæ lanæ munditiam pollicetur: poſtremo bona terræ comedere tribuit, terræ, ſcilicet, illius, de qua ſcriptum eſt: * Sancti in terra ſua duplicia poſſidebunt. Et de qua Pſalmiſta ait: * Credo videre bona Domini in terra viventium. Vides, quia bona terræ æternæ illis Regibus conceduntur, qui hic pauperum defenſores exiſtunt, illis in eſcam fructus æternæ conceditur terræ, qui hic pauperes ſciunt defendere pie; fructus optimos, ſcilicet Angelorum, fructus æternos, fructus perpetuos, fructus dulciſſimos, & amantiſſimos, plenos ſaturitate, & pinguedine, plenos lætitia, & gaudio, plenos felicitate, & gloria. O quam beata est vita Regum juſtorum, quæ & hic temporalibus rebus fulta niteſcit, & in æternum cum Angelis immortaliter requieſcit; hic terrenis nutritur deliciis, illic gloria veſtitur decoris: hic populorum conſtipatur catervis, illic Choris comitatur Angelicis: hic hominum multitudine delectatur, illic cum Angelorum Choro lætatur: hic illi militia Imperatoris obtemperat, illic in militia Redemptoris exultat: hic ſtola veſtitus regali niteſcit, illic gloria immortalitatis indutus reſulget: hic Regis diademata portat, illic gaudio exultationis reſultat: hic terreni Regis filius vocitatur, illic Cæleſtis Regis filius confirmatur: hic terreni Regni decenter magnam capit hæreditatem, illic Cæleſtis Regni ſelicem feliciter accipit portionem. Hæc ut tibi eveniant, clariſſime Rex, totis viribus laborare non ceſſes: nullus te felicior erit, ſi tibi hæc, auxiliante Deo, evenerint: nullus te tranſcendet in gloria, ſi tibi a Domino feliciter ſuerint collata. Amen.

DISSERTATIO DECIMAQUINTA.

De ordine ſervato in Conciliis antiquis Hiſpaniæ, & qualiter in iis ſe haberent Epiſcopi, ac Reges.

O*Portet explanare ſaltuatim nonnulla eorum, quæ præſcribuntur, aut indicantur in Ordine celebrandi Concilii ſupra exhibito; ſimiliter & in Via Regia, atque Exhortatione ad Regem, quæ tria in Collectionibus Conciliorum editis præmittuntur, etiam in Labbeana, omnium uberrima.*

EXCURSUS I.

Notæ in ea ſacra monumenta, ex Concilio IV. Toletano, cui præfuit S. Iſidorus, deſumpta quoad præcipuam ſui partem. Mos antiquus pernoctandi in Eccleſiis, præſertim in vigiliis ſolennitatum. Initium Concilii ſummo mane. Quinam ad illud ingrederentur, & quo ordine, ac ritu. Notarios quoque admiſſos, qui exceptores eſſent, & brevibus notis velociſſime deſignarent omnia ea, quæ dicebantur.

II. ORdo celebrandi Concilia, & Via Regia, atque Exhortatio piiſſima ad Regem, extant in variis mſs. præſertim in Albeldenſi, ſeu Vvigilano, de quo D. Loaiſa in Præfatione ſua inquit: *Antiquior* (Codex) *vocatur Vvigilanus a Vvigila Monacho ſcriptore: vel Albeldenſis a loco, ubi ſcriptus eſt. Albelda eſt hodie parvum municipium in tractu Locronienſi, duabus ab Urbe Locronio leucis Hiſpanis diſtans. Olim habuit inſigne Cœnobium S. Martini ex Inſtituto S. Benedicti, a Sanctio Rege, & Toba Regina fundatum Era CMLXII.* (Ideſt anno Chriſti CMXXIV.) *poſtea collapſum, & translatum in Eccleſiam S. Mariæ Rotundæ apud Locronium.* Libenter data occaſione commemoro eandem nobiliſſimam Urbem olim Juliobrigam dictam, cui originem, & regenerationem in Chriſto per ſalutares Baptiſmi aquas, & inſtitutionem in literis, & honores plurimos mihi, ac familiæ meæ collatos debeo, atque in grati animi teſtimonium acceptos fero.

III. Prædictus Ordo ſumitur ex Concilio IV. Toletano, ubi magna ex parte totidem verbis habetur Cap. IV. ſub hac epigraphe, *Formula qualiter Concilium fiat*. Illud anno Chriſti DCXXXIII. celebratum eſt ſub S. Iſidoro Archiepiſcopo Hiſpalenſi, qui non modo illius Præſes, verum etiam quaſi ingenium, & lingua fuit. Ac merito quidem ipſi adſcribitur quoad præcipuam, ſeu majorem ſui partem, non autem ex integro. Nam allegatio ejuſdem Concilii IV. Toletani, quæ habetur numero 3. pagina editionis Romanæ 228. inſuper & Concilii XI. Toletani, quæ extat num. 8. pag. 226. abs dubio ſcripta fuit poſt celebratum id utrumque Concilium, & poſterior earum longe poſt obitum ejuſdem S. Iſidori, qui contigit anno DCXXXVI. ut ſæpe monui ex Redempto Diacono teſte oculato. Concilium autem XI. Toletanum habitum eſt anno Chriſti DCLXXV. cui reſpondet Era DCCXIII. Unde quemadmodum in ſuperioribus, præſertim Diſſertat. IV. obſervatum eſt, Præfationi germanæ Collectionis S. Iſidori ad Concilia factas fuiſſe proceſſu temporis additiones nonnullas; ita etiam Ordini præjacto Conciliorum acceſſiſſe aliquas, dubitari nequit.

IV. Nunc jam recolamus nonnulla ejuſdem Ordinis verba obſervatione digna, ac præſertim illa, quæ a principio leguntur: *Hora itaque*

diei prima ante ſolis ortum ejiciantur omnes ab Eccleſia. Iudicatur verbis hiſce mos illorum tempurum, quo Chriſtiani etiam ſæculares, frequenter adibant Eccleſias, aut circa mediam noctem, qua matutinæ horæ in Choro cantabantur, aut paullo poſt uſque ad diluculum, ſive auroram; qua illuceſcente, jubebantur egredi, ſi celebrandum eſſet Concilium; ſoliſque Epiſcopis, & Presbyteris ad id delectis ingredi licebat. Sane ea conſuetudo Chriſtianorum pernoctantium & orantium in Templo, a primis ſæculis viguit in Eccleſia; ideoque Tertullianus *Apologetici*, Cap. 39. refert, Chriſtianos ita cœnare ſolitos, ut meminiſſent, ſibi per noctem adorandum eſſe Deum. Inde etiam vigiliæ ſolemnium, aut inſignium feſtorum denominatæ ſunt. Extant plurima ea de re veterum teſtimonia indiſcriminatim de Clericis, & laicis. Ex Conſtitutionibus D. Card. D. Didaci Hurtado de Mendoza Archiepiſcopi Hiſpalenſis habemus, in ea inſigni Eccleſia pervigilare ſolitos quoslibet, etiam ſæculares, per totam Octavam Aſſumptionis Deiparæ circa annum MD. ab antiquiſſimo tempore.

V. Huc ſpectat illud Ambroſii Serm. in Pſalm. CIX. commendantis exactam vigiliarum obſervationem: *Jejunavimus Sabbatho, vigilias celebravimus, orationibus pernoctantes inſtitimus*. Auguſtinus quoque *Concione ad Catechumenos contra Judæos*, teſtatur, ſuo tempore fuiſſe in uſu nocturnas vigilias, eaſque puras, & obſervatione digniſſimas, ad quas & ſubditos hortatur Serm. 251. *De tempore*. Eadem fere habet S. Leo Papa, ac S. Gregorius Magnus variis locis, qui ſimul cum Clero, ac populo Romano pernoctabant in profeſtis, & vigiliis ſolennitatum intra præcipuas Urbis Eccleſias.

VI. Eccleſia Toletana a priſcis ſæculis uſque modo retinet morem cantandi Matutinum, ac Laudes media nocte. Ac certe deſcenſus Virginis Matris ad ſacratiſſimum illud Templum, quando veſtem pretioſam e Cælo detulit fideliſſimo ſervo ſuo Ildephonſo Præſuli Toletano, tunc contigit, cum ille ad accinendas nocturnas horas circa mediam noctem accederet. Eadem laudabilis conſuetudo diu permanſit apud Eccleſiam Hiſpalenſem, & retinetur adhuc in Cordubenſi, Dertoſana, aliiſque nonnullis Cathedralibus, ut Cœnobia innumera Regularium utriuſque ſexus omittam, quæ perpetuo habuerunt, & retinent eundem morem celebrandi Matutinum media nocte, ac ſubinde Laudes, qui olim omnibus Eccleſiis Cathedralibus communis fuit. Dormiebant Canonici, ſicut & Regulares hodie, per aliquot horas, donec circa mediam noctem ſonaret ſignum, ſive cantaret gallus, juxta Hymnum tritum ad Laudes:

Surgamus ergo ſtrenue:
Gallus jacentes excitat,
Et ſomnolentos increpat:
Gallus negantes arguit.

Rationemque reddit Prudentius Καθημερινῶν Hymno primo, quoniam

Ferunt, vagantes dæmones
Lætos tenebris noctium,
Gallo canente exterritos
Sparſim timere, & cedere:
Inviſa nam felicitas
Lucis, ſalutis, numinis.
Rupto tenebrarum ſitu,
Noctis fugat ſatellites.

VII. Excluſis itaque ab Eccleſia ſummo mane omnibus iis, qui in ea erant, ſubditur, *obſeratiſque foribus, cuncti ad unam januam, per quam Sacerdotes ingredi oportet, oſtiarii ſtent. Et convenientes omnes Epiſcopi pariter introeant, & ſecundum tempus ordinationis ſuæ reſideant*. Id ſervatum fuit apud Hiſpaniam ſemper, ut Epiſcopi juxta tempus ordinationis uniuſcujuſque reſiderent, proindeque & loquerentur, ſive ſententiam proferrent, ac tandem ſubſcriberent. Atque ita videbimus paullo poſt factum in Concilio Eliberitano. Non enim ibi attenditur major, aut minor amplitudo, aut decor Eccleſiarum; ſed antiquitas ordinationis Epiſcoporum, cum Felix Epiſcopus Accitanæ Eccleſiæ minus conſpicuæ præponatur Sabino Hiſpalenſi, Valerio Cæſarauguſtano, & Melantio Toletano.

VIII. An vero quiſpiam eorum eſſet tunc Archiepiſcopus, & diviſio provinciarum facta eſſet in Hiſpania, jam ſupra Diſſertat. X. Excurſu II. dictum fuit in examine Epiſtolæ S. Anteri Papæ ad Hiſpanos. Quidquid ſit de quæſtiona illa, & adhuc polito, quod tunc Præſules Toletani, atque Hiſpalenſes Archiepiſcopali honore gauderent, certum videtur, nullam propterea iis prærogativam fuiſſe datam in Concilio Eliberitano, ut ſederent, & nominarentur ante Epiſcopos alios, etiam Suffraganeos, ordinatione antiquiores. Cæterum in ſequentibus ſæculis, & Conciliis Hiſpaniæ, videbimus paſſim Archiepiſcopos in ſedendo, ac ſubſcribendo præferri Epiſcopis quibuslibet, etiam ordinatione antiquioribus; atque inter Archiepiſcopos, ut plurimum ſaltem, præcedere ſolitum antiquiorem, ſive illum, qui prius ad Metropolitanam Sedem evectus fuerat.

IX. *Vocentur deinde Presbyteri, quos cauſſa probaverit introire*. Patres Eccleſiæ Hiſpanicæ in hoc Ordine non quoslibet Presbyteros, ſive ſimplices Sacerdotes ſinunt ad Concilium celebrandum accedere, ſed ſelectos tantum, ſive probatiſſimæ vitæ, ac doctrinæ. Et ita videmus factum in Concilio Eliberitano, omnium Hiſpanicorum primo (quoad ſcire poſſumus) ubi præter undeviginti Epiſcopos, reſederunt Presbyteri triginta ſex. In ſequentibus autem Hiſpaniæ Conciliis non ita facile invenietur, Presbyteros ingreſſos fuiſſe, niſi forte ubi gerebant vices Epiſcopi abſentis. Idque urgentius obſervatum legimus in Conciliis Oecumenicis, ubi nullus iis locus fuit. Eoque ſenſu in Chalcedonenſi ſub S. Leone Papa, Actione I. legitur: *Mitte foras ſuperfluos*. Atque hinc, inter plura alia, reſpui ſolet Concilium Baſilenſe (quod in Laterannenſi ſub Leone X. Seſſ. XI. notatur, veluti *Conciliabulum ſchiſmaticum, ſeditioſum, & nullius prorſus auctoritatis*) quia in illud fuere introducti plurimi Presbyteri. Unde & Nicolaus Tudeſchus, id eſt, Abbas Panormitanus, ſacrorum Canonum conſultiſſimus, licet Baſileenſium opinioni faveret, palam reſtitit introductioni illorum ad ferendum ſuffragium, ut teſtatur Æneas Silvius, qui & Pius II. Papa, in Hiſtoria ejus Concilii, cui ipſe adfuit.

X. *Nullus inter eos audeat introire Diaconorum*. Non vetatur omnino ingreſſus Diaconorum hoc loco; ſed ſolum prohibetur, ut ſimul cum Presbyteris ingrediantur. Nam ſtatim ſubditur: *Poſt alios ingrediantur Diacones proba-*

babiles, quos ordo popoſcerit intereſſe, nimirum, quos Epiſcopi judicaverint dignos interveniendi ſacro eidem congreſſui. Unde & Concilium Eliberitanum ingreſſi ſunt Diaconi aliquot, & in iis, ut multi conjiciunt, S. Vincentius Martyr, quia tunc miniſter erat S. Valerii Epiſcopi Cæſarauguſtani, ac non multo poſt ſocius, adjutor, atque interpres in martyrio fuit, cum ille balbutie linguæ impediretur ad Fidem clara voce coram Daciano perſecutore prædicandam. Præceptum autem fuerat in Epiſtola S. Lucii Papæ, in ſuperioribus edita, atque eaplanata, *ut duo Presbyteri, vel tres Diaconi, in omni loco Epiſcopum non deſerant*. Quamvis vero de cætero Diaconi non fuerint admiſſi in ſequentibus Hiſpaniæ Conciliis, ut nuper de Presbyteris monuimus; admittebantur tamen, inſtar eorum, ubi gerebant abſentium Epiſcoporum vices. Unde in Concilio Tarraconenſi, alias Egarenſi, coacto tempore Siſebuti Hiſpaniæ Regis, Era DCLII. (ideſt, anno Chriſti DCXIV.) legitur inter ſubſcriptiones: *Fructuoſus in Chriſti nomine Diaconus, agens vices Domini mei Gomarelli Epiſcopi ſubſcripſi*. Immo & in Concilio Toletano VI. ab Epiſcopis quadraginta ſeptem, totius nationis Hiſpanicæ celebrato, an. II. Chinthilani Regis, Chriſti vero DCXXXVIII. ſubſcribit quinquageſimo loco *Vuamba Diaconus, qui & Petrus, Eccleſiæ Segobienſis, agens vicem Antonii Epiſcopi*. Similiter & loco quinquageſimo ſecundo: *Severinus ſanctæ Eccleſiæ Valentinæ Diaconus, agens vicem Muſitacii Epiſcopi*. Mitto exempla alia, cum hæc pauca ſufficiant.

XI. Subditur illico in præjacto Ordine celebrandi Concilium: *Corona facta de ſedibus Epiſcoporum, Presbyteri a tergo eorum reſideant: Diacones in conſpectu Epiſcoporum ſtent.* Itaque licet omnes ii ingrederentur, non eodem modo aderant, ſed ſedendo juxta dignitatem, aut ſtando. Nec mirum quod Diaconis prohiberetur ſeſſio intra Concilium, atque in præſentia Epiſcoporum: nam adhuc coram Presbyteris ſedere injuſſi vetabantur quolibet loco. Unde in Concilio Bracarenſi II. Can. XL. dicitur: *Non licet, Diaconum ante Presbyterum ſedere, niſi cum juſſione Presbyteri*. Et in Toletano XVII. Canone XVII. *Non oportet, Diaconum ſedere, præſente Presbytero; ſed ex juſſione Presbyteri ſedeat*. Statimque idem honos eidem Diacono præſcribitur relate ad Clericos inferiores, dum ſubditur: *Similiter autem honorificetur Diaconus a miniſtris inferioribus, & omnibus Clericis*. Non erit autem opus monendi eruditum lectorem, nec Presbyteros, nec Diaconos in iis Conciliis ſuffragium, ſive vocem habuiſſe ad definiendum, ſive ad deciſionem aliquam proferendam, cum id proprium Epiſcoporum eſſet.

XII. *Deinde ingrediantur & laici, qui electione Concilii intereſſe meruerint*. Qua ratione, & quando, & ad quid ſint laici intra Concilium admittendi, res longa explicatu eſt, quæ opportune tractabitur Tomo III. hujus Operis; præſertim ubi agendum fuerit de Palatinis, Aulicis, Miniſtris Regiis, & Viris Illuſtribus, qui leguntur interfuiſſe, ac ſubſcripſiſſe variis Hiſpaniæ Conciliis. Videbimus quoque, Deo dante, in Actis Concilii Provincialis Toletani anno MDLXXXII. celebrati ab ampliſſimo D. Cardinale D. Gaſpare de Quiroga Archiepiſcopo Toletano, quantæ contentiones fuerint circa admiſſionem, commemorationemque Oratoris Regii in acta ejuſdem Concilii, tandem finitæ Pontificia Gregorii XIII. prohibitione.

XIII. *Obſerentur januæ; ſedenteſque in nocturno, dicat Archidiaconus, Orate*. Gothiciſmus plane eſt, ut optime ad oram notavit D. Loaiſa. Sed enim eo ſæculo, nimirum ſeptimo Eræ Chriſtianæ ineunte, immo & longe antea, irruptio tot nationum barbararum in Hiſpaniam, atque in iis Gotthorum, ertinxerat puritatem Latinæ linguæ, quæ anteriori ævo familiaris erat apud Hiſpanos, e quibus tot elegantes Oratores, Rhetores, Hiſtorici, Philoſophi, ac Poetæ, in ipſa Urbe celeberrimi prodierunt. Unde non erit opus notandi de reliquo ſimiles Gotthiciſmos, aut alias ſordes, ſive vitia ſermonis; ſed ſolum ad medullam doctrinæ ubique ſpirantis religionem, pietatem, ac diſciplinam Eccleſiaſticam.

XIV. *Statimque omnes in terra proſtrabuntur, & orantes diutius tacite cum fletibus, atque gemitibus, unus ex Epiſcopis ſenioribus ſurgens, orationem palam fundet ad Dominum, cunctis adhuc in terra jacentibus.* Optimus ſane ritus, ac modus demerendi Deum, ejuſque gratiam implorandi ad Concilium ſancte celebrandum: in animo contrito & humiliato, ac toto corpore, & vultu ſupra terræ pavimentum proſtrato, orationes ex intimo cordis ſundere. Id non ſolum præſtabant Epiſcopi, ac reliqui Eccleſiæ miniſtri, & laici, qui aderant, ſed etiam Reges ipſi Hiſpaniarum, inſigni pietatis, & humilitatis exemplo, ut poſtea videbimus.

XV. *Adſumus Domine ſancte Spiritus &c.* Oratio hæc devotiſſima eſt, & aptiſſima Epiſcopis, aliiſque miniſtris Eccleſiæ, ubi ingrediuntur ad Concilium, ſive Conventum ſacrum celebrandum, judiciumque ferendum de cauſſis, ac perſonis quibuslibet. Ea certe ſumme placuit Pontificibus Romanis, qui non dedignantur illam accepiſſe ex Conciliis Toletanis; ſed potius legunt ea tabula, quoties in ipſorum præſentia habetur Congregatio S. Officii, vel Rituum. Ubi autem abeſt Romanus Pontifex, Cardinalis antiquior cujuslibet Congregationis, cæteris ſtantibus detecto capite, illam pariter ea tabula clara voce pronuciat.

XVI. In cæteris, quæ ad prædictum Ordinem ſpectant, obſervari velim, dum dicitur: *Ingrediantur quoque & Notarii, quos ad recitandum, vel excipiendum ordo requirit*, videri indicatam conſuetudinem illam, & miram deateritatem Notariorum veterum, adhuc eo ævo durantem. Nimirum ii dicebantur, *exceptores*, & innuuntur hoc loco verbis illis, *ad recitandum, vel excipiendum*. Ipſi quidem Notarii omnia ea, quæ dicebantur in congreſſu, ſumma celeritate excipiebant, atque breviſſimis quibuſdam notis deſignabant, quales fuere olim Cæſaris, & Ciceronis; a Tritbemio Abbate primum, deinde vero a Joanne Gruthero editæ. Iis uti ſolitos, Romæ præſertim, Notarios illos a Pontificibus priſcis inſtitutos ad excipienda, & conſignanda SS. Martyrum Acta, & dicta, etiam oblonga (qualia nuper prælo dedit Theodoricus Ruinart Monachus Benedictinus Congregationis Sancti Mauri in Gallia, cum inſigni Reipublicæ Chriſtianæ utilitate) res apud omnes explorata eſt. Prudentius,

tius, inſignis Poeta Hiſpanus, qui floruit ſæculo quarto, ubi martyrium S. Caſſiani celebrat, inquit, illum docuiſſe ejuſmodi notas pueros illos, quorum ſtylis confoſſus fuit. Huc enim ſpectant carmina illa:

Magiſter literarum ſederat,
Verba notis brevibus cōprendere cuncta peritus
Raptimque punctis dicta præpetibus ſequi.

XVII. Auſonius quoque, qui pariter inclinanta eodem quarto ſæculo floruit, Notarium ſuum velocius juſto excipientem quæ ab ipſo dictabantur, ita objurgat:

Quum præpeſis dextræ fuga
Tu me loquentem prævenis?
Quis, quæſo, quis me prodidit?
Quis iſta jam dixit tibi,
Quæ cogitabam dicere?
Quæ furta corde in intimo
Exercet ales dextera?
Quis ordo rerum tam novus,
Veniat in aures ut tuas
Quod lingua nondum abſolverit?

Itaque adhuc tempore Concilii IV. Toletani videntur in uſu fuiſſe Notarii, ſeu exceptores illi, aut ταχύγραφοι, qui ingrediebantur Synodum *ad recitandum, & excipiendum*.

XVIII. Subduntur deinde orationes piiſſimæ, & ita additur: *Omnibus in ſuis locis in ſilentio conſidentibus, Diaconus Alba indutus, Codicem Canonum in medio proferens, Capitula de Conciliis agendis pronunciat.* Qualis Codex Canonum eſſet is, qui initio Synodi coram omnibus legebatur, jam ſupra monuimus Diſſert. II. num. 15. Cum vero hoc loco allegetur Concilium Toletanum IV. conſtat plane, eam allegationem fuiſſe poſterius additam, prout num. 3. dictum eſt.

E X C U R S U S II.

Reges Hiſpaniarum ſimul cum Optimatibus, ſive illuſtrioribus Viris, ad Concilia admiſſos fuiſſe, ipſorum initio tantum, atque in terram humillime proſtratos, ſecutis precibus Patrum pro iis. Lectiones præviæ Conciliorum præcedentium, & collationes præparatoriæ circa Fidei myſteria, & diſciplinam Eccleſiaſticam. Variæ preces intra triduum. Denunciatio Concilii, ac dierum Nativitatis, & Paſchæ pro anno ſequenti.

PRoſequamur Ordinem prædictum, obſervantes quædam alia ipſius verba: *Poſt allocutionem Concilii, qua Metropolitanus ſolet Synodum alloqui univerſalem, ſtatim Rex cum ſuis Optimatibus ingreditur in Concilium.* Hoc idem ſervatum fuiſſe in ſequentibus Hiſpaniæ Conciliis, præſertim celebratis apud Toletum, Regiam Urbem, ſuis locis videbimus, & qualiter id factum fuerit. Admittebantur initio, proſtrabantur humiliter in terram, commendabant ſe enixe precibus Patrum, qui & pro iis fundebant orationes ſupra exhibitas. Stantes deinde hortabantur Epiſcopos ipſos, ut rite, ac ſancte in Synodo ſe gererent, & ea, quæ Divini ſunt obſequii, ac diſciplinæ Eccleſiaſticæ, præ oculis haberent, ac definirent.

XX. Porro hoc loci non eſt legendum de Rege, *homo proſtratus*, uti habet Binius, ſed *humo proſtratus*, uti extabat in mſs. quibus uſus fuit D. Loaiſa; idque ſatis indicant verbo ἀρίσως ſequentia, *atque inde ſe erigens.* Etenim τὸ *inde*, palam reſpondet τῷ *humo*, unde ſe erigebat Rex. Neſcio vero, an facile invenias tale, ac tantum humilitatis exemplum in Regibus poſteriorum ſæculorum, niſi forte ubi de ſcelere aliquo pœnitentiam acciperent ab Epiſcopis in Synodo congregatis, qualiter Ludovico Pio poſtea accidiſſe legitur, & paucis quibuſdam aliis. Reges vero Hiſpaniæ, etiam innoxii, aut nullius ſceleris notati, in terram ſe projiciebant pedibus Epiſcoporum, ſolius humilitatis, & inſignis devotionis cauſa. Plura alia de eorum fortiſſimorum Regum impenſiſſimo erga Eccleſiam cultu, & mira religione in Deum, videbimus ſuis locis, quæ vix abſque lacrymis legi poſſunt.

XXI. *Poſt egreſſum igitur Regis, & exhortationem Metropolitani &c. Archidiaconus lecturus eſt Canonem Concilii Toletani XI. Era I. ne tumultu Concilium agitetur.* Patet, ut ſupra num. 3. monuimus, hæc verba addita fuiſſe Ordini celebrandi Concilia multo poſt obitum Iſidori, qui finem vivendi fecerat quadraginta circiter annis retro.

XXII. *Quo Canone perlecto, ſtatim Concilium Epheſinum ex ordine perlegetur.* Hinc obiter colligere licet, Epiſcopos illos Hiſpaniæ fuiſſe Viros inſtructos admodum doctrina ſacrorum Canonum, & Conciliorum, non modo Eccleſiæ Latinæ, ſed & Græcæ, otpote quæ etiam inter occupationes Synodorum integre legebantur coram iis. Præſertim cum ſtatim addatur: *Deinde collatio pariter, & inſtructio de myſterio Sanctæ Trinitatis habebitur*, quæ certe, niſi inter doctos homines, atque in ſacris Literis ſatis verſatos, digne haberi non potuit.

XXIII. Huc etiam ſpectat quod ſubditur: *Epiſtolæ Papæ Leonis ad Flavianum Epiſcopum de erroribus Eutychetis, & myſterio Sanctæ Trinitatis legendæ ſunt.* Nimirum illæ in ſumma ſemper veneratione fuerunt, tam in Concilio Oecumenico Chalcedonenſi, quam extra illud in toto orbe Chriſtiano: præſertim poſtquam S. Gelaſius Papa ſub finem ejuſdem ſæculi quinti, in Concilio Romano dixit de eadem S. Leonis ad Flavianum Epiſtola: *Cujus textum quiſpiam ſi uſque ad unum jota diſputaverit* (ideſt, negaverit, aut in dubium vocaverit) *& non in omnibus venerabiliter receperit, anathema ſit.* Ipſumque Concilium Chalcedonenſe, in quo ea Leonis Epiſtola tam magnifice laudata fuit, in tota Hiſpania fuiſſe cum honore receptum, ſatis indicat Venantius Fortunatus Epiſcopus, Libro ſingulari Carminum ad Juſtinum Juniorem Auguſtum apud Biblioth. PP. Aniſſonianam Tomo X. pag. 614. dum accinit:

Reddite vota Deo, quoniam nova purpura, quidquid
Concilium ſtatuit Chalcedonenſe, tenet.
Axe ſub occiduo audivit Gallicia factum,
Vaſcone vicino Cantaber iſta refert.

Floruit vero Venantius in Gallia inclinante ſæculo VI. & multis annis ante Concil. Tolet. IV.

XXIV. An vero Concilium Epheſinum, & Chalcedonenſe (idemque eſt de Nicæno, & Conſtantinopolitano I.) legerentur coram Patribus

Digitized by Google

tribus in Conciliis Toletanis Græro ſermone, quo primum concepta fuerunt, an Latino, determinare non auſim. Sane apud Hiſpanos quarto, quinto, ſexto, & ſeptimo ſæculo, fuiſſe multos Epiſropos, aut aliquos ſaltem, qui Græce ſcirent, videtur ſatis veroſimile, etiam poſtquam Latina lingua barbararum nationum adventu, nitorem ſuum apud illos amiſerat, ut ſuis loris diœmus de Olio, Iſidoro, Juliano, & aliis quibuſdam. Verius autem videtur, Conrilia ipſa Græca in Synodis Hiſpaniæ legi ſolita Latine, juxta verſiunem, quæ communiter in Occidente circumſerebatur, ac præſertim Dionyſii Exigui, Martini Bracarenſis, & ejuſdem Iſidori. Sic enim facile intelligi poterant a toto cœtu adſtantium, quos omnes Græce peritos iis ſæculis fuiſſe, nemo, niſi temere, affirmare puteſt.

XXV. *Canones quoque de unitate Officiorum*; ſcilicet, legantur eoram Concilii Patribus. Hæc quoque verba videntur addita poſt tempus Concil. IV. Toletani; ſiquidem per ea allegantur Canones in illo editi de unitate in Officiis Divinis ſervanda. Nimirum ibid. Cap. 2. agitur *De uno ordine in miniſteriis, vel Officiis in cunctis Ecrleſiis ſervando*; deinde ita decernitur: *Unus igitur ordo orandi, atque pſallendi nobis per omnem Hiſpaniam, atque Galliam* (ſeu Gallæciam) *conſervetur: unus modus in Miſſarum ſolennitatibus: unus in Veſpertinis, Matutiniſque Officiis: nec diverſa ſit ultra in nobis Ecrleſiaſticu conſuetudo, qui una Fide continemur, & Regno Hoc enim & antiqui Canones decreverunt, ut unaquæque provincia, & pſallendi, & miniſtrandi parem ronſuetudinem contineat.* Unde in eodem Concilio Toletano, Præſide S. Iſidoro, creditur ordinatum fuiſſe pro omnibus Hiſpaniæ Ecleſiis Miſſale, ar Breviarium illud, quod ab ipſo denominatum fuit *Iſidorianum*, & poſtea *Mixt-arabicum*, ſive *Moz-arabicum*. De quo nonnulla præmiſimus ſupra Diſſert. IX. num. 45.

XXVI. *Admonendi quoque a Metropolitano ſunt de Paſcha ventura* (alias *venturo*) *quoto veniet* (alias, *quo veniet*) *die*. Id palam præcipitur in eodem Concilio Toletano IV. Cap. 5. cui epigraphe: *De annunciatione Paſchæ ante Epiphaniam inter Epiſcopos exhibenda*. Nimirum ita antea injunctum fuerat omnibus Metropolitanis. Immo & Romani Pontifices idipſum facere ſolebant, ac nominatim Sanctus Leo Papa Epiſtola nonageſimaquinta (alias centeſima nona, juxta recentem editionem Queſnelii) ad Epiſcopos Hiſpaniæ, & Galliæ, qua iis denunciat feſtum Paſchæ anno CCCCLV. celebrandum octavo Kal. Majas. Vide Notas Sirmondi ad illam Tomo III. Concil. editionis Labbeanæ rol. 1507. ac ſupra Diſſert. VIII. num. 22. & denique Epiſtolas ejuſdem S. Leonis 64. ac 65. ad Marrianum Imperatorem, & Pulcheriam Auguſtam.

EXCURSUS III.

Notæ in Exhortationem ad Principem, ſeu Viam Regiam, qua ille officii ſui ab Epiſcopis hoc loco libere admonetur. Quam turpiter ſe gerunt, qui injuſtum Principem lactant, & jura poteſtatis Regiæ ultra fas porrigunt. Porro Reges Hiſpaniæ in Coronatione ſua accepiſſe ab Epiſcopis unctionem, non qualemcumque, ſed ſolennem, ut Regiam, & quidem primos omnium inter Chriſtianos Principes.

XXVII. D*EUS omnipotens, o clariſſime Rex &c.* Tota hæc exhortatio lectu digniſſima eſt, utpote pietatis, & juſtitiæ plena, in qua Epiſcopi Regem alloquuntur non minori reverentia, quam libertate Sacerdotali, admonentes, quænam ſint illius partes, & onera ſubeunda in eo ſublimi gradu. Non adulantur, non lactant, uti aliquando fit, cum ingenti dedecore Præſulum aliquorum, & communi Regnorum damno. Etenim ubi Princeps injuſtus, aut negligens, deberet ab iis admoneri, & contineri in officio; non modo non cohibetur, ſed potius vænali ipſorum animo, aut ignobili genio, exaltatur, *ac laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & iniquus benedicitur*.

XXVIII. Expendant, quæſo, DD. Epiſcopi, & Miniſtri, atque Conſiliarii præcipui, Exhortationem eandem, ut ſciant, qualiter, & circa quæ debeant admonere Principes ſuos. Noverint ita ipſis obſequium, & conſilia exhibere, ut præ omnibus habeatur ob oculos fideles ſervitium Regis Regum, a quo ipſi Sceptrum, ſeu dominium accepere temporaneum; adepturi, aut amiſſuri æternum Regnum pro ratione bene, aut male factorum. Eadem vero ſors frequenter accidit, & par exitus, præcipuis illorum Conſiliariis. Etenim hortatu, aut miniſterio ſuo, partiripes, aut complices exiſtunt bonorum, ſeu malorum, quæ Principes agunt; ac proinde, ut inquit S. Bonaventura, ac ratio ipſa Fide inſtructa monet, *ſive in præmio, ſive in ſupplicio ſempiterno*.

XXIX. Apage voces illas Aulicorum, aut Conſiliariorum, vel etiam Scriptorum, adulatione plenas, impias, & vilis ipſorum animi teſtes: *Rex fœdus iniit, quoniam ſic voluit: bellum hoc juſtum eſt, quia ſuſcepit*. Imitantur adentatorem illum, qui apud Plutarchum in Apophthegm. dixit Antigono Regi: πάντα καλὰ καὶ δίκαια τοῖς βασιλεῦσι. Idest: *Omnia honeſta, & juſta ſunt Regibus*. Repoſuit vero contra Antigonus: Καὶ μὰ Δία, τοῖς τῶν βαρβάρων, ὑμῖν δὲ μόνα καλὰ τὰ καλά, καὶ μόνα δίκαια, τὰ δίκαια. *Mehercle, ita accidit apud barbaros. Nobis autem ſola honeſta pro honeſtis, juſta pro juſtis habenda ſunt.* Execremur viles illorum animos, qui Principi nihil non audenti dicunt: *Si lubet, licet*. Non ita Patres Conc. Toletani, qui tam ſerio, tam libere, tam graviter Reges Hiſpaniæ officii ſui admonebant.

XXX. Sed prætermiſſis modo iis, quæ uberius aliunde diſci poſſunt, notanda ſunt verba illa ejuſdem Exhortationis ſub initium: *Te Regem eſſe, & ſacri Chriſmatis unctio, & Fidei confeſſio, operiſque confirmat, & actio*. Ex quibus conſtat, Hiſpaniæ Reges, cum corona-

ronarentur, & Sceptrum acciperent, ungi ſolitos, non quidem unctione illa, quæ in Baptiſmo, aut Confirmatione exhibetur (hæc enim ſupponitur recepta in infantia, aut pueritia) ſed Regia, aut Regum propria. Hoc itaque jam in uſu erat tempore Concilii IV. Toletani, anno Chriſti DCXXXIII. celebrati, in quo Exhortatio hæc ad Regem, aut primo compoſita, aut continuata fuit.

XXXI. Nam unctionem Regiam quod attinet, valde credibile eſt in uſu fuiſſe apud Hiſpanos ab eo tempore, quo illorum Reges Chriſtiani fuerunt, ut multi Scriptores non contemnendæ auctoritatis cenſent. Saltem id certum habent de Reccaredo, converſione Hiſpaniæ ab Ariana impietate ad Catholicam Fidem celeberrimo, & ſpeciali amico Sanctorum Gregorii Magni Papæ, ac Leandri Hiſpalenſis. Hujus enim Succeſſor in eadem Hiſpalenſi Eccleſia S. Iſidorus, dum teſtatur de eodem Recearedo, *coronatum fuiſſe in Regno*, plane indicat unctum fuiſſe; quoniam coronatio ex antiquo Eccleſiæ Hiſpanicæ ritu, hoc loci palam indicato, complectitur unctionem. Hæc vero contigit Reccaredo circa annum quingenteſimum octogeſimum quintum, ideſt, quadraginta octo annis ante Concilium IV. Toletanum.

XXXII. Unde & Patres illius Capite 75. Reges ſuos *Chriſtos Domini* vocant, veluti unctione Regia delibutos. *Cum Dominus dicat* (ajunt ii) *nolite tangere Chriſtos meos. Et David, Quis extendet manum ſuam in Chriſtum Domini, & innocens erit? Illis nec vitare metus eſt perjurium, nec Regibus inferre exitium*. Tremenda ſunt verba reliqua ejuſdem Capitis adverſus frangentes fidem Regibus debitam, quæ illic commode legi poſſunt.

XXXIII. Similiter Vvamba Rex piiſſimus, & ipſe fortiſſimus, anno Chriſti DCLXXII. dum coronaretur, Regiam unctionem accepit, teſte ipſius ſynchrono S. Juliano Toletano in Chronico, ubi inquit de illo: *Ne citra locum ſacræ Sedis Toletani Regni ſacram ſuſciperet unctionem, diſtulit celebritatem uſque ad nonam decimam diem, ne videretur ambitione uſurpaſſe, vel furatus eſſe Regni gloriam; ſed potius ſignum tanti culminis* (nimirum unctionem Regiam) *a Deo accepiſſe*. Locus porro, ubi Vvamba erat, quando Rex electus fuit (ut credo, *Pampliega* hodie appellatur, uno circiter die itineris ab Urbe Burgenſi) diſtabat *centum, & viginti milliariis*, inquit Julianus. *Poſtquam autem Toletanam Urbem ingreditur, & ventum eſt quo ſacræ unctionis acciperet ſignum, Regio jam cultu conſpicuus, jurandi fidem populis reddidit, & mores bonos prædeceſſorum Regum, atque Leges firmavit. Deinde Oleum benedictionis per ſacri Primatis, & Pontificis Quiricii manus vertici ejus refunditur, & benedictionis copia exhibetur*. Ac præterea: *Curvatis genibus, Oleum benedictionis per ſacri Primatus manus vertici ejus refunditur*.

XXXIV. Conſonat S. Juliano Archipræſuli Chronicon Regum Vviſigotthorum a Pithœo editum, & præfixum Codici Legum eorundem, dum ibi dicitur: *Suſcepit Dominus Vvamba Regni gubernacula eodem die, quo ille* (Receeſvintus) *obiit in ſupradictis Kalendis Septembribus, dilata unctionis ſolennitate uſque in diem XIV. Kalendis Octobris, Luna XXI.* Præterea de Ervigio illius ſucceſſore: *Suſcepit ſuccedente die, ſecunda feria, glorioſus Dominus noſter Ervigius Sceptra, quod fuit Idibus Octob. Luna XVI. Era DCCXVIII.* (ideſt, anno Chriſti DCLXXX.) *dilata unctionis ſolennitate uſque in ſupervenientem diem Dominicum*.

XXXV. Porro ii Hiſpaniæ Reges videntur primi inter omnes Chriſtianos unctionem Regiam in Coronatione ſua accepiſſe. Nullus Auctor antiquus, & gravis eorum, qui ſcripſere uſque ad finem ejuſdem ſeptimi ſæculi, quidquam ſimile referr de alio quopiam Chriſtiano Rege. Legitur quidem, Clodovæum Regem Galliarum (proculdubio antiquiorem Reccaredo) Chriſmate de Cælo miſſo *ordinatum, ſacratum, vel conſecratum fuiſſe*, ut loquitur Hormiſda Pontifex ad S. Rhemigium. Verum ea unctio non fuit Regia, ſive ad Coronationem ſpectans, ſed Sacramentalis, ſive ad Baptiſmum pertinens, ut idem Hormiſda ſatis declarat verbis iis: *Quem ſacri dono Baptiſmatis conſecraſti*. Et Sanctus Gregorius Turonenſis, qui eodem ſæculo ſexto inclinante floruit, dum agit Lib. 2. Cap. 31. de Baptiſmo ejuſdem Clodovæi, inquit: *Delibutuſque ſacro Chriſmate cum ſignaculo Crucis Chriſti &c.* Nec vero aut ipſe Gregorius, aut quiſpiam alius Scriptorum Galliæ, qui vixerunt tampore ſtirpis Merovingiæ, aut paullo poſt illam, meminit unctionis Regiæ. Hæc itaque cœpit in Pipino, qui carens jure ſucceſſionis hæreditariæ Regni Galliarum, eum defectum ſupplere voluit duplici intra triennium Coronatione, etiam Pontificia, ineunte jam octavo ſæculo. Quem morem ſequentes Reges Galliæ ſervarunt, ſeſquiſæculo ſaltem poſtquam receptus fuerat in Hiſpania cum Reccaredo, ac ſubinde cum aliis ipſius Succeſſoribus, uti oſtenſum jam eſt.

JOSEPHI CATALANI ADDITIO.

Priſcam celebrandorum Conciliorum formam fuſe jam nos explicuimus Tomo I. Conciliorum in Prolegomenis, Cap. 18. ubi varia attulimus de ea re veterum Patrum, ac Synodorum teſtimonia, quibus & addi ea poſſunt, quæ nuper diximus in alio noſtro Opere, cui Titulus, *Sacrarum Cæremoniarum, ſeu Rituum Eccleſiaſticorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ &c.* Tom. I. Libro I. Titulo XIV. Sed legenda præſertim ſunt, quæ in variis Capitibus memoratorum Prolegomenum diximus, in quibus varios antiquos ritus explicuimus in celebrandis Conciliis olim uſitatos. Forte vel erudititiſſimus lector multa in iis inveniet, quæ ipſum quammaxime delectabunt, certioremque facient penitioris Eccleſiæ diſciplinæ. Ibi inter alia explicatus locus, ubi Concilia celebrabantur. Ibi varia pietatis opera ad Conciliorum celebrationem indicta enarrantur. Ibi veſtes recenſentur, quibus olim induti Patres Conciliis intereſſent. Ibi ritus ille deſcribitur, ponendi ſcilicet in Conciliis Imaginem Chriſti ante oculos Epiſcoporum, & collocandi in Solio honorificentiſſimo Sacrum Evangelii Codicem una cum variis Sanctorum Reliquiis, atque Imaginibus. Ibi ratio tum priſca tum recentior conſeſſus, ac ſubſcriptionis Epiſcoporum in Synodis. Ibi tandem, ut alios

alios ritus omittam ſcitu dignos, ritus ille antiquus acclamationum expoſitus eſt, quæ fieri in Synodis conſueverunt.

Hæc ſunt, & alia multa, quæ non ex recenti Eccleſiæ inſtituto, ſed ex pervetuſto explicata a nobis ſunt. Quod vetuſtiſſima fuerit illa Eccleſiæ diſciplina, ut ſacræ Synodi non niſi ab oratione, jejuniis, aliiſque religioſis operibus inchoarentur, teſtis luculentiſſimus eſt Tertullianus, ſecundi Eccleſiæ ſæculi Sriptor, quippe qui in Libro, *De jejuniis adverſus Pſychicos* (ideſt, animales, ita enim factus Montaniſta Catholicos appellitabat) hunc in modum ſcribit: *Aguntur præcepta per Græcias illas certis in locis Concilia ex univerſis Eccleſiis, per quæ, & altiora quæque in commune tractantur, & ipſa repræſentatio totius nominis Chriſtiani magna veneratione celebratur; & hoc quamdignum, Fide auſpicante, congregari undique ad Chriſtum. Vide, quam bonum, & quam jucundum habitare Fratres in unum. Hoc tu pſallere non facile noſti, niſi quo tempore cum compluribus cœnas. Conventus autem illi Stationibus prius, & jejuniis operati*. Quibus verbis, ut notavit Pamelius, indicat Tertullianus optimam primitivæ Eccleſiæ in Synodorum celebratione conſuetudinem, qua jejunia, ac preces ſolebant præmitti, ejuſque rei exemplum habere nos ait, Cap. *x i s s*. Actorum in Concilio Apoſtolorum Antiocheno, ubi ſegregati ſunt a ſe mutuo ſancti Apoſtoli Paulus, & Barnabas.

Quod Coronationem, & unctionem Regum, eorumque officium ſpectat, jam & de hac re fuſe nos diſſeruimus noſtro Tomo *t*. Commentariorum in Partem I. Romani Pontificalis, in quibus etiam, ubi ſe ſe dedit occaſio, non parum Hiſpanicas res illuſtravimus. Reliquum eſt, ut & de Via Regia aliquid dicamus ſuperius deſcripta a Cardinale de Aguirre. Porro Auctorem ejus Libri eſſe Smaragdum Abbatem Monaſterii S. Michaelis in Diœceſi Virdunenſi Ordinis Sancti Benedicti, teſtatur Joannes Mabillonius Tomo 2. Annalium Benedictinorum Lib. xxviii. anno 819. Num xcs. ubi etiam ait, videri ipſum Librum dedicatum ab illo fuiſſe *Carolo Magno, aut Ludovico Pio*. Liber integer, cujus fragmentum fere deſcripſit Cardinalis de Aguirre, extat Tomo v. Spicilegii Dacheriani pag s. & ſeqq. conſtatque ex Capitibus xxxii. Prima verba, *Deus omnipotens te o clariſſime Rex &c.* ſunt Epiſtola nuncupatoria, quæ iis verbis concluditur, *in qua via dilectionis gradum ponimus primum*. Caput I. inſcriptum eſt, *De dilectione Dei, & proximi*. Caput II. eſt inſcriptum, *De obſervandis mandatis Domini*. III. *De timore*. IV. *De ſapientia*. V *De prudentia*. VI. *De ſimplicitate*. VII. *De patientia*. VIII *De juſtitia*. IX. *De judicio*. X. *De miſericordia*. XI. *Ut operibus Dominus honoretur*. XII. *De decimis, & primitiis*. XIII. *Ut theſaurus in Cælo collocetur*. XIV. *Qualem, & quantum theſaurum in vita ſibi homo reconderit, talem, ac tantum poſt mortem inveniet*. XV. *De non fidendo divitiis*. XVI. *De non gloriando in divitiis, ſed in humilitate*. XVII. *De pace*. XVIII. *De zelo rectitudinis*. XIX. *De clementia*. XX. *De conſilio*. XXI. *Ut caveat unuſquiſque ſuperbiam*. XXII. *De zelo, & livore*. XXIII. *De non reddendo malum pro malo*. XXIV. *De reprimenda ira*. XXV. *De non conſentiendo adulatoribus*. XXVI. *De cavenda avaritia*. XXVII. *Ut de impenſis alienis domus non ædificetur*. XXVIII. *Ut pro juſtitia facienda, nulla a judicibus requirantur præmia*, XXIX. *Ne ſtatera doloſa inveniatur in Regno ſuo*. XXX. *Probibendum, ne captivitas fiat*. XXXI. *De præſidio Domini requirendo*. XXXII. *De Oratione*.

Hactenus argumenta Capitum Libri inſcripti, *Via Regia*, cujus fragmenta, ut ita dicam, allata a Cardinale de Aguirre in multis etiam variant a memorato Smaragdi Abbatis Codice edito initio prædicti Tomi v. Spicilegii Dacheriani. Præter Viam Regiam extat in celeberrimo Regio Monaſterio Sancti Æmiliani Ordinis Sancti Benedicti in Hiſpania mſs. Liber metricus, Regis virtutes continens, quæ in prædicta Via Regia deſcriptæ ſunt. Cudicis exemplum communicavit mihi humaniſſimus Pater Magiſter Roca Procurator Generalis apud Apoſtolicam Sedem pro inclyta ſua Congregatione Benedictina nationis Hiſpanæ, quemque nos peculiari Libro una cum aliis Opuſculis noondum editis, Deo dante, in lucem dabimus.

EJUSDEM CATALANI MONITUM AD LECTOREM.

Præſtantiſſimus Theologus Joſeph Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis de Aguirre poſt Diſſertationem xv. ſtatim ſubjicit Concilium Illiberritanum a Viro undequaque doctiſſimo Ferdinando de Mendoza egregie defenſum, & perpetuis Commentariis illuſtratum, ſicque finem imponit ſuo Tomo I. Collectionis Conciliorum Hiſpaniæ, ad cujus calcem ita monet Lectorem: *Impoſita jam coronide lectiſſimis Commentariis Ferdinandi de Mendoza, & diverſorum Notis in Illiberritanum Concilium, reſtant adhuc nonnullæ Diſſertationes noſtræ circa illud, quas animus fuerat intra hoc ipſum volumen exhibere. Sed cum illud majoris molis evaſerit, quam initio putabatur, viſum eas differre uſque ad initium Tomi ſecundi, propediem prælo ſubjiciendi*. Ita ille, ſed viſum tamen eſt mihi eas Diſſertationes, quas Auctor præclariſſimus Tomo II. præfixit, in hoc primo Tomo collocare. Non enim illæ ſolum Concilium Illiberritanum, ſed alia quoque Hiſpaniæ Concilia ſpectant. Quantum fieri poteſt, ſequar ordinem inclyti Auctoris de Chriſtiana, & literaria Republica optime meriti. Sequar etiam illius ſententiam, ſed ita tamen, ut liberum mihi ſit per aliam aliquando viam, quæ rectior videatur, incedere; profiteorque ex animo eam & mihi eſſe voluntatem, quam laudatus Auctor ſignificavit in prædicto Monito ad Lectorem: *Quidquid a nobis dictum unquam, aut ſcriptum eſt, ſcribendumve erit, non modo ſummittimus Judicio Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, ſive Sedis Apoſtolicæ, corrigendum, aut inducendum, ſi ita viſum; ſed etiam doctorum quorumlibet, ac piorum omnium melius ſentientium*. Sed idgenus proteſtationes iterum atque iterum jam factæ a nobis ſunt in omnibus noſtris Libris, ut cuique eoſdem legenti manifeſtum eſt.

DIS-

DISSERTATIO DECIMASEXTA

Quonam tempore, & anno celebratum fuerit Concilium Eliberitanum. Ubi plura ad Chronologiam, & Hiſtoriam ſpectantia.

Decreveram progreſſu Tomi I. hanc ipſam quæſtionem ex inſtituto profligare, ac nonnullas alias, ſaltem poſt Commentarios ejuſdem Concilii Eliberitani. Sed cum ad finem illorum devenires typographus, viſum eſt volumen illud juſto majus evaſurum, ac mole ſua terrorem, vel faſtidium lectoribus illaturum. Quapropter eas Diſſertationes initio hujus ſecundi Tomi præfigendas cenſui, ac præcipue propoſitam in ipſa epigraphe, quæ multorum ingenia torſit, & vexat uſque modo. Ex dicendis vero in illa ſpero, extricandos plures Chronographiæ, & Hiſtoriæ nodos ſatis irretitos, & non parum addere Obſervationibus iis, quas ſummo Vir ingenio, & eruditione Ferdinandus de Mendoza protulit, præſertim Libro primo Commentariorum in idem Concilium, Cap. 2. & 3.

EXCURSUS I.

Quorundam errata, & variorum opiniones, atque in iis D. Loaiſæ, referuntur, & refelluntur. Oſtenditur, Concilium Eliberitanum non fuiſſe celebratum eodem tempore, quo Nicænum, nec poſtea.

II. IN hac re mirum, quantum nonnulli aberrarunt, ſed omnium maxime nonnulli Anglorum, qui, teſte Alano Copo dialogo quarto, dixerunt, Concilium Eliberitanum circa annum MCC. celebratum fuiſſe. Verum ad refutandum adeo immanem errurem, nullo alio argumento opus eſt, quam ipſis Codicibus manuſcriptis, quorum plurimi exſtantes in Hiſpania præſeferunt antiquitatem longe majorem, literis Longobardis, & Gotthicis. Ac certe ille, qui ex Regio, & antiquiſſimo S. Æmiliani Monaſterio delatus fuit a Philippo II. ad Bibliothecam D. Laurentii in Scoriali, dictus Albeldenſis, ſeu Vvigilanus, ſcriptus Era MXIV. ideſt anno Chriſti CMLXXVI. præcedit duobus ſæculis tempus ab iis erronibus aſſignatum eidem Synodo.

III. Secundo Magdeburgenſes, teſte Arnaldo Pontaco in Chronologia, ſub anno Chriſti DCCXCIV. voluerunt, id Concilium celebratum fuiſſe circa annum DCC. Nimirum intererat maxime illorum negare, aut occultare antiquitatem ejus Synodi, in qua tot Eccleſiæ Dogmata, traditiones, Canones Pœnitentiales, & ſalutaria Decreta contra eorum inſanias a priſcis ſæculis præſcribuntur. Sane vel ſola illa ſacra nomina Valerii, Oſii, & aliorum Epiſcoporum ſubſcribentium Canonibus (abs dubio editis durante, aut imminente Gentilium perſecutione) palam oſtendunt antiquitatem longe majorem, & ſub Imperatoribus ethnicis; ac proinde ſaltem intra quartum ſæculum Eræ Chriſtianæ. Verum mittamus ejuſmodi deliramenta, potius riſu digna, quam impugnatione ſeria, & accedamus ad veroſimiles aliorum opiniones.

IV. Tertio Joannes Vaſæus illud refert ad annum CCCXXVIII. ſicuti & Petrus Gregorius, Libro 22. Syntagm. Cap. 13. ad annum CCCXXXVI. Eorum opinio fundamentum aliquod habet in quibuſdam antiquis Scriptoribus, veluti Suzomeno, Lib. 1. *Hiſtoriæ Eccl.* Cap. 16. Photio in Libro, *De ſeptem Conciliis*, Beda, *De temporibus*, Cap. 65. Nicephoro, Lib. 8. *Hiſtoriæ* Cap. 14. ac Gratiano Diſt. 16. Cap. *Sexta Synodus*; qui omnes volunt, Concilium Nicænum fuiſſe habitum ſub Julio I. Papa, ac proinde non ante annum CCCXXXVI. quo is Pontifex electus fuit. Cumque aliorum judicio, & multis Codicibus manuſcriptis, vulgatum ſit, Concilium Eliberitanum fuiſſe coactum paullo poſt Nicænum, conſequens apparet, ut & illud tempore Julii Papæ fuerit celebratum, ac proinde anno CCCXXXVI. vel paullo poſtea.

V. Sed enim totum id ex aperto errore in chronographia, & hiſtoria Eccleſiaſtica procedit, juxta quam res explorata eſt, & in confeſſo jam diu apud omnes Viros doctos, Concilium Nicænum fuiſſe celebratum ſub Sylveſtro, cui ſucceſſit ἀμέσως Marcus Papa, & ſubinde Julius anno CCCXXXVI. Id aperte tradunt Euſebius (qui interfuit eidem Concilio) in Chronico, Hieronymus in ejus continuatione, Socrates Lib. 2. Cap. 27. Theodoretus, *Hiſtoriæ Eccl.* Lib. 1. Cap. 3. & Gelaſius Cyzicenus Lib. 1. palam aſſerentes, aut ſatis indicantes, Nicænam Synodum cœptam fuiſſe Coſſ. Paullino, & Juliano. Conſtat ex Concilio Chalcedonenſi, Actione ſecunda (apud Labbeum Tomo IV. col. 340.) ubi legitur titulus: *Expoſitio Fidei Concilii habiti in Nicæa*. Ibi enim in initio antequam recitetur Symbolum Fidei, dicitur: ἐν ὑπατείᾳ Παυλίνου καὶ Ἰουλιανοῦ τῶν λαμπροτάτων, ἔτους ἀπὸ Ἀλεξάνδρου χλϛ´, ἐν μηνὶ Δαισίῳ ιθ´, τῇ πρὸ ιγ´ καλανδῶν Ἰουλίων, ἐν Νικαίᾳ τῇ μητροπόλει Βιθυνίας. Πιστεύομεν εἰς ἕνα Θεὸν &c. *Conſulatu Paullini, & Juliani, Virorum Clariſſimorum Coſſ. anno poſt Alexandrum ſexconteſimo triceſimo ſexto, menſis (ſecundum Græcos) Deſii, die nonodecimo, qui eſt tertio decimo Kalendarum Juliarum, in Nicæa metropoli provinciæ Bithyniæ. Credimus in unum Deum, &c.* Paullinum autem & Julianum (alias Anicium Fauſtum Paullinum, & Julianum Camenium, juxta Faſtos Onuphrii ab aliis correctos) intra Pontificatum Sylveſtri, Conſules fuiſſe anno CCCXXV. exploratum eſt. Denique Concilium ipſum finitum ſub Sylveſtro Papa, conſtat ex ipſius Reſcripto ad eandem Synodum, in quo ejus Acta probat. Dato igitur, aut permiſſo, Concilium Eliberitanum fuiſſe eodem tempore celebratum, ac Nicænum, perperam illud refertur ad annum CCCXXXVI. vel CCCXXXVIII. in quibus jam erat Pontifex Julius.

VI. Quarto, Ambroſius de Morales Libro duodecimo, *Hiſtoriæ Hiſp.* Cap. 31. magnus ille

illic Antonius Auguſtinus in Epiſtola ad Hieronymum Blancham, Illuſtriſs. Loaiſa in Notis pag. 22. & apud ipſum Stephanus Garybajus, cenſent coactum eodem tempore, quo Nic ena Synodus, & Era CCCLXII. immo & poſt eam celebratam, ut Loaiſa addit. Ducuntur aliquot manuſcriptis antiquis, in quibus Era prædicta ponitur.

VII. Verum ut concedam in eorum doctiſſimorum hominum ſententiam, plura obſtant, meo judicio decretoria. Imprimis, quod Concilium Eliberitanum fuerit celebratum eodem tempore, quo Nicænum, immo poſt Nicænum, & tamen Era CCCLXII. coactum ſit, ἀσύςατα plane ſunt, ſive invicem pugnantia. Nicænum enim habitum fuit anno CCCXXV. ac proinde Era CCCLXIII. ut oſtenſum fuit nuper ex Actione ſecunda Concilii Chalcedonenſis, & teſtatur Socrates Libro I. Cap. 9. fine, ex Annalium Commentariis, veluti rem prorſus exploratam. Non ergo potuit Eliberitanum celebrari anno præcedenti CCOXXIV. cui reſpondet Era CCCLXII. ſi ponitur celebratum eodem tempore, aut poſt illud, uti Auctores citati volunt. Quem parachoniſmum miror Loaiſæ diligentiam fugiſſe, niſi forte abductus fuerit opinione quorundam veterum, jam deſerta ab omnibus Chronographis, referentium Concilium Nicænum ad annum Chriſti CCCXXIV. Quod ſi quis pervicaciter contendat, Eliberitanum fuiſſe coactum Era CCCLXII. ut ponitur ab iis Auctoribus; fateatur neceſſe eſt, fuiſſe celebratum anno proxime præcedente CCCXXIV. ac proinde ante Nicænam Synodum: quod ii Auctores negant.

VIII. Præterea, ſive ponatur Nicæna Synodus coacta anno CCCXXV. uti fere omnes volunt, ſive anno præcedenti CCCXXIV. non potuit eodem anno cogi poſt illam Eliberitanum Concilium præſente Oſio. Hic enim Apoſtolicæ Sedis nomine præſedit Synodo Nicænæ, quæ utrovis eorum annorum inchoata fuerit, non fuit abſoluta niſi triennio elapſo, ſi fides habenda ſit multis Scriptoribus Græcis, & præſertim Anonymo apud Lipomanum Tom. VI. alleganti Alexandrum, quem ait ſcripſiſſe Acta ejus magnæ Synodi, & teſtanti eam duraſſe triennio, ac ſex menſibus. Idipſum fere habet Gelaſius Cyzicenus in Commentariis Actorum ejuſdem Synodi, Parte ſecunda, dicens de Conſtantino Auguſto: *Sexto quidem decimo anno, & ſexto menſe regni ſui, juxta veteres hiſtorias, ut ſupra diximus* (nimirum Cap. 5.) *ſanctum Epiſcoporum Concilium congregavit: anno vero viceſimo, cum Synodi conventum diſſolviſſent, in ſuas Parœcias, ut dictum eſt, unumquemque dimiſit.* Audis, id Concilium perduraſſe ab anno decimo ſexto, uſque ad viceſimum Imperii Conſtantini, ac proinde pluſquam tribus annis interjectis. Nicephorus quoque, Libro octavo *Hiſtoriæ*, Cap. viceſimo ſexto, juxta verſionem, & partitionem Joannis Langi, qua utor, inquit: *Synodus vero ipſa Nicææ annis tribus, & paullo longius eſt acta. Et res Nicææ talem habuere finem.* Favetque eidem opinioni Caſſiodorus in Chronico, quatenus ait illam ſub Conſulatu Januarii, & Juſti habitam fuiſſe; qui certe incidit in annum CCCXXVIII. Imperii vero Conſtantini XXI. & XXII. nimirum, perfectam, aut finitam. Si, inquam, fides habenda ſit iis Auctoribus, corruit ſententia D. Loaiſæ. Incredibile enim

eſt, Oſium primarium inter Legatos Sedis Apoſtolicæ, Concilii Præſidem, Conſtantino ipſi, & omnibus Patribus ſumme venerandum, non adfuiſſe Nicææ toto eo tempore: nimirum ab anno CCCXXV. uſque ad CCCXXVIII. in quo ea Synodus finem habuit. Quomodo ergo potuit anno CCCXXIV. aut CCCXXV. in quo ponitur initium Concilii Nicæni, eo jam celebrato, intervenire Eliberitanæ Synodo in Hiſpania, adeo remota a Nicæa Urbe, & cum aliis Patribus ſubſcribere.

IX. Sed ſinamus, falſam eſſe illam Gelaſii, Nicephori, aliorumque ex Græcis opinionem mox relatam. Ponamus præterea cum Baronio, inchoatam, & abſolutam fuiſſe anno CCCXXV. prout colligitur ex Euſebio Libro 3. *De vita Conſtantini*, Cap. 14. & Lib. 4. Cap. 40. & 47. adhuc vera eſſe nequit opinio Loaiſæ arbitrantis, poſt peractam Synodum Nicænam, eodem anno celebratam fuiſſe Eliberitanam. Imprimis enim nonnulli colligunt ex Epiſtola Synodica Concilii Gangrenſis, Oſium, finito Concilio Nicæno, profectum fuiſſe Nicæa Gangras ad Synodum illam celebrandam, utpote cum inter Patres inibi præſentes numeretur: licet non in omnibus exemplaribus ejus Concilii, ſed in quibuſdam tantum, uti videre eſt Tomo II. Collectionis Labbeanæ col. 414. & 415. Fieri autem non potuit, ut intra paucos menſes ejuſdem anni Oſius Nicæa Gangras, atque inde Eliberim ſe conferret. Verum dato, quod Concilium Gangrenſe fuerit celebratum multo ante, aut poſt Nicænum, tam celerem reditum in Hiſpaniam non patitur nimia locorum diſtantia, & brevitas temporis. Nicephorus Libro citato Cap. 15. ut indicaret ex quam diſſitis regionibus conveniſſent Patres Nicæam, dixerat: *Ab ipſis quoque Hiſpanis Oſius, videlicet celeberrimus ille, una cum aliis ibidem conſidebat.* Unde palam infertur, non potuiſſe Oſium eodem anno celebratæ Synodi Nicænæ accedere Eliberim, & intereſſe ejus Concilio. Nicænum enim inchoatum fuit decimo tertio die ante Kalendas Julii, ut teſtatur Synodus Chalcedonenſis; ſive undecimo, ut habet Socrates locis citatis. Dies autem, in quo Nicæna fuit finita (ſive eodem anno, ſive tribus poſtea elapſis) fuit octavus ante Kalendas Septembris, ut legitur in vetuſtiſſima Collectione Creſconiana, ex teſtimonio Attici Epiſcopi Conſtantinopolitani. Difficillimum autem eſt, ne dicam ἀδύνατον, a die octavo ante Kalendas Septembris uſque ad finem ejuſdem anni fuiſſe tempus ſufficiens, ut Oſius, expeditis omnibus negotiis, & communicatis cum Imperatore Conſtantino (cui chariſſimus, ac maximè venerandus erat) & tranſmiſſis tot regionibus interjectis, Nicæa Eliberim accederet, inibique, convocatis reliquis Epiſcopis, Concilium celebraret, niſi celerrimis ventorum alis advectus fuiſſet.

X. Certe juxta Coſmographos, & nominatim juxta Geographiam Synodicam, nuper editam ex conatibus Geographicis Gulielmi Sanſon Tomo XVI. Collectionis Labbeanæ, nulla ex Urbibus, in quibus hactenus Concilia Oecumenica celebrata ſunt, æque diſtat ab Eliberi, ſive terra, ſeu mari, ac Nicæa, ultra Conſtantinopolim, & Chalcedonem ſita, juxta Sangarium fluvium, non procul a Ponto Euxino, & in ipſa regione Bithyniæ. Ambæ ni-

mirum Urbes invicem diſtantes collocantur quadraginta quinque circiter gradibus, qui æquivalent milliaribus Italicis bis mille trecentis ſexaginta duobus. Longa equidem via, & nimia diſtantia eſt hæc, ut tranſmitti potuerit ab Oſio, jam tum ſexagenario ut minimum, intra quatuor poſtremos menſes anni CCCXXIV. aut CCCXXV. relicto etiam tempore, ut intra illos Eliberitana Synodus, ſatis longa, & Canonibus copioſa, celebraretur. Quid ſi addamus, ex fide Codicum Juſtelli, Hardyi, & aliorum, ac juxta Collectionem Labbei Tomo II. col. 414. Oſium interfuiſſe Synodo Gangrenſi apud Paphlagoniam, quæ ab omnibus ponitur celebrata tempore Sylveſtri Papæ, & Conſtantini Imperatoris, ac fortaſſe immediate poſt Nicænam? Id enim ſatis veroſimile apparet, cum Oſius eo tempore a Sylveſtro R. Pontifice miſſus fuerit Legatus in Orientem, ut omnem ſtatum Eccleſiarum labantem componeret, ac proinde ſatis conſonum veritati appareat, ut celebrata Synodo ſummi momenti, qualis fuit Nicæna, inde Gangras progrederetur, Urbem non valde procul inde diſtantem, in Paphlagonia, quæ eſt pars Aſiæ minoris. Si autem id ſemel ponatur, longe difficilior erit reditus Oſii in Hiſpaniam eodem Concilii Nicæni anno.

XI. Ulterius, incredibile apparet, Eliberitanam Synodum celebratam fuiſſe poſt Nicænam, ſive eodem anno, ſive alio ex ſequentibus. Etenim in Nicæna traditum fuerat celeberrimum Fidei Symbolum, quod fuit Catholicæ Eccleſiæ præcipua teſſera contra Arium, & gregales. Traditum, inquam, fuit, hortante imprimis magno Oſio, ipſius Synodi Principe, ut teſtatur S. Athanaſius, qui aderat, in Epiſtola *ad ſolitariam vitam agentes*. Certum autem prorſus apparet, ſi poſtea celebratum fuit Concilium apud Eliberim, curaturum eundem Oſium, ut inibi quoque idem Symbolum a ſe conditum, & ſolenniter editum in magna Synodo Nicæna, reciperetur, proferreturque. At id factum non eſt, neque ulla in Actis Eliberitani Concilii mentio extſtat, vel ejus Symboli, vel myſterii SS. Trinitatis, vel τῦ ὁμουσίυ contra Arium. Signum itaque manifeſtum eſt, Concilium Nicænum non fuiſſe ante Eliberitanum. Immo & hoc fuit antequam hæreſis Arii inciperet, aut ſaltem priuſquam aliquid de illa ſciretur. Non enim excitata fuit controverſia inter Alexandrum Præſulem Alexandriæ, & impiiſſimum Arium, circa ſolidam Deitatem Chriſti, uſque ad annum CCCXVII. Conſulatu Ovinii Gallicani, & Septimii Baſſi, anno XI. & XII. Imperii Conſtantini.

XII. Denique idipſum uberius conſtabit ex dicendis ſtatim Excurſu ſequenti, ubi demonſtrabitur, Eliberitanum Concilium fuiſſe antiquius Imperio Conſtantini, ac proinde Nicæna Synodo, que ἀναμφισβητήτως ſub illo celebrata fuit,

XIII. Opponunt aliqui Codices mſs. Regiæ Bibliothecæ S. Laurentii, & duos alios Eccleſiæ Toletanæ, in quibus dicitur, Eliberitanam Synodum fuiſſe habitam eodem tempore, ac Nicænam, & nominatim Era CCCLXII. In re autem adeo antiqua ſtandum eſse antiquiſſimis exemplaribus, & nihil ex conjectura aſſerendum.

XIV. Verum hoc non urget. Nam imprimis Codices illi non excedunt antiquitatem DCC. annorum, ſcriptique fuerunt ſex circiter ſæculis poſt Synodum Nicænam, atque eo tempore, quo nulla fere eruditionis, aut Chronologiæ cura erat apud Hiſpanos; ſed ſolum *armorum ſtrepitus, & fera prælia*. Quare exſcriptores eorum Codicum facile potuerunt errare, addito iis ex conjectura tempore alio, quam oporteret. Nimirum Codex Vvigilanus Regii, & antiquiſſimi Monaſterii S. Æmiliani, in Bibliothecam S. Laurentii delatus a Philippo II. ſcriptus fuit a Vvigila Monacho Albeldenſi Era MXIV. ideſt anno Chriſti nongenteſimo ſeptuageſimo ſexto; alter ejuſdem Bibliothecæ, qui appellatur Hiſpalenſis, ſcriptus dicitur duodecim retro annis, intra idem ſæculum decimum; ex Toletanis vero antiquiſſimus, dictus Lucenſis, ſcriptus ab Ayſtrulpho, ſive Michaele Dens, non habet certum annum. Denique intra ſæculum quartum non erat uſus adhibendi Eram, vel nomina Imperatorum in Conciliis, aliiſque ſcripturis, ſed Conſulum dumtaxat. Itaque exſcriptores eorum codicum, Vvigilani, & Hiſpalenſis, dum addidere in limine Concilii Eliberitani Eram CCCLXII. aut nomen Imperatoris Conſtantini, aut ſub ejus Imperio fuiſſe celebratum, eodem tempore, ac Nicænam Synodum, procul dubio falſi ſunt.

EXCURSUS II.

Uberius oſtenditur major antiquitas Concilii Eliberitani, quam Nicæni, immo & quam pacis Eccleſiæ a Conſtantino datæ; ut proinde ſaltem ante annum CCCXIII & fervente adhuc perſecutione, celebratum fuerit. Objectiones quorundam, & in iis Stephani Baluzii, refutantur.

XV. Potiſſimum Argumentum, idque ἀναντίῤῥητον, quo extorquetur major antiquitas Concilii Eliberitani, quam Concilii Nicæni, immo & quam pacis datæ a Conſtantino Magno, deſumitur ex multis illius Canonibus, ſeu Capitulis, quæ palam oſtendunt, quo tempore condebantur a Patribus Eliberitanis, crudelem perſecutionem adverſus Chriſtianos viguiſſe, ab ethnicis illatam. Hoc enim declarant Canones I. II. III. IV. XXV. XLI LV. & LX. in quibus totidem Decreta extſtant de iis, qui poſt baptiſmum idolis immolaverunt; de Flaminibus ethnicorum baptizatis, ſive adhuc catechumenis, qui idolis ſacrificium, aut munera obtulerunt; de Epiſtolis communicatoriis Confeſſorum, ſive Martyrum, quas lapſis tribuere ii ſolebant; de idolis non habendis domi; de ſacerdotibus Gentilium, qui jam non ſacrificant; de iis, qui deſtruentes idola occiduntur. Manifeſtum itaque eſt, ea Decreta fuiſſe ab Eliberitanis Patribus edita, quo tempore crudeliter ethnici in Chriſtianos deſæviebant, ac proinde ſaltem ante annum Chriſti CCCXIII. Nam anno CCCXIII. qui fuit primus Melchiadis Papæ, & ſeptimus Imperii Conſtantini, jam hic, victo Maxentio Tyranno, & pace Eccleſiæ reddita, ediderat varia Reſcripta pro Chriſtianis, ut legere eſt apud Euſebium Libro decimo *Hiſtoriæ* Cap. 1. 6. & 7. Unde & conſequens eſt, id Concilium

fuiſse

fuiſſe peractum ſaltem ante prædictum annum Chriſti cccxiii. utpote fervente adhuc perſecutione.

XVI. Urgetur id ipſum illuſtri teſtimonio S. Innocentii I. Papæ, qui cœpit Eccleſiam regere ſub initium ſæculi ſequentis, ideſt anno ccccii. in Epiſtola celebri ad Exuperium Epiſcopum Toloſanum, qui Sedem Apoſtolicam conſuluerat circa varias quæſtiones, ac nominatim, *quid de his obſervari oporteat, qui poſt baptiſmum omni tempore incontinentiæ voluptatibus dediti, in extremo fine vitæ ſuæ pœnitentiam, ſimul & reconciliationem communionis expoſcunt*. Reſpondit vero ſtatim Pontifex, ſatis indicans Concilii Eliberitani decreta, præſertim 7. 47. 64. & 65. illorum, quamvis ſuppreſſo nomine: *De his obſervatio prior durior*, (nimirum qua PP. Eliberitani iis peccatoribus communionem negant, etiam in fine vitæ) *poſterior, interveniente miſericordia, inclinatior eſt. Nam conſuetudo prior tenuit, ut eis concederetur pœnitentia, ſed communio negaretur. Nam cum illis temporibus crebræ perſecutiones eſſent, ne communionis conceſſa facilitas homines de reconciliatione ſecuros non revocaret a lapſu; negata merito communio eſt, conceſſa pœnitentia, ne totum penitus negaretur; & duriorem remiſſionem fecit temporis ratio. Sed poſteaquam Dominus noſter pacem Eccleſiis ſuis reddidit, jam terrore depulſo, communionem dari abeuntibus placuit, & propter Domini miſericordiam quaſi viaticum profecturis; & ne Novatiani hæretici negantis veniam, aſperitatem, & duritiam ſequi videamur. Tribuitur ergo cum pœnitentia extrema communio, ut homines hujuſmodi, vel in ſupremis ſuis pœnitentes, miſerante Salvatore noſtro, a perpetuo exitio vindicentur.*

XVII. Hæc inibi Innocentius, quæ non modo illuſtrant Canones plures hujus Concilii, nec ſolum illius Patres eximunt ab omni Novatianiſmi ſuſpicione, ob negatam pluribus lapſis communionem in extremo vitæ: ſed etiam palam oſtendunt, ea decreta prodiiſſe apud Eliberim, *cum illis temporibus crebræ perſecutiones eſſent*; ac proinde ante annum ſaltem cccxiii. quo jam Eccleſia tota fruebatur optata pace. Vide plura huc ſpectantia apud eruditiſſimum Mendozam Libro I.

XXVIII. Et quidem longe amplius deferendum eſt huic teſtimonio, quam variis conjecturis V. Cl. Stephani Baluzii, qui Tomo I. novæ Collectionis pag. 23. multis adſtruere conatur, Concilium hoc paullo ante Nicænum fuiſſe habitum in media Eccleſiæ pace. Etenim Canones ſupra indicati num. 15. denotant fervorem perſecutionis, & ſummum periculum labendi in cultum idolorum ob vim a tyrannis illatam. Unde longe aliter in iis ſermo eſt de lapſis, quam in Conciliis, Valentino anni ccclxxiv. & Arelatenſi II. anni ccccLII. Canone x. immo & quam in Ancyrano anni cccxiv. paullo poſt pacem a Conſtantino datam: quorum exemplo utitur Baluzius, ut ſolvat argumentum præjactum, immo & in nos regerat. Ancyranum enim in Canonibus ſuis iterato adſcribit pœnam iis ſolum, qui jam antea in perſecutione ſacrificaverant, & ad idola pranſi ſunt, & ſuppliciis, aut minis ceſſerunt, &c. nimirum, in perſecutione ethnicorum, quæ paullo ante præceſſerat. Itaque non comminatur Synodus illa pœnam aliquam iis, qui poſtea laberentur in perſecutione (quæ jam nulla erat) ſed ſolum indicit pœnam ob præteritum lapſum exſequendam. Canones autem Eliberitani comminantur pœnam ob lapſum futurum; veluti Can. I. *ei qui ad Templum immolaturus acceſſerit*. Can. II. Flaminibus, *qui triplicaverint facinus*. Can. III. Flaminibus, *qui non immolaverint, ſed munus tantum dederint &c.* Quæ ſane denotant urgentem tunc perſecutionem. Quod vero idem Baluzius opponit etiam Canones Neocæſareenſes anni ejuſdem cccxiv. præter rem omnino eſt, cum in iis nec verbum habeatur contra eos, qui a Fide lapſi fuerant, aut de cætero laberentur.

IX. Quod ſi vero aliquis excipiat, Innocentium non fuiſſe loquutum de conſuetudine negandi communionem lapſis quibuſdam morientibus, tempore Concilii Eliberitani, ſed multo antea, tempore S. Cypriani, facile refelletur. Nam, ut conſtat ex eodem Cypriano Epiſtola octava ad Cornelium Papam, ipſe longe aliter cenſuit, quam poſtea Eliberitani Patres arbitrati ſunt. Ibidem enim aliquanto poſt medium, invehitur contra Novatianum, veluti *diſcuſſionis, & zeli recrudeſcente inſania*, negantem lapſis omnia pietatis officia. Et præterea Epiſtola nona ad Antonianum, quæ eſt quinquageſima ſecunda apud Pamelium, & Rigaltium, latius eundem Hæreſiarcham refellit, probatque benignam Eccleſiæ conſuetudinem admittendi lapſos poſt debitam pœnitentiam ad pacem, ac communionem Eccleſiæ, & in iis Trophimum. Quamvis autem ibidem columna quarta (quæ apud Labbè Tomo I. eſt 707.) diſtinguat plurimum inter libellaticos, & ſacrificantes idolis, quod hi poſteriores longe gravius peccaverint; ac curſus columna octava pejores cenſeat eſſe mœchos, & fraudatores (quos tamen Novatianus admittebat) quam libellaticos; adhuc tamen concludit columna nona, non longe a fine Epiſtolæ, omnibus iis vere pœnitentibus veniam, & pacem eſſe dandam. Ait enim, inter multa alia lectu digniſſima: *Neminem putamus a fructu ſatisfactionis, & ſpe pacis arcendum: cum ſciamus, juxta Scripturarum Divinarum fidem, Auctore, & hortatore ipſo Deo, & ad agendam pœnitentiam peccatores redigi, & veniam, atque indulgentiam peccatoribus non denegari*. Pacis autem nomine videtur intelligere communionem, ſaltem laicam, qualem tantum præmiſerat conceſſam fuiſſe Trophimo. Et loquens columna ſexta nominatim de mœchis (in quos tam ſevere animadvertunt PP. Eliberitani Can. VII. XLVII. LXIV. & LXV. negantes iis communionem etiam in fine) dixerat: *Nam & mœchis a nobis pœnitentiæ tempus conceditur, & pax datur*. Non ergo Innocentius loco citato indicavit conſuetudinem duriorem, quæ eſſet tempore S. Cypriani, ſed longe poſterius inductam ab Eliberitanis Patribus ſub graſſante perſecutione, ac proinde ante annum cccxiii. qui duodecim annis præceſſit Nicænam Synodum.

XX. Denique id ipſum confirmari poſſet: quoniam ab eo anno cccxiii. uſque ad cccxxv.

in quo Concilium Nicænum celebratum eſt, non potuit Oſius intereſſe Synodo Eliberitanæ, nec ſuæ Eccleſiæ Cordubenſi, nec eſſe in ulla regione Hiſpaniæ, cum toto eo temporis interſtitio, & longe poſtea, diſtentus fuerit graviſſimis Reipublicæ Chriſtianæ negotiis apud Conſtantinum Imperatorem, & variis Romanæ Eccleſiæ Legationibus, ac Conciliis plurimis in Oriente, & longiſſime ab Hiſpania, ut ſingillatim oſtendit miro Vir ingenio, & eruditione D. Ferdinandus de Mendoza Lib. 1. De confirmendo eodem Concilio a Clemente VIII. Cap. 2. ubi excurrit per varias functiones, Legationeſque obitas iis annis ab ipſo Oſio, præſertim cum is adſtiterit Conſtantino ferenti Edictum in cauſa Donatiſtarum, Sabino, & Ruffino Coſs. anno cccxvi. ut conſtat ex S. Auguſtino in Lib. ad Donatiſtas poſt Collat. Cap. 33. immo & antea dum idem Imperator ederet Conſtitutionem ad Cæcilianum: quod contigit anno cccxiii. quo primum illius cauſſa ad Conſtantinum fuit delata, ut colligitur ex Optato Milevitano Lib. 1. contra Parmenianum. Anno vero cccxvii. conſtat ſatis ipſum in Oriente verſatum, præſertim adverſus Arium. Quapropter, ſicuti neceſſum eſt, ut interfuerit Concilio Eliberitano ante Nicænam Synodum; ita etiam non poſt annum cccxiii. maxime cum jam tunc Eccleſiæ pax date fuiſſet a Conſtantino. Quem nodum ſatis implicitum, neſcio, an facile extricare poſſint, quotcumque oppoſitum docent.

XXI. Opponunt aliqui teſtimonium celebre S. Iſidori Lib. 6. *Etymologiarum*, Cap. 16. quaſi ibi dicat: *Canones autem Conciliorum a temporibus Conſtantini cœperunt. In præcedentibus namque annis, perſecutione fervente, docendarum plebium minime dabatur facultas. Inde Chriſtianitas in diverſas hæreſes eſt ſciſſa, quia non erat licentia Epiſcopis in unum coeundi, niſi tempore prædicti Imperatoris. Ipſe enim dedit facultatem Epiſcopis libere congregari*. Hinc autem videtur palam colligi, judicio Iſidori Concilium Eliberitanum, ejuſque Canones, non fuiſſe ante pacem Eccleſiæ datam a Conſtantino, & ferveſcente perſecutione, ſed aliquanto poſtea.

XXII. Reſp. Iſidorum eo loco, ſi integre legatur, prout in mſs. melioris notæ, & in Regia editione Hiſpaniæ extat, ac præterea in celebri Codice Vaticano num. 630. ſcripto tempore Nicolai I. Papæ, qui fuit olim Joannis Epiſcopi Atrebatenſis, non loqui de quibuslibet Conciliorum Canonibus, ſed Generalium. Sic enim habet: *Canones autem Conciliorum Generalium a temporibus Conſtantini cœperunt*. Et ratio, quam ſubjungit, id ipſum oſtendit. Nam difficultas ſumma, ut Epiſcopi in unum coeant ad edendos Canones, perſecutione fervente, ſolum habet locum circa Concilia Generalia ex omnibus Epiſcopis variarum nationum coacta, qui ſine ingenti mari terraque periculo, & labore, nec ſe invicem convocare, nec unico aliquo loco convenire in tanto numero poſsent; ſecus vero de Conciliis Provincialibus, aut Nationalibus, quæ minori numero Patrum conſtant, & ſtrictiori locorum ſpatio coercentur. Unde & clam convenire, & ſacres Leges ſuis populis condere, abſque manifeſto periculo poterant. Et hujus generis fuit Concilium Eliberitanum, procul dubio ferven-

te perſecutione coactum, ac proinde ante pacem Eccleſiæ datam a Conſtantino.

XXIII. Opponit præterea Baluzius verba Oſii ita loquentis in Canone quartodecimo, alias undecimo, Concilii Sardicenſis: *Memini autem ſuperiore Concilio Fratres noſtros conſtituiſſe, ut ſi quis laicus in ea, in qua commoratur, Civitate tres Dominicas dies, ideſt, per tres ſeptimanas non celebraret conventum, communione privaretur*. Quibus verbis procul dubio reſpexit Oſius ad Canonem xxi. Eliberitanum, ubi dicitur: *Si quis in Civitate poſitus, tres Dominicas Eccleſiam non acceſſerit, pauco tempore abſtineatur, ut correptus eſſe videatur*. Hinc colligit Baluzius, Oſium in Sardicenſi Concilio loquutum de ſuperiori Concilio, cui ipſe interfuerat; non quidem poſtremo, quod Nicænum fuit; ſed ſuperiore, ideſt. penultimo, nimirum Eliberitano. Unde & poſtea colligit, hoc fuiſſe anterius quidem Nicæno, poſterius vero Ancyrano, & Neo-cæſareenſi, quæ duo anno cccxiv. poſt datam Chriſtianis pacem celebrata ſunt.

XXIV. Sed enim ſi ſubtilis hæc conjecturæ Baluzii aliquam vim habet, potius intelligendus erit Oſius iis verbis loquutus de Concilio illo, cui immediate antea interfuerat, quam de eo, qui mediate ſolum præceſſeret. Nimirum, verba illa, *ſuperiori Concilio*, ex communi uſu loquendi apud bonos Scriptores, denotant Concilium proxime, ſive immediate antea celebratum: ſicuti quod quiſpiam ait ſe ſuperiori anno, Libro, aut Capite dixiſse, accipitur de anno, aut Libro, aut Capite proxime præcedenti. Cum ergo Baluzius aſserat, Concilium, cui interfuit Oſius proxime ante Sardicenſe, fuiſse Nicænum; intelligendus de hoc erit Oſius, non de Eliberitano, quod fatetur fuiſse ante illud. Cumque nullo modo accipi poſſit de Nicæno, in quo id Decretum non extat; conſequens eſt, ut nomine *ſuperioris Concilii* intellexerit quidem Eliberitanum; non tamen veluti immediate celebratum ante Sardicenſe, immo neque proxime ante Nicænum, ſed longe antea, ſive ſuperiore, aut præcedenti, ſeu præterito tempore. Neque enim curandum, ut verba illa Oſii intelligantur juxta prædictas latinitatis leges, aut exacultiorem loquendi ſtylum, a quo longiſſime fuit Oſius, ut patet ex ipſo Concilio Sardicenſi Latine reddito, & Eliberitano, quæ potius Chriſtianam ſimplicitatem præſeferunt, quam ſtylum ad regulas Priſciani, aut Ciceronis exactum. Immo attentis verbis ejuſdem Concilii Græce extantibus, colligi videtur, Decretum illud ab Oſio memoratum, multo ante Sardicenſem Synodum prodiiſse: id eſt, non eorundem Epiſcoporum ætate, ſed Patrum, ſive Parentum ipſorum. Id enim denotant verba illa Canonis undecimi Sardicenſis apud Labbeum Tomo 2. col. 637. μέμνησθε δὲ καὶ ἐν τῷ προάγοντι χρόνῳ τοὺς πατέρας ἡμῶν κεκρικέναι &c. Quæ juxta receptam & germanam verſionem Herveti Latine ſonant: *Recordemini autem, Patres noſtros in tempore præterito judicaſſe &c.* Itaque ſatis indicatur verbis iis, Decretum illud, non fuiſſe conditum tempore Epiſcoporum eorum, qui Sardicam convenerunt, ſed longe antea, tempore Epiſcoporum præcedentium, qui nimirum inchoante eo ſæculo intervenerant Concilio Eliberi-

beritano ſimul cum ipſo Oſio, ut minimum quadraginta annis ante Sardicenſem Synodum, quæ coacta fuit anno Chriſti trecenteſimo quadrageſimo ſeptimo. Eliberitana autem trecenteſimo tertio, ut conſtabit Excurſu ſequenti. Concludimus itaque, nullo ſolido argumento refelli ſententiam hactenus traditam.

XXV. Ex dictis corruit obiter opinio Onuphrii in Faſtis aſſerentis, Concilium hoc fuiſſe celebratum anno cccxiii. oſtenſum enim ſatis relinquimus, fuiſſe coactum vigente adhuc perſecutione, ac proinde ante annum prædictum, in quo Eccleſia optata requie fruebatur, præſertim apud Hiſpaniam.

EXCURSUS III.

Quo tandem anno coacta fuerit eadem Synodus. Relatis opinionibus aliorum, & præmiſſis pluribus ad Chronologiam perſecutionum variarum poſt initium quarti ſæculi, concluditur, videri celebratam intra menſem Majum anni CCCIII.

XXVI. Quamvis oſtenſum ſatis fuerit, Eliberitanam Synodum fuiſſe coactam non modo ante Concilium Nicænum, ſed etiam ante pacem a Conſtantino datam, ac proinde ſaltem ante annum cccxiii. (utpote cum conceſſa fuiſſet anno cccxiii.) adhuc tamen reſtat inquirendum, quonam certo anno ex præcedentibus celebrata ſit.

XXVII. Communior ſententia eſt, coactum fuiſſe anno Chriſti cccv. Ita Cardinalis Baronius To. 2. ad eundem annum num. 38. Padilla Part. 1. *Hiſt. Eccl. Hiſpaniæ*, centuria quarta, Cap. 5. Gordonus, & Coriolanus ad eundem annum, Saavedra in *Corona Gotthica*, Cap. 2. Joannes Dartis ad *Decretum*, Diſt. 15. Severinus Binius, Philippus Labbe, & Gabriel Coſſartius in ſuis editionibus Conciliorum, & Notis ad eam Synodum.

XXVIII. Verum omnes ii, qui Chronicon Flavio Lucio Dextro adſcriptum, & inventum, ut ajunt, circa annum MDXCIV. tuentur, collocant cum ipſo Concilium Eliberitanum, quinquennio ante, ideſt, anno ipſo ſæculari ccc. Legendi ex iis imprimis Rodericus Caro, & Magiſter Franciſcus Bivar in Commentariis ejus Chronici, ubi hæc habentur ad annum ccc. *Illiberi in Bætica Concilium multorum Epiſcoporum contrahitur. Præeſt Felix Epiſcopus Accitanus. Cogitur juſſu, mandatoque Melantii Toletani Pontificis, & Hiſpaniarum Epiſcopi primæ Sedis.* Conſonat Julianus, paullo poſt inventionem Dextri detectus pariter, ut dicitur, & per omnia Dextro cohærens; ut multorum gravium, doctorumque hominum, non extra Hiſpaniam modo, ſed intra illam, haud dubia ſententia ſit, utrumque Chronicon eodem artifice prodiiſſe, quamquam tot ſæculis diſſiti fuerint invicem Dexter, Julianuſque, ſi tamen hic unquam in rerum natura fuit. Vide quæ contra ejuſmodi commenta ſæpius diximus cum eruditiſſimis, Marchione de Mondexar, Nicolao Antonio, Joanna Luca Corteſio, Bollando, Henſchenio, Papebrochio, aliiſque Auctoribus, in Notis ad Librum primum Commentariorum in Concilium Eliberitanum; & poſtea in Librum ſecundum. Nequeo tamen hoc loci prætermittere verba illa Papebrochii Tomo 7. SS. Maji pag. 394. ubi ita loquitur de artifice eorum Chronicorum, aliarumque ſimilium farraginum: *Non poterum credere relationibus ab Hieronymo Higuera de Roman acceptis, quia eum eſſe noveram inventorem infinitarum fabularum* (hoc epitheto eum inſignit, licet Inſtituti ſui ſodalem) *quibus Eccleſiaſticam Hiſpaniæ hiſtoriam integro jam ſæculo inquinari, ſæpius dolere cogor.* Et ſtatim fere columna ſequenti ſe accingit *refutandis Higueræ commentis.*

XXIX. Clariſſimus interpres ejuſdem Concilii Dominus Ferdinandus de Mendoza in celeberrimis Commentariis Lib. 1. citato Cap. 2. operoſa admodum veſtigare curavit, quonam anno illud fuerit coactum. Et poſt multa ſolide, atque erudite diſcuſſa, concludit non longe a fine ejuſdem Capitis: *Non potuit igitur Concilium hoc, cui Oſius adfuit, & Valerius, non modo ante Arelatenſe* (Concilium anno cccxiv. celebratum) *ſed & ante perſecutionem Diocletiani, & Maximiani, non cogi; cum in illa certum ſit Divum Valerium periiſſe.* Deinde multis contendit, perſecutionem illam non eſſe referendam ad Conſulatum IX. Diocletiani, & Maximiani VIII. ſed Diocletiani VIII. & Maximiani VII. cum Dominica ſalutaris Paſſionis jam pro foribus eſſet, ut inquit Euſebius Lib. 8. Cap. 2. ſive in ipſo die Paſſionis Chriſti, ut ſcribit Caſſiodorus. Eum vero Conſulatum quamvis referat Cuſpinianus ad an. Chr. cccvi. verius Onuphrius rejicit ad annum ccciii. His, & aliis conjecturis ductus, ſic controverſiam definit circa finem Capitis: *Concilium igitur hoc, cum ante perſecutionem Diocletiani, & Maximiani habitum ſit, non potuit non anno Domini CCC. vel CCCI cogi. Nam poſteriori Diocletiani, & Maximiani ætate cogi potuiſſe; vel (quod minus eſt probabile) Conſtantii & Galerii ſucceſſorum Imperio, ut Cæſar Baronius contendit; vel ante pacem Eccleſiæ a Conſtantino redditam, & ejuſdem Imperio, ut ſenſiſſe videtur Antonius Beuter, & Concilii Sueſſionenſis apud Sanctum Medardum Notarius in Actis ejuſdem; ipſa rerum antea geſtarum hiſtoria, Daciani Præſidis immanitas, Vincentii Diaconi martyrium, Valerii exſilium, & mors, Oſii confeſſio, & ſtigmata, ipſiuſque tandem Concilii Illiberritani Canones, & Decreta, omnino repugnare videntur.*

XXX. Hactenus ille eruditiſſimus interpres, cujus ſententiam reliquis omnibus veriorem exiſtimo, ſive propius ad verum accedentem, quam ullam aliam ex iis. Adhuc tamen cenſeo, id Concilium celebratum fuiſſe aliquanto poſtea, nimitum fluente Majo anno ccciii. ubi primum notitia Edicti crudelis Romæ publicati die ipſo Dominicæ Paſſionis, juxta Euſebium, vel potius ſeptimo Kal. Martii, ut inquit Lactantius Lib. de mortibus perſecutorum, ad Hiſpaniam pervenit. Ut autem hæc mea ſuſpicio, aut opinio confirmetur, & clarius percipiatur, nonnulla obſervare placet circa annum perſecutionis Diocletiani, & Maximiani, qua nondum cœpta in Hiſpania, ſed jam fere imminente, Concilium apud Eliberim coactum fuit. Imprimis enim licet ſub initium Imperii Diocletianus ſævire in Chriſtianos cœpiſſet, ut colligit Baronius ex Actis S.

Se-

Sebaſtiani, quem anno ſecundo illius paſſum vult cum Tiburtio, Chromatio, & aliis; continuaveritque eandem lanienam per decem annos, ut teſtatur Severus Sulpicius Lib. 2. Cap. 47. certum tamen eſt, maxime terribilem perſecutionem Eccleſiæ ab eo illatam fuiſſe poſtea anno xviii. Imperii, vel xix. ut teſtatur Euſebius in Chronico, & Hiſtoria, inſuperque Oroſius Lib. 7. Cap. 25. Porro annus Diocletiani xix. incidit in ccciii. Chriſti, ſive Eræ communis, eiſque ille ipſe, quem paullo antea ex Mendoza obſervavimus, ſuffragante Baronio, Diocletiani viii. & Maximiani vii. Auguſtorum Conſulum. Quod ipſum antea tradiderat Faſtorum pater Onuphrius, & ſequitur recenter Schelſtrate in *Antiquit.Eccl.* Romanæ editionis pag. 277. Tom. 1. Habemus itaque horribilem illam Eccleſiæ perſecutionem, & poſtremam omnium, quæcumque ab iis Auguſtis illatæ ſunt, cœpiſſe anno ccciii. juxta computationem mox indicatam Euſebii (qui jam tum florebat) illam rejicientis ad annum xix. Diocletiani imperantis.

XXXI. Porro annum prædictum incipit numerare Euſebius a Paſchali menſe, in quo per eos dies quibus Paſſionis Domini memoria recolitur, Edicto eorundem Imperatorum tam dira immanitas in Chriſtianos fuit, ut intra triginta dies ſeptemdecim millia promiſcui ſexus per diverſas provincias martyrio coronarentur, ut habetur in Actis, quæ appellant Damaſi, loquentis de Marcellino Papa. Juſſum præterea impio illo Decreto, Eccleſias dirui, ſacros Libros ad incendium tradi, Chriſtianos honoribus functos gradu ſuo decidere, reliquos capite minui. Hæc itaque accidebant, juxta Euſebium, ab ineunte vere anni ccciii. & deinceps uſque ad ver anni proxime ſequentis ccciv. in quo Diocletianus & Maximianus ſponte ſe imperio abdicarunt, ut inquit Euſebius, & redegerunt ad privatum vitæ genus, idque eodem die Kalendarum Aprilis, ut teſtatur Idatius in Faſtis.

XXXII. Itaque ſicuti a Kal. Aprilis anno ccctv. finitum fuit Imperium Diocletiani & Maximiani; ita etiam perſecutio Chriſtianorum in omnibus provinciis, cum primum ad eos certa abdicationis notitia delata fuit. Statim enim Julius Conſtantius Chlorus, & Galerius Maximianus Armentarius, qui, teſtibus Eutropio, Victore, Oroſio, & Zonara, Cæſares erant, Auguſti, & Imperatores facti ſunt, priore illorum nolente pluſquam Galliis, & Britaniis dominari, ac præterea Hiſpaniæ (lege Marianam Lib. 4. Cap. 15.) poſteriore autem poſſidente quicquid reliquum erat Romani Imperii.

XXXIII. Conſtantius Chlorus brevi Auguſta dignitate potitus, & ſummum biennio, diem obiit Eboraci in Anglia, an. cccv. vel potius cccvi. nulla perſecutione Chriſtianis intentata, immo peculiari honore, ac gratia iis exhibita, uti fidem faciunt Euſebius Lib. 1. *De vita Conſtantini*, & Sozomenus Lib. 1. Cap. 7. Adfuit morienti Conſtantinus Magnus, cujus imperium ab eodem anno numeratur, quamvis tunc ſolum Cæſar appellaretur. Sequenti vero a Maximiano Armentario ſocero ſuo Auguſtus denominatus eſt. Fruſtra autem laboraremus in oſtendendo Conſtantinum nunquam, nuſquam Eccleſiam perſecutum, cui potius optatam pacem, tranquillitatem, & ſplendorem ubique attulit.

XXXIV. Ex his patet, crebras illas perſecutiones ab Innocentio I. Papa indicatas ſupra num. 30. quarum tempore celebratum eſt Concilium Eliberitanum, non fuiſſe illatas Eccleſiæ ab Imperatoribus Conſtantio Chloro, aut Conſtantino Magno, quorum prior ab anno ccciv. poſterior ab anno cccvi. Auguſti appellatione potitus eſt.

XXXV. Supereſt autem exquirendum, an eæ perſecutiones motæ fuerint ab alio quopiam ex iis, qui poſt Diocletianum, & Maximianum ſponte cedentes, Romanum Imperium adepti ſunt. Porro ex iis Galerius Maximianus Armentarius, quem paullo ante diximus, præter Gallias, & Britanias, Hiſpaniaſque, reliquo Romano orbi imperaſſe, curas adeo vaſtæ molis partitus fuit, creatis Cæſaribus Severo & Galerio Maximino ſororis filio; quorum priori Italiam, poſteriori Orientem commiſit, reſidens ipſe apud Illyricum. Contigit autem id eodem tempore, quo Conſtantinus Magnus fuit Cæſar appellatus, nimirum cccv. vel cccvi. uti ex Victore edito ab Andrea Schotto colligit eruditiſſimus Petavius in aureo illo *Rationario temporum*.

XXXVI Verum cum Conſtantini Auguſti imagines Romam allatæ fuiſſent, Prætoriani milites ſubito Imperatorem acclamarunt Maxentium Herculii filium, qui Galerium Maximinum Auguſtum, & Severum Cæſarem, adverſum ſe præliantes, fugavit, ac vicit. Ipſe vero licet initio Chriſtianis favere videretur, paullo poſt exuta ovis pelle, lupus apparuit, & præter plures flagitioſæ vitæ turpitudines, dire Eccleſiam perſecutus fuit intra Italiam, & ſaltem Romæ, ut teſtantur Acta S. Marcelli Papæ, qui ſub ipſo paſſus eſt.

XXXVII. Præterea Maximinus cognomento Galerius, qui a Galerio Maximiano creatus fuerat Cæſar anno cccvi. poſtea perditiſſimis moribus infamis, flagitioſæ vitæ ab Euſebio deſcriptæ, addidit immanitatem adverſus Chriſtianos, anno præſertim cccvii. verum intra Orientem, & præſertim Alexandriæ, ubi & incomparabili Virgini S. Catharinæ, inſignis triumphi, glorioſiſſimique Martyrii cauſſa extitit.

XXXVIII. Denique Licinius, ab eodem Galerio Maximiano Cæſar deſignatus apud Illyricum anno cccvii. ſuccedentibus poſtea præliis adverſus Conſtantinum, diram perſecutionem movit in Eccleſiam; verum intra ſolius Orientis limites, donec tandem a Conſtantino ipſo victus fuit anno cccxvii. & ſequenti.

XXXIX. Itaque poſt finitam perſecutionem poſtremam Diocletiani, & Maximiani anno ccctv. initio Aprilis per utriuſque ſpontaneam abdicationem, ſecutæ ſunt aliæ tres Maxentii, Maximini, & Licinii intra tempus Conſtantini imperantis. Verum eæ comparatione præcedentium, fere nullius momenti habentur, ideoque a Severo Sulpicio Lib. 2. excluduntur a numero recepto perſecutionum, quarum poſtremam ponit a Diocletiano, & Maximiano illatam, ſicuti & Oroſius Lib. 7. Sed quamvis hanc opinionem, ſive numerandi rationem, refellat S. Auguſtinus Lib. 18. *De Civitate*, Capite 52. oſtendens, plures fuiſſe uſque ad ſuum tempus perſecutiones Eccleſiæ, quam decem, & nominatim addat illam Juliani Apoſtatæ, quæ diu poſt obitum Conſtantini fuit; non tamen recenſet aliquam ex iis, quas nuper indicavimus, Maxentii, Maximini, & Licinii, ſive quia minoris

noris

noris notæ fuerunt viſæ, uti ex Severo Sulpicio loco indicato, ſive quoniam duæ illarum intra ſolum Orientem, alia intra Romam fuit.

XL. Utcumque res ſe habeat, id certum videtur, nullam illarum trium Hiſpaniam tetigiſſe, neque aliam poſt annum cccv. in quo Diocletianus, & Maximianus Imperio ſe abdicarunt. Nam neque Conſtantius Chlorus, qui ſtatim fere in Hiſpania, ſicuti & in Gallia, ac Britania imperavit; nec Conſtantinus ejus filius, qui eidem in Imperio ſucceſſit, & Auguſtus denominari cœpit anno cccvi. ullam in Hiſpania, aut alibi terrarum, Eccleſiæ perſecutionem moverunt. Maxentius vero, & Maximinus, ac Licinius, interea alibi imperantes, via extra Orientem, nullatenus vero intra Hiſpaniam, Chriſtianos inſectati ſunt.

XLI. Hinc novum robur accipit ſententia hactenus ſtabilita de Concilio Eliberitano, ſaltem ante annum cccv. coacto, contra quam vult Card. Baronius, & plerique recentiores. Conſtat enim, tum ea ſtylo multorum Canonum ipſius, tum præterea ex Epiſtola Innocentii I. Papæ alibi a nobis laudata, editos fuiſſe, *cum illis temporibus crebræ perſecutiones eſſent*. Oſtenſum autem relinquimus ab anno ccciv. ineunte, poſt abdicatum Imperium Diocletiani, & Maximiani, nullas omnino perſecutiones, nec crebras, nec raras, in Hiſpania fuiſſe. Non ergo poſt annum ccciv. Canones Eliberitani fuerunt editi.

XLII. Sed neque conditi videntur fuiſſe anno ccciii. inclinante, in quo per totum fere orbem terrarum ſæviſſima Diocletiani, & Maximiani perſecutio graſſabatur. Nam tunc ipſorum nomine Dacianus Præſes, ſaltem ab exeunte Majo ejuſdem anni, jam inchoaſſe videntur lanienam illam in Hiſpania Tarraconenſi, quæ continuata fuit aſſidua pene effuſione Martyrum, atque in iis (Januario ſequenti) glorioſiſſimi S. Vincentii Diaconi, ac ſocii Sancti Valerii Epiſcopi Cæſarauguſtæ, cum quo perductus Valentiam fuit ad cauſſam coram ipſo Daciano dicendam. Porro Valerius huic Concilio interfuit, & ſubſcriptus legitur ſexto loco inter alios Epiſcopos. Inter Diaconos quoque, qui adfuerunt, cenſetur Vincentius; quo velut interprete utebatur Sanctus ille Præſul, propter impedimentum linguæ, ut ejuſdem S Vincentii Acta ſincera, & germana, præſertim nuper edita a Theodorico Ruinart M. B. habent ad diem 22. Januarii. Quin & cum ex præcepto Lucii I. Papæ, Epiſcopus juſſus fuiſſet ſecum habere tres Diaconos, & hi locum haberent in Synodis, ut in Concilio iv. Toletano dicitur, & alibi ſæpe; probabile admodum eſt, Vincentium Diaconum ſimul cum Epiſcopo ſuo Valerio huic Synodo interfuiſſe. Quare cum ambo paſſi fuerint in perſecutione Daciani, Valerius quidem durum exſilium, Vincentius vero necem acerbiſſimam die 22. Januarii, anni haud dubie ccciv. neceſſum eſt, ut antea huic Concilio interfuiſſent; ac proinde celebratum ſit, nondum illata, ſed jam imminente ea perſecutione, menſe Majo anni ccciii.

XLIII. Quod vero anno ccc. fuerit coactum, prout in Chronico ſub Dextri nomine edito legitur, an disjunctim eo ipſo anno, aut proxime ſequenti, prout Mendoza vult, potius divinando, quam certo pronunciando, dici poteſt. Itaque in ea ſententia ſum, ut poſt inchoatam ultimam perſecutionem Diocletiani, & Maximiani anno ccciii. circa Feſtum Paſchæ, Epiſcopi Hiſpaniæ paullo poſtea certiores facti ejus procellæ jam ſibi imminentis, Synodum apud Eliberim congregaverint, qua ſe, ſuoſque munirent ſanctis Legibus ad corrigendum mores, & reſiſtendum viriliter Daciano. Et hoc ipſum probabile admodum videtur juxta teſtimonium illud Innocentii I. Papæ eos Eliberitani Concilii Canones referentis ad illa tempora, *in quibus crebræ perſecutiones erant.* Certum autem eſt, ante tempus Paſchale anni ccciii. non cœpiſſe eas crebras perſecutiones, in Hiſpania ſaltem. Quare nec Concilium id videtur habitum, donec intra eundem annum notitia perſecutionis proxime imminentis pervenit ad Hiſpanos Epiſcopos, qui proinde ſe munierunt adverſus illam iis Decretis, ſeu Canonibus editis. Itaque mihi, aut verum, aut maxime vero cohærens videtur, quod ea Synodus labente jam vere ejuſdem anni ccciii. coacta ſit, tranſactis duobus menſibus, aut circiter, ab Edicto Romæ publicato.

XLIV. Accedit congruentia non omnino levis circa rem adeo obſcuram de die Iduum Majarum, in quo id Concilium dicitur inchoatum, juxta vetuſtum Codicem Eccleſiæ Urgelenſis allegatum a Mendoza. A die enim anni ccciii. dicato Dominicæ Paſſioni recolendæ, uſque ad Idus Majas ejuſdem anni, ſat temporis fluxit, ut Epiſcopi Hiſpani reſcirent impium Edictum Imperatorum Romæ promulgatum contra Chriſtianos, & congregarentur ad Synodum celebrandam contra perſecutionem imminentem. Aut forte jam convenerant, juxta antiquum Hiſpaniæ morem (qui poſtea confirmatus fuit in Concilio iv. Toletano Can. iv.) inchoandi Concilium *quinto decimo Kalendarum Juniarum*, ut ibidem dicitur; nimirum, die 18. Maii. Tunc autem facile certiores eſſe poterant impii Decreti Romæ publicati die ipſo anniverſario Paſſionis Dominicæ, ac proinde edere Canones, quibus Chriſtiani munirentur, & terrore pœnæ ſtimularentur ad reſiſtendum perſecutioni. Unde & anno proxime ſequenti ccciv. die 22. Januarii locus fuit, ut Valerius Epiſcopus, & Vincentius Diaconus, qui huic Concilio adfuerant, conſtanter paterentur, alter durum exſilium, alter internecionem acerbiſſimam coram impio Præſide Hiſpaniarum Daciano; ſimiliterque, ut Oſios plagas, ac notam in vultu ſubiret ob Fidei confeſſionem ſub Maximiano, cujus rei fidem facit Epiſtola ejuſdem Oſii ad Conſtantium Auguſtum, cui initium: Ἐγὼ μὲν ὡμολόγησα καὶ τὸ πρῶτον, ὅτε διωγμὸς γέγονεν ἐπὶ τῷ πάππῳ σου Μαξιμιανῷ; prout exſcripſit S. Athanaſius *ad ſolitariam vitam agentes*.

XLV. Perſecutio autem illa cœpiſſe videtur ordine quodam ab Hiſpania Tarraconenſi. Sub Daciano enim Barcinone invictiſſima Virgo Sancta Eulalia glorioſiſſimam necem ſuſtulit. Inde Cæſarauguſtam tranſiit Dacianus, & poſt plurimorum Martyrum lanienam, ſecum Valerium Epiſcopum, ac Vincentium Diaconum Valentiam detulit cruciandos. Proceſſit Calagurrim, & poſtea Legionem, Emeritam, Toletum, ac Complutum, relictis in unaquaque earum Urbium, & populis vicinis, uber-

uberrimo innoxiorum hominum ſanguine, ſcriptis totidem ſuæ crudelitatis teſtimoniis. Ex ea Hiſpaniæ parte veluti media, tranſiit ad remotiorem, id eſt, ad ulteriorem Hiſpaniam, ubi Concilium hoc paullo antea celebratum erat. Et Cordubæ quidem Oſium flagris cæſit, non tamen occidit, ſicut nec Valerium Epiſcopum morte multavit, ſed exſilio tantum. Denique Hiſpalim pervenit, & ibi Juſtam, atque Ruffinam martyrio coronavit. Itaque de primo ad ultimum videtur Concilium hoc celebratum ineunte Majo, aut Junio anni CCCIII. intra quem Dacianus exſequutus fuit crudele illud Imperatorum Edictum, vere exeunte; deinde initio anni CCCIV. pervenit Valentiam, & proceſſit ad reliquas Hiſpaniæ Urbes nuper memoratas, & lanienam continuavit, donec apud Bæticam innotuit abdicatio Diocletiani, ac Maximiani, & deſpoticum Imperium Conſtantii Chlori bene affecti erga Chriſtianos, & nolentis de cætero ipſorum ſanguinem fundi.

EXCURSUS IV.

Opinio exotica, ſive paradoxon Joannis Morini, autumantis, Concilium hoc celebratum fuiſſe ante medium tertii ſæculi, & imperium Decii Auguſti, refertur, & refellitur multipliciter: obſervatis pluribus, ac variis rebus, & monumentis circa chronotaxin, & paſſiones Martyrum in Hiſpania intra tertium ſæculum, & ſub initium quarti, paullo poſt hoc Concilium celebratum.

XLVI. JOannes Morinus Presbyter Congregationis Oratorii Domini noſtri Jeſu Chriſti in Gallia, Vir erudiτiſſimus, x πολύγλωττος Libro nono, *De Pœnitentia*, Capite 19. adverſus omnes aliorum opiniones certum exiſtimat, Concilium hoc fuiſſe celebratum longe ante ſæculum quartum, immo ante hæreſim Novati, quæ circa medium ſæculi tertii cœpit. Unde loco citato §. 11. hæc inter alia παράδοξα habet; *Era Concilii Eliberitani hæreſi Montani, & Tertulliani de mœchis neganda pace, condemnationique (quæ teſte Baronio facta eſt anno CCXV.) poſtponenda eſt. Sed Novatianam hæreſim, & perſecutionem Decianam (quæ cœpit anno CCL.) præcedit. Annum ſingularem eruere difficile eſt.* Videamus, quo fundamento ductus, ita cenſuerit, & audiamus ipſum ita loquentem §. 9. ac 10.

XLVII. *Ex iis, quæ dicta ſunt, evidenter mihi colligi videtur, Concilium Eliberitanum multo eſſe antiquius, quam vulgo feratur. Neceſſe enim eſt, ut Cypriani tempus, & perſecutionem Decianam multis annis præcedat, licet vulgo ad Diocletianam referatur. Nam homicidis, & idololatris, ut vidimus, communionem negant. Præceſſerunt igitur Patres illi hæreſim Novati, & Decii, Valerianique perſecutiones. Quis enim credat, tam ſanctos Patres hæreſim notoriam, a Sede Apoſtolica, a tam variis Conciliis, atque, ut ita dicam, ab univerſo Orbe damnatam amplecti voluiſſe? morem generali Eccleſiæ conſenſu receptum ſolos poſt tot annos repudiaſſe? Sane ſicut Patres illi Eccleſiæ Decreto de recipiendis mœchis morem geſſerant, ita dubitari non poteſt, Succeſſores eorum Eccleſiæ Decreto de recipiendis idololatris morem geſſiſſe. Cum igitur eos non recipiant, Eccleſiæ illud Decretum præceſſerunt.*

XLVIII. *Idem demonſtratur alterius generis argumento. Certum eſt, Diocletianam perſecutionem in Hiſpaniam, Galliam, & Angliam non perveniſſe, eo quod Provinciæ illæ a Conſtantio Imperatore Conſtantini Magni patre regerentur, qui natura ſua clementiſſimus erat, Chriſtianiſque favebat. De eo teſtatur Euſebius Lib.* I. De Vita Conſtantini Cap. 11. *Cum Imperatores, Diocletianus, & Maximianus Edictum cruentum in Chriſtianos tuliſſent; Conſtantium aulicis ſuis propoſuiſſe, aut idolis ſacrificarent (quo facto dignitate, & officio fruerentur) aut id ſi facere negarent, omni ad aulam aditu prohiberentur; eos vero, qui prius elegerant, procul a comitatu ſuo ſubmoviſſe.* Quomodo enim (*inquiebat*) fidem erga Imperatorem ſervare poterunt inviolatam, qui adverſus Deum Optimum Maximum perfidi eſſe manifeſto convincuntur? *Illos autem, qui dignitatibus ſuis privari maluerunt, quam Deo non obedire, & impuris ſacrificiis pollui, ſimiles erga Imperatorem futuros affirmaſſe, ſtipatoreſque ſuos, & Imperii cuſtodes conſtituiſſe. Inſuper eodem Capite ſcribit, Conſtantium collegis ſuis longe diſſimilem fuiſſe, tandemque idololatrarum ſuperſtitionem penitus deſeruiſſe, Deumque verum agnoviſſe, & coluiſſe. Idem cum Euſebio teſtantur Donatiſtæ apud Optatum Milevitanum Lib.* I. *ubi refertur eorum ad Conſtantinum Imperatorem poſtulatio:* Rogamus te, o Conſtantine Imperator, quoniam de genere juſto es, cujus pater inter cæteros Imperatores perſecutionem non exercuit, & ab hoc facinore immunis eſt Gallia, &c. Petimus, ut de Gallia nobis judices dari præcipias. *Cum igitur Canones Eliberitani paſſim de Chriſtianis in idololatriam vi tormentorum lapſis agant, videtur omnino conſequens, ante Diocletiani perſecutionem Concilium illud celebratum eſſe.*

XLIX. Hæc ait ille doctiſſimus Scriptor. Sed enim longe a veritate, & omnium eruditorum hominum judicio, quibus certum eſt, Concilium illud intra quartum ſæculum fuiſſe celebratum. Id enim plane demonſtrant nomina Epiſcoporum, Valerii, Oſii, Melantii, & Sabini, aliorumque, qui ibidem convenerunt, & quorum epocha ab omnibus antiquis Scriptoribus (ut recentiores prætercam) intra quartum ſæculum collocatur. Ac de S. Valerio Epiſcopo Cæſarauguſtano res notiſſima eſt; cum ſub Diocletiano apud Valentiam ſimul cum S. Vincentio Martyre, ipſius Diacono, Fidem conſtanter fuerit profeſſus an. CCCIII. vel CCCIV. menſe Januario; certe poſt hanc Synodum, cui interfuit, celebratam, & in exilio vitam finierit paullo poſt. Nec recurri poteſt ad alium Valerium antiquiorem Epiſcopum Cæſarauguſtanum, qui vixerit circa medium tertii ſæculi ſub Imperio Decii. Nullum enim veſtigium ejus Valerii exſtat in tota antiquitate. Legimus quidem Valerium Epiſcopum Cæſarauguſtæ ſubſcribentem in Concilio apud eam Urbem celebrato anno CCCLXXX. verum is fuit palam poſterior. Nec cre-

Digitized by Google

credibile eſt, Valerium ſubſcribentem Eliberitanæ Synodo permanſiſſe Epiſcopum ab enno circiter CCL. inquo illam collocat Morinus, ſpatio eliorum centum triginta ennorum, uſque ad CCCLXXX. Immo adhuc ſtatuta epocha ejuſdem Synodi anno CCCII cum S. Velerius jam tunc eſſet ſenex, valde debilis, & linguæ balbutie impeditus, non potuit permanere aliis octoginta circiter ennis, præſertim inter ærumnas duriſſimi illius exſilii, quo multatus fuit a Daciano Præſide, ad montes illos, qui Cinga flumine alluuntur, ubi & paullo poſt in Chriſti confeſsione obiiſſe creditur.

L. Eodem argumento ferè circa Oſium ipſum demonſtratur, Eliberitanum Concilium non fuiſſe celebratum circa medium tertii ſæculi, ſed quinquaginta, ut minimum, annis poſtea. Oſius enim in eo ſubſcribens, perſtitit non modo uſque ed annum CCCXLVII. in quo præfuit Concilio Sardicenſi, ſed etiam uſque ad CCCLVII. in quo Sirmienſi Concilio interfuit, & vi tormentorum horribilium compulſus, nomini ſuo labem aliquam ed tempus aſperſit. Licet autem tunc eſſet decrepitæ ætatis, non tamen uſque adeo, ut intra Epiſcopatum vixiſset centum ſeptem, aut eo amplius, annis, prout neceſſum eſſet, juxta opinionem Morini. Si enim Synodus Eliberitane, in qua ſubſcripſit Oſius jam Epiſcopus Cordubenſis, celebrata fuit ante annum CCL. oportet, ut ſupereſset ille aliis centum ſeptem annis Epiſcopus uſque ed CCCLVII. quo certum eſt, Concilium Sirmienſe ipſo præſente celebratum fuiſse. Atqui tam diuturna in Epiſcopatu duratio, & vita edeo longæva (quæ debuiſset plane ad centum & quinquaginta circiter ennos porrigi) incredibilis eſt a temporibus heroicis, nec niſi temere de quopiam affirmari poteſt, ubi teſtes idonei ejuſdem temporis non producuntur, quales certe non ſunt. Quin potius ex S. Athanaſio, atque ex ipſo Oſio in Epiſtole ad Conſtantium elias indicata, ſatis conſtat, Epiſcopatum ipſius, tempore Concilii Sirmienſis per ſexaginta circiter ennos fuiſse continuatum. Non ergo ente annum CCL. fuerat ordinatus Epiſcopus, ſed plurimis ennis poſtee.

LI. Præſenſit Morinus, ex parte ſaltem, hujus argumenti vim num. II. & reſpondet, nullam rationem habendam ſubſcriptionis Oſii in hoc Concilio, cum in mſs. antiquis paſſim occurrant ſubſcriptiones adulterinæ, & ſuppoſitæ, quæ ex uno ad aliud Concilium tranſferuntur, incuria exſcriptorum, vel auſu cujuſpiam scioli.

LII. Atqui in oppoſitum eſt, quod licet ita aliquando contingat, id de facto atque in ſingulari ite contigiſse, oſtendi debet invicto aliquo argumento. Alioqui nihil firmum haberemus circe plurimorum Conciliorum ſubſcriptiones, nec circa illorum epocham, quæ paſſim ex tempore Epiſcoporum ſubſcribentium colligitur. Nullo autem urgenti argumento oſtendit Morinus, ſubſcriptionem Oſii in hoc Concilio ſubreptitiam fuiſse. Quin potius verem oſtendunt omnia exemplaria mſs. & edita.

LIII. Deinde Oſius ipſe in Concilio Sardicenſi (cui præfuit enno CCCXLVII.) aperte indicat Cap. quartodecimo, alias undecimo, ſe interveniſſe multo antea cum aliis Patribus huic Concilio Eliberitano, dum memorat in illo ſtatutum fuiſſe, *ut ſi quis laicus in ea, in qua commoratur, Civitate, tres Dominicos dies, ideſt, per tres ſeptimanas, non celebraret conventum, communione privaretur.* Idipſum autem ſtatutum antea invenitur Cap. 21. Concilii Eliberitani. Idem ergo Oſius, qui certe præfuit Concilio Sardicenſi, intervenerat prius Eliberitano, ac proinde ſubſcriptio ejuſdem in hoc non eſt ſuppoſita, ſed vera.

LIV. Præterea dato, quod fluctuaret fides unius ſubſcriptionis Oſii in eo Concilio ſeorſum conſiderata, non tamen prout conjuncta tot aliis Epiſcoporum, S. Valerii Cæſerauguſtani, Melantii Toletani, & Sabini Hiſpalenſis, qui tres ſimul cum illo florebant initio ſæculi quarti, juxta omnia antiqua Hiſpaniæ monumenta. De Valerio res notiſſima in ipſo Martyrologio Romano, ac deſumpta ex Actis antiquiſſimis ipſius Velerii, ac S. Vincentii Martyris, ejus Diaconi, & comitis in martyrio, quæ exſtant apud Bollandum die 22. Januarii, & recentius adhuc apud Theodericum Ruinert M. B. Congregationis S. Mauri apud Gallias, *in Actis ſinceris, & ſelectis primorum Martyrum*, pag 387. & ſeqq. Itaque palam conſonant quatuor Sermonibus S. Auguſtini de eodem S. Vincentio; ideſt, juxta noviſſimam editionem Benedictinam, Ser. 279. & tribus ſequentibus, ubi in 276. memorat *furioſas voces Daciani Præſidis*, ſub quo ambo paſſi ſunt. Auguſtinus vero jam florebat ſub finem ejuſdem ſæculi quarti, quo ineunte, Velerius, & Vincentius paſſi ſunt, enno nimirum CCCII. vel CCCIV. De Melantio, eodem tempore Toletanam Eccleſiam gubernaſſe, quo Leocadia Virgo Toleti ſub Daciano ipſo paſſa eſt, nemo in dubium vocavit hactenus. Denique Sabinum fuiſſe eodem tempore Epiſcopum Hiſpalenſem, & inibi in ſuburbio tumulaſſe Corpus S. Ruffinæ, a Daciano ipſo combuſtum in amphitheatro, res teſtata eſt in antiquo Breviario Eborenſi, & communi traditione recepta. De Oſio autem nec veſtigium dubitationis eſſe poteſt, quod initio ſæculi quarti floreret, jam tum Cordubenſis Epiſcopus, & plagas, ac vibices in defenſionem Fidei ſubierit in eadem perſecutione, ut ipſe ſatis indicat in citata ad Conſtantium Epiſtola, & præterea teſtatur S. Athanaſius. Itaque quatuor illæ Epiſcoporum ſubſcriptiones ita concurrunt ſub initium ſæculi quarti, ut certum omnino ſit, non fuiſſe intruſas, ſed veras tempore illius imminentis perſecutionis, ob cujus metum Synodus Eliberitana coacta fuit.

LV. Mirum autem eſt, doctiſſimum Morinum negare auſum fuiſſe perſecutionem illatam Hiſpaniæ tempore Diocletiani ſub Daciano Præſide, quam tot priſca monumenta teſtatam habent, & præterea memorent Prudentius Lib. *περὶ στεφάνων*, Hymno V. S. Gregorius Turonenſis Libro 1. *De gloria Martyrum*, Cap. 90. ac Venantius Fortunatus Libro 8. Carmine 4. ut plures alios ſequentium temporum Scriptores miſſos faciam, & innumera ſigna adhuc exſtantia ejuſdem perſecutionis Diocletiani in Hiſpania, perpetuamque earum Eccleſiarum traditionem. Sufficeret ad illam credendam teſtimonium vetuſtiſſimum Actorum S. Vincentii, quibus uſa fuit priſcis ſæculis Eccleſia, & nominatim S. Auguſtinus locis citatis, ubi hæc ha-

bentur : *Cum apud Civitatem Cæſarauguſtam . . . . . . Daciano cuidam Præſidi gentili, & ſacrilego, a Dominis, & Principibus ſuis, Diocletiano videlicet, & Maximiano, ſæviendi in Chriſtianos forte* (alias, *ſorte*) *occaſio cecidiſſet &c.* Idipſum ſatis declarat inter alias, ſtropha una Prudentii, intra idem ſæculum quartum accinentis in illo Hymno:

Quis audienti talia,
Daciane, tunc ſenſus tibi?
Quantis gementem ſpiculis
Figebat immanis dolor?

LVI. Præterea nullatenus verum eſse poteſt, quod idem Morinus de hoc Concilio ait: *Neceſſe eſt, ut Cypriani tempus, & perſecutionem Decianam præcedat, licet ad Diocletianam vulgo referatur.* Etenim oſtenſum eſt ſupra num. 16. & 17. ex auctoritate Innocentii I. (qui ante Pontificatum floruerat inclinante ſæculo quarto) hoc Concilium celebratum fuiſse, *cum crebræ perſecutiones eſſent*, nimirum in Hiſpania. Nam quæ ſolum alibi graſsabantur, non poterant Epiſcopis Hiſpaniæ tantam ſolicitudinem injicere, & ſuadere diſciplinam adeo ſeveram erga lapſos. Atqui ante perſecutionem Decianam, & S. Cypriani tempus, non fuerunt in Hiſpania crebræ perſecutiones. Non ergo Concilium hoc fuit celebratum ante perſecutionem Decianam, & tempus Cypriani. Aſsumptum, ſive minor propoſitio facile ſuadetur; quoniam ab initio tertii ſæculi, uſque ad medium illius, in quo exarſit Decius adverſus Chriſtianos, & floruit Cyprianus in Africa, vix ulla Chriſtianorum perſecutio in Hiſpania fuiſse legitur, niſi brevis, & multis annis interpolata.

LVII. Nimirum dumtaxat ex veterum teſtimoniis habemus, anno nono Septimii Severi Imperatoris, Coſs. eodem Severo Auguſto III. & M. Aurelio Antonio Auguſto (quibus reſpondet annus Eræ communis, ſive Chriſti, CCI.) paſsos fuiſse Valentiæ Felicem Presbyterum, Fortunatum & Archilochum Diaconos: quod tamen aliqui a Mariana citati Lib. I. *De rebus Hiſpaniæ*, Cap. 7. ad Valentiam Galliæ referunt, volentes illuc miſsos a S. Irenæo Lugdunenſi Epiſcopo. Ponamus autem, id in Valentia Hiſpaniæ contigiſse. Qua veri ſpecie dici poteſt, aut quis unquam cogitavit, initio ſæculi tertii crebras in Hiſpania perſecutiones fuiſse, aut Concilium Eliberitanum propterea eo tempore celebratum.

LVIII. Porro tempore Imperatorum ſequentium, Caracallæ, Heliogabali, & Severi Alexandri (optimi Auguſtorum Gentilium) nulla perſecutio in Hiſpania fuiſſe invenitur uſque ad annum CCXXXV. quo Maximinus imperare cœpit ſub finem Martii uſque ad Octobrem anni CCXXXVIII. quo occiſus fuit. Eo autem regnante, ſolum habemus ex traditione, Maximum, & ſocios ad Buſragani montis ſpecum, viginti quatuor millibus a Tarracone, pro Chriſto ſanguinem fudiſſe. Nihil aliud habent vetera Hiſpaniæ monumenta. Unde toto eo tempore non acciderunt *crebræ perſecutiones* ab Innocentio Papa memoratæ. Multo autem minus ſub Imperio Gordiani, ac Philippi, cui interfecto anno CCXLIX. Coſs. Fluvio Æmiliano, & Vetio Aquilino, ſucceſſit αἱμίουυ Decius. Unde patet ex chronotaxi omnium eorum Imperatorum, ab initio uſque ad medium tertii ſæculi, quo electus eſt Decius, non fuiſſe crebras Chriſtianorum perſecutiones in Hiſpania; ac proinde Concilium Eliberitanum ante Decianam perſecutionem celebratum non fuiſſe, prout Morinus vult.

EXCURSUS V.

Oſtenditur adverſus eundem Morinum, nec in media poſteriori parte ejuſdem ſæculi tertii celebratum fuiſſe hoc Concilium. Ubi plura ſpectantia ad chronotaxin, hiſtoriam ſacram, & varias antiquitates Hiſpaniæ. Clauſula totius Diſſertationis.

LIX. SEd nec celebrari potuit tempore Decii Imperatoris. Nam licet aliquot horribiles perſecutiones Chriſtianis excitaverit, nullam invenies fuiſſe in Hiſpania ſub ejus Principatu, qui triennium non attigit, eum cæſus fuerit exeunte anno CCLI quo Q. Herennius Ethruſcus Decius Cæſar ſimul cum ipſo Conſulatum gerebat. Ex quibus omnibus palam demonſtratur, Concilium hoc non fuiſſe celebratum ante medium tertii ſæculi.

LX. Idipſum cenſendum de poſteriori fere ejuſdem ſæculi parte. Neque enim qui in ea imperarunt, Valerianus, Gallienus, Claudius, & Aurelianus, quicquam in noſtra Hiſpania adverſus Chriſtianos moliti inveniuntur, excepto, quod ſub Imperio Valeriani, & Pontificatu Stephani, contigit lapſus Baſilidis, ac Martialis memoratus a S Cypriano; ut in ſuperioribus vidimus: & imperante Aureliano, Narciſſus Gerundæ in Hiſpania Epiſcopus (cujus Corpus adhuc integrum in ea Urbe vidi anno MDCLXXXVII. quatuordecim ſæculis tranſactis ab ejus nece) ſimul cum Felice Diacono, martyrium paſſus eſt. Solum invenio apud Antonium Auguſtinum in Indice Epiſcoporum Tarraconenſium initio hæc verba: *B. Fructuoſus Chriſti Martyr, cum Augurio, & Eulogio Diaconis ſub Gallieno Imperatore XII Kal. Februarii, anno plus minus Chriſti CCLXV. occiſus eſt Extat Hymnus elegans Prudentii, cujus initium eſt:*

Felix Tarraco Fructuoſe veſtris.

LXI. Sane Ambroſius Morales, & Joannes Mariana, diligentiſſimi ſcrutatores omnium veterum monumentorum Hiſpaniæ, quotquot ſuo tempore extabant, nullius mangonio interpolata, aut corrupta, non invenerunt toto eo tempore crebras illas Chriſtianorum perſecutiones in Hiſpania, niſi ſummum unam, vel aliam minoris notæ, & ad breve tempus, quales nuper indicavimus. Idem dictum accipe de imperio Claudii, Taciti, M. Aurelii Probi, M. Aurelii Cari, hujuſque filiorum Carini, ac Numeriani. Hic dum lectica veheretur, ab Arrio Apro ſocero ſuo, dominandi ambitione arrepto, occiſus fuit anno CCLXXXIV. quo Conſulatum II. gerebat ſimul cum Carino fratre. Nullum autem veſtigium reliquerunt perſecutionis Chriſtianorum in Hiſpania.

LXII. Eodem anno CCLXXXIV. die 17. Septembris ſalutatus fuit Imperator Diocletianus, ut habetur in Chronico Alexandrino, ubi hæc leguntur ſub eiſdem Coſſ. *Diocletianus Imperator XV. Kal. Octobris Nicomediam pur-*

purpuratus intravit, & Kal. Januariis Conſul proceſſit. Ab eo anno incipit Era, quæ dicitur Diocletiani, ſeu Martyrum Alexandrinorum; ac paullo poſt initium habuit crudelis illius perſecutio adverſus Chriſtianos, licet non continuata, nec ſemper æquali immanitate exarſerit. Vix tamen invenietur annus ex undeviginti imperii ipſius, ac Maximiani ſocii, in quo plurimi Martyres ſanguinem pro Chriſto non fuderint, aut etiam innumerabiles, ut palam demonſtrat Ruinartus in Actis Martyrum germanis, Præfatione erudita adverſus Henricum Dodvvellum, qui nuper illorum numerum minuere tentavit Diſſertatione inter Cyprianicas inſcripta, *De Martyrum paucitate*.

LXIII. Porro inter tot Diocletiani perſecutiones, primo ad Hiſpaniam ſpectare videtur illa, quæ anno Domini CCLXXXVII. contigit, juxta chronotaxin Ambroſii Moralis, ſub Proconſule, aut Præſide Diogeniano. Hic enim Hiſpali Juſtam atque Ruffinam Virgines Chriſtianas (ut habetur in Breviario Gothico S. Iſidori) equuleo torſit. Deinde vero, juxta Uſuardum ad diem 19. Julii, illas ungularum laniatione vexavit, poſtea carcere, inedia, & torſionibus afflixit: tandem Juſta in carcere ſpiritum exhalante, Ruffinæ cervix confracta eſt in confeſſione Domini. Et hæc quidem accidiſſe videntur anno tertio Imperii Diocletiani, ac primo Maximiani, cum jam tum eſſet Epiſcopus Hiſpalenſis Sabinus, qui eidem Concilio Eliberitano ſubſcribit tertio loco apud Loaiſam, tamquam antiquus inter cæteros.

LXIV. Poſtea vero, ejuſdem Diocletiani anno decimo nono, Coſ. VIII. Maximixni VII. juxta Faſtos Idatii, & ſeptimo Kal. Martii, ut inquit Lactxntius Lib. ſecundo, *De mortibus perſecutorum* (cui reſpondet annus Chriſti CCCII.) exarſit, & publicata fuit graviſſima perſecutio Chriſtianorum, cujus comparatione, præcedentes fuerunt leviores, aut quaſi velitationes quædam. Cœpit autem Romæ primum Decreto Maximiani Herculei, ut Acta germana S. Sabini Epiſcopi Spoletani, ac Martyris teſtantur; deinde publicata eſt in Oriente juſſu alterius Maximiani cognomento Galerii, apud Nicomediam Bithyniæ. Eodem anno, Diocletiani decimo nono (ut narrat Euſebius Lib. octavo, Cap 3.) circa Feſtum Paſchatis, per totum Imperium Romanum fuit publicatum Edictum, ut diruerentur omnes Chriſtianorum Eccleſiæ, Scripturæ ſacræ traderentur igni, ac nulli hominum conditioni, aut ætati parceretur. Quod ſtatim eo funere cœpit exſecutioni mandari, ut intra unum menſem decem, & ſeptem millia hominum pro Fide Chriſti cæſa diverſis locis, & vario tormentorum genere numerentur.

LXV. Ejus feralis Edicti, quod ſtatim per curſores in Galliam, & Hiſpaniam miſſum fuit, horrore commoti Epiſcopi, ſive juxta morem coeundi, inclinante Majo, ſive quintodecimo Kalendas Junii, ad bonum regimen Eccleſiarum Hiſpxniæ, convenerunt Eliberi, ut deliberarent, qualiter reſiſtendum eſſet impiiſſimis Imperatorum mandatis, quibus pœnarum comminationibus eſſent continendi in officio Chriſtiani quique, ne ad idola defluerent, aut Fidem quoquo modo abnegarent, ac tandem quomodo eſſet ſervanda Diſciplina. In ea vero parte aliquanto duriores videntur fuiſſe, quoniam eo uſque ultima perſecutio adeo horribilis fuerat, ut licet innumeri homines utriuſque ſexus in reliquis partibus Imperii Romani fortiter ſe habuiſſent, & Martyrium feliciter conſummaſſent; multi tamen alii ubique fere tormentis cedentes, aut idolis immolantes, aut inter Libellaticos deterioris conditionis numerati invenirentur.

LXVI. Quare exeunte vere ejuſdem anni CCCII. videtur cœpiſſe in Hiſpania exſecutio impiiſſimi illius Edicti Imperatorum, ac primum quidem in Oppidis iis, quæ ſunt proximiora Pyrenæis montibus, & Galliæ viciniora. Itaque Dacianus Barcinone Cucufatum, ac glorioſiſſimam Virginem Eulaliam (aliam ab Emeritenſi) crudeliſſimis tormentis affecit. Progrediens Cæſarauguſtam, ibi Encratim Virginem (vulgo *Engratiam*) ac decem, & octo ipſius comites, tum præterea innumeros cives ejus nobiliſſimæ Urbis, trucidavit. Unde Martyrologium Romanum ad diem tertium Novembris ait: *Cæſarauguſtæ Sanctorum INNUMERABILIUM MARTYRUM, qui ſub Daciano Hiſpaniarum Præſide mirabiliter occubuerunt pro Chriſto*. Eodem fere modo loquitur Uſuardus eadem die. Immo & Clariſſimus Conſul, ac Poeta Prudentius, qui exeunte eodem ſæculo quarto florebat, & in pueritia potuit agnoſcere ſenes aliquot oculatos teſtes ejus magnæ laniense Martyrum, non modo illorum numerum ingentem canit, ſed & Cæſarauguſtam ipſam Romæ in multitudine Martyrum fere exæquat, ac omnibus aliis Urbibus præfert. Accinit enim Περὶ στεφάνων Hymno 4. cum illa loquens:

Sola in occurſum numeroſiores
Martyrum turbas Domino paraſti:
Sola prædives pietate multa
Luce frueris.
Vix parens Orbis populoſa Pœni,
Ipſa vix Roma in ſolio locata,
Te, decus noſtrum, ſuperare in iſto
Munere digna eſt.

LXVII. Porro ſub initium anni proxime ſequuti, ideſt Chriſti CCCIV. Dacianus Cæſarauguſta Valentiam detulit Valerium Epiſcopum, atque Vincentium Diaconum, ferro onuſtos, ibidemque alterum duriſſimo exilio mulctavit (ea conditione edicta, ne poſſet habitare Oppidum aliquod pluſquam viginti domos habens, nec illud ingredi, ut ſcribit Antonius Beuter, *Hiſtor. Hiſp.* Parte 1. Cap. 25.) alterum horrendis ſupra modum tormentis vexavit, ipſique ſplendidiſſimi triumphi occaſionem dedit. Inde progreſſus impiiſſimus Præſes, Compluti Juſtum ac Paſtorem pueros, Toleti Leocadiam Virginem, Legione Marcellum, ac filios, Emeritæ Eulaliam alteram, æque celebrem, ac illam Barcinonenſem, atque aliis locis alios plurimos Martyrio affecit, ipſum Oſium Epiſcopum Cordubæ flagellis cæcidit, ob confeſſionem Chriſti. Noluit autem illum interimere, ſicut nec Valerium; fortaſſe ob reverentiam aliquam tantorum Virorum, qui vel illi crudeliſſimo Tyranno extorſerunt aliquid pietatis, ac venerationis. In his autem, aliiſque fortaſſe necibus inferendis, videtur Dacianus impendiſſe poſteriorem partem anni CCCIII.

prioremque partem anni CCCIV. donec nota dimiſſione, ſive abdicatione Imperii Diocletiani, ac Maximiani, procella illa ceſſavit, præſertim ſub novo Imperatore.

LXVIII. Hæc videtur fuiſſe vera ſeries perſecutionis Daciani in Hiſpania. Ex qua non modo confutatum manet paradoxon Morini negantis, perſecutionem a Diocletiano excitatam fuiſſe in Hiſpania, & fidem earum ſubſcriptionum Concilii Eliberitani: quæ abs dubio conſonant ſibi, & traditioni, & manuſcriptis omnibus antiquiſſimis, & Scriptoribus vicinis eidem tempori, præſertim Prudentio, Auguſtino, & Gregorio Turonenſi: quorum primus, inclinante eodem ſæculo quarto, ſecundus ineunte quinto, tertius ſub finem ſexti floruit.

LXIX. Argumenta vero ejuſdem eruditiſſimi Scriptoris non urgent, & præſertim primum ſupra num. 47. ipſius verbis exſcriptum, quo contendit, incredibile eſſe Sanctos illos, ac venerabiles Epiſcopos, qui huic Concilio interfuerunt, auſos fuiſſe negare Communionem, etiam in fine vitæ, quibuſdam hominibus ſceleratis, veluti homicidis, idololatris, aliiſque, poſtquam ea Dogmata damnata fuerant ab Eccleſia univerſa in Novatiano, & ſequacibus tempore S. Cornelii Papæ, anno circiter CCLIV. ut conſtat ex Epiſtolis variis S. Cypriani, præſertim XLII. LI. & LII. Unde Morinus colligit, iſtud Concilium fuiſse celebratum ante hæreſes Novatiani ab Eccleſia damnatas, ac proinde ante medium tertii ſæculi.

LXX. Non, inquam, urget. Procedit enim Morinus ad id colligendum ex falſa hypotheſi ejus Dogmatis erronei in Novatiano, & Patribus Eliberitanis. Novatianus enim, primus auctor ſchiſmatis in Eccleſia, & primus Antipapa, ambitioſo œſtro percitus adverſus Cornelium Papam rite electum, criminabatur illum, quod lapſos poſt actam pœnitentiam reciperet intra ſinum Eccleſiæ; & omnes hortabatur, ne quempiam eorum, qui poſt Baptiſmum ſe peccato aliquo inquinaſſent gravi, ad Communionem admitterent; quaſi in Eccleſia non eſset poteſtas ad illos reconciliandos, vel Communioni reſtituendos. De quo legendus idem Cyprianus locis indicatis, ac præterea S. Cornelius apud Euſebium Lib. 6. *Hiſt.* Capite 45. & 37. & Socrates Lib. 4. Cap. 43.

LXXI. Patres autem Eliberitani nullatenus negarunt poteſtatem Eccleſiæ a Chriſto conceſſam ad remittenda peccata qualibet poſt Baptiſmum commiſsa, quin potius illam apertae indicarunt variis locis, ac manifeſtis contra errorem Novatiani, & gregalium, ut oſtendetur infra Tomo II. in Commentariis ejuſdem Concilii, præſertim Lib. 2. Cap. 6. 32. & 46. ac ſæpiſſimæ poſt actam pœnitentiam conceſſerunt Communionem, & ipſis Clericis pœnitentibus laicam. Quod autem propter nonnulla ſcelera horribiliora Communionem negaverint, etiam in fine vitæ, non fuit ob errorem circa poteſtatem Eccleſiæ, ſed propter auſteritatem diſciplinæ, & terrorem aliorum, quod memorat ſatis, ſed non improbat, quin potius excuſat, S. Innocentius Papa in Epiſtola illa, num. 16. citata. Ut omittam varios interpretum ſenſus circa Communionem ibidem negatam, cujus generis eſset; de quo ſatis dictum fuit locis indicatis ex Libro ſecundo.

LXXII. Denique, ſi præter Communionem quibuſdam ſceleratis negatam in fine vitæ dicendum eſset, Patres Eliberitani Concilii illud celebraſse ante hæreſim a Novatiano invectam, alioqui vero in eam jam damnatam ab Eccleſia incidiſse; idem plane dici poſset de Patribus graviſſimi Concilii Sardicenſis, qui longe poſtea anno Domini CCCXLVII. eandem pœnam impoſuerunt Epiſcopis ambientibus tranſitum ab una Eccleſia ad aliam. Privarunt enim illos Communione etiam in fine vitæ, ut patet ex Canone I. ubi Oſius Epiſcopus Cordubenſis, qui præerat Concilio, interrogavit reliquos: *Placetne hoc omnibus, ut ejuſmodi improbitas acerbius vindicetur? Exiſtimo enim, eos ne laicorum quidem habere Communionem.* πάντες οἱ ἐπίσκοποι εἶπον. ἀρέσκει πᾶσιν. *Omnes Epiſcopi reſponderunt: PLACET.* Deinde Canone II. adverſus eos, qui per dolum, & ambitum quærunt, & excuſare volunt ejuſmodi tranſitiones, proponit Oſius, graviſſime puniendas videri: ὥστε μηδένα τοιοῦτον, μηδὲ ἐν τῷ τέλει, λαϊκῆς γοῦν ἀξιοῦσθαι κοινωνίας. *Ut nemo poſſit, qui eſt ejuſmodi, ne in fine quidem, laica Communione dignus haberi.* Deinde interrogat reliquos Epiſcopos, an hæc ſententia placeat, & ſtatim ſubditur: ἀπεκρίναντο. τὰ λεχθέντα ἀρέσκειν. *Reſponderunt: Placeat quæ dicta ſunt.*

LXXIII. Atqui abſurdum eſset dicere, vel Concilium Sardicenſe fuiſse coactum ante medium tertii ſæculi, ſive ante damnatam Novatiani hæreſim; cum plane celebratum fuerit circa medium quarti anno CCCXLVII. vel Patres ejuſdem graviſſimi, & in tota Eccleſia uſque modo celeberrimi Concilii Novatianam hæreſim ex orco revocaſse; ſed dumtaxat diſciplinam Eccleſiaſticam aſperioribus quibuſdam pœnis, aut minis reſervandam curaſse. Idem ergo dicendum de Eliberitano Concilio. Itaque certiſſimum eſt, celebratum fuiſse longe poſt medium tertii ſæculi, immo poſt totum illud tranſactum. Certum quoque videtur, non eodem tempore, quo Concilium Nicænum, nec anno ἀμέσως ſequenti, aut paullo poſtea, aut antea, ultra annum Chriſti CCCV. cum jam tunc, & deinceps nullæ Gentilium perſecutiones in Hiſpania fuerint, ad quas fortiter tolerandas, aut vincendas ii Sanctiſſimi Patres ſe ſe, ac ſuos iis ſeveriſſimis Canonibus munirent. Supereſt itaque, ut anno ipſo ſæculari CCC. aut CCCI. aut tandem (quod mihi magis placet) CCCIII. ineunte vere, fuerit celebratum.

ALIUD JOSEPHI CATALANI MONITUM.

Hactenus celeberrimi Cardinalis de Aguirre Diſſertatio decima ſexta, quæ etiam ab eodem Auctore prima appellatur, præfixa Tomo II. hujus ampliſſimæ ſuæ Collectionis Conciliorum Hiſpaniæ. Porro quod ſpectat tempus, & annum celebrationis Synodi Illiberritanæ, de quibus in memorata Diſſertatione agitur, ſequuti jam nos aliquando fuimus Morini opinionem; ſed libentiſſime amplectimur nunc ſententiam præſtantiſſimi Cardinalis de Aguirre, qui validiſſimis argumentis ipſam Morini opinionem in deſcripta hactenus Diſſertatione decima ſexta confutavit.

DISSERTATIO DECIMA SEPTIMA.

De Conciliis Eliberitano poſterioribus intra, & extra Hiſpaniam, quibus magnus ille Oſius Epiſcopus Cordubenſis interfuit Sæculo quarto, cum aliis Hiſpanis Præſulibus.

EXaminato tempore Concilii Eliberitani, & oſtenſo ſatis (ni fallor) anno plus minus, quo celebratum fuit; oportet nunc brevius agere de aliis ſequentibus, ſi qua forte in Hiſpania fuerunt uſque ad Cæſarauguſtanum I. quod omnium conſenſu habitum eſt anno Eræ Chriſtianæ CCCLXXX. Porro nec in Collectione S. Iſidori Hiſpalenſis, nec in ulla alia manuſcripta, aut edita uſque modo Concilium aliquod Hiſpaniæ certum hactenus invenire licuit, toto eo tempore interjecto, & multo minus Acta, ſive Decreta, aut Canones illius. Solum extant teſtimonia quædam veterum, aliquid ea de re indicantia, quæ expendere oportet. Similiter excurrendum erit per plura Concilia, quibus Oſius ille celeberrimus interfuit, cum aliis Epiſcopis Hiſpanis, intra idem Sæculum quartum, longiſſimo vitæ ſuæ curſu, tam in Occidente, quam in Oriente. In quo plura occurrent obſervatu digna.

EXCURSUS PRIMUS.

Credibile eſſe, magnum illum Oſium nonnulla Concilia poſt Eliberitanum celebraſſe intra Hiſpaniam, quamvis Acta eorum non extent. Porro Synodum ab eo coactam fuiſſe Cordubæ circa medium quarti Sæculi, & in ea damnaſſe quos paullo antea Concilium Sardicenſe abdicaverat, ac reſtituiſſe quos ſolverat. Quinam ii fuerint, & quanta inde laus Oſio.

II. OCcurrit imprimis magnus ille Oſius, & celeberrimus Conciliorum Pater, cujus laudibus pleni ſunt Scriptores rerum Eccleſiaſticarum intra Sæculum quartum, quo præcipue ille floruit. Nam licet ſub initium ipſius inveniatur ſubſcripſiſſe Concilio Eliberitano tanquam Epiſcopus Cordubenſis ſecundo loco, alias undecimo, juxta diverſa mſs. nondum tamen videtur celebris admodum fuiſſe intra, aut extra Hiſpaniam eo tempore, ſed aliquanto poſt; præſertim anno ſequenti ſub Præſide Hiſpaniæ Daciano, a quo tormenta pro Fide tulit; & poſtea ſub Imperatoribus, Conſtantino, & Conſtantio, ac Pontificibus Romanis, Melchiade, Sylveſtro, Julio, & Liberio. Longiſſimo enim vitæ curſu omnes illos præceſſit ortu, & ſecutus eſt obitu, centenarius ut minimum.

III. Credibile autem eſt, ut qui ab ineunte Sæculo quarto uſque ad medium illius interfuit tot Conciliis extra Hiſpaniam, poſtea judicandis, non modo tamquam unus e Patribus, ſed etiam veluti hortator, & præcipuus excitator, ac plerumque veluti Legatus Sedis Apoſtolicæ, aut Præſes; pariter quoque in Hiſpania ſua, ac Diœceſi propria, aliquot aliæ celebranda curaret tot annorum ſpatio. Præſertim cum Apoſtolorum Can. XXXVIII. ſtatutum fuiſſet, *ut bis in anno Concilia Epiſcoporum celebrentur &c. ſemel quarta hebdomada Pentecoſtes, ſecundo vero duodecimo die menſis Hyperberetæi*. Sive, ut ex mſs. Vaticanis habemus, IV. Idus Octobris. Eccleſia autem Hiſpanica ſemper fuit retinentiſſima Sacrorum Canonum, ut patet ex toto Conciliorum ejus contextu. Quin & ob difficultatem congregandi Concilia bis in anno, opus habuit diſpenſatione Pontificia Hormiſdæ Pontificis ad Epiſcopos Hiſpaniæ, qua indulget, ut ſemel ſingulis annis Concilium celebretur. Illum exhibebimus ſuo loco circa annum DXX. Nec par eſt exiſtimare de magno Oſio, & adeo ſolicito de ſalute exterarum nationum, nullam habuiſſe ſuorum curam, coactis aliquot Synodis, quibus certe opus videbatur ad Diſciplinam Eccleſiaſticam in Hiſpania conſervandam, & populos in officio continendos.

IV. Sed enim hæc mera rationabilis conjectura eſt, cui non ſatis fidere poſſemus, niſi nonnulla quædam accederent. Inter quæ præcipuum eſt, quod legitur in Libello Synodico apud Collectionem Labbei Tomo II. Col. 91. *De Synodo Cordubæ* celebrata ab Oſio, hiſce verbis: Ὅσιος Κορδούβης ἐπίσκοπος ὁ πανόσιος Σύνοδον θείαν καὶ ἱερὰν ἐπισκόπων ἐν τῇ οἰκείᾳ πόλει προσκαλεσάμενος, τὸ θεουργὸν ἐτράνωσε μάθημα, κατακρίνας οὓς ἡ Σαρδικὴ ἀπεκήρυξε Σύνοδος, καὶ οὓς πάλιν ἐδικαίωσε, προσδεξάμενος. *Quapropter Cordubæ Epiſcopus Sanctiſſimus Oſius Synodum Divinam, & Sanctam Epiſcoporum ſua in Civitate congregans, Divinitus expoſitam illuſtravit doctrinam, condemnans eoſdem, quos Sardicenſis abdicaverat Synodus, & quos ea abſolverat, recipiens.*

V. In quibus verbis obſervanda quædam occurrunt. Primum eſt, id Concilium celebratum Cordubæ ab Oſio fuiſſe poſterius Sardicenſi, ſiquidem hujus mentio fit in illo, & abdicationis quorumdam Epiſcoporum, reſtitutioniſque aliorum. Cum vero conſtet apud omnes, Concilium Sardicenſe fuiſſe celebratum anno Eræ Chriſtianæ CCCXLVII. ſub Julio Papa, colligitur plane, Cordubenſe fuiſſe aliquanto poſt, ſaltem circa medium quarti Sæculi plus minus. Annum enim illius certum aſſignare non poſſumus, nec dicere, fuiſſe eundem, quo Sardicenſis Synodus coacta fuerat; cum opus habuerit Oſius, præſertim decrepita ætate, remeandi Cordubam per longiſſima terræ, mariſque ſpatia e Sardica Urbe mediterranea Thraciæ, Græcis, & Turcis modo *Sophia*, Bul-

Bulgariæ capite. Reverſum vero fuiſse Oſium Sardica Cordubam, ſicuti & alios Epiſcopos ad ſuas Eccleſias, ſatis indicat Sozomenus Libro 3. Cap. 11. dum ait: *His rebus ex utraque parte confectis, Concilium dimiſſum eſt, & quiſque ad ſuam Sedem revertit.*

VI. Secundo conſtat, id Concilium non fuiſſe Diœceſanum, cum ipſi plures Epiſcopi interveniſſe dicantur. Sed nec videtur fuiſſe Provinciale: ſiquidem nec Corduba erat Metropolis, nec Oſius habebat Epiſcopos Suffraganeos, quos convocaret ad Synodum celebrandam Patet vero ex verbis allegatis Libelli Synodici, Oſium congregaſſe *Synodum Divinam, & Sanctam Epiſcoporum in ſua Civitate.* Quapropter exiſtimo, fuiſſe Concilium Nationale Hiſpanicum, inſtar Eliberitani quinquaginta circiter retro annis celebrati, interveniente eodem Oſio. Verum cum hoc diſcrimine, quod tunc domtarat fuiſſet Epiſcopus Cordubenſis, & non primo loco ſubſcribens; in Cordubenſi autem Concilio fuerit Præſes, aut Legatus Sedis Apoſtolicæ, qualis fuerat in pluribus aliis extra Hiſpaniam tempore Conſtantini, & Conſtantii Imperatorum, ac nominatim in ipſo Sardicenſi, aut ſaltem tanquam antiquiſſimus omnium Hiſpaniæ Epiſcoporum. Quare indixit abs dubio Oſius Cordubenſe Concilium, convocavitque Epiſcopos Hiſpaniæ, ſive tanquam illorum primus, attenta conſecratione, ſive tanquam Legatus Papæ, iiſque omnibus præfuit perinde ac Patribus Synodi Sardicenſis.

VII. Licet autem non poſſumus deſignare nomina omnium Epiſcoporum Hiſpaniæ, qui intervenere Synodo Cordubenſi, niſi divinando; poſſumus tamen valde rationabiliter inter eos referre nonnullos, quos ſimul cum ipſo Oſio conſtat celebraſſe paullo antea Concilium Sardicenſe. Nimirum in exemplaribus vetuſtiſſimis illius, repræſentatis a Philippo Labbe Tomo 11. Collectionis Conciliorum, columna 662. ſex priores ſubſcriptiones Patrum ejus Concilii ſunt Epiſcoporum Hiſpanorum, prolatæ hoc ordine:

Oſius ab Spannia Cordubenſis.
Annianus ab Spanniis de Caſtolona.
Florentius ab Spanniis de Emerita.
Domianus ab Spaniis de Aſturicu.
Caſtus ab Spanniis de Cæſaraugaſta.
Prætextatus ab Spanniis de Barcilonu.

In alio ms. apud eundem Labbe col. 758. poſt ſubſcriptionem Oſii primo loco, ſequuntur quatuor aliæ diverſorum; & poſtea a ſexto loco incipiunt nomina poſteriorum quinque Hiſpaniæ Præſulum. Credibile autem eſt, eos omnes, qui præeunte Oſio intervenere Synodo Sardicenſi, adeo diſtanti ab Hiſpania, poſtea regreſſos cum ipſo pariter Cordubæ celebraſſe Concilium, præſertim circa abdicationem, & reſtitutionem eorum, quos paullo antea in Sardicenſi damnaverant, vel abſolverant. Sane ſi credendum eſſet Chronico Dextri nomine edito, Commentariis Bivarii illuſtrato, ad annum CCCLVI. num. 3. facile nomina eorum Præſulum haberemus, qui interfuere Concilio Cordubenſi. Verum cum id Chronicon judicio eruditiorum Virorum intra & extra Hiſpaniam ſit plane ſubdititium, & ſolis mercibus Higuerianis contextum, nulla ejus ratio a nobis habenda eſt. Vide infra num. 140.

VIII. Quinam vero fuerint Epiſcopi apud Sardicam damnati, aut reſtituti, conſtat ex Epiſtola Synodali Concilii ejuſdem extantis in Collectione Creſconii, & in Hilarii fragmentis primo loco ſubſcripta ab Oſio, col. 662. apud Labbeum mox citatum, ubi damnati referuntur, *Urſacius a Singiduno, Valens a Murſa, Narciſſus a Neronopoli* (ita legendum, non *Ieropoli*, aut *Hierapoli*, ſiquidem apud Athanaſium Lib. *De fuga*, legitur: Νάρκισσος ἀπὸ τῆς πόλεως Νέρωνος) *Stephanus ab Antiochia, Acacius a Cæſarea, Menophanes ab Epheſo Georgius a Laodicea .....*

IX. Potuit vero fortaſſis loco ipſo nimia vetuſtate detrito legi nomen cujuſdam Theodori pariter ibidem damnati, teſtibus ejuſdem Concilii Patribus in alia Epiſtula Synodali ad Eccleſiam Alexandrinam in fine, ubi hæc leguntur: Τίνα δέ ἐςι τὰ παρὰ τῆς ἁγίας Συνόδου δογματισθέντα κατὰ Θεοδώρου, καὶ Ναρκίσσου, καὶ Στεφάνου, καὶ Ἀκακίου, καὶ Μονοφάντου, καὶ Οὐρσακίου, καὶ Οὐάλεντος, καὶ Γεωργίου, τῶν προϊςαμένων τῆς Ἀρειανῆς αἱρέσεως, καὶ πλημμελησάντων καθ᾽ ὑμῶν, καὶ κατὰ τῶν ἄλλων ἐκκλησιῶν, γνώσεσθε ἐκ τῶν ὑποτεταγμένων ἀπεςείλαμεν γὰρ ὑμῖν, ἵνα καὶ ἡ ὑμετέρα θεοσέβεια σύμψηφος τοῖς παρ᾽ ἡμῖν ὁρισθεῖσι γένηται, καὶ γινώσκηται, ὅτι ἡ καθολικὴ ἐκκλησία, οὐ παρορᾷ τοὺς εἰς αὐτὴν πλημμελοῦντας. *Quæ autem decreta ſunt a ſancta Synodo in Theodorum, Narciſſum, Stephanum, Acacium, Menophantem, Urſacium, Valentem, & Georgium, anteſignanos Arianæ hæreſeos, qui & in vos, & in alias Eccleſias peccaverunt, ex iis, quæ ſubjecta ſunt, cognoſcetis: quæ ideo ad vos miſimus, ut veſtra in Deum pia religio ſuffragaretur ſententiis a nobis latis; ſimulque intelligat, Eccleſiam Catholicam nequaquam diſſimulanter cum iis agere, qui ipſam offendunt.* Hos itaque Ariana hæreſi infectos damnavit Oſius in Synodo Cordubenſi, ſicut paullo antea in Sardicenſi damnaverat.

X. In alia vero Epiſtola ejuſdem Concilii Sardicenſis ad omnes Epiſcopos, extante apud Athanaſium Apologia 2. explicatius habentur nomina, & qualitates eorum hoc ordine: *Theodorus ab Heraclæa, Narciſſus a Neroniade Ciliciæ, Stephanus ab Antiochia, Georgius a Laodicea, Acacius a Cæſarea Palæſtinæ, Menophantes ex Epheſo, quæ eſt Aſiæ, Urſacius a Singiduno Myſiæ, Valens a Murſis Pannonicis.*

XI. Videamus modo, quinam primum Sardicæ, ac poſtea Cordubæ reſtituti, ſive abſoluti ſunt. In Epiſtola Synodali citata ad Julium Papam memorantur tres unica periodo damnati antea ab Arianis, & Sardicæ innoxii declarati a Catholicis: *Perſeverent autem* (ajunt Patres) *Marcellus, Athanaſius, & Aſclepius in noſtra communione, quia obeſſe eis non poterat iniquum judicium &c.* Porro is Athanaſius eſt magnus ille Alexandriæ Præſul, & immobilis columna Fidei Catholicæ: quem ab Arianis iniquiſſime damnatum, ab octoginta Epiſcopis Catholicis defenſum tanquam innoxium, Julius Papa matura deliberatione, ac judicio reſtituit, ac ſubinde Synodus Sardicenſis perhonorifice recepit, & magnis ornavit elogiis in Epiſtola citata Concilii ad Eccleſiam Alexandrinam, exſtante apud ipſum Athanaſium

ſium Apologia ſecunda, Baronium ad annum CCCXLVII. num. 26. & Labbeum col. 664.

XII. Præterea ex eadem Epiſtola ad Alexandrinam Eccleſiam conſtat, Sardicæ receptos cum honore fuiſſe, *Apthonium, & Athanaſium Capitonis filium, & Paulum, & Plutionem compresbyteros, utpote de quibus conſtabat, eamdem fraudem ab Euſebianis perpeſſos eſſe, & quoſdam eorum in exilium ejectos, quoſdam mortis interminationes effugiſſe &c.* In Epiſtola vero Synodali ſupra citata ad omnes Epiſcopos, initio fere, Athanaſio Epiſcopo Alexandrino adjungitur Marcellus tanquam *Ancyro-galatiæ Epiſcopus*, & Aſclepas; fortaſſe ille ipſe, qui inter ſubſcriptiones ejuſdem Concilii dicitur *Aſclepius a Palæſtina de Gaza.* Ii igitur omnes, aut ſoli, aut præcipue, primum in Sardicenſi, deinde vero in Cordubenſi Concilio, utrobique ſub Oſio Præſide, tanquam innoxii reſtituti ſunt.

XIII. Porro earum reſtitutionum in utroque Concilio primas partes habuit, poſt ſanctiſſimum Papam Julium, Oſius noſter; uti ſatis declarat eadem Synodalis Epiſtola Sardicenſis Concilii ad omnes Epiſcopos paullo poſt initium, ubi memorata contumacia Arianorum nolentium Sardicam convenire ad probandum crimina objecta eiſdem Athanaſio, Marcello, & Aſclepæ, poſtquam citati fuerant, ſubditur illico: Καὶ τοι πάντων ἡμῶν συνελθόντων ἐπισκόπων, καὶ μάλισα τοῦ εὐγηροτάτου Ὀσίου, τοῦ καὶ διὰ τὸν χρόνον, καὶ τὴν ὁμολογίαν, καὶ διὰ τὸ τοσοῦτον κάματον ὑπομεμενηκέναι πάσης αἰδοῦς ἀξίου τυγχάνοντος, ἀναμενόντων καὶ προτρεπομένων αὐτοὺς ἐλθεῖν εἰς τὴν κρίσιν, ἵν᾽ ἅπερ ἀπόντων τῶν συλλειτουργῶν ἡμῶν ἐθρύλλησαν καὶ ἔγραψαν κατ᾽ αὐτῶν, ταῦτα παρόντες ἐλέγξαι δυνηθῶσιν. *Tametſi omnes Epiſcopi ſimul congregati, & imprimis præclara ſenectute Oſius, homo & ob ævi longitudinem, & confeſſionem ſuam, & ob tantos ſuos labores omni reverentia dignus, exſpectaremus, & hortaremur eos, ut judicium prodirent, & ea, quæ rumoribus, & literis de comminiſtris noſtris abſentibus jactaverant, præſentes juſtis rationibus comprobarent.* Quibus verbis non modo illuſtre Magni illius Oſii elogium habemus; ſed etiam fidele teſtimonium zeli, ac juſtitiæ ipſius pro Athanaſio, Marcello, & Aſclepa, contra falſas Ariomanitarum accuſationes, reſtituendis honori debito, & regimini Eccleſiarum ſuarum, quibus injuſtiſſime ſpoliabantur.

XIV. Hæc igitur ſola capita conſtat poſtea ſub eodem Oſio in Synodo Cordubenſi confirmata fuiſſe; quamvis dubitare non liceat, ibidem plura alia ſtatuta eſſe circa diſciplinam Eccleſiaſticam, cujus ille retinentiſſimum ſe exhibuerat in ipſo Concilio Sardicenſi, aliiſque multis infra indicandis. Præſertim cum Canon ille XXXVIII. alias in Græco XXXVI. Apoſtolorum, ſupra num. 3. allegatus, quo bis in anno præcipiebatur, celebrari Epiſcoporum Concilia, ſubderet materiam in iis tractandam, dicens: Ἀνακρινέτωσαν ἀλλήλους τὰ δόγματα τῆς εὐσεβείας, καὶ τὰς ἐμπιπτούσας ἐκκλησιαστικὰς ἀντιλογίας διαλυέτωσαν. *Inter ſe examinent Decreta Religionis, & incidentes Eccleſiaſticas controverſias componant*, Quænam vero ejuſmodi Decreta ſint in ſpecie ab Oſio, & aliis Epiſcopis, nemo, niſi divinando, affirmare poteſt, donec appareant tandem pleniora ſcripta, e quibus videtur deſumptus Libellus ille Synodicus, a Pappo, & Juſtello Græce, ac Latine editus. Vide infra num. 194.

EXCURSUS II.

De Conciliis interjectis Eliberitano, & Cordubenſi, quibus Oſius adfuit cum aliis Hiſpaniæ Epiſcopis, tempore Sylveſtri Papæ, & Conſtantini Imperatoris, cui chariſſimus fuit: ac nominatim de Conciliis Arelatenſi, & Alexandrino. Geſta Oſii in utroque.

XV. Ponendum ex traditis Diſſertat. præcedenti, Concilium Hiſpanicum apud Eliberim celebratum fuiſſe ſub initium quarti ſæculi, anno Eræ Chriſtianæ plus minus CCCIII. Cordubenſe autem Excurſu præcedenti memoratum, anno circiter CCCL. cum jam Oſius cum aliis Epiſcopis Hiſpanis celebraſſet Concilium apud Sardicam, & inde Cordubam rediiſſet. Videamus modo, quibus præterea Conciliis intervenerit eo ſpatio interjecto quinquaginta circiter annorum, & quid præcipuum in iis geſſerit ſimul cum aliis Hiſpaniæ Epiſcopis.

XVI. Ac primo quidem oportet agere de Conciliis prædictis ſub Sylveſtro Papa, cujus Pontificatus cœpiſſe creditur Kalendis Februarii, anno Chriſtiano CCCXIV. Conſtantini Imperat. IX. Ante vero quam eo ipſo anno Arelatenſis Synodus cogeretur, jam Oſius Hiſpaniæ finibus egreſſus fuerat, & Romam contenderat, uti par credere eſt, ad veneranda Sanctorum Apoſtolorum, & Martyrum monumenta, atque ad ipſam Apoſtolicam Sedem, prout a primis Eccleſiæ ſæculis in more fuit. Ea occaſione apud Conſtantinum, impenſe Chriſtianis faventem, invenit gratiam ſingularem, uſque adeo ut frequenter ipſi a latere, & conſilio eſſet, ejuſque patrocinium juxta varias Eccleſiarum neceſſitates ſolicitaret. Nimirum huc ſpectant, inter alia, Literæ illæ Conſtantini ipſius ad Cæcilianum Epiſcopum Carthaginenſem, quas Cardinalis Baronius Tom. III. ad annum Chriſti CCCXII. (nimirum, biennio ante Concilium Arelatenſe coactum) exſcribit, ſequentibus verbis:

CONSTANTINUS A. CÆCILIANO EPISCOPO CARTH. S.

XVII. *Quoniam viſum eſt nobis, per omnes provincias Africæ, Numidiæ, & Mauritaniæ certis quibuſdam legitimæ, & ſanctiſſimæ religionis Catholicæ miniſtris in ſumtus commune aliquid ſuppeditare; literas ad V. ſum V. rum nobiliſſimum, Quæſtorem noſtrum in Africa, dedi; & ei ſignificavi, ut tria millia φόλεις tuæ gravitati numeranda curaret. Tu igitur quando prædictam pecuniæ ſummam recipiendam curaveris; omnibus, qui in ſcheda ad te ab Oſio miſſa ante ſcripti ſunt, has pecunias diſpertiri jubeto. Quod ſi aliquid ad iſtud meum in hac re erga omnes hos inſtitutum cumulate explendum deeſſe animadvertas; ab Heraclida noſtrarum poſſeſſionum Procuratore audacter, & abſque hæſitatione, quod neceſſarium fore putaveris poſtules velim. Nam illi coram imperavi, ut ſi quid pecuniæ tua gravitas ab eo peteret, abſ-*

abſque dubitatione ulla tibi numerandum curaret. Et quoniam accepi, quoſdam homines non animo ſatis recte compoſito, & conſtituta, populum a ſanctiſſima & Catholica Eccleſia, mala & pernicioſa corruptela velle avertere; ſcias velim, me Anolino Proconſuli, quin etiam Patricio, Præfectorum Vicario, cum præſto apud me eſſent, talia mandata dediſſe, ut cum in reliquis omnibus, tum in hoc maxime curam diligentem ponerent; & rem ejuſmodi, ſi forte acciderit, nullo modo negligerent. Quapropter, ſi quos homines in eo furore, & amentia inhæreſcere perſpicias; abjecta omni cunctatione, judices, quos dixi, adito, & hoc idem illis referto, ut illi in hos, ſicut coram mandavi, animadvertant. Dei Optimi Maximi Numen te in multos annos conſervet.

XVIII. Hæc ſcripſit Conſtantinus ad Cæcilianum, tunc vehementer a Donatiſtis ſchiſmaticis exagitatum, & eam pecuniæ ſummam, nimirum, trium millium pholium (id eſt, non obolorum, ut interpretatur Suidas, ſed marſupiorum monetæ, uti & hodie Turcæ numerant) diſtribui jubet omnibus iis, quos in ſcheda ſua nominaſſet Oſius: utpote qui jam eo tempore plurimum gratia apud Imperatorem valebat, & pene rerum potiebatur in iis, quæ ad Eccleſias ſpectabant. Jam enim tunc Conſtantinus optime affectus erat erga Religionem Chriſtianam, ut oſtendunt illa ipſius verba, *populum a ſanctiſſima, & Catholica Eccleſia, &c.* Quin & ipſe Oſius ad Baptiſmum recipiendum hortator fuiſſe videtur, juxta varia veterum teſtimonia, quæ erudite expendit idem Baronius ad annum Chriſti cccxxiv. præſertim num. 27. & ſeqq.

XIX. Nimirum ibidem producit aliquot teſtimonia, etiam Gentilium, quibus id ſatis teſtantur, Conſtantinum poſt cædem Criſpo filio ſuo, juveni præſtantiſſimo, propter inanes ſuſpiciones illatam, & Fauſtæ uxoris cædem, conſcientia ſcelerum commotum, nec invenientem apud Sacrificos idololatras, ſive apud Sopatrum celebrem Philoſophiæ doctorem, modum aliquem ea expiandi, didiciſſe ab Oſio opportunum remedium, ſi Religione Chriſtiana palam ſuſcepta, Baptiſmi ſalutaribus undis ablueretur. Id palam indicat Zoſimus Lib. 2. licet circa nomen Oſii aliqua difficultas ſit, dum ab ipſo non appellatur Oſius, ſed ſolum *quidam Hiſpanus genere, cui nomen eſſet Ægyptius*.

XX. Idipſum fere tradunt Gentiles generatim a Sozomeno memorati Lib. 1. Cap. 5. quamvis ipſe neget Criſpum a Conſtantino interemptum, aut ſaltem refellat aſſerentes, Conſtantinum ob illatam Criſpo cædem recepiſſe Baptiſmum. Porro Hiſpanum illum, *cui nomen eſſet Ægyptius*, non alium fuiſſe Baronius vult, quam Oſium Hiſpanum Cordubenſem Epiſcopum, tunc gratia apud Conſtantinum valentem, qui ipſi Baptiſmum ſuggeſſerit, veluti remedium unicum iis ſceleribus expiandis. Epiſcopos enim perſuaſiſſe Conſtantino, ut Baptiſmum reciperet ad veniam ſcelerum impetrandam, Gentiles ipſi a Sozomeno ibidem allegati obſervant. Mirum autem non eſt, quod Oſius Hiſpanus, & Epiſcopus, ab iis appellaretur, ſeu diceretur Ægyptius; non quaſi in Ægypto natus) alioqui cur Hiſpanum dicerent?) ſed tanquam magus, ſive maleficiorum & incantationum artifex, quales ut plurimum a Gentilibus appellabantur Chriſtiani, præſertim Sacerdotes, & Epiſcopi. Immo & ab antiquo tempore Hiſpani, hodieque, quaſdam vagorum, & erraticorum Virorum, ac mulierum turbas præſtigiis inanibus deditas, ac divinationi, appellant *Gitanos*, & *Gitanas*, veluti ex Ægyptiis magis originem, aut morem illum trahentes; qui & apud Italos *Zingari*, id eſt, Ægyptii, appellantur. Cumque aliunde certum habeamus, Oſium ſaltem ab initio Pontificatus Sylveſtri, & ante Baptiſmum Conſtantini, fuiſſe huic familiarem, ac fortaſſis jam miſſum in Ægyptum, ut poſtea dicemus; prudenter conjici poteſt, hortatorem fuiſſe præcipuum eidem Imperatori, ut palam Chriſti Religionem profiteretur, & Baptiſmum acciperet.

XXI. Porro Baronius loco citato ad annum Chriſti cccxxiv. num. 27. palam affirmat id de Oſio, jam tum ex legatione Ægypti Romam reverſo. Addit vero: *Quod autem* (Conſtantinus) *non Romanum Antiſtitem*, (Sylveſtrum) *ſed peregrinum hominem* (Oſium) *ejus rei ſuaſorem, & impulſorem iidem* (Gentiles) *tradant, ex iis certiores, & evidentiores videri poſſunt latebræ Sylveſtri Romani Pontificis*. Nimirum, cum eo tempore Sylveſter latitaret apud Soractem, facile fuit, ut Conſtantinus Romæ non conſuleret ipſum, eo tempore abſentem, circa expiationem ſcelerum per Baptiſmum, ſed dumtaxat Oſium, qui tunc aderat Romæ, & ob legationem in Ægyptum, jam tum ſuſceptam juſſu ejuſdem Sylveſtri, aut aliquanto poſtea, a Zoſimo, & aliis Gentilibus fuit dictus Ægyptius.

XXII. Ex eadem familiaritate Oſii cum Conſtantino pariter oriri potuit, ut hic poſt viſionem illam mirabilem ſanctæ Crucis in aere, ipſum conſuleret circa myſteria Religionis noſtræ circa annum cccxvi. quo illa contigiſſe creditur, ut notatum exſtat apud Sozomenum ad marginem Lib. 1. Cap. 3. ubi rem totam enarrat, præſertim ex Euſebio Cæſarienſi, aurito teſte, & conſcio ex ore ejuſdem Imperatoris, qui viſionem ipſam Crucis cum hiſce verbis, IN HOC VINCE, jurejurando confirmavit, ac præterea Chriſtum ipſum ſibi apparuiſſe per quietem cum eo ſigno, quod in Cælo viſum fuerat, & juſſiſſe, ut aliud ſimile conſtrueret, eoque deinceps in præliis uteretur. Subdit veroſſitatim Sozomenus: *Et quoniam Imperator non amplius jam alio egeret interprete, ſed manifeſto eſſet ei declaratum, quomodo de Deo ſentiret, primo mane convocatis Chriſti Sacerdotibus, de Religione Chriſtiana eos percontatur. Qui Libris ſacræ Scripturæ prolatis, ea, quæ ad Chriſtum ſpectabant illi exponunt: quæ quidem ante quam facta eſſent, a Prophetis prædicta eſſent, demonſtrarunt. Signum autem, quod apparuerat, indicium eſſe dixerunt victoriæ contra inferos: quam quidem victoriam, cum ad homines deſcendiſſet, Crucis tormenta ſubeundo, oppetendo mortem, & tertia die ad vitam reſurgendo, reportaſſet, &c.* Hæc & plura alia Chriſtianæ Doctrine rudimenta Conſtantino tradita fuiſſe ab Oſio cum aliis Sacerdotibus convocatis, nihil vetat, & ſatis credibile eſt, cum jam tum ille tantæ auctoritatis, & gratiæ eſſet apud Imperatorem; a cu-

a cujus latete vix diſcedere ſolitum, niſi ubi legationes obeundæ eſſent ad Concilia celebranda, vel alia Eccleſiæ graviſſima negotia peragenda, exploratum habemus apud Scriptores ejuſdem ſæculi, inter quos Socrates Lib. I. *Hiſt r.* Cap. 7. de Conſtantino teſtatur, Oſium *amaſſe, & coluiſſe plurimum* .

XXIII. Primum itaque Concilium extra Hiſpaniam tempore Sylveſtri Papæ celebratum præſente Oſio, videtur fuiſſe Arelatenſe primum, cujus epocha communiter refertur ad annum Chriſti cccxiv Sylveſtri I. Conſtantini IX. Ceconio Ruffo, & Voluſiano II. Conſulibus, juxta Faſtos Onuphrii ab aliis correctos: ſive Voluſiano, & Aniano Coſs. ut alii numerant. Neſcio autem, quam ob cauſſam eruditiſſimus Sirmondus in Notis poſthumis a Labbeo editis in *Appendice* To. I. col. 1565. illud referat ad annum Chriſti cccxix. contra communem aliorum chronotaxin. Habitum fuit ejuſdem Conſtantini juſſu in cauſſa Cæciliani, & Donatiſtarum, qui ter condemnati, ipſum Imperatorem appellarunt. Convenerunt ad illud ex Hiſpania nonnulli, juxta exemplar editum a Labbeo To. I. col. 1430. hoc ordine: *Liberius Epiſcopus, Florentinus Diaconus de Civitate Emerita, provincia Hiſpaniæ. Sabinus Presbyter de Civitate Bætica. Probatius Presbyter, Caſtorius Diaconus de Civitate Tarracona, Clementius Presbyter, Ruffinus Exorciſta de Civitate Cæſarauguſtæ*. Additur præterea: *Termatius Presbyter, Victor Lector, de Civitate Baſtigenſium*; forte *Aſtigenſium*. Nimirum *Aſtigi* dicebatur olim Urbs, quæ hodie *Ezixa* appellatur, nobile Oppidum Bæticæ, quod olim fuit Epiſcopalis Sedes. Liberius autem Epiſcopus Emeritanus, eſt ille ipſe, qui, ut dictum eſt, aliquot retro annis intervenerat Concilio Eliberitano ſimul cum Oſio Cordubenſi. Unde & ambo videntur curaſſe, ut quædam ibidem ſtatuta, pariter in hac Synodo Arelatenſi ſancirentur, ut poſtea dicemus numero 26. & 27.

XXIV. Exiſtimo, Presbyteros Hiſpaniæ nuper memoratos veniſſe nomine Epiſcoporum ſuorum ad Concilium Arelatenſe in Gallia celebrandum. Imperator enim Conſtantinus Edicto ſuo convocaverat innumeros fere Epiſcopos ex Italia, Sicilia, Gallia, & Hiſpania, in eum finem, ut patet ex verbis Epiſtolæ ipſius apud Labbeum ſupra col. 1424. & in Auguſtiniana editione noviſſima Monachorum Sancti Mauri Tomo IX. in *Appendice* col. 23. Πλείστους ἐκ διαφόρων καὶ ἀμυθήτων τόπων ἐπισκόπους εἰς τὴν Ἀρεταλησίων (lege Ἀρελατησίων) πόλιν εἴσω Καλανδῶν Αὐγούστων συνελθεῖν ἐκελεύσαμεν. *Plurimos ex diverſis, ac prope infinitis locis Epiſcopos in Urbem Arelatenſem intra Kalendas Auguſti juſſimus convenire* Sed Epiſcopi Hiſpani, excepto Liberio Emeritenſi, ſe excuſarunt, & nonnulli Presbyteros, alioſve inferiores miniſtros ſuo nomine illuc miſerunt.

XXV. Inter illos non invenio Oſium ſubſcribentem, ſed tamen adſtitiſſe ibidem, immo & præſediſſe nomine Sylveſtri Papæ, colligi ſatis videtur. Imprimis enim, teſte Euſebio, tunc jam florente, Conſtantinus adſuit Concilio Arelatenſi; ac proinde Oſius etiam, qui eodem tempore cum ipſo verſabatur, & ab ejus latere non diſcedebat, ut ſupra vidimus. Deinde Cæcilianus Epiſcopus, uti antea tempore Melchiadis Papæ, ita & ibidem innocens declaratus fuit adverſus Donatiſtas, quod & ipſi fatebantur poſtea, duri licet, ac rebelles, teſte Auguſtino Lib. I. contra Epiſtolam Parmeniani Cap. 6 ajente: *Fatetur etiam Parmenianus, ad Arelatenſe Oppidum, & Epiſcopos judices, & partes ex Africa conveniſſe, Cæcilianum ſcilicet, atque Donatiſtas, ubi omnia ſuis credidit, qui nihil victi potuerunt de judicibus conqueri* . Præmiſerat vero idem Auguſtinus Cap. 5. Parmenianum ipſum calumniatum fuiſſe, ſive conqueſtum adverſus Oſium Epiſcopum Cordubenſem, quod cum eſſet judex illius controverſiæ, ac deberet ſe gerere immunem a ſtudio partium, potius Cæciliani advocatum, quam judicem egiſſet: *Cum enim diceret, per Oſium Hiſpanum adjutorium præſtitum Cæciliano, ut ad eorum communionem Sanctorum, & illibatorum numerus cogeretur, & huic impietati fidem ſervorum Dei integram reſtitiſſe*. Hæc autem vix locum, aut ne vix, habere poſſunt, niſi Oſius Arelatenſi Concilio, veluti judex aſſiſteret cum aliis Epiſcopis Italis, Gallis, & Hiſpanis, quos pariter Donatiſtæ criminabantur. Immo cum Parmenianus eodem loco, apud Auguſtinum nominatim invehatur contra ſolum Oſium; videtur hic in eo Concilio potiorem cæteris locum habuiſſe, ſeu præſediſſe nomine Sedis Apoſtolicæ, quemadmodum poſtea in Conciliis pluribus.

XXVI. Denique idipſum confirmatur; quoniam plerique Canones ejuſdem Concilii videntur mutuati ex Eliberitano paucis antea annis celebrato ab Oſio. Nimirum, quæ ibidem ſtatuuntur Canone IV. De agitatoribus, Can. V. De Theatricis, ſive Scenicis, & de manuum impoſitione, Canone VII. De Præſidibus, ſeu Magiſtratibus, & De Literis communicatoriis, Canone IX. De literis Confeſſorum, Canone XI. De conjunctione, ſive matrimonio cum Gentilibus, Canone XII. De miniſtris, ſeu Clericis fœneratoribus, Canone XIV. De falſis accuſatoribus, Canone XVI. De excommunicatis, Canone XXI. De Presbyteris, aut Diaconibus, & Canone XXII. De apoſtatis. Ea, inquam, omnia videntur deſumpta ex totidem Canonibus Eliberitanis LXII. XXXIX. LVI. LVIII. XXV. XV. XX. LXXV. LIII. & I. ubi eadem fere habentur jam antea ſtatuta ab Oſio cum aliis Patribus in Concilio Eliberitano, undecim retro annis, juxta chronotaxin noſtram; ut proinde idem Oſius prædicta Decreta, aliaque nonnulla, Patribus Arelatenſibus ſuggeſſiſſe credatur, ut conferenti utroſque Canones manifeſtum erit. Quod ipſum longe poſtea feciſſe eundem Oſium in Concilio Sardicenſi, oſtendemus inferius.

XXVII. Verum ſingulari obſervatione dignum eſt, citatum Canonem XXII. Arelatenſem (quo Apoſtatis impœnitentibus, & in extrema infirmitate petentibus communionem, negatur hæc) deſumptum plane fuiſſe ex Canone primo Eliberitano, ubi idem fere ſtatutum fuerat; & ſancte quidem, ut in ejuſdem Commentariis oſtenſum eſt. Nunc accipe verba Sancti Cypriani Epiſt. LII. ad Antonianum, ajentis juxta morem ſui temporis: *Et iccirco, Frater chariſſime, pœnitentiam non agentes, nec dolorem delictorum ſuorum toto corde, & manifeſta lamentationis ſuæ profeſſione teſtantes*,

probibeandos eſſe cenſuimus a ſpe communicationis, & pacis, ſi in infirmitate, atque periculo exeperiat deprecari: quia rogare illos, non delicti pœnitentia, ſed mortis urgentis admonitio compellit, nec dignus eſt in morte accipere ſolatium, qui ſe non cogitavit eſſe moriturum. Adſuit itaque Oſius Concilio Arelatenſi, & ſuggeſſit plures Canones, ſicuti & certe adſuit Liberius Epiſcopus Emeritanus, qui Concilio Eliberitano interſuerat ſimul cum Oſio.

XXVIII. Secundum Concilium extra Hiſpaniam celebratum, præſente Oſio, fuit Alexandrinum, anno Chriſti cccxɪᴠ. Sylveſtri Papæ VI. Conſtantini Imperatoris XIV. Interſuere omnes Epiſcopi ad Primatum Alexandrinum ſpectantes, una cum Oſio Epiſcopo Cordubenſi, qui munere legationis Pontificiæ utebatur, ac præerat nomine Sedis Apoſtolicæ, & propterea fortaſſe S. Athanaſius Apologia ſecunda hanc Synodum appellat Generale Concilium. Occaſionem præcipuam ad illud convocandum optime expreſſit doctiſſimus Severinus Binius in Notis ad illud hiſce verbis: *Cauſſa primaria hujus Concilii hæc eſt. Cum Sylveſter Pontifex per encyclicas ab Alexandro ſcriptas, Arianorum turbas ibi excitatas cognoviſſet; Oſium Cordubenſem Epiſcopum Legatum ſuum iſtuc ablegavit, qui ſumptis a Conſtantino Imperatore Literis, quas illi communicavit (extantque infra apud Gelaſium Lib. 2. Cap. 4.) pacis, & concordiæ ſuaſoriis, in Ægyptum veniens, ad Arianorum motus componendos, Synodum indicit, eorumque cauſſam in judicium prædictorum Epiſcoporum deducit.*

XXIX. Sane apud Socratem Lib. 1. *Hiſtoriæ*, narrantur fuſe contentiones, & diſcordiæ excitatæ ab Ario adverſus Alexandrum Epiſcopum Alexandriæ, ob quas ſedandas Oſius juſſu Conſtantini Imperatoris Alexandriam contenderit. Cum enim Capite 3. illas narraſſet, ſubdit Capite 4. *De his rebus cum certior factus eſſet Imperator, incredibilem animo hauſit dolorem; perturbationemque illam ſuam ipſius calamitatem eſſe cenſuit. Extemplo igitur illud diſcordiæ incendium, quo inter ipſos exardeſcebant, reſtinguere ſerio aggreditur: Literaſque per Virum ſpectatum, & fidelem, Oſium nomine, Epiſcopum Cordubæ, quæ eſt Civitas Hiſpaniæ (hunc enim Imperator ſingulari amore complexus eſt, & honore ſummo proſequutus) ad Alexandrum, & Arium mittit.* Porro Literas ipſas ſtatim exſcribit Socrates, prout habentur apud Euſebium Cæſareenſem in Libris, *De vita Conſtantini*, & Gelaſium Libro 2. Capite 4. inter Acta Concilii Nicæni.

XXX. Acta ejus Concilii Alexandrini videntur interiiſſe, ut nunquam aliquod eorum exemplar inventum fuiſſe legamus. Conſtat tamen ex Athanaſio Apologia 2. citata, Colluthum Presbyterum Alexandrinum in ordinem ibidem ab Oſio redactum fuiſſe, eo quod munia Epiſcopalia tentaſſet, præſertim ordinandi alios, cum Epiſcopali poteſtate careret. Præterea Socrates de eodem Concilio loquens iterum occaſione Synodi Nicænæ, ſex annis poſtea coactæ, inquit: *Epiſcopi, qui in Concilio Alexandrino aderant, hanc de οὐσία, & ὑποστάσει, ideſt, ſubſtantia, ſive perſona, controverſiam excuſſerant. Nam Oſius Epiſcopus Cordubæ Civitatis Hiſpaniæ (cujus antea fecimus mentionem) ab Imperatore Conſtantino ad tumultum ab Ario concitatum ſedandum miſſus, dum Sabellii Afri dogma explodere cogitaret, de οὐσία, ideſt, eſſentia, & ὑποστάσει, ideſt, ſubſtantia, ſive perſona, diſceptavit; unde materia alteri contentioni ſuppeditata eſt.*

XXXI. Denique in Synodico Libro apud Labbeum col. 1495. ſolum habetur, in eadem Synodo, quæ *Alexandrina Alexandri* dicitur, abdicatos, & anathematizatos fuiſſe, *ὡς ἐμμένοντας τῇ ἀπιστίᾳ, καὶ σηπεδόνα τῇ ἐκκλησίᾳ προσάγοντας, tanquam in infidelitate perſeverantes, & putredinem, ſive ulcus Eccleſiæ afferentes*, Arium, Euzoium, Achillam, Aithalem, Lucium, Sarmatium, Julium, Menam, Arium alium, & Helladium; ipſorumque depoſitionem ubique emiſiſſe, ſubſcribentibus Epiſcopis Libyæ & Pentapolis, Syriæ & Lyciæ, Cappadociæ & Aſiæ, atque etiam Alexandro Conſtantinopolitano. Quod ipſum fere teſtatur Alexander Epiſcopus Alexandrinus in Epiſtola ad alium Alexandrum, apud Theodoretum Lib. 1. Cap. 4. quæ integra extat Græce & Latine apud Labbè To. 11. col. 7. ac ſeqq. Ac Photius in *Excerptis*, in Actis Alexandri ait: *Conſtantinus mittit Alexandriam Oſium, nomine, & re Sanctum, quem Hiſpaniæ Civitas Cordubæ in Epiſcopatu habebat.*

XXXII. Hæc fere ſola ſunt, quæ in eo Concilio Alexandriæ celebrato facta novimus, licet dubitari nequeat, Oſium ibidem cum aliis Catholicis Epiſcopis, juxta monitum Sylveſtri, & Conſtantini, curaſſe, ut extingueretur ignis ille ab Ario excitatus, qui tribus pene ſæculis arſit, donec in Concilio ɪɪɪ. Toletano ſub Recaredo Hiſpaniæ Rege, & S. Leandro Archiepiſcopo Hiſpalenſi, omnino extinctus fuit, anno Eræ Chriſtianæ ᴅʟxxxɪx. Denique Oſium curaſſe Alexandriæ, ut res æquiſſime componerentur, nec tamen obtinuiſſe, conſtat ex Euſebio, Lib. 2. *De Vita Conſtantini*. Cap. 62. Socrate Lib. 1. Cap. 4. Theodoreto Lib. 1. Cap. 7. & aliis.

E X C U R S U S III.

Eundem Oſium interveniſſe cum magna nominis celebritate, ac præſediſſe, & ſubſcripſiſſe ante omnes alios Patres, Magnæ Synodo Nicenæ, veluti Legatum Sedis Apoſtolicæ, juſſu Sylveſtri Papæ, & aſſenſu Conſtantini Augusti. Plura circa id obſervatu digna. Porro ipſum quoque adfuiſſe Concilio Gangrenſi.

XXXIII Inter Concilia omnia a tempore Apoſtolorum celebrata uſque modo, celeberrimum ſemper habitum fuit, & habebitur Nicænum primum, tempore Sylveſtri Papæ, & Conſtantini Imperatoris, cui, præter alios minoris notæ, trecenti illi duodeviginti Patres interfuere, adverſus impiiſſimum Arium, qui ore putido, ac calamo virulento auſus fuit negare veram Divinitatem, & æternitatem Filio Dei. Unde S. Leo Magnus Epiſt. ʟɪɪɪ. alias ʟᴠɪ. quæ eſt ad

ad Anatolium Epiſcopum Conſtantinopolitanum, inquit: *Nulla ſibimet de multiplicatione Synodalis Congregationis Synodalia Concilia blandiantur, neque trecentis illis decem & octo Epiſcopis, quantumlibet copioſior numerus Sacerdotum, vel comparare ſe audeat, vel præferre: cum tanto Divinitas privilegio Nicæna ſit Synodus conſecrata, ut ſive per pauciores, ſive per plures Eccleſiaſtica judicia celebrentur, omni penitus auctoritate ſit vacuum, quicquid ab illorum fuerit conſtitutione diverſum*. Eant nunc recentes Ariomanitæ, Photiniani, Serveriani, & Sociniani, & inſanas, ac blaſphemas ſuas ſynaxes pluris habeant, quam illam Sacroſanctam Synodum, de cujus excellentia plura præmiſimus Tomo II. *Theologiæ S. Anſelmi*, in Prolegomenis, & deinde Diſp. 55. tota Sect. 2.

XXXIV. Huic tanto, ac tam venerando Concilio præfuit nomine Sedis Apoſtolicæ Oſius juſſu Sylveſtri Papæ, & Conſtantini Imperatoris (a cujus latere non diſcedebat eo tempore) ſimul cum Victore, & Vincentio Presbyteris, pariter a Sylveſtro miſſis. Unde ii primi tres Symbolo Fidei ibidem ſtabilito, & Canonibus, ſubſcribunt hoc ordine, ante reliquos omnes Patres:

Oſius Epiſcopus Civitatis Cordubenſis Provinciæ Hiſpaniæ. (alias *Spaniæ*) *Ita credo, ſicut ſuperius ſcriptum eſt*.
Victor, & Vincentius Presbyteri Urbis Romæ pro venerabili viro Papa, & Epiſcopo noſtro Sancto Sylveſtro ſubſcripſimus, ita credentes, ſicut ſupra ſcriptum eſt.

XXXV. Sequuntur continuata ſerie ſubſcriptiones aliorum Patrum, atque imprimis *Alexandri Alexandriæ magnæ*, qui Epiſtolis ſuis encyclicis reliquos excitaverat contra impiiſſimum Arium. Porro eas ſubſcriptiones Latine ſolum poſt alios exhibet Labbeus Tomo II. col. 50. & ſeqq. Poſtea vero ex papyro Ægyptiaca olim extante apud Joannem Sambucum profert col. 54. & ſeq. ſubſcriptiones alias Græcas triginta quatuor circiter Patrum, quaſi & ii pariter Concilio eidem Nicæno interfuerint. Sed enim falluntur omnino qui ita exiſtimant, ut palam oſtendit eruditiſſimus Noris Diſſertat. IV. *De epochis Syro-macedonum*, pag. 513. nam eædem prorſus ſubſcriptiones apparent in Synodo VI. Generali, trecentis quinquaginta quinque annis poſtea Conſtantinopoli celebrata, & ad illam ſpectant: cum inter alios ſubſcribat Theopemptus Epiſcopus Ἰουστινιανοπολιτῶν, ἤτοι Μωκισηνῶν μητροπόλεως δευτέρας Καππαδόκων ἐπαρχίας. *Juſtinianopolitarum, ſive Mokiſenorum metropoleos ſecundæ Cappadocum Provinciæ*. Qua ſubſcriptione corrigitur illa alia ejuſdem Theopempti Epiſcopi extans apud prædictam chartam Niliacam, ubi Noriſius palam nonnulla errata detexit. Conſtat vero, Juſtinianopolim ducentis triginta circiter annis poſt Concilium Nicænum ſub Juſtiniano Imperatore metropolitica jura impetraſſe, ut habetur in Synodo V. Generali celebrata ſub ipſo Juſtiniano Collatione V. Quare ſubſcriptio illa Theopempti, & aliæ adjunctæ, abs dubio ſpectant ad Synodum VI. Generalem multo poſtea celebratam anno DCLXXX. ſub Conſtantino Pogonato, ubi & apud eundem Labbeum Tomo VI. col. 1060. fine legitur illa ipſa Theopempti, niſi quod in Græca additur ἐλέῳ Θεοῦ, *miſericordia Dei*; & in Latina ſola, *Chriſto amabilis*. Sed hæc obiter indicaſſe licuerit.

XXXVI. Similiter in Hiſtoria ejuſdem Concilii Nicæni Græce ſcripta a Gelaſio Cyziceno, & Latine reddita, Lib. 2. Cap. 27. & iterum poſt Cap. 36. ſub finem ejuſdem Libri, apud Labbè Tomo II. col. 227. & col. 267. exhibetur *Catalogus Sanctorum Epiſcoporum, per quos ſancta magna, & univerſalis Synodus Nicææ coacta, miſit omnibus in toto Orbe terrarum Dei Eccleſiis ea, quæ ab ipſis per Spiritum Sanctum in ea conſtituta ſunt*. Deinde ſtatim primo loco ante nomina aliorum Patrum legitur inſcriptio, ſive ſubſcriptio Oſii hiſce verbis Latinis & Græcis: ὍΣΙΟΣ ἐπίσκοπος Κορδούβης ταῖς κατὰ Ῥώμην, καὶ Ἰταλίαν, καὶ Σπανίαν πᾶσαν, καὶ ταῖς ἐν τοῖς λοιποῖς ἔθνεσι τοῖς ἐπέκεινα κατ' ἐμὲ ὅχρι ὄντος τοῦ Ὠκεανοῦ, ἁγίαις τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίαις, διὰ τῶν σὺν αὐτῷ πρεσβυτέρων Ῥώμης Βίτωνος καὶ Βικεντίου. Ideſt, *Oſius Epiſcopus Cordubæ ſanctis Dei Eccleſiis, quæ Romæ ſunt, & in Italia, & Hiſpania tota, & in reliquis ulterius nationibus, uſque ad oceanum commorantibus, per eos, qui cum ipſo erant, Romanos Presbyteros, Victorem, & Vincentium*; nimirum, ſocios legationis ejuſdem, nomine Sylveſtri Papæ. Quod ipſum totidem verbis legitur apud Gelaſium.

XXXVII. Huc etiam ſpectat ejuſdem Nicæni Concilii Epiſtola ad ipſum Sylveſtrum Papam, extans in antiquis Codicibus manuſcriptis Collectionis Creſconianæ, quanquam multis nævis vitiata, prout illam edidit primo Surius, & poſtea Labbeus ubi ſupra col. 58. cum hac inſcriptione: *Beatiſſimo Papæ Urbis Romæ cum omni reverentia colendo Sylveſtro, Oſius Epiſcopus provinciæ Hiſpaniæ, Civitatis Cordubæ, Macarius Epiſcopus Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, Victor & Vincentius Presbyteri Urbis Romæ, ordinati ex directione tua, & trecenti decem & octo, in Domino ſalutem*.

XXXVIII. Deinde verba ejuſdem Epiſtolæ, licet deturpatæ injuria temporum, aut librariorum negligentia, hæc ſunt: *Quoniam omnia* (1) *corroborata de Divinis myſteriis Eccleſiaſticæ utilitatis*, (2) *quæ ad robur pertinent ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ & Apoſtolicæ ad Sedem tuam Romanam explanata, & de Græco redacta ſcribere confitemur: nunc itaque ad* (3) *veſtræ Sedis argumentum accurrimus roborari. Itaque cenſeat veſtra Apoſtolica doctrina, Epiſcopos totius veſtræ Apoſtolicæ Urbis in unum convenire, veſtrumque habere* (4) *Concilium, ſicut docet myſtica veritas*; (5) *ut firmetur noſtra ſanctimonia, graduſque fixos, vel textus ardinationis tuæ ſanctimoniæ noſtra poſſit habere regula: quoniam decet numerum dictorum tuorum Coepiſcoporum a te diſcere gradus*, (6) *vel ordines conſtituere Urbis. Quicquid autem conſtituimus in Concilio Nicæno, precamur veſtri oris conſortio confirmetur. Oret Beatitudo tua pro univerſo Concilio. Data 8. Kalendas Julias* (7), *accepta* IV. *Kalendas Novembris, Paullino & Juliano ſummis Conſulibus*

(1) *Corroborantur Divinis*. (2) *Cauſa*. (3) *Varia fidei argumentum*. (4) *Conſilium*. (5) *Confirmat hæc ſancita noſtra*. (6) *Conformes conſcendere verbi*. (7) *Septembris*.

Conſuleſis ad calcem paginæ præcedentis variantes Codicum lectiones, ſeu correctiones, quibus adjunctis Epiſtola adhuc mendoſa, barbara, & hiulca remanet.

Tantum ævi longinqua valet mutare vetuſtas.

XXXIX. Reſcriptum autem Sylveſtri Papæ ad ipſum Oſium, alioſque Patres Nicæni Concilii, apud Baronium, Binium, Labbeum, & alios, ejuſmodi eſt.

Sylveſter Epiſcopus Sedis Apoſtolicæ, & Sanctæ Eccleſiæ Catholicæ reverendæ Religionis Urbis Romæ, Fratribus, & Coepiſcopis, qui in Nicænum Concilium convenerunt, in Domino ſalutem.

Gaudeo promptam vos benignitatem ſervare. Nam & confirmo, ſigno que ad doctrinæ veſtræ reclamantes de myſterio, vel unitate Trinitatis, Chriſmatis vos ſecundum dicta, & doctrinum Evangelicam, ſanctam accepiſſe gratiam: de quo examinationis probo vera fuiſſe, & eſſe manſura, quæ in veſtram noſtramque manavere myſterium, meum chirographum, & diſcipulorum meorum offero in veſtro ſancto Concilio, quicquid conſtituiſtis, una parem dare conſenſum. Atque in gremio veſtræ Synodi parva propter diſciplinam Eccleſiæ alligabo præcepta: propter Victorinum, qui arbitrio ſuo, quicquid vellet, affirmabat, & cyclos Paſchæ pronunciabat fallaces; & cum Epiſcopis totius Urbis Italiæ examinatam univerſitas veſtri ſancti Concilii dignetur accipere veritatem. Et alia manu: *Oret pro nobis beatitudo veſtri ſancti Concilii trecentorum decem & octo, ut charitatis, quæ vobis data eſt, Domini noſtri Jeſu Chriſti ſervetur augumentum. Data quinto Kalendas Novembris, accepta quarto Idus Februarii, Conſtantino ſepties, & Conſtantio Cæſare quarto Conſulibus.*

XL. Hæc ibi. Ex quibus vox *quarto* auferenda eſt, cum Conſtantius Cæſar fuerit primo Conſul anno cccxxvi. celebrato jam Concilio Nicæno. Conſtantius, inquam, non Conſtantinus Cæſar, ut per incuriam legitur editum apud Schelſtrate ex Onuphrio, & aliis Diſſert. 2. pagina 281. Conſtantinus enim Cæſar filius Conſtantini Auguſti natu major, non videtur eo anno Conſulatum geſſiſſe, ſed in præcedentibus cccxx. cccxxi. & cccxxiv. ac poſtea cccxxix. cum Conſtantino Auguſto viii.

XLI. Præterea Photius in Bibliotheca Cod. 88 juxta editionem Rhotomagenſem Græco-Latinam anni mdclIII. qua utor, col. 206. inquit: *Legimus hiſtoriæ forma res in Synodo Nicæna geſtas tribus Libris. Refert Auctor Oſium Cordubæ Epiſcopum, & Bitonem, atque Vincentium, Romanos Sacerdotes, Sylveſtri Pontificis Legatos, adfuiſſe &c.* Porro Codex ille Photii, ut ipſe eo loco teſtatur, titulum præferebat: *Gelaſii Cæſareæ Palæſtinæ Epiſcopi Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Libri tres.* Eſt autem idipſum Opus, quod habemus, Græce, ac Latine editum ſæpe, Pariſiis anno mdc. typis Frederici Morelli, Romæ mdcviii. & tandem apud Labbeum Tomo II. col. 103. & ſequentibus, nomine Gelaſii Cyziceni, in cujus Libro 2. Cap. 5. referuntur ex teſtimonio Euſebii Cæſareenſis nationes Epiſcoporum, qui intervenere Synodo Nicænæ. Ubi autem devenitur ad illorum nomina, primo loco deſignatur Oſius, veluti præcipuus Legatus Sylveſtri Papæ, hiſce verbis: Αὐτός τε Σπάνων ὁ πάνυ βοώμενος ὁ Ὅσιος, ἐπέχων καὶ τὸν τόπον τοῦ τῆς μεγίστης Ῥώμης ἐπισκόπου ΣΥΛΒΕΣΤΡΟΥ, σὺν πρεσβυτέροις Ῥώμης Βίτωνι καὶ Βικεντίῳ, τοῖς πολλοῖς ἅμα συνεδρεύων. *Ipſe etiam Oſius ex Spaniis, nominis, & famæ celebritate inſignis, qui Sylveſtri Epiſcopi maximæ Romæ locum obtinebat, una cum Romanis Presbyteris Bitone & Vincentio, cum aliis multis in conventu illo adfuit.*

XLII. Nec adfuit modo, ſed quemadmodum in Concilio Alexandrino ſex retro annis Sabellii errorem rejecerat, ut ſupra num. 30. obſervavimus ex Socrate, & hæreſim Arii paullo antea excitatam extirpare ſtuduerat; ita & hanc primo, ac præcipue inter Patres Nicænos damnavit, qua voce, qua exhortatione, qua nominis proprii ſubſcriptione præ aliis, ut ſupra vidimus. Unde cum Divinum illud Fidei Symbolum a tota Synodo proferretur, creditur primus omnium, veluti præcipuus Apoſtolicæ Sedis Legatus, præiviſſe cæteris, & clara voce protuliſſe verba illa: ΠΙΣΤΕΥΟΜΕΝ ΕΙΣ ΕΝΑ ΘΕΟΝ &c. *CREDIMUS IN UNUM DEUM &c.* ac præſertim verbum illud de Filio Dei, ΟΜΟΟΥΣΙΟΝ ΤΩ ΠΑΤΡΙ, ideſt, *CONSUBSTANTIALEM PATRI*; quæ vox fuit veluti teſſera Religionis Catholicæ adverſus Arianos. Unde S. Athanaſius in Epiſtola ad Solitarios ait de Oſio: *Qui formulam Fidei in Nicæna Synodo concepit.* Integram illam videre potes optime expreſſam apud Labbeum To. II. col. 27. 28. Græce, ac Latine ex Athanaſio in Epiſtola ad Jovianum, Socrate Lib. 1. Cap. 5. Theodoreto Lib. 1. Cap. 12. unde & eandem eruerat Auctor Hiſtoriæ Tripartitæ Lib. 1. Cap. 17. Præterea qualiter Oſius in ea Synodo Magna inſtiterit, ut Sacerdotes Matrimonio ligati continentiam ex debito profiterentur, ac perpetuo ab uxoribus abſtinerent, ſatis dictum fuit in Commentariis ad Concilium Eliberitanum Lib. 2. Cap. 66.

XLIII. Mirum autem non eſt, tantam apud omnes auctoritatem, & venerationem habuiſſe Oſium in eo Concilio, cum longe antea illam ſibi conciliaſſet apud omnes, poſtquam celebrato in Hiſpania celeberrimo illo Concilio Eliberitano, paſſus fuerat crudelem perſecutionem an. ccciv. immediato, & tormenta pro Fide Chriſti ſub Daciano Præſide, ut ſuo loco vidimus. Unde ab eo tempore ſtigmatibus impreſſis fronti, ſpectabilis ubique moribus, doctrina, ac notis tormentorum ex confeſſione illa relictis, ab omnibus habebatur ſanctus juxta nomen ſuum, & computabatur inter Martyres, ſive Confeſſores Chriſti, inſtar aliorum quorundam Patrum, qui Nicæam convenere decorati ſtigmatibus, & ſplendidiſſimis aliis ſignis martyrii antea tolerati: in quæ mira pietate figebat oſcula Conſtantinus Imperator. Propterea & ipſi Oſius multo antea chariſſimus Romæ fuerat a tempore converſionis ſuæ, & aſſiduus fere comes, ut ſuperius oſtenſum eſt. Ipſius nutu, & Sylveſtri Papæ juſſu, miſſus fuit primo Alexandriam, poſtea Nicæam, ut nomine Sedis Apoſtolicæ præſideret Concilio omnium ſæculorum celeberrimo; & tanquam divinus quidam Vir, aut e Cælo delapſus, declararet, ac confirmaret Catholicam Fidem adverſus Ariomanitas, peſtilentiſſimos illius hoſtes. Lege Nicephorum Lib. 8. Cap. 14. ubi texit Catalogum plurimorum Epiſcoporum, qui no-

notis martyrii præfulgentes, Nicæno Concilio adfuere, inter quos *Oſium Cordubenſem* recenſet.

XLIV. Anno proxime præcedenti, aut ſequenti Concilium Nicænum, ideſt, Eræ Chr. cccxxiv. vel cccxxvi. creditur coacta Synodus Gangrenſis, ſic appellata a Gangris Civitate in Paphlagonia apud Aſiam minorem. Huic vero pariter interveniſſe Oſium, communiter traditur, & conſtat ex Epiſtola Synodali Patrum ibidem congregatorum, in cujus titulo Latino legitur nomen *Oſii Cordubenſis*, non primo loco, uti in Concilio Nicæno, ſed decimo quarto; fortaſſis, quia ibidem non erat Legatus Sedis Apoſtolicæ, uti fuerat in Alexandrina Excurſu ſecundo memorata, & poſtea fuit in aliis ſequentibus.

XLV. Similiter in fine ejuſdem Epiſtolæ Synodalis legitur nomen Oſii inter alios Epiſcopos, juxta mſs. Codices Juſtelli, & Hardyi, aliorumque, licet in nonnullis aliis deſit, ſicut & in exemplari Græco apud Labbeum To. II. col.413. Id autem certum eſt, in alio exemplari juxta Latinam interpretationem Dionyſii Exigui, ibidem edito col. 423. hæc verba haberi: *Et ſubſcripſerunt ſupra nominati ſexdecim Epiſcopi*. Sunt autem totidem qui habentur in Latina editione Epiſtolæ Synodicæ, & inter eos Oſius, nam ſi hic auferatur, ſolum reſtant quindecim, juxta nonnulla exemplaria Latina, & tredecim juxta Græcum ibidem editum pag. 413. Quare ad implendum numerum ſexdecim Epiſcoporum, oportet inter eos numerare Oſium, prout habetur in aliis mſs. Cumque in eo Concilio plura habeantur in laudem Virginitatis, accedit non levis conjectura præſentiæ Oſii, utpote, qui, teſte S. Iſidoro, ſcripſit ad ſororem ſuam Librum, ſeu Epiſtolam *De laudibus virginitatis*. Idem quoque, ſicut in Concilio Nicæno laboravit pro continentia perpetua Sacerdotum conjugatorum ſancienda; ita & in Gangrenſi cum aliis Patribus videtur egiſſe cotra errorem extreme oppoſitum Euſtachii Epiſcopi Sebaſteni, exſecrantis omnino functiones quaslibet Sacerdotum eorum, qui in ſtatu laicali nuptias contraxiſſent. Quamobrem in eadem Synodo Gangrenſi depoſitus fuit, ut patet ex ipſius Præfatione, ſive Epiſtola *ad Epiſcopos Armenia*. Lege præterea Socratem Lib. 2. Cap. 33.

LXVI. Quamvis vero Synodus eadem Gangrenſis communiter referatur ad an. Chr. cccxxiv. aut cccxxvi. ut ſupra dixi; exiſtimo, incertam omnino eſſe illius epocham, cum nemo veterum illam deſignet. Credibile autem eſt, potius coactam fuiſſe aliquot annis ante Concilium Nicænum, quam poſtea. Si enim poſt illud celebrata fuiſset, cum jam Oſius nomine Sedis Apoſtolicæ præfuiſset tantæ illi, & tam venerandæ Synodo totius Eccleſiæ; incredibile apparet non habiturum primum locum, & præcipuum inter Patres Gangrenſes: nec decens videbatur, ut ii aliter ſe gererent cum tanto Præſule, ac tam magnæ exiſtimationis apud Sylveſtrum Papam, & Conſtantinum Imperatorem.

EXCURSUS IV.

Oſium pariter interfuiſſe, ac præſediſſe Concilio Sardicenſi, & pleroſque illius Canones ſuggeſſiſſe, ac dictaſſe. Quanta eorum auctoritas ſit, & nominatim ſecundi, conformis pluribus aliis Eliberitani Concilii antea ab eodem Oſio celebrati, quorum auctoritas confirmatur contra Auxilium Scriptorem ſeculi X. & prorſus immunis a labe Novatianiſmi oſtenditur. Ubi plura ad Hiſtoriam, & Chronologiam ſpectantia.

XLVII. Ultra ea, quæ ſupra Excurſu 1. præſertim a num. 7. diximus de Concilio Sardicenſi occaſione Cordubenſis ab Oſio poſtea celebrati, addendum eſt, Oſium toto illo tempore interjecto Synodis Nicænæ, & Sardicenſi, id eſt, ab anno cccxxv. ad cccxlvii. verſatum fuiſſe partim in Oriente apud Conſtantinum, aut Conſtantium, partim apud Pontifices, Silveſtrum, & Julium (Marcus enim exiguo tempore rexit Eccleſiam) partim denique, uti credere par eſt de tanto Viro, in Diœceſi ſua Cordubenſi, ut invigilaret ſaluti ovium ſibi a Deo commiſſarum. Neque enim ovile proprium deſeruiſſe putandus eſt, niſi cogente cauſſa communi, ac neceſſitate totius Eccleſiæ, quæ tantopere eo tempore affiiciebatur ab Arianis, tum reliquo tempore Conſtantini, tum præcipue ſub Conſtantio. In tot autem Catholicorum perſecutionibus, præſertim contra Magnum Athanaſium excitatis, Oſius firmiſſima Fidei columna fuit, & invictus ejuſdem S. Doctoris defenſor, uti omnia ejus temporis Concilia ſcripta tradunt, quorum nonnulla indicabimus poſtea.

XLVIII. Tumultuantibus autem Arianis, & conciliabula multa cogentibus adverſus Catholicam Fidem in Concilio Nicæno ſtabilitam, & contra Athanaſium acerrimum ipſius defenſorem anno undecimo poſt obitum Conſtantini Magni, Chriſti trecenteſimo quadrageſimo ſeptimo, Conſulibus Ruffino & Euſebio, Conſtantii & Conſtantis Imperatorum decimo & undecimo, Julii Papæ undecimo, indicta fuit Synodus Sardicenſis, quam S. Auguſtinus *magnam, & plenarium totius Eccleſiæ Concilium* appellat, convenientibus illuc ducentis octoginta circiter Epiſcopis ex Occidente, ex Oriente autem ſeptuaginta ſex. Hæc fere ad verbum ſcribit, ut alios miſſos faciam, Sozomenus Lib. 3. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, Cap. 11. ubi & de Oſio nominatim ſermonem habet. Itaque facta computatione, numeroſior Synodus fuit Sardicenſis, quam Nicæna, trecentis decem & octo ſolum Patribus conſtans, cum illa conſtiterit trecentis quinquaginta ſex.

XLIX. Præfuit eidem Concilio Sardicenſi ex delegatione Julii Papæ, & conſenſu utriuſque Imperatoris, Magnus ille Oſius, & primo loco ſubſcripſit. Nimirum, tanta erat illius auctoritas in tota Eccleſia, tam celebris pietas, & doctrina, tam veneranda canities, quinquageſimo anno Epiſcopatus ſui fluente, tam longa experientia Conciliorum, ut quemadmodum Magnæ illi Synodo Nicænæ præfuerat viginti duobus retro annis, jubente Sylveſtro Papa, & annuente Conſtantino Auguſto; ita

etiam

etiam Sardicenſi Præſes deputatus fuerit a Julio Papa, conniventibus Conſtantio, & Conſtante Imperatoribus. Detulit vero ſecum ex Hiſpania Oſius quinque alios Epiſcopos, qui pariter cum ipſo ſubſcribunt, & fortaſſe plures alios ex Gallia, Italia, aliiſque regionibus; cum eſſet ubique terrarum notus, & haberetur veluti uraculum illius ævi.

L. Multum ponderis habuit Sardicæ Oſius in protegendo, & ad Synodum illam admittendo S. Athanaſio, ac ſociis, quos jam Julius Papa, acceptis graviſſimorum Epiſcoporum teſtimoniis de ipſorum innocentia, & coacto præterea Romæ allorum quinquaginta Epiſcoporum Concilio, declaraverat innoxios unanimi ipſorum conſenſu. Cum' vero aliqui Orientales nollent adhuc illos intra Synodum Sardicæ admittere, nec eam celebrari, niſi adeſſent Muſonianus, Heſychius, & Caſtritius, cum ſatellitiis ſuis, a quibus ſe protegendos ſperabant; Oſius, & reliqui PP. noluerunt conſentire impiu eorum conatui; indixere autem, ut in ipſo Concilio pruponerent, ſi quæ capita accuſationis habebant contra Athanaſium, & illa probarent; alioqui ſubituri pœnam talionis. Ipſi autem diffidentes cauſæ ſuæ, clam receſſere Sardica, & Philippopoli convenere: ubi in Conciliabulo ediderunt novam Fidei formulam, veluti ad ſupplendum quod Nicænæ deſuerat, & Homouſion abrogarunt. Quin & in Julium Papam, Oſium, ac reliquos juſtitiam Athanaſii tuentes, anathema dicere auſi ſunt.

LI. Sed Oſius, & alii Patres Sardicenſes, nihil morati frivolas, & calumnioſas exceptiones, auſuſque neſarios, iis anathema conclamarunt, præſertim Stephano Antiocheno, Menophanti Epheſino, Narciſo Neroniadis, Theodoro Heracleenſi, Acacio Cæſareenſi, Urſacio a Singidono, Valenti a Murſis, & Gregorio, qui in Alexandrinam Sedem multo milite armatus irruperat. Eos omnes itaque Epiſcopali dignitate privarunt. Athanaſium vero, ac ſocios, tam Romæ, quam Sardicæ, ſuo honori reſtitutos Synodali ſententia confirmarunt in regimine ſuarum Eccleſiarum. Præterea Homouſion, & totam formulam Nicænæ Fidei confirmarunt, ac probarunt, veluti integram, perſectam, & nullis aſſumentis egentem; aliam vero novam ab iiſdem refractariis adinventam, & evulgatam ſub ejuſdem Synodi Sardicenſis nomine, damnarunt veluti adulterinam, & ſubdititiam.

LII. Hæc omnia teſtantur Scriptores ejuſdem quarti ſæculi, ac quinti ſequentis; præſertim Athanaſius ipſe Apologia II. & Libro *De Synodis*, & in Epiſtola *Ad ſolitariam vitam agentes*, Theodoretus Lib. 2. Cap. 4. 5. 6. & 7. Socrates Lib. 2. Cap. 5. 9. 16. & Sozomenus Lib. 3. Cap. 2. 5. 7. 9. 10. & 11. ut alios recentiores omittam: niſi quod Sozomenus ait, Catholicos Patres Sardicæ edidiſſe Fidei formulam, ſenſu eandem cum Nicæna, pluribus autem verbis conceptam, cujus nomine Oſius, & Protogenes apud Julium Papam ſe excuſaverint. Fallitur enim in hoc Sozomenus; cum S. Athanaſius, qui præſens erat eidem Concilio, oppoſitum teſtetur. Etenim ait, aliquos in ea Synodo voluiſſe, ut verba quædam ibi adjungerentur formulæ Nicænæ, quaſi ſupplementa quædam: reliquos autem PP. Sardicenſes reſtitiſſe, quod ſe dicerent illa contentos; ac Decreto ſanxiſſe, ut nihil adderetur: *ne illis, quibus libido erat ſemper nova ſtatuere, occaſio ejuſmodi ſuppeteret, ut iterum, atque iterum nova de Fide definirent*. Ita Athanaſius in Literis Synod. ad Eccl. Antiochenam.

LIII. Nec tantum curæ fuit Oſio in ea Synodo cum aliis Patribus Nicænam Fidei formulam confirmare, & Athanaſii reſtitutionem a Julio Papa publicatam ſtabilire. Ulterius enim veluti ingenium, & lingua fuit ejus Concilii in ſuggerendis, & dictandis pleriſque Canonibus ibidem editis. Ex viginti enim ſtatutis, quindecim ab ipſo propoſiti fuerunt toti Synodo verbis illis: ὍΣΙΟΣ Ἐπίσκοπος πόλεως Κορδούβης εἶπεν, *OSIUS Epiſcopus Urbis Cordubæ dixit*, Deinde in fine cujuſque fere Canonis ſubditur: πάντες οἱ ἐπίσκοποι εἶπον ἀρέσκει πᾶσιν *Omnes Epiſcopi dixerunt: Placet omnibus*. Tanta erat auctoritas Oſii in ea ſacratiſſima Synodo, ut ipſius ſuggeſtiunibus, ſive ſententiis, veluti cuidam Cœleſti oraculo, ab omnibus, & ab ipſo Magno Athanaſio, qui aderat, unanimiter ſubſcriberetur.

LIV. Notandum vero eſt, quicquid in tribus primis Canonibus ſtatutum fuit contra ambitioſas tranſitiones Epiſcopotum de una Eccleſia in aliam, præſertim ampliorem, aut opulentiorem, ſub graviſſimis pœnis, ſervatum reipſa fuiſſe imprimis ab ipſo Oſio, qui ea Decreta ſuggeſſit, ac dictavit. Cum enim a prima ſui inſtitutione in Epiſcopum Cordubenſem fluxiſſent jam tum quinquaginta, aut plures anni, & plerique eorum ſub Pontificatu Sylveſtri, ac Julii, & ſub Imperatoribus Conſtantino, ac Conſtantio, apud quos ſummam auctoritatem, & gratiam habuit; nunquam, nuſquam invenitur aliam, vel majorem, aut ampliorem Eccleſiam ambiiſſe, vel indicaſſe deſiderium aliquod tranſitionis. Quid ad hæc ii, qui quovis colore, aut alio prætextu quæſito, ab una in aliam Eccleſiam tranſire ſtudent? Sane ambitionem, aut avaritiam eſſe veram ejus inſtabilitatis cauſſam, declarat Oſius verbis ipſis Canonis primi, dum ait: *Ne cui Epiſcopo liceat a parva Civitate in aliam migrare. Ejus enim cauſſa prætextus eſt manifeſtus, propter quem talia tentantur. Nullus enim Epiſcopus adhuc inveniri potuit, qui a majori Civitate in minorem tranſire ſtuduerit. Unde conſtat, eos ardenti plura habendi cupiditate ſuccendi, & magis arrogantiæ ſervire, ut videantur majorem habere poteſtatem. Placetne hoc omnibus, ut ejuſmodi improbitas acerbius vindicetur? Exiſtimo enim, eos ne laicorum quidem debere haberè communionem. Omnes Epiſcopi dixerunt: Placet omnibus*. Sed jam ſupra in Diſſertatione XII. plura de hoc præmiſimus obſervatu digna, quæ non vacat repetere.

LV. Porro in Canone ſecundo notandum eſt, Epiſcopis per ambitum & fraudem ibidem deſcriptam tranſeuntibus ud ampliorem Eccleſiam, indici privationem perpetuam communionis, etiam laicæ, in fine vitæ: ὥστε (inquit Oſius) μηδένα τοιοῦτον, μηδὲ ἐν τῷ τέλει, λαϊκῆς γοῦν ἀξιοῦσθαι κοινωνίας. *Ut nemo poſſit, qui eſt ejuſmodi, ne in fine quidem, laica communione dignus haberi*. Cumque interrogaſſet Oſius alios Patres, an hæc ſententia pla-

placeret ? ἀπεκρίναντο· τὰ λεχθέντα ἀρέσει. *Reſponderunt,: Placent quæ dicta ſunt.*

LVI. Hæc tam gravis, & dura pœna, qua quibuſdam negetur communio, etiam leica, in fine vitæ, eit illa ipſa, quæ longa antea ab Ipſo Oſio, & aliis Hiſpaniæ Epiſcopis in Concilio Eliberiteno ſtatuta fuerat ob quædam graviora peccata, ut patet ee Canonibus, ſive Capitibus ipſius I. II. III VI. VII. VIII. XVIII. LXIII. LXVI. LXXI. & LXXV. Quam ob cauſſam nonnulli Scriptores, etiam Catholici, ad Concilium rejecerunt veluti de Novatianiſmo ſuſpectum, tamquam ſi in iis Capitibus Epiſcopi Hiſpani cum Novatiano nagaſſent Eccleſiæ poteſtetem reconciliandi, vel communionem præſtandi lepſis poſt Beptiſmum in gravia illa ſcelera. Verum immunes prorſes fuiſſe ab eo errore Patres Eliberitanos, nec eripuiſſe Eccleſiæ poteſtetem prædictem, ſed ſolum jueta neceſſitatem, & opportunitatem temporis, illius ſeveriorem diſcipiinam curaſſe, ac ſtatuiſſe, tam aperte, & erudite demonſtrevit Vir CL. D. Ferdinandus de Mendoza in ejuſdem Concilii Commenteriis Lib. I. Cap. 4. ut jam de cætero nullus, quem ſciam, illis eam adeo tetram labem adſcripſerit. Alioqui adſcribenda eſset graviſſimis aliis Petribus longe antiquioribus Concilio Eliberitano, quos tamen S. Cyprianus Catholicos cenſet, dum inquit Epiſt. ed Anton. *Et quidem apud anteceſſores noſtros quidam de Epiſcopis iſthic in Provincia noſtra dandam pacem mœchis non putaverunt; & in totum pœnitentiæ locum contra adulteria clauſerunt; non tamen a Coepiſcoporum Collegio receſſerunt.* Id eſt ma nſere intre pacem, & communionem Eccleſiæ Catholicæ. Vide Petavium in Epiphenium Tomo II. Hæreſi LIX. pag. 233. ubi Eliberitanos Patres vindicat eb ea Novatianiſmi labe. Nec mirum, tam enim Epiſcopi illi a Cypriano indicati, quem Eliberitani Patres, itemque poſteà Serdicenſes, iis lapſis communionem in fine detrectantes, non negaront Eccleſiæ poteſtatem ad remittendum ipſorum peccatum, ſed tentum cenſuerunt, illam aliquanto ſavarius moderandam ad terrorem aliorum; neque id decreverunt *deſperatione indulgentiæ, ſed rigore diſciplinæ,* ut loquitur S. Auguſtinus Epiſtola L. Et fortaſſe ex illa priſcorum Canonum ſeveritate orta fuit conſuetudo in quibuſdam nationibus negandi reconciliationis gratiam reis ultimo ſupplicio mactandis; quæ in Gallia ſervata fuit uſque ad annum Chriſti MCCCXCVI. quo tampore Carolus VI. Rex eam Edicto ſuo abrogandam curavit, uti legere eſt apud Fontanonem Tomo I. Edictorum Tit. 68. num. I. Hodieque, & olim multis in locis, eſt, & fuit conſuetudo iiſdam negandi ſacram communionem, ſola reconciliatione, ſive abſolutione a peccatis conceſſa antequam occidantur. Quod tamen procul ab omni Novatianiſmi umbra patet eſſe.

LVII. Verum quemvis nulla alia argumenta eſſent ad idem demonſtrandum, ſufficerat Canon ſecundus modo exſcriptus, in quo trecenti illi quinquaginta ſex graviſſimi Patras Concilii Sardicenſis, præeunte, & ſuggerente ipſo Sedis Apoſtolicæ Legato Oſio, qui olim intervenerat eidem Synodo Eliberitanæ, privant Communione etiam laica in ipſo fine vitæ Epiſcopos per fraodam ambientes tranſitum ab una Eccleſie in aliam ampliorem. Quia autem Novatianiſmi arguet Concilium Sardicenſe, dum ſtatuit eam acerbiſſimam pœnam? Nemo certe, cum illud ſamper fuerit ſummæ auctoritetis in Eccleſia Cetholica. Quapropter audiendus non eſt Aueilius, Scriptor ſæculi decimi, in Libro, *De Ordinationibus Formoſi Papæ*, edito primum a doctiſſimo Joanne Morino, & poſtea recuſo in Biblioth. Maeima Aniſſoniana Tomo XVII. ubi inquit, Oſium ſecutum fuiſſa errorem Novatiani in eo ſecundo Serdicenſi Canone ſuggerendo. Deſipit enim Aueillus in ea perte, ut jam monui cum ipſo Morino ſupra in Diſſertetione CI. numero 23. Alioqui erraſſet pariter totum Sardicenſe Concilium probans ſententiam Oſii. Abſit vero ita ioqui, aut ſantire de Concilio illo, quod ſummæ ſemper auctoritatis fuit, & eſt, habetque omnes notas Concilii legitimi, immo & Oecumenici.

LVIII. Imprimis enim coactum fuit auctoritate legitima Julii Pepæ (quæ ſola ſufficeret) conſentientibus Imperatoribus Conſtantino, & Conſtante, ut ſupra vidimus. Deinde illud fuiſſe Generale, patet, tum ex convocatione ampliſſima, & ingenti Epiſcoporum multitudine ex omni natione, majori certe numero, quam in Concilio Nicæno. Ulterius finito ilio, Oſius, & reliqui Epiſcopi literas dederunt ad Julium Papam, & rogarunt, ut ipſorum ſententiam ſue auctoritate confirmaret, reſte Sozomeno Lib. 3. Cap. II. & Nicephoro Libro 9. Cap. 12. Jolium vero probaſſe ipſorum ſententiem, petet; cum in ea exſequuti fuerint judicium ipſius Pontificis de reſtituendo Athanaſio, gratulantis eam ob cauſſam in Epiſtola ad Alexendrinos, quam idem Athenaſius profert Apologia ſecunda. Quin & Juſtinianus Imperetor ducentis circiter annis poſtaa, in Edicto de tribus Capitulis, *Univerſalem Synodum Sardicenſem* allegat. Itaque nihil illi deeſt, ut cenſeatur Univerſalis; ac proinde omnino libera ab hæreſi Novatiana, dum præeunta Synodo Eliberitana, etque Oſio Præſide ſuggerente, privar communione in fina vitæ Epiſcopos per fraudem ambientes tranſitum ed aliam Eccleſiam.

LIX. Urgetur idipſum; quoniam Apoſtolica Sedes ſummum ſemper honorem hebuit Synodo Sardicenſi, tanquam Cethoticæ, & legitime celebratæ per Oſium Legatum Julii Papæ, ac reliquos CCCLV. Epiſcopos. Imprimis enim totem illem cum Actis ſuis, ſive Capituils viginti, prout ab eo tempore uſque modo circumferuntur, manuſcripte, & edite, Græce ac Latine, collocavit in Codice Canonum, quo Eccleſia ſemper uſe fuit, & utitur hodie. Exſtant integre in Codicibus antiquiſſimis Bibliothecæ Vaticanæ, tum in aliis Chriſtiani Orbis, ac demum in vetuſtiſſimis lis, quos edidere hoc ipſo ſæculo Juſtellus, Queſnellius, & alii; ſicuti & in Codice Canonum, quo Eccleſia Hiſpanica a principio uſa fuit, & cujus Indicem nunquam hactenus aditum exhibemus in hoc ipſo Opere. Quis autem effutire audaat, in Actis tam aperte, & ſolenniter probetis ab Eccleſia Catholica, tot ſæculorum curſu uſque modo, exſtere doctrinam hæreticam a Novatiano inductam?

LX. In-

Digitized by Google

LX. Inſuper, Romani Pontifices, Innocentius I. in Epiſt. ad Victricium Rhotomagenſem, & Zoſimus apud Concilium VI. Carthaginenſe Can. III. cenſentur citare Canones Nicænos, dum allegant Sardicenſes, quaſi Sardicenſis Synodus ſit æque authentica, & univerſalis, ac Nicæna, ſive hujus Appendix. Similiter Sanctus Gregorius Magnus Lib. 2. Epiſt. 10. S. Iſidorus Hiſpalenſis Lib. 6. Etymologiarum, Cap. 16. & in Præfatione ad ſuam Collectionem a nobis late explanatam initio hujus Tomi, Venerabilis Beda Lib. *De temp.* Cap. 65. aliique multi ex Patribus, dum numerant quatuor prima Concilia Generalia, ſub Nicæni nomine intelliguntur comprehendere Sardicenſe, veluti ipſius Appendicem. Quamvis enim in eo multi Canones editi fuerint circa Eccleſiaſticam diſciplinam, nihil tamen ad Fidem ſpectans additum, aut detractum fuit Symbolo Nicæno, cui ſolum integre, ac plene ſubſcriptum fuit. Quandoque autem Romani Pontifices nominatim allegant Canones Sardicenſes, & per eos diſſolvendas monent Eccleſiaſticas controverſias, ſive diſceptationes, ut patet ex Leone IV. in Epiſtola ad Epiſcopos Britanniæ. Deinde Nicolaus I. Epiſtola quarta cauſam illam adeo famoſam Rhotadi Epiſcopi juxta eoſdem Canones Sardicenſes dirimit; atque in alia Epiſtola ad Clerum Conſtantinopolitanum teſtatur Concilium Sardicenſe ab omni Eccleſia receptum fuiſſe.

LXI. Quæ omnia profecto inſigne decus afferunt Oſio ejuſdem Concilii Præſidi, & auctori, ac ſuggeſtori partis longe majoris Canonum Sardicenſium, ac nominatim illius fecundi, quo Epiſcopis clam ambientibus regimen aliarum Eccleſiarum indicitur privatio omnimodæ communionis etiam in fine vitæ. Non enim in univerſali Synodo tam ſancta, & adeo probata ab Eccleſia, ac fuit Sardicenſis, ſtatutum aliquid fuiſſe putandum eſt, quod faveat hæreſi Novatianæ. Unde & conſequenter Concilium Eliberitanum, cui quadraginta quatuor plus minus annis retro idem Oſius intervenerat, liberum prorſus manet ab ea labe, dum in variis Capitibus lapſos in graviſſima ſcelera multat privatione communionis etiam in fine vitæ. Quod tamen qualiter intelligendum ſit, ſatis in illius Commentariis dictum eſt, tum Lib. 1. Cap. 4. tum Lib. 2. Cap. 6. Quæ omnia, poſt hæc a me ſcripta, confirmata invenio ab eruditiſſimo Petavio in Animadverſionibus ad Epiphanium Hæreſi LIX. ubi poſt tractatam hanc ipſam fere quæſtionem concludit, *procul a Novatianorum errore, aut perfidia Eliberitanos Patres abfuiſſe, nec aliud omnino, niſi aut priſcam Eccleſiæ diſciplinam, ſed uſu jam ob iteratam, denuo revocaſſe; aut hærentem adhuc in Hiſpaniis, novis legibus adſtrinxiſſe: cum capitalium ſcelerum, idololatriæ, homicidii, & adulterii, olim, ut Innocentius Papa docet, communi conſuetudine veniam nullam, & abſolutionem obtinerent: non quod ab Eccleſia abſolvi non poſſent, ut Tertullianus aſſerebat, ſed quod ejus, quam a Chriſto ampliſſimam cœperat, poteſtatis uſum certis terminis circumſcripſiſſet.*

EXCURSUS V.

Oſium feliciſſimum futurum fuiſſe, ni jam centenarius circiter Corduba Sirmium profectus eſſet, ſive potius abductus vi illata ab Imperatore Conſtantio, ibidem Concilium indicente anno CCCLVI. poſterius alio Sirmienſi celebrato anno CCCLI. impulſu Photini Epiſcopi hæretici. Utri eorum adfuerit Oſius. Porro illum diu, ac fortiter reſtitiſſe novæ Fidei formulæ ibidem editæ, donec tandem flagellis, & tormentorum machinis excruciatus ſubſcripſit per vim, & in ſpeciem ſolum.

LXII. Finito Concilio Sardicenſi anno Chriſti CCCXLVII. videtur paullo poſt Oſius Cordubam rediiſſe ibidemque Concilium celebraſſe ſupra Excurſu I. memoratum, & in eo abſolviſſe, ſive innoxios declaraſſe, Athanaſium, ac ſocios, qui Sardicæ reſtituti Sedibus ſuis fuerant; damnaſſe autem quos eadem Synodus abdicarat, veluti calumniatores ipſorum, & nullam accuſationem probare valentes, ac propterea Philippopolim clam dilapſos ad ſuam perfidiam proſequendam. Sane Sozomenus Lib. *Hiſtoriæ* tertio, Cap. 11. narrans, quæ geſta ſunt Sardicæ ab Oſio in eo Concilio, ſatis denotat illum Cordubam reverſum, dum concludit: *His rebus ex utraque parte confectis, Concilium dimiſſum eſt, & quiſque ad ſuam Sedem revertit.*

LXIII. Atque utinam Oſius Cordubæ permanſiſſet de cætero, poſt ſexaginta annos Epiſcopatus ejus Urbis, nec Sirmium profectus fuiſſet. Sic certe in beata canitie, & feliciſſima ſenectute, curſum diuturnæ vitæ cum ingenti gloria apud Deum, & homines abſolviſſet, proculdubio adſcribendus Sanctorum Faſtis, & ab Eccleſia Catholica numerandus inter Divos, nulla, vel levi, conſtantiæ, ac pietatis ſuæ uſque ad finem dubitatione relicta. Impleſſet quoque officium boni Paſtoris erga gregem ſuum, & reſidentiam jure divino exactam, ubi jam videbatur nulla eſse urgens ratio boni communis Eccleſiæ Univerſalis in ea decrepita ætate, quæ conſtringeret ad deſerendum oves ſuas, a quibus tamdiu antea in eum finem abfuerat: præſertim cum jam in Conciliis Nicæno & Sardicenſi, Catholicam Homouſii doctrinam adverſus Ariomanitas tam ſplendide, ac feliciter confirmaſset. At videtur in eo itinere, ſive longa peregrinatione excuſandus a qualibet ſuſpicione ſiniſtra, quod non ſponte, ſed invitus omnino Sirmium adierit juſſu Conſtantii Imperatoris, ut teſtatur Socrates, Lib. 2. Cap. 24. verbis paullo poſt exſcribendis.

LXIV. Id certum eſt, Oſium in extrema ætate Corduba Sirmium adiiſſe, Urbem Pannoniæ, ſive Hungariæ, inde diſtantem ſeptingentis, ut minimum, Hiſpaniæ leucis, viginti duabus a Buda, ad radices Arpatari montis, non procul a Danubio flumine, prope amnem Boſvvetham, qui 5. millibus paſſuum infra fluit in Savam longe ampliorem. Eo igitur loco celebratum fuit Concilium, ab ipſa Urbe *Sirmienſe* nominatum, ubi ad tempus morabatur Gallus, conſtitutus Cæſar a Conſtantio Imperatore Arianorum partibus favente.

LXV. Audiamus Socratem id narrantem, Lib. 2.

Lib. 2. Cap. 24. *Interea temporis* (inquit) *Photinus illius Eccleſiæ Antiſtes, dogma quoddam , quod ille ipſe ſeparatim excogitaverat , palam divulgare conatur ; & quoniam tumultus ex hoc oriebatur , Imperator* (nimirum Conſtantius) *Concilium Epiſcoporum convocari jubet . Eo igitur convenere ex Epiſcopis Orientis Marcus Arethuſius: Georgius Epiſcopus Alexandriæ , quem Ariani , Gregorio Sede illa Epiſcopali deturbato (ut ante dixi) illuc miſerant : Baſilius , qui Eccleſiæ Ancyræ , Marcello expulſo , præfuit : Pancratius Peluſii : Hypatianus Heracleæ . Ex Epiſcopis autem Occidentis , Valens Murſorum : & Oſius Epiſcopus Cordubæ , quæ eſt Urbs Hiſpaniæ , qui id temporis permagna famæ celebritate fuit , invitus acceſſit .*

LXVI. Verum ſalivam movet, quod ſtatim ſubjungit Socratex : *Iſti* (Epiſcopi) *poſt Conſulatum Sergii & Nigriani , quo anno propter belli tumultus , & ſeditiones nullus Conſul conſueta Conſulatus munera obire poterat, Sirmii congregantur .* Porro is annus fuit Eræ communis CCCLI. nam qui ἐμίσευ præceſſerat utroque eo Conſule, fuit CCCL. juxta Faſtos Onuphrii ab aliis correctos ; Conſtantii vero Imperatoris XIV. & XV. Oſius autem paullo ante Sardica regreſſus Cordubam, & celebrato ibi Concilio ſupra memorato , ubi Acta Sardicenſia confirmavit , non potuit tam cito in decrepita ætate , & tam magna locorum diſtantia , ex ultimis Hiſpaniæ partibus Sirmium accedere , ne invitus quidem , anno ipſo CCCL.

LXVII. Hic nodus dupliciter fortaſſe extricari poteſt . Primo ſi dicatur cum eodem Socrate , Oſium quidem interveniſſe huic Synodo Sirmienſi anno CCCLI. & in ea jacturam ſuæ opinionis feciſse ſubſcripta Formula Epiſcoporum Conſtantio Imperatori adhærentium ; poſtea vero pœnitentem facti rediiſse in Hiſpaniam, & in Cordubenſi Concilio ſupra memorato eluiſse maculam illam , præſertim iterum recepto in communionem Athanaſio, quem antea in Concilio Sardicenſi innoxium declaraverat ; & excluſis iis Arii ſectatoribux , quos ibidem abdicaverat . Hæc ſolutio difficultatis propoſitæ eſt veroſimilis, & qua ſtatuta, valde conſulitur piæ, ac receptæ ſententiæ de vera pœnitentia Oſii poſt miſerandum illum lapſum , quam poſtea confirmabimus . Si enim conſtrictus flagellis , aliiſque tormentis in ea extrema ætate, oretenus , vel ſcripto ſolum impiæ alicui Epiſcoporum Formulæ conſenſit; poſtea ſibi redditus , & integræ libertati reſtitutus, non potuit illuſtrius pœnitentiæ ſuæ teſtimonium edere , quam in eo Concilio Nationali paullo poſtea Cordubæ celebrato .

68. Secundo reſponderi poteſt , non unicum , ſed duplex Concilium Sirmii celebratum fuiſſe, ut oſtendit eruditiſſimus Petavius in Diſſertatione peculiari , *De Photini damnatione* , quam totam exſcripſit , & pulcherrimæ Collectioni ſuæ Conciliorum inſeruit Philippus Labbè Tomo II. col. 729. & ſeqq. Porro prius illorum collocatur anno prædicto CCCLI. in quo Socrates Lib. 2. Cap. 24. ait, Oſium interveniſſe , & paullo poſtea Cap. 26. addit lapſum fuiſſe , ut ſtatim videbimus . Poſterius autem Concilium Sirmienſe ab omnibus collocatur ſex annis poſtea , nimirum Chriſti CCCLVII. Huic vero alii Scriptores , & nominatim idem Petavius in animadverſionibus ad Epiphanium , Hæreſi LXXIII. ajunt , Oſium interveniſſe , quicquid aliter videatur ſentire Socrates, qui lapſum Oſii ad prius illud Concilium refert . Si ponamus, eorum ſententiam eſſe veram , adhuc fieri potuit , ut Oſius, licet jam centenarius, ſicut Corduba Sirmium contenderat , ita etiam Sirmio Cordubam regrederetur , & inibi Synodum celebraret , in qua prioram illam noxam elueret , vindicato præterea Athanaſio , & proſcriptis illius accuſatoribus, ſicut ipſe decennio ante ſtatuerat in Concilio Sardicenſi cum magna ſui nominis gloria . Vide infra num. 72.

LXIX. Utrovis modo difficultati prædictæ occurratur , ſive juxta ſententiam Socratis , ſive juxta contrariam aliorum , nihil dicetur , quod falſitatis , aut parachroniſmi convinci facile poſſit . Utrobique etiam conſulitur honori Oſii , dum idoneum affertur teſtimonium pœnitentiæ , & ſatisfactionis publicæ , quæ lapſum illum pluribus titulis miſerationa dignum expiavit . Neque enim in Synodo Cordubenſi putandux eſt defendiſſe Athanaſium , & damnaſſe ejus accuſatores , quin illius doctrinam Catholicam probaverit , & horum Arianam , aut ſemi-arianam proſcripſerit . Tota enim controverſia illius Concilii in re circa doctrinam erat potius , quam circa facta perſonarum .

LXX. Sed quicquid ſit de præſentia Oſii in priori Concilio Sirmienſi , aut in poſteriori ſolum , exhibeamus modo verba Socratis citato Libro II. Capite 26. illius lapſum enarrantis. *Quoniam autem* (inquit) *de Oſio Cordubæ Epiſcopo, quod animo invito ad Concilium Sirmii habitum acceſſerit , mentionem fecimus , de hac re pauca jam dicemus. Quamquam iſte paullo ante per fraudulentum Arianorum co atum erat in exſilium miſſus : id temporis tamen ſtudio, & labore Epiſcoporum, qui Sirmii convenerant , factum eſt , ut Imperator illum acceſſeret , habens in animo , vel perſuadendo , vel cogendo , eum inducere , ut cum Epiſcopi ibi coactis conſentiret : nam , ſi iſtud factum eſſet, illorum Fides perilluſtri teſtimonio confirmata videretur . Hac de cauſſa invitus* (*ut dixi*) *acceſſit ad Concilium . Simulatque vero ſenex ille eorum fidei aſſentire abnuebat, plagæ illi erant inflictæ , membraque machinis diſtorta . Quapropter Fidei formulis eo tempore editis, vi, & neceſſitate compulſus conſenſit , ſubſcripſitque Atque res tum Sirmii geſtæ hunc exitum habuere .*

LXXI. Iis artibus , dolis , & cruciatibus uſus fuit iniquiſſimus Imperator Conſtantius, ejuſque ſeductores, & accuſatores S. Athanaſii, ac Arianiſmi aſsertores, ut Oſium, firmiſſimam eatenus Fidei columnam , flecterent , & in ſuas partes traherent . Videbant enim magnum auctoritatis pondus opinioni ſuæ acceſſurum , ſi tanti Viri jam pridem toto Orbe Chriſtiano celeberrimi , aſsenſu roboraretur , ut palam indicat iis verbis Socrates . Et licet tot terroribus , ac plagis non potuerint ab eo extorquere , ut damnaret Athanaſium (ut hic ipſe teſtatur in Epiſtola ad ſolitariam vitam agentes) extorſerunt tamen , ut fractis jam viribus longiſſimo ſenio , & membris tormentorum vi, ſubſcriberet Formulæ cuidam apud Sirmium editæ (juxta teſtimonium ejuſdem Socratis , &

S. Hilarii infra allegandi) quæ ſola ſplendidiſſimum eouſque Oſii nomen, & ubique terrarum ſparſam integritatis, & conſtantiæ famam, ad tempus obſcuravit.

LXXII. Notandum vero eſt, reſiſtentiam Oſii ad ſubſcribendum, fuiſse admodum diuturnam. Nam, uti oſtendit Petavius in animadverſionibus ad Epiphanium Hæreſi LXXIII. ſemi-arianorum, pag. mihi 318. Conſtantius Imperator anno CCCLVI. ſe contulerat Sirmium, ubi a paucis Epiſcopis, præſertim Occidentalibus, quorum præcipui erant Urſacius a Singidono Myſiæ, & Valens à Murſis Pannonicis, edita fuit nova Fidei formula. Oſius Sirmium accedens, nec hortationibus, nec minis Conſtantii præſentis, nec artibus eorundem verſipellium Epiſcoporum, perſuaderi potuit ad ſubſcribendum integro fere anno, quo ibi detentus fuit a Conſtantio uſque ad ſequentem CCCLVII. in quo inde receſſit, nondum extorto Oſii aſſenſu. Neque enim tormenta illa videntur fuiſſe Oſio illata præſente Conſtantio, ſed jam inde profacto. Fortaſse, quamvis implus, & contrarius Nicænæ Fidei, motus tamen veneranda illa canitie, & longæva ſenectute, atque incomparabili ſama Oſii, non eſt auſus Conſtantius præſens illum cruciatibus affligere, ſed ſolum poſt diſceſsum ſuum id præcepit, aut permiſit rapacibus quibuſdam lupis: qui omni pudore exuto, & feritate immani, venerandum toti Orbi Chriſtiano ſenem flagellis, & machinis tormentorum, excruciandum curarunt, donec Formulæ ab ipſis excogitatæ ſubſcriberet, ſi tamen reipſa ſubſcripſit, de quo ſtatim.

EXCURSUS VI.

Quænam fuerit nova illa Fidei formula, cui Oſius ſubſcripſiſſe dicitur coactus in Concilio Sirmienſi. Porro plures alias præceſſiſſe diverſorum, & priorem quandam Sirmii editam contra Photinum anno CCCLI. abſente Oſio. Itaque poſteriorem aliam Sirmienſem anni CCCLVII. ipſi tribui a S. Hilario, tanquam Arianam. Dubitatur, an reipſa Oſius illi ſubſcripſerit ſciens, & prudens, licet invitus, & tormentis fractus. Illuſtre S. Athanaſii teſtimonium pro illo, ex quo colligitur, Oſium aut non ſubſcripſiſſe illi Formulæ, aut id feciſſe Catbolico ſenſu, cujus ea capax erat.

LXXIII. VErum Oſii lapſus eatenus magis, aut minus accuſari, vel excuſari poteſt, quatenus comparta habeatur nova illa Fidei formula, cui dicitur ſubſcripſiſſe, licet coactus, in Sirmienſi conventu Epiſcoporum quorundam Occidentalium. Cum enim plures Formulæ ſub idem fere tempus cuſæ fuerint, & quædam aliis pejores, aut excuſabiliores; oportet examinare, cuinam illarum ſubſcripſerit Oſius, ut ex ejus qualitate, miſarandi ſenis lapſum juſta lance expendamus, immo & an revera alicui Formulæ ſubſcripſerit.

LXXIV. Porro prætermiſſis pluribus Arianorum Formulis antea conceptis, nunc ſolum indicabimus illas, quæ poſt annum CCCL. editæ fuerunt, & ad rem noſtram ſpectant. Socrates quidem Lib. 2. Cap. 31. & 32. enumerat novem omnino uſque ad Conciliabulum Conſtantinopolitanum, quod habitum eſt ſtatim poſt Seleucienſe: quæ duo Philippus Labbè Tom. II. col. 804. refert ad annum CCCLIX. Sed utromque id fuit poſterius Concilio Sirmienſi, & lapſu Oſii, de quibus tantum in præſenti loquimur.

LXXV. Similiter numerantur novem Formulæ ab Athanaſio, oculato, aut aurito teſte eorum, quæ tunc gerebantur, in Libro, *De Synodis*, ubi illas recenſet. Hoc loco enumerabo ſolas quatuor priores, ut deveniam ad alias Sirmii editas, quæ ſolæ ad rem noſtram pertinent. Prima Antiochiæ edita fuit Encæniorum tempore, Marcellino & Probino Conſulibus, anno CCCLI. ubi de οὐσία, ſive eſsentia, nihil dictum eſt. Secunda ecthesis, ſive Formula, in eodem Conciliabulo edita, ſed paullo prolixior, ubi Filium Dei μονογενῆ Θεὸν καὶ τῆς οὐσίας εἰκόνα, *Unigenitum Deum, & eſſentiæ imaginem*, ſive ſubſtantiæ figuram, nominarunt. Tertia ibidem a Theophrenio concepta legitur, in qua τῆς οὐσίας vocabulum non exſtat. Quarta paucis poſt menſibus per Narciſsum, Marin, & alios, in Galliam miſsa fuit ad Conſtantium. In ea damnabantur, qui dicerent, ἐξ οὐκ ὄντων υἱὸν, ἢ ἐξ ἑτέρας ὑποστάσεως, καὶ μὴ ἐκ τοῦ Θεοῦ γεγενῆσθαι. *Filium fuiſſe ex non entibus, aut ex altera ſubſtantia, & non ex Deo genitum*. Quatuor Formulæ prædictæ potius a ſemi-arianis profectæ videntur, quam ab Arianis: cum priores in iis fateṫentur, ſive agnoſcerent palam Filium Unigenitum Deum, ex Deo genitum; non autem ex nihilo productum, ſive ex non entibus, neque ex altera ſubſtantia, ſive eſsentia, contra quam effutiebant Ariani, ſive rigidiores Arianæ impietatis ſectatores.

LXXVI. Quinta Formula ſcripta fuit in Concilio Sirmienſi ſatis longa, quam exhibet Socrates Lib. 2. Cap. 25. quaſi editam præſente Conſtantio Imperatore, & Oſio, poſt Conſulatum Sergii & Nigriani, id eſt, anno CCCLI. Sed enim, ut ſupra vidimus num. 66. & 72. nec Oſius adfuit illi Concilio Sirmienſi, nec Conſtantius. Oſium enim tunc Cordubæ verſatum fuiſſe, & Concilium cum aliis Epiſcopis celebraſſe, atque Acta Sardicenſia confirmaſſe, oſtenſum fuit ſuo loco. Conſtantius quoque Imperator, ut colligit Petavius, præſertim ex Ammiano Marcellino, ejuſdem temporis Scriptore, non potuit Sirmium accedere, niſi Junio, aut Julio anni CCCLVI. nec Oſium eo violenter abductum flectere, quamdiu ibi moratus eſt. Unde conſtantia Oſii diuturna, & miſerandus tandem lapſus, ſolum contingere potuit in Conciliabulo, ſeu conventiculo quodam paucorum, ſive non multorum perduellium Epiſcoporum apud Sirmium, anno CCCLVII. quando jam Conſtantius inde diſceſſerat, & anno integro poſtquam Concilium poſterius Sirmienſe inchoatum fuerat, uti idem Petavius pag. 318. Animadverſionum in Epiphanium affirmat. Tam diuturna fuit perſecutio illata venerando illi ſeni, & tanti momenti exiſtimabatur ejus aſſenſus ab Imperatore Conſtantio, atque Epiſcopis ipſum lactantibus,

LXXVII. Ex dictis colligitur, Formulam novam Fidei per vim ſubſcriptam ab Oſio, non fuiſſe illam ſatis prolixam a Socrate relatam Lib. 2. citato Cap. 25. Ea nimirum edita fuit contra Photinum ejuſdem Civitatis Sirmii Epiſco-

Digitized by Google

ſcopum, qui renovatis, ſive incruſtatis quodammodo erroribus Paulli Samoſateni, effutiebat, Chriſtum fuiſſe, & eſſe dumtaxat in tempore genitum, non autem ab æterno exiſtentem. Unde in fine ejuſdem Formulæ concluditur: *Si quis Chriſtum Jeſum, Dei Filium, qui Patri ad univerſarum rerum fabricationem inſervivit, non ante ſæcula fuiſſe dixerit, ſed ab eo tempore ſolum, quo ex Maria natus fuit, Filium & Chriſtum fuiſſe, & tum incepiſſe Deum eſſe, ſicut Paullus Samoſatenus aſſerebat, anathema ſit*. Nimirum Formula hæc Sirmii edita fuerat anno ipſo CCCLI. poſt Conſulatum Sergii & Nigrani, uti paullo ante præmiſerat idem Socrates Cap. 24. quo tempore Oſius in Hiſpania verſabatur.

LXXVIII. Supereſt itaque, ut fuerit alia Formula, cui ſubſcripſerit Oſius in conventiculo quodam adjecto Concilio poſteriori Sirmienſi, quod omnes alii Scriptores referunt ad annum CCCLVII. quo certe Conſulatum gerebant Conſtantius Auguſtus IX. & Fl. Julianus Cæſar II. Immo & idem Socrates initio Capitis 25. citati teſtatur, Epiſcopos Sirmii congregatos novas Fidei Formulas condidiſſe; unam Græce editam a Marco Arethuſæ Epiſcopo, & duas alias Latine, quæ inter ſe, nec verbis, nec ſenſu congruebant. Deinde Formulam Marci exſcribit, abs dubio contra Paullum Samoſatenum, & Photinum, ut nuper diximus. Eam vero tanquam piam, & Catholicam refert, & interpretatur S. Hilarius, nullatenus eam tribuens Marco Arethuſio, ſed Concilio ipſi Sirmienſi, contra quam Socrates vult.

LXXIX. Et certe ſi Oſius nulli alteri Formulæ ſubſcripſiſſet, quam prædictæ, famam integram fortaſſe conſervaſſet, nec S. Hilarius tam acriter contra eum invectus fuiſſet, ac poſtea videbimus. Quamvis difficile appareat, quomodo in ea Formula explicari Catholice poſſint verba illa: *Non enim Filium in eodem gradu cum Patre locamus, ſed Patri ſubjectum facimus*. Idem dico de aliis paullo poſtea adjunctis de eodem, Filio: *Patri ad univerſarum rerum fabricationem inſervivit*. Hæc enim videntur denotare, Filium eſſe alterius inferioris gradus a Patre, tanquam ipſi ſubjectum, & veluti inſtrumentum ad univerſarum rerum creationem: quæ tria nequeunt cadere in verum Deum, ſed dumtaxat in creaturam, quamvis omnium primogenitam. Abſit vero, ut Catholici Verbum Dei, ſive Filium, inter entia creata comprehendamus, quamvis ſupremo loco. Mitto, quod in ea Formula Homouſion prætermittatur. Sed quamvis mihi aqua hæreat in eorum verborum interpretatione, credo, ſapientiſſimum Hilarium longe melius illorum vim calluiſſe, prout Græce ſcripta, aut Latine reddita eo tempore circumferebantur: ut proinde in iis ſenſum Catholicum invenerit, quem ego difficilem, aut æquivocum cenſeo. Lege eandem ecthesin apud ipſum Lib. *De Synodis adverſus Arianos*, col. 372. editionis Pariſienſis anni MDCLII. aliter verba Græca Latine vertentem, quam legantur in Latina interpretatione, qua utor, editionis Baſileenſis, inter ſcripta Socratis Lib. 2. Cap. 25. pag. 243. Vide infra num. 86. & ſeqq.

LXXX. Quapropter alia certa Formula Sirmii edita fuit, cui Oſius cum nominis ſui jactura dicitur ſubſcripſiſſe. Ea vero κατα πόδας refertur ab Hilario Libro citato, *De Synodis* col. 357. tanquam *blaſphemia apud Sirmium per Oſium, & Potamium conſcripta*, hiſce ipſorum verbis: *Cum nonnulla putaretur eſſe de Fide diſceptatio, diligenter omnia apud Sirmium tractata ſunt, & diſcuſſa, præſentibus Sanctiſſimis Fratribus, & Coepiſcopis noſtris, Valente, Urſacio, & Germinio. Unum conſtat Deum eſſe omnipotentem Patrem, ſicut per univerſum Orbem creditur, & unicum Filium ejus Jeſum Chriſtum Dominum, Salvatorem noſtrum, ex ipſo ante ſæcula genitum. Duos autem Deos, nec poſſe, nec debere prædicari: quia ipſe Dominus dixit*: Ibo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum, Deum meum, & Deum veſtrum. *Ideo omnium Deus unus eſt, ſicut Apoſtolus docuit*, Roman. 3. An Judæorum Deus tantum? Nonne & Gentium? Immo & Gentium. Quoniam quidem unus Deus, qui juſtificat circumciſionem ex Fide, & præputium per Fidem. *Sed cætera convenerunt, nec ullam habere potuerunt diſcrepantiam. Quod vero quoſdam haud multos movebat de ſubſtantia, quæ Græce Uſia appellatur, id eſt, ut expreſſius intelligatur, Homouſion, quod dicitur, aut Homoeuſion, nullam omnino fieri oportere mentionem, nec quemquam prædicare ea de cauſſæ ratione, quod nec in Divinis Scripturis contineatur, & quod ſuper hominis ſcientiam ſit, nec quiſquam poſſit nativitatem Filii enarrare, de quo ſcriptum eſt: GENERATIONEM EJUS QUIS ENARRABIT? Scire autem manifeſtum eſt ſolum Patrem quomodo genuerit Filium ſuum, & Filium quomodo genitus ſit a Patre. Nulla ambiguitas eſt, majorem eſſe Patrem. Nulli dubium poteſt eſſe, Patrem honore, dignitate, claritate, majeſtate, & ipſo nomine Patris majorem eſſe, Filio teſtante: QUI ME MISIT, MAJOR ME EST. Et hoc Catholicum eſſe, nemo ignorat, duas Perſonas eſſe Patris & Filii, majorem Patrem, Filium ſubjectum, cum omnibus iis, quæ Pater ipſi ſubjecit: Patrem initium non habere, inviſibilem eſſe, immortalem eſſe, impaſſibilem eſſe. Filium autem natum eſſe ex Patre, Deum ex Deo, lumen ex lumine: cujus Filii generationem (ut ante dictum eſt) neminem ſcire, niſi Patrem ſuum. Ipſum autem Filium Dei, Dominum, & Deum noſtrum, ſicut legitur, carnem, vel corpus, id eſt hominem, ſuſcepiſſe ex utero Virginis Mariæ, ſicut Angelus prædicavit. Ut autem Scripturæ omnes docent, & præcipue ipſe Magiſter Gentium Apoſtolus, hominem ſuſcepiſſe de Maria Virgine: per quem compaſſus eſt. Illa autem clavis totius Fidei, & illa confirmatio, quod Trinitas ſemper ſervanda eſt, ſicut legimus in Evangelio: ITE ET BAPTIZATE OMNES GENTES IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI; integer, perfectus numerus Trinitatis eſt: Paracletus autem Spiritus per Filium eſt, qui miſſus venit juxta promiſſum, ut Apoſtolos, & omnes credentes inſtrueret, doceret, ſanctificaret*.

LXXXI. Hactenus Formula illa nomine Oſii, ac Potamii relata, & blaſphemiæ titulo notata a S. Hilario: qui paullo antequam illam exſcriberet, præmiſit ſenſum ejus a vera Fide abhorrentem, hiſce verbis ad Epiſcopus

quibus Librum illum, *De Synodit adverſus Arianos* dirigit: *Meminiſtis namque in ea ipſa ſcripta proxime apud Sirmium blaſphemia, id tentatum, ac laborutum fuiſſe, ut dum Pater unus, & ſolus omnium Deus prædicatur, Deus eſſe Filius negaretur: & dum de Homoaſio, & Homœuſio taceri decernitur, id Decretum eſte, ut aut ex nibilo, ut creaturæ, aut ex alia eſtentia, ut couſeqaeatia creaturarum, & non ex Deo Patre Deus Filius natus confirmaretur. Tum porro in eo, quod honore, claritate, dignitate, majeſtate Pater major diceretur, id eſſe quæſitum, ut Filius his omnibus, quibus Pater major eſt, indigeret. Poſtremo, dum ignorabilis ejus nativitas aſſeritur, per hoc ignorantiæ decretam neſciſe, quod ex Deo ſit, juberemur: perinde quaſi juberi, decernique poſſit, ut quis nat quod ignaraturus ſit, ſciat, aut quod ſcierit, ignoret. Ipſam autem ex ſolido impiiſſimæ blaſphemiæ peſtem, invitus licet, ſubdidi &c.* Ac ſtatim fere exhibet Formulam ipſam Oſii, & Potamii, paullo ante a nobis exſcriptam.

LXXXII. Sane, ſi Oſius compos ſui, ſive judicio, & libertate præditus, Formulam ipſam vidit, ac legit, & ſubſcripſit eo ſenſu, quo illam interpretatur S. Hilarius; non poteſt excuſari a graviſſimo crimine blaſphemiæ, ſive hæreſeos externæ contra veram Deitatem Filii. Externæ, inquam, nam Oſium nonniſi repugnantem, invitum, & poſt reſiſtentiam integri anni, ac immania tandem tormenta ſubſcripſiſſe, omnes veteres Scriptores teſtantur, quod argumento invicto eſt, ipſum interius retinuiſſe quam alte imbiberat, & eouſque palam docuerat, ac propagaverat, Nicænam de *Homouſio* Fidem

LXXXVIII. Sed quid ſi Valens, & Urſacius, vel alii defenſores Arii verſipelles, mille dolis, & arte Pelaſga inſtructi, ſcripſerint quidem Formulam verbis ab Hilario relatis, eamque fecerint ſubſcribi ab Oſio; ſed jam oculis caliganti præ nimio ſenio, & ipſi aliter illam legerint, aut aliis mitioribus, & tolerabilioribus verbis, quibus nullo modo negaretur vera Deitas Filio Dei, ſed tantum prætermitteretur vocabulum Homouſii, quaſi diſpenſatorie, & ad tempus dumtaxat? Quippe ita contigiſſe, cum fundamento ſuſpicari poſſumus de tanta Valentis, & Urſacii, aliorumque Ariomanitarum malitia, & de tam invicta eouſque Oſii decrepiti conſtantia. Immo & idem Hilarius Catholice exponit, ac probat Libro citato, *De Synodis*, col. 374. & ſeqq. Formulam illam, ſeu expoſitionem Fidei editam Sirmii ab Orientalibus, in qua tamen *Homoaſion* non habetur. Quin & nonnulla ſatis difficilia, exponit benigne, ut legenti palam erit, & ſatis jam ſupra indicavimus num. 79.

LXXXIV. Verum ſinamus, Formulam illam Oſio lectam fuiſse iiſdem verbis, juxta S Hilarii iuterpretationem, eripientibus Deitatem Filio. Quid ſi ſubſcripta ab eo fuerit, non ſui compote, ſed deliquium mentis ſubeunte in extrema illa ætato, ac fracto tormentis corpore, ubi nulla vis animi ſupererat ad deliberandum? Quod ſatis ſignificat Sulpicius Lib. 2. *Hiſtoriæ*, dicens: *Oſium quoque ab Hiſpania in eandem perfidiam conſenſiſſe, opinio fuit: quod eo mirum, & incredibile videbatur, quia omai fere ætatis ſuæ tempore conſtantiſſimus noſtrarum partium, & Nicæna Synodus Auctore illo confecta babebatur: niſi ſatiſcente ævo (etenim major centenario fuit, ut S. Hilarius in Literis refert) deliraverit.* Potuit itaque fieri, ut Oſius in ea adeo decrepita ætate, ac tormentis deliquium mentis pateretur.

LXXXV. Quid ſi nec ſubſcripta quidem, ſed ſolum publicata ipſius, ac Potamii, Valentis, & Urſacii nomine, recuſante, aut neſciente Oſio? Sane D. Athanaſius, teſtis incorruptus ejuſdem temporis, non tribuit illi talem ſubſcriptionem, ſed ſolum, quod minis, & tormentis perterritus ab Imperatore Conſtantio, in communionem admiſerit Urſacium, & Valentem. Nimirum in Epiſtola *ad ſolitariam vitam agentes*, inquit: *Tantam vim intulit ſeni* (Conſtantius nimirum Oſio) *quem Sirmii pro exſilio detinebat, & ita eum arcte tenuit, ut afflictus, attrituſque malis, tandem ægreque cum Urſacio, & Valente communicaret; ſed tamen ut contra Athanaſium non ſubſcriberet.* Nihil hic de ſubſcriptione illius Formulæ, palam Arianæ. Nec certe locus erat probandi illam, niſi improbato, ac damnato Athanaſio, fortiſſimo Deitatis Filii defenſore. Si igitur Oſius tot tormentis, & duriſſimis vexationibus unius anni non fuit perſuaſus ad ſubſcribendum damnationi Athanaſii; multo minus ad damnationem Fidei Catholicæ, quam cum ipſo tuebatur.

LXXXVI. Nec oppoſitum perſuadet ſatis auctoritas S. Hilarii tribuentis Oſio eam impiam Formulam. Imprimis enim non aderat Sirmii Hilarius, nec numeratur inter Epiſcopos Occidentales, qui ad eam Synodum convenerunt. Deinde S. Athanaſius longe propinquior Sirmio, & conſcius rerum omnium, quæ inibi gerebantur, nihil ait de ſubſcriptione Formulæ facta ab Oſio. Solum ait, ipſum perſecutione, & laniena fractum communicaſſe cum Urſacio, & Valente, quod catenus recuſaverat. Credibile itaque eſt, per fraudem Arianorum Occidentalium evulgatam fuiſſe Formulam illam, tanquam imprimis ſubſcriptam ab Oſio, ut ſumma ipſius auctoritate apud omnes abuterentur, & eo ſcuto ſuam ariomaniam protegerent, ut ſupra vidimus num. 70. ex Socrate, qui id mutuare potuit ex ipſo Athanaſio in citata Epiſtola *ad ſolitarios* ajente, Epiſcopos Arianos apud Conſtantium Imperatorem conqueſtos fuiſſe, nihil ſe proficere exſilio Liberii Papæ, & aliorum Epiſcoporum e Catholicis, niſi præterea in ſuas partes traherent Oſium *Principem Synodorum, qui ſi quid ſcriberet, ubique audiretur: qui Formulam Fidei in Nicæna Synodo concepit, & Arianos ubique pro hæreticis traduxit.*

LXXXVII. Denique Formula ipſa, prout hodie legitur in *Fragmentis Hilarii*, editis a Nicolao Fabro (dignis certe caſtigatiori editione, quam avide expectamus a doctiſſimis Monachis Congregationis S. Mauri) Ariana plane, ac blaſphema eſt, & quæ vel ipſis ſemi-arianis diſplicuit. Quare incredibile apparet, eam ipſam totidem verbis exſtantem, Sirmii ab Oſio ſciente, & prudente probatam fuiſſe. Permiſſo autem, & nullatenus conceſſo, quod illam ſubſcriptione, aut aſſenſu externo munierit; crediderim, Sirmii conceptam

fuiſſe

fuiſſe, & propoſitam Oſio, non eiſdem omnino verbis, quæ hodie leguntur, ſed aliis mitioribus, & quæ paterentur ſanſum Catholicum, tolerabilemque, licet ab Urſacio & Valente nonniſi ſenſu Ariano ſcriptæ fuiſſent. Itaque dato, quod Oſius vi tormentorum in aa ætata centenaria contrictus ſubſcripſerit Formulæ alicui, juxta mentem & ſenſum Arianorum, blaſphemæ in Filium Dei; non tamen niſi quatenus in ea eſſet alius ſenſus Catholicus, juxta quem ſolum ſubſcriberet Oſius, & reticenda duceret vocabula *τῆς οὐσίας, καὶ ὁμοουσίου, καὶ ὁμοιουσίου*, diſpenſatorie, vel ad tempus. Sic certe pariter apud Sirmium, abſente Oſio, prolata fuit a Concilio Formula alia Fidei, prætermittens vocabula eſſentiæ, atque Homouſii, quæ proinde in iis temporis, ac rerum circumſtantiis nimio artificio compoſita, & valde ſuſpecta videtur, & capax ſenſus Atiani adverſus veram Deitatem Filii, ut notavimus num. 79. Et taman quia capax erat pariter ſenſus Catholici, ipſe S. Hilarius itiam exponit pie, ac tuetur veluti Catholicam, Lib. citato, *De Synodis*, pag. 372. & ſeqq.

LXXXVIII. Idem igitur forſan potuiſſet facere S. Doctor circa Formulam poſteriorem Sirmienſem, attentis dumtaxat ipſius verbis, capacibus ex ſe utriuſque ſenſus, tum Catholiei, tum Ariani. Sed interpretatus fuit illam, qualem invenit, in partem deteriorem, propter Urſacium & Valantem, ſibi poſtea notiſſimos, & palam contrarios veræ Filii Deitati. Non enim debuit, aus potuit intelligere Formulam illam, niſi justa genium, & furorem Arianum utriuſque aorum, ſatis ſibi perſpactum. Cum autem venerabilis Oſius ex oppoſito tot illuſtria Catholicæ Fidei ſuæ teſtimonia edidiſſet, ac tot Conſtantii Imperatoris diras, & Arianorum parſacutiones tam longo tempore propter illam paſſus aſſet; potuiſſet fortaſſe S. Hilarius benigne, ae pie verba illa interpretari, quatenus ab Oſio ſubſcripta, & mitius ſe habere erga ſenem tanta nominis claritate, ſexaginta circiter annis eouſque pro Eccleſia laborantem. Sed ne Hilarius ita ſe gereret, & ut durius loqueretur de Oſio, in cauſſa fuiſſe crado ſiniſtram relationem de illo habitam, & bona fide acceptam ab ipſo: cum taman longe aliter, ac multo honorificentius de Oſio ſcriberet Athanaſius verbis num. 48. allegatis, qui totam illam tragœdiam magis compertam habere potuit. Solum enim tribuit Oſio, quod invitus communicaverit Urſacio ac Valenti, non autem quod ejuſdem Athanaſii damnationi conſenſerit. Hinc autem conſequens eſt, ut nec Arianæ doctrinæ, nec cuipiam Formulæ eam impietatem præſeferenti ſubſcripſerit; nam cauſſa Athanaſii eadem omnino erat cum cauſſa doctrinæ Catholicæ contra Arium, ac proinda non fuit locus, ut Oſius perſiſterer immobilis in tuendo Athanaſio, quin pariter permaneret conſtans in defendenda Catholica adverſus Arium doctrina. Hæc, ſalva ſumma veneratione erga S. Hilarium, & ſub cenſura melius ſentientium, dicta ſunto.

EXCURSUS VII.

Excuſatur denuo Oſius ab ea ſubſcriptione Formulæ in Concilio Sirmienſi poſteriore anno CCCLVII. comparatione facta cum Liberio Papa, qui eodem fore tempore ſubſcripſiſſe legitur, & conſenſiſſe damnationi S. Athanaſii, citra hæreſim tamen. Porro Oſium longe minus peccaſſe, nimirum in ſola receptione Urſacii & Valentis Arianorum ad communionem.

LXXXIX. Itaque Oſius multiplici ex capite videtur excuſandus, ſive immunis pronunciandus a tetro crimine ſubſcribendi Formulæ poſteriori Sirmienſi, blaſphemiæ nota inuſtæ a S. Hilario. Imprimis enim non eſt certum, quod Oſius illam dictaverit, ſcripſerit, aut ſubſcripſerit; quin potius ſatis colligitur ax Athanaſio oppoſitum, ut nuper oſtenſum eſt. Facilius autem fuit S Athanaſio prope Sirmium verſanti in Oriente compertam habere totam eam hiſtoriam, ſive tragœdiam amici, ac deſenſoris ſui Oſii, quam Hilario abſenti, & forte tunc in Occidente commoranti apud Galliam, Italiamve.

XC. Deinde potuit facile evenire, ut dolia Arianorum, potiſſimum Urſacii ac Valentis, contra veritatem vulgaretur ubique ea Formula tanquam adita, aut ſubſcripta ab Oſio, cujus auctoritatem ii tentopere ambiebant in patrocinium ſuæ ſectæ; venerando ſane, jam cantenario, & tormentis diuturnis afflicto, id prorſus neſcienre, aut tractis per vim manibus ſubſcribente, ſine ullo prorſus voluntatis conſenſu, ac proinde abſque peccato ullo.

XCI. Rurſus permiſſo, & ultro dato, quod Oſius tormentorum immanitate compulſus fuerit ſubſcribera, idque fecerit delibarato judicio ad redimendam vexam, *& ob amorem ſui ſepulchri*, ut inquit S. Hilarius (nimirum, ut liber Sirmio Cordubam redire ſineretur ad moriendum in Urbe ſua) potuit ſubſcribere ſenſu Catholico, qualem Formula illa Sirmienſis Oſio ad ſubſcribendum aſhibita, admittere poterat, quamvis atiam præſeferret olium ſenſum Arianum, juxta genium Urſacii ac Valentis. Quoties autem in una eademque Formula, aut propoſitione continenrur æque, aut circiter duo ſenſus, alter Catholicus, alter hæreticus, ex qualitate ſubſcribentium, aut docentium conjicitur ſenſus, quo illam proferunt, traduntve. Cum igitur Oſius palam eſſet, ac fuiſſet ſemper Catholicus eouſque, immo Catholicorum Præſulum Dux celeberrimus, & anteſignanus; cenſeri dabet ſubſcripſiſſe Formulæ illi ſenſu Catholico, cujus capas erat. Contra vero Urſacius & Valens infecti Ariana lue, palam, ac ſemper hæretico animo ſubſcripſiſſe cenſendi ſunt. Porro S. Hilarius ſciens perverſitatem amborom, & præterea Oſium raceptiſſe illos in communionem, quamvis invitum, & tormentis compulſum, credidit bona fide, illum abſolute ſubſcripſiſſe Formulæ illi ſub eiſdem verbis, quibus circumſerebatur, judicio ſuo blaſphemæ prorſus, & impiæ. Si autem reflexiſſet in dolos Arianorum, fortaſſe detexiſſet alium ejus ſenſum Catholicum, quemadmodum fecit circa Formulam priorem Sirmienſem, & mitius loqueretur de Oſio, imitatio-

tatione S. Athanaſii excuſantis illum, quantum licuit, & ſolum imputantis, quod Urſacium, ac ac Valentem recepiſſet in communionem.

XCII. Certe Oſius in ea parte, licet a nollo prudente poſſit abſolute pronunciari immunis a crimine, longe tamen minus deliquiſſe videtur, quam Liberius Papa eodem fere tempore. Is enim ab initio Pontificatus ſui uſque ad finem exſilii biennis, perſtitit acerrimus Fidei Catholicæ defenſor contra Arianos, multaque propterea pertulit dura, & terribilia ab iis, ut teſtantur Sanctus Athanaſius in utraque Apologia, Ruffinus Lib. 10. *Hiſtoriæ*, Cap. 22. Socrates Lib. 2. Cap. 29. Sozomenus Lib. 4. Cap. 10. Theodoretus Lib. 2. Cap. 16. & 17. Sulpicius Libro 2. Nicephorus Libro 9. Cap. 35. 36. & 37. Conſonatque ex Gentilibus Ammianus Marcellinus ejuſdem temporis Scriptor, Libro 15. Quin & Ruffinus Cap. 27. ſequenti ejuſdem Lib. 10. cum legiſſet quæcumque de Liberio ſcripta fuerant, concludit, ſe non potuiſſe deprehendere, quod is ſubſcripſiſſet Formulæ Sirmienſi. Dato autem, quod ſubſcripſerit, ut cenſent idem Athanaſius locis paullo ante indicatis, & S. Hilarius Lib. *Adverſus Conſtantium*, ac S. Hieronymus in *Chronico*, atque in *Catalogo Scriptorum*, plerique Hiſtorici illum excuſant a crimine violatæ ex animo Fidei, ſolumque accuſant ſubſcriptionis externæ, & condemnationis S. Athanaſii, ad ſuam vexam ulteriorem redimendam, poſtquam horribilem perſecutionem, & biennii exſilium pertulerat.

XCIII. Reprehenditur ex eo capite Liberius ab omnibus, & jure quidem. Non enim potuit ſine gravi ſcelere conſentire exterius damnationi Sancti Athanaſii, nec ſubſcribere Formulæ alicui prorſus Arianæ (ſi talis vere fuiſſet illa Sirmii edita) immo nec dubiæ, aut æquivocæ, ſine graviſſimo ſcandalo orbis Chriſtiani. At utrumque id crimen reluctante interius animo perpetravit, & retenta Fide apud ſe; quicquid ſæculo decimo dixerit Auxilius in Opere, *De Ordinationibus Formoſi Papæ*, edito in magna Biblioth. PP. Aniſſoniana Tomo XVII. ubi Lib. 1. Cap. 15. & 27. ac Lib. 2. Cap. 4. Liberium apoſtatam, & hæreticum appellat: quod ipſum poſtea fecit Benno Cardinalis ſchiſmaticus, & plures alii ejuſdem furfuris, ad conflandam invidiam Apoſtolicæ Sedi. Sed immerito omnes ii eam hæreſeos notam inuſſere Liberio, ut palam oſtendimus in *Defenſione Cathedræ S. Petri*, Tract. 2. Diſput. 28. Sect. 2. ubi & num. 23. ac 24. explicuimus difficilia aliquot teſtimonia Sanctorum Athanaſii, Hilarii, & Hieronymi, ac Liberati Diaconi, ajentium, Liberium tandem Arianæ perfidiæ ſubſcripſiſſe.

XCIX. Nimium, ut eo num. 24. monuimus, in confeſſione, ſive Formula, tum Sirmienſi, tum Antiochena, atque in ſententia contra S. Athanaſium lata, quibus Liberius ſubſcripſiſſe dicitur, nihil erat, quod in ſuo ſenſu obvio, & naturali intelligi non poſſet Catholice, & inoffenſa Filii Deitate, licet vocabulum Homouſii prætermitteretur, & plerique Orientalium, atque ex Occidentalibus Urſacius, ac Valens, Ariana impietate, ac ſenſu illam intelligerent, ac ſubſcriberent. Quapropter Liberius non ſponte ſua, ſed invitus ſubſcribens eidem Formulæ, retinuit ſemper in animo Catholicam Fidem; immo & nihil palam illi contrarium probavit. Crimen itaque ipſius fuit, partim aſſentiendi injuſtæ ſententiæ contra Athanaſium, partim ſcandali dati Chriſtiano orbi in ſubſcribendo exterius Formulæ, quam conſtabat palam ipſi Liberio, a plerique Epiſcopis editam ſenſu Ariano.

XCV. Hoc ſenſu accipiendus eſt S. Hieronymus locis allegatis, dum inquit, *Liberium ad ſubſcriptionem hæreſeos tandem flexum fuiſſe*. Similiter S. Hilarius, dum in Libro, *Adverſus Conſtantium*, ita illum reprehendit: *Vertiſti uſque ad Romam bellum tuum: eripuiſti illinc Epiſcopum. Et o te miſerum! qui, neſcio an utrum majore impietate relegaveris, quam dimiſeris*. Nimirum, par fere iniquitas fuit Conſtantii, Liberium Fidei defenſorem propterea Roma exſilio relegare, ac poſtea ob impiam Formulæ ſubſcriptionem, condemnationemque Athanaſii, quamvis externam ſolum, & vi extortam, revocare ab exſilio. Denique eodem ſenſu intelligendus glorioſus ille Confeſſor, ſeu Martyr, Romæ celebris in Eccleſia ſui nominis, prope Baſilicam ejuſdem Liberii, id eſt, Sanctæ Mariæ Majoris; de quo olim in Breviario, ſive Officio ſolenni hæc legebantur, quæ poſtea expuncta ſunt: *Beatus Euſebius Presbyter, cum, præſente Conſtantio, Fidem Catholicam conſtantiſſime defenſaret, & Liberium Papam doleret Arianæ perfidiæ conſenſiſſe; ab irato Conſtantio includitur in quodam cubiculo domus ſuæ, habente in longitudine pedes quatuor*. Quod enim Sanctus ille doleret, Liberium Papam conſenſiſſe Arianæ perfidiæ, accipiendum eſt, non de interno conſenſu, immo nec externo verbis formalibus expreſso, aut ſubſcripto, ſed ſolum interpretato. Præſtitit enim Liberius externa illa ſubſcriptione fundamentum, & ſcandalum, ut putaretur prorſus conſentire Arianis, qui eandem Formulam Ariano animo ſubſcribebant, & in odium Homouſii Sanctum Athanaſium damnabant.'

XCVI. Longe itaque minus quam Liberius, culpandus eſt Oſius: eum non modo Fidem Catholicam conſtantiſſime retinuerit, ac defenderit longiſſimo vitæ progreſſu, & propter illam plagas, & vibices in Hiſpania ſuſtinuerit initio fere ſæculi quarti, ſub perſecutione illata a Maximiano, ac longe poſtea Sirmii ſub Conſtantio, tormentis inflictis, & machinis admotis ſeni jam centenario: verum etiam nec ſubſcripſerit Formulæ Sirmienſi, quamvis æquivocæ, aut dubiæ, nec damnationi S. Athanaſii, uti ex ejuſdem S. Doctoris teſtimonio oſtenſum fuit ſupra num. 84. & 85. Potius vero credendum tanto teſti, rerum illarum, quas oculis pene uſurpabat, peritiſſimo, quam cuilibet alteri abſenti longe, aut etiam poſteriori, qualis certe fuit Sozomenus, integro fere ſæculo: qui Libro 4. Cap. 11. inquit: *Oſius cum quibuſdam aliis ibi Epiſcopis, quo Valentis, Urſacii, & Germinii pertinax contentio tolleretur, vi quidem compulſus Sirmii, ut antea diximus, conceſſit, ut voces Conſubſtantialis, & Subſtantia ſimilis, minime uſquam proferrentur: tum quod in ſacris Literis nunquam invenirentur: tum quod ſubſtantiam Dei curioſe indagare, hominum captum longe ſuperaret*. Dato, quod Oſius

Oſius invitus ita ſe geſſerit; potius peccavit diſſimulatione, aut ſilentio diſpenſatorio Formulæ Catholicæ ad tempus, quam hæreſi aliqua. Sed nec certum eſt, ita ſe geſſiſſe Oſium, nec Athanaſius illi eam labem adſcribit.

XCVII. Tota itaque Oſii accuſatio legitima in Concilio Sirmienſi poſteriore celebrato anno CCCLVII. juxta S. Athanaſium, in eo ſita eſt, ut poſt toleratum exſilium, poſt perſecutionem, & vexationem integro fere anno Sirmii illatam, poſt plagas denique, ac machinas tormentorum admotas, tandem ægre, atque invito communicaverit Urſacio ac Valenti Epiſcopis Arianis, non quidem in hæreſi, immo neque in ſubſcriptione externa Formulæ dubiæ, neque in damnando Athanaſio; ſed ſolum in aliis rebus ſacris, & politicis, qualiter invicem communicabant reliqui Epiſcopi inter ſe. Gravis quidem hæc culpa fuit, ſi voluntaria, & libera Oſio, quanquam metu, & doloribus in extrema ætate fracto; ſed compaſſione digna, & non levi excuſatione apud omnes illos, qui ſe homines meminerint, & non prorſus exuere velint omnem humanitatis ſenſum, præſertim erga ſumme venerandum, afflictiſſimum, & capularem ſenem.

LXVIII. Porro qualiſcumque fuerit lapſus Liberii, atque Oſii, videtur contigiſſe uterque anno eodem CCCLVII. intra Sirmium; tamen aliquanto prius ille Oſii, quam Liberii. Etenim, ut allegato Theodoreto, monet Petavius in Notis ad Epiphanium Hæreſi LXXIII. ſemi-arianorum, ad eundem annum pagina 316. Conſtantius Imperator anno CCCLV. Mediolani ſententiam dixit exſilii in Liberium, qui illud paſſus fuit per biennium. Eo tranſacto, Matronæ Romanæ precibus ſuis a Conſtantio impetrarunt Edictum, aut ſaltem proximam ſpem, ut reſtitueretur. Interea Liberius Sirmium accitus paullo poſt Oſii lapſum territus malis, & animatus ſpe recuperandi libertatem, Formulæ alteri Sirmienſi, in qua Homouſion prætermittebatur, ſubſcripſit, & damnationi S. Athanaſii, quarum neutram ab Oſio probatam fuiſſe, ſatis jam videmur oſtendiſſe, quantum in rebus adeo antiquis, & implicatis conjicere fas eſt, ex ipſo S. Doctore.

EXCURSUS VIII.

Perſecutio illata Oſio ab Imperatore Conſtantio, impulſu Arianorum, & reſiſtentia diuturna illius, ac merita inſignia in Eccleſiam referuntur illuſtri teſtimonio Sancti Athanaſii, Græce, ac Latine edito. Notæ aliquot in illud.

XCIX. Sed ut rem fere totam ſolido fundamento inniſi expediamus, oportet integre hoc loci exhibere perſecutiones Oſio illatas, & artes Arianorum ad ipſum flectendum, antequam in Concilio Sirmienſi contraheret demum labem aliquam, aut detrimentum eximii illius nominis, quo per ſpatium ſexaginta annorum circiter Epiſcopatus toti Eccleſiæ celeberrimus fuerat.

C. Rem ipſam vero a nemine melius accipere poſſumus, quam a ſanctiſſimo Doctore Athanaſio, teſte irrefragabili eorum omnium, quæ tunc gerebantur; & cujus honoris cauſſa Oſius plurimas Conſtantii, omniumque Arianorum perſecutiones paſſus fuit. Videbimus venerandum illum ſenem, jam pene centenarium, Epiſcoporum Patrem, Conciliorum Principem, tot victoriis celeberrimum, tot triumphis coronatum, Eccleſiæ columnam, Romanorum Pontificum hyperaſpiſten, Imperatorum euuſque oraculum, & firmiſſimum Catholicorum omnium columen; adhuc in ea extrema ætate, contra omnia Conſtantii, & Arianorum terriculamenta, perſecutiones, contumelias, exſilia, carceres, flagella, & machinas tormentorum, perſtitiſſe diu immobilem, tam in tuenda Catholica Fide, quam in protegendo Athanaſio: nimirum eadem erat utriuſque cauſſa. Nec poterat reipſa defendi, aut damnari Athanaſius, quin & Fides ipſa, ob quam exſulabat, & tam diras Arianorum perſecutiones ſubibat. Licet enim Ariani plura alia crimina objicerent Athanaſio; illorum falſitas, & impoſtura toti orbi manifeſta fuit, & Arianis ipſis, ut proinde omnibus in comperto eſſet, veram cauſſam perſecutionis Athanaſii, non in alio, quam in defenſione Catholicæ doctrinæ, olim apud Concilium Nicænum definitæ, ſitam fuiſſe.

CI. Exhibeamus itaque tam Græce, quam Latine partem quandam Epiſtolæ S. Athanaſii ad ſolitariam vitam agentes, in qua S. Doctor narrat ſummam exiſtimationem, in qua erat Oſius apud omnes etiam Arianos, & quibus artibus hi præſertim Conſtantii Imperatoris patrocinio, & Literis inniſi, ſæpius tentaverint, illum Corduba Sirmium abducere, perſuadere, immo & cogere, tam ad ſubſcribendum damnationi ejuſdem Athanaſii, quam ad abolendam, aut extenuendam Formulam Fidei in Concilio Niceno ſtabilitam: utrumque tamen irrito conatu. Audiamus itaque Athanaſium loquentem.

ATHANASIUS in Epiſtola ad ſolitarios poſt medium.

CII. Τὸ μὲν γὰρ τύπτεσθαι Χριστιανῶν ἴδιόν ἐστι, τὸ δὲ μαστίζειν Χριστιανοὺς, Πιλάτου καὶ Καϊάφα τὸ τόλμημα. Οὕτω μὲν οὖν καὶ τὴν Ῥωμαίων Ἐκκλησίαν, καὶ κατὰ τὴν ἀρχὴν ἐπεχείρησαν διαφθεῖραι, θελήσαντες ἐγκαταμίξαι καὶ ἐν αὐτῇ τὴν ἀσέβειαν. Ὁ δὲ Λιβέριος ἐξορισθεὶς, ὕστερον μετὰ διετῆ χρόνον ὤκλασε, καὶ φοβηθεὶς τὸν ἀπειλούμενον θάνατον, ὑπέγραψεν. Ἀλλὰ καὶ τοῦτο δείκνυσιν ἐκείνων μὲν τὴν βίαν, Λιβερίου δὲ τὸ κατὰ τῆς αἱρέσεως μῖσος, καὶ τὴν ὑπὲρ Ἀθανασίου ψῆφον, ὅτε τὴν προαίρεσιν εἶχεν ἐλευθέραν. Τὰ γὰρ ἐκ βασάνων παρὰ τὴν ἐξ ἀρχῆς γνώμην γιγνόμενα, ταῦτα οὐ τῶν φοβηθέντων, ἀλλὰ τῶν βασανιζόντων ἐστὶ βουλήματα. Πάντα μὲν τοι τινὲς ὑπὲρ τῆς αἱρέσεως ἐπεχείρησαν. Καθ' ἑκάστην δὲ Ἐκκλησίαν τηροῦντες, ἣν ἔμαθον πίστιν, τοὺς μὲν διδασκάλους προσδοκῶσι, τὴν δὲ Χριστομάχον αἵρεσιν κατέλαβον, καὶ πάντες, ὡς ὄφιν, ἐκτρέπονται.

CIII. Τοιαῦτα δὲ καὶ τοσαῦτα τετολμηκότες οἱ δυσσεβεῖς, οὐδὲν ἐνόμιζον πεποιηκέναι, ἕως ὁ μέγας Ὅσιος ἀπείρατος ἦν αὐτῶν τῆς κακονοίας. Καὶ γὰρ καὶ κατὰ τοῦ τηλικούτου γέροντος, ἐκτεῖναι τὴν μανίαν ἑαυτῶν ἐσκέψαντο, καὶ οὔθ' ὅτι πατήρ ἐστι τῶν ἐπισκόπων ᾐσχύνθησαν, οὔθ' ὅτι γέγονεν ὁμολογητὴς εὐλαβήθησαν, οὔτε τὸν χρόνον τῆς ἐπισκοπῆς, ὅτι ἑξήκοντα ἔτη καὶ πλεῖον ἔχει ἐν αὐτῇ, ᾐδέσθησαν, ἀλλὰ πάντα ἐξουθένουν, καὶ πρὸς μόνην τὴν αἵρεσιν ἔβλε-

ἔβλεπον, ἄνθρωποι ἀληθῶς, μήτε τὸν Θεὸν φοβούμενοι, μήτε ἄνθρωπον ἐντρεπόμενοι.

CIV. Προσελθόντες τοίνυν Κωνσταντίῳ, τοιούτοις πάλιν ἐχρήσαντο ῥήμασι· πάντα μὲν πεποιήκαμεν, καὶ ἐξωρίσαμεν τὸν Ῥωμαίων Ἐπίσκοπον, ἐξωρίσαμεν δὲ καὶ πρὸ αὐτοῦ πλείστους ὅσους Ἐπισκόπους, πάντα τε τόπον φόβου πεπληρώκαμεν. ἀλλ' ὡς οὐδὲν ἡμῖν ἐστι τὰ τοσαῦτα σοῦ ἔργα, οὐδὲ κατώρθωταί τι οὐδὲν ἡμῖν, ἕως Ὅσιος περιλέλειπται. ἐκείνου γὰρ ὄντος ἐν τοῖς ἰδίοις, καὶ πάντες ἐν ταῖς ἰδίαις Ἐκκλησίαις εἰσίν, ἱκανὸς ἐστὶν ἐν λόγῳ καὶ πίστει πείθειν πάντας τὰ καθ' ἡμῶν.

CV. Οὗτος καὶ Συνόδων καθηγεῖται, καὶ γράφων ἀκούεται πανταχοῦ. οὗτος καὶ τὴν ἐν Νικαίᾳ πίστιν ἐξέθετο, καὶ τοὺς Ἀρειανοὺς ἐκήρυξεν αἱρετικοὺς εἶναι πανταχοῦ. ἂν τοίνυν οὗτος μένῃ, περιττὸς ὁ τῶν ἑτέρων ἐξορισμὸς γέγονεν. ἡ γὰρ αἵρεσις ἡμῶν ἐκποδὼν γίγνεται. ἄρξαι τοίνυν καὶ τοῦτον διώκειν, καὶ μὴ φείσῃ κἂν ἀρχαῖος ᾖ. καὶ γὰρ ἡ αἵρεσις ἡμῶν οὐκ οἶδεν οὐδὲ γερόντων τιμᾷν πολιάν. ταῦτα ἀκούων οὐκ ἐμέλλησε βασιλεύς, ἀλλὰ εἰδὼς τὸν ἄνθρωπον, καὶ τὸ ἱκανὸν τοῦ γέροντος, γράφει καὶ κελεύει τοῦτον ἐλθεῖν πρὸς αὐτόν, ὅτε καὶ Λιβέριον κατὰ τὴν ἀρχὴν ἐπείραζεν.

CVI. Ἐλθόντα δὴ οὖν αὐτὸν ἠξίου, καὶ προέτρεπε τοῖς αὐτόθι λόγοις, οἷς δὲ καὶ τοὺς ἄλλους ἀπατᾶν ἐνόμιζεν, ἵνα καθ' ἡμῶν μὲν γράψῃ, πρὸς δὲ τοὺς Ἀρειανοὺς ἔχῃ τὴν κοινωνίαν. ὁ δὲ γέρων καὶ τὸ ἀκοῦσαν ἀηδῶς ἐνεγκάς, καὶ λυπηθείς, ὅτι κἂν ὅλως ἐφθέγξατό τι τοιοῦτο, ἐπιπλήξας, καὶ πείσας αὐτόν, ἀνεχώρησεν εἰς τὴν πατρίδα, καὶ τὴν Ἐκκλησίαν ἑαυτοῦ.

CVII. Ἀλλὰ τῶν αἱρετικῶν ἀποδυρομένων, καὶ πάλιν παροξυνόντων, εἶχε δὲ καὶ τοὺς εὐνούχους ὑπομιμνήσκοντας, καὶ πάλιν παροξύνοντας, γράφει λοιπὸν βασιλεὺς μετ' ἀπειλῆς, καὶ ὑβρίζεται μὲν ὁ Ὅσιος, ὁ εὐνοῦται δὲ διὰ τὸν φόβον τῆς ἐπιβουλῆς, ἀλλ' ἑστηκὼς τῷ φρονήματι, καὶ τὴν ἐπὶ πέτραν οἰκοδομήσας ἑαυτοῦ τὴν τῆς πίστεως οἰκίαν, ἐπαῤῥησιάζετο κατὰ τῆς αἱρέσεως, ῥανίδας καὶ πνοὰς ἀνέμων ἡγούμενος, τὰς ἐκ τῶν γραμμάτων ἀπειλάς.

CVIII. Πολλάκις γοῦν γράψαντος Κωνσταντίου καὶ τὰ μὲν κολακεύοντος ὡς πατέρα, τὰ δὲ ἀπειλοῦντος, καὶ τοὺς ἐξορισθέντας ὀνομάζοντος, καὶ λέγοντος, ἔτι σὺ μόνος τυγχάνεις ὁ κατὰ τῆς αἱρέσεως; πείσθητι καὶ γράψον κατὰ Ἀθανασίου. ὁ γὰρ κατ' ἐκείνου γράφων, πάντως τὰ Ἀρειανῶν μεθ' ἡμῶν φρονήσει. ὁ κατυβρισθεὶς ὁ Ὅσιος, ἀλλὰ καὶ πάσχων ὕβρεις, ἔγραψε καὶ αὐτὸς τοιαῦτα, καὶ τὴν ἐπιστολὴν ἀνέγνωμεν. καὶ ἔστιν ἐν τῷ τέλει γεγραμμένη.

CIX. Ideſt: *Verberari enim Chriſtianorum proprium eſt: flagellare autem Chriſtianos, Pilati & Caiphæ officia ſunt. Ad iſtum modum Romanam Eccleſiam adorti ſunt pervertere, cupientes illi admiſcere ſuam impietatem. Liberius deinde poſt exactum in exſilio biennium inflexus eſt, miniſque mortis ad ſubſcriptionem inductus eſt. Verum illud ipſum quoque, & eorum violentiam, & Liberii in hæreſim odium, & ſuum pro Athanaſio ſuffragium, cum liberos affectus habebat, ſatis coarguit. Quæ enim per tormenta contra priorem ejus ſententiam extorta ſunt, ea jam non metuentium, ſed ita cogentium voluptates habendæ ſunt. Omnia quidem illi pro hæreſi ſua moliti ſunt; ſingulæ tamen Eccleſiæ Fidem, quam didicerant, retinuere; ſed ita ut & magiſtros deſiderarent, & Chriſto inimicam hæreſin coacti admitterent, quam tamen, ut ſerpentem, animis ſuis averſabantur.*

CX. *Tantis, ac talibus ſceleribus factis, nihilominus ſe adhuc feciſſe arbitrabantur, quamdiu magnus ille Oſius eorum malitiam expertus non eſſet. Nam in eum talem, tantumque Virum, ſuam rabiem protendere ſtuduerunt: neque quod pater eſſet Epiſcoporum, reveriti ſunt: neque quod confeſſor erat, pudore moti ſunt: neque quod ſexageſimum annum, & eo amplius, in Epiſcopatu agebat, reſpexerunt; ſed omnia ſimul vilipendentes, ad ſolam ſuam hæreſin oculos intentos habuere, homines revera neque Deum timentes, neque hominem verentes.*

CXI. *Adorti igitur Conſtantium, talibus verbis alloquuntur: Omnia quidem a nobis facta ſunt, profligavimus in exſilium Romanorum Pontificem, & jam ante eum extorres fecimus quamplurimos Epiſcopos, omnia loca terroribus implevimus, ſed tamen pro nihilo ſunt tanta tua opera, neque quicquam profecimus, quamdiu reliquus eſt Oſius. Quamdiu enim ille in ſuis agit, omnes in ſuis Eccleſiis agere videntur: poteſt ille & verbis, & auctoritate Fidei ſuæ omnes contra nos inducere.*

CXII. *Hic princeps eſt Synodorum; & ſi quid ſcribit, ubique auditur: hic Formulam Fidei in Nicæna Synodo concepit, & Arianos ubique pro hæreticis traduxit. Quod ſi ille igitur in ſuo ſtatu maneat, ſupervacuum eſt cæterorum exſilium: hæreſis enim noſtra cedere cogitur. Incipe igitur & hunc perſequi, neque illi ob annos parcendum putes; ſiquidem hæreſis noſtra non curat ſeniorum canitien. Auditis ergo iſtorum verbis, non cunctandum ſibi ratus Conſtantius, ut qui Virum noſſet, & quantæ auctoritatis ſenex ille eſſet, ſcribit, & edicit, ut ad ſe veniat, quemadmodum & Liberium initio tentavit.*

CXIII. *Venientem igitur rogabat hominem, & ſolitis ſuis verbis, quibus alios circumvenire pro more habebat, excipit, cohortaturque, ut in nos ſubſcriberet, & cum Arianis communionem haberet: ſenex vero ejus rei vel auditum ægre ferens, mæſtuſque, quod vel tinnitum eorum verborum ſentiret, Imperatorem magnis rationibus conterritum de ſententia deduxit, atque ita in patriam ſuam, ac Eccleſiam rediit.*

CXIV. *Verum cum Ariani denuo lamentarentur, Imperatoremque irritarent, & Eunuchi ſermonibus ſubſervientes, eum majorem adhuc in modum exacerbarent; ſcribit denuo cum minis ad Oſium: ille autem contumeliis quidem afficiebatur, ſed tamen ob terrores illos de ſententia ſua non deceſſit, & decretum animi conſtanter retinuit: quippe qui ſupra firmam petram Fidei domicilium ſuum ædificaverat, & liberrime contra hæreſin, imbres, & ventos Epiſtolarum minas arbitrans, loquutus eſt.*

CXV. *Subinde igitur Conſtantio ſcribente, & nunc quidem blandiente, patremque eum appellante, nunc interminante, & relegatos enumerante, & his verbis eum conveniente; ſoluſne etiamnum hoſtis hæreſeos manebis? Obſequere, & ſcribe contra Athanaſium: qui enim contra eum ſcribit, ille plane nobiſcum Arianas ſententias amplectitur: nihil ad iſta* ex-

expavit Oſius, quia inter contumelias, quas patiebatur, iſtiuſmodi Epiſtolam ſcripſit, quam ipſi legimus, & ſub finem adjecimus.

CXVI. Hactenus ſanctiſſimus Doctor Athanaſius, a quo fideliter, & exacte relatam habemus perſecutionem illam Conſtantii Imperatoris, & Arianorum ipſum lactantium adverſus Catholicos, nominatimque contra Liberium Papam, & Oſium, ſine cujus aſſenſu, aut ſuffragio in eandem ſententiam, nihil ſe agere, aut proficere in eo certamine profitebantur. Huc maxime ſpectant verba ipſorum de Oſio, inſignibus elogiis plena: HIC PRINCEPS EST SYNODORUM: ET SI QUID SCRIBIT, UBIQUE AUDITUR. HIC FORMULAM FIDEI IN NICÆNA SYNODO CONCEPIT, ET ARIANOS UBIQUE UT HÆRETICOS TRADUXIT.

CXVII. *Venientem igitur rogabat &c.*] Hinc patet, Oſium ſæpe vocatum fuiſſe a Conſtantio, ut condeſcenderet deſiderio Arianorum: & prima quidem vice, venerandum ſenem diu, multumque impetitum, nullatenus conſenſiſſe; quin potius Conſtantium ipſum flexiſſe, & ab eo reditum *in Eccleſiam* impetraſſe. Fortaſſe tunc Cordubam reverſus, celebravit ibi eam Synodum ſupra ex Libello Synodico memoratam, in qua Athanaſium, & nonnullos alios, quos ipſe antea in Concilio Sardicenſi innoxios declaraverat, iterum inſontes haberi decrevit: Urſacium vero, ac Valentem, & alios Arii gregales, qui ibidem damnati fuerant, denuo reos & iniquos cenſeri voluit.

CXVIII. Sed contendentibus his, & nullum lapidem non moventibus, quoniam ex periebantur unius Oſii reſiſtentiam ſatis eſſe, ne quicquam proficeret ipſorum ſecta, adiere iterum Conſtantium, ejuſque Eunuchorum ſollicitationibus uſi ſunt, ut denuo Oſium, quamvis centenarium, vocaret Sirmium, immo reluctantem cogeret ad longiſſimam peregrinationem terra marique, ab uno fere extremo totius Europæ in aliud. Scripſit itaque Conſtantius *tum minis ad Oſium*. Sed is tamen licet contumeliis afficeretur, & terroribus, *de ſententia ſua non deceſſit, & decretum animi conſtanter retinuit, veluti ſupra firmam petram fundatus, & liberrime contra hæreſin, imbres, & ventos Epiſtolarum* (Conſtantii) *minas arbitrans, loquutus eſt*. Habemus hinc, Oſium a Conſtantio per plures Literas vocatum fuiſſe Corduba Sirmium: ſine fructu tamen, quoniam ille renuit venire, & immobilis in Fidei Catholicæ profeſſione permanſit.

CXIX. *Subinde igitur Conſtantio ſcribente*, (proſequitur Athanaſius) *& nunc quidem blandiente, patremque eum appellante, nunc interminante, & relegatos* (inter quos præcipuus erat Liberius Papa) *enumerante, &c.*] ut ſcriberet contra Athanaſium; ad hæc nihil expavit venerandus ſenex Oſius. Quin & Imperatori reſcripſit Epiſtolam ſequentem, zelo Fidei, & libertate ſacerdotali plenam, quam affert ſtatim idem S. Doctor, & nos κατὰ πόδας ex ipſo Græce, ac Latine exhibere voluimus.

E X C U R S U S IX.

Quid reſponderit Oſius Literis Conſtantii Imperatoris, hortantis, & urgentis, ut Corduba Sirmium proficiſceretur, quo ibidem ſubſcriberet damnationi Athanaſii, & factioni Arianorum. Epiſtola ejuſdem Oſii Græce ac Latine exhibetur.

Ο Σ Ι Ο Σ Κ Ω Ν Σ Τ Α Ν Τ Ι Ω.

Βασιλεῖ ἐν Κυρίῳ χαίρειν.

CXX. ΕΓΩ' μὲν ὡμολόγησα καὶ τὸ πρῶτον, ὅτε διωγμὸς γέγονεν ἐπὶ τοῦ πάππου σου Μαξιμιανοῦ. εἰ δὲ καὶ σύ με διώκεις, ἕτοιμος καὶ νῦν πᾶν ὁτιοῦν ὑπομένειν, ἢ ἐκχέειν ἀθῷον αἷμα, καὶ προδιδόναι τὴν ἀλήθειαν. σὲ δὲ οὐκ ἀποδέχομαι τοιαῦτα γράφοντα καὶ ἀπειλοῦντα. παῦσαι τοῦ τοιαῦτα γράφειν, καὶ μὴ φρόνει τὰ Α'ρείου, μηδὲ ἄκουε τῶν ἀνατολικῶν, μηδὲ πίστευε τοῖς περὶ Ο'υρσάκιον καὶ Ο'υάλεντα. ἃ γὰρ ἐκεῖνοι λέγουσιν, οὐ διὰ Α'θανάσιον φθέγγονται, ἀλλὰ διὰ τὴν ἰδίαν αἵρεσιν.

CXXI. Πίστευσόν μοι Κωνστάντιε, πάππος εἰμί σου καθ' ἡλικίαν, ἐγενόμην αὐτὸς ἐν τῇ κατὰ Σαρδικὴν Συνόδῳ, ὅτε σύ τε καὶ ὁ μακαρίτης ἀδελφός σου Κώνστας, πάντας ἡμᾶς συνήγαγε, καὶ δι' ἐμαυτοῦ τοὺς ἐχθροὺς Α'θανασίου προσεκαλεσάμην, ἐλθόντας αὐτοὺς εἰς τὴν Ε'κκλησίαν, ἐν ᾗ ᾤκουν ἐγὼ, ἵν' εἴ τι ἔχοιεν κατ' αὐτοῦ, λέγωσιν. ἐπαγγειλάμενος αὐτοῖς θαῤῥεῖν, καὶ μὴ ἄλλο τι προσδοκᾶν, ἢ ὀρθὸν τὸ κριτήριον ἐπὶ πᾶσιν ἔσεσθαι. τοῦτο δὲ οὐχ ἅπαξ, ἀλλὰ καὶ δεύτερον ἐποίησα, προτρέπων, εἰ μὴ θέλοιεν ἐπὶ πάσης τῆς Συνόδου, κἂν ἐπ' ἐμοῦ μόνου. ἐπαγγειλάμενος πάλιν, ὅτι ἂν μὲν ὑπεύθυνος δειχθῇ, πάντως ἀποβληθήσεται καὶ παρ' ἡμῶν. ἂν δὲ ἀναίτιος εὑρεθῇ, καὶ ἐλέγξῃ συκοφάντας ὑμᾶς, εἰ παραιτήσεσθε τὸν ἄνθρωπον, ἐγὼ μετ' ἐμαυ-

OSIUS CONSTANTIO

Imp. in Domino ſalutem.

CXX. *EGo confeſſionis munus explevi, primum cum perſecutio moveretur ab avo tuo Maximiano: quod ſi tu quoque perſecutionem moves, etiam nunc ad quidvis potius ſuſtinendum paratus ſum, quam ut effundam innocentem ſanguinem, & veritatem prodam: teque nequaquam probo talia ſcribentem, & iſtiuſmodi minas denunciantem. Deſinas igitur iſtiuſmodi ſcribere, neque ſentias cum Ario, neque audias Orientales, neque Urſacio, & Valenti fidem habeas: quæ enim illi dicunt, non ob Athanaſium, ſed ob ſuam hæreſim dicunt.*

CXXI. *Mihi crede, qui tibi avus ætate eſſe poſſem: fui ipſe in Sardicenſi Concilio, cum tu, tuuſque frater beatus Conſtans nos omnes eo convocabat: ipſeque ultro Athanaſii inimicos provocavi, cum ad Eccleſiam, ubi ego commorabar, adveniſſent, ut ſi quid contra eum haberent, ederent, promiſique eis ſecuritatem, neve quicquam aliud exſpectarent, quam rectum in omnibus judicium, idque non ſemel, ſed bis feci: quod ſi nollent rem ab univerſa Synodo diſceptari, ſaltem me judice uterentur: promiſique etiam, nos Athanaſium, ſi in noxa reperiretur, omnibus modis ejecturos eſſe. Quod ſi innocens deprehendatur, & vos oſtenderit calumniatores, & æque illum re-*

τὸ πεῖσαι τὸν Ἀθανάσιον ἐλθεῖν εἰς τὰς Σπανίας.

CXXII. Καὶ ὁ μὲν Ἀθανάσιος ἐπὶ τούτοις ἐπείθετο, καὶ οὐκ ἀντέλεγεν. ἐκεῖνοι δὲ πρὸς πάντα μὴ θαῤῥοῦντες ἴσως ἀνένευον. ἐγένετο δὲ πάλιν ὁ Ἀθανάσιος εἰς τὸ σὸν στρατόπεδον, ἡνίκα μετεπέμψω γράψας αὐτῷ, καὶ παρόντας ἐν Ἀντιοχείᾳ τοὺς ἐχθρούς, κληθῆναι πάντας ἢ ἕκαστον αὐτῶν ἠξίωσεν, ἵν' ἢ ἐλέγξωσιν, ἢ ἐλεγχθῶσι, καὶ ἵνα ἢ παρόντα δείξωσιν, οἷον λέγουσιν, ἢ ἀπόντα μὴ διαβάλλωσι, καὶ οὔτε σὺ λέγοντας ἠνέσχου, ἀλλὰ κἀκεῖνοι παρῃτήσαντο.

CXXIII. Τί τοίνυν ἀκούεις ἔτι τῶν κακηγορούντων αὐτόν; πῶς ἀνέχῃ Οὐάλεντος καὶ Οὐρσακίου; καίτοι μετανοησάντων αὐτῶν, καὶ ἐγγράφως αὐτῶν ὁμολογησάντων τὴν συκοφαντίαν; ὡμολόγησαν γὰρ οὐ βίαν παθόντες, ὡς αὐτοὶ προφασίζονται, οὐ στρατιωτῶν ἐπικειμένων, οὐκ εἰδότος τοῦ ἀδελφοῦ σου· οὐκ ἐγίγνετο γὰρ παρ' αὐτῷ τοιαῦτα, οἷα νῦν γίγνεται, μὴ γένοιτο, ἀλλ' αὐτοὶ θέλοντες, ἑαυτοὺς ἀνῆλθον εἰς τὴν Ῥώμην, καὶ τοῦ Ἐπισκόπου καὶ τῶν πρεσβυτέρων παρόντων ἔγραψαν, γράψαντες πρῶτον καὶ Ἀθανασίῳ φιλικὴν καὶ εἰρηνικὴν ἐπιστολήν.

CXXIV. Εἰ δὲ βίαν προφασίζονται, καὶ τοῦτο γινώσκουσι κακόν, οὐκ ἀποδέχῃ δὲ καὶ σύ. παῦσαι τοῦ βιάζεσθαι, καὶ μήτε γράφε, μήτε πέμπε κόμητας. ἀλλὰ καὶ τοὺς ἐξορισθέντας ἀπόλυσον, ἵνα μὴ βίαν αἰτιωμένου σου, μείζονας βίας ἐκεῖνοι ποιῶσι.

CXXV. Τί γὰρ τοιοῦτο γέγονε παρὰ Κώνσταντος; τίς Ἐπίσκοπος ἐξωρίσθη; πότε κρίσεως Ἐκκλησιαστικῆς μέσος γέγονε; ποῖος αὐτοῦ Παλατῖνος ἠνάγκασε κατά τινος ὑπογράψαι, ἵνα οἱ περὶ Οὐάλεντα τοιαῦτα λέγωσι.

CXXVI. Παῦσαι, παρακαλῶ καὶ μνήσθητι, ὅτι θνητὸς ἄνθρωπος τυγχάνεις. φοβήθητι τὴν ἡμέραν τῆς κρίσεως, φύλαξον σεαυτὸν εἰς ἐκείνην καθαρόν. μὴ τίθει σεαυτὸν εἰς τὰ Ἐκκλησιαστικά, μηδὲ σὺ περὶ τούτων ἡμῖν παρακελεύου. ἀλλὰ μᾶλλον παρ' ἡμῶν σὺ μάνθανε ταῦτα. σοὶ βασιλείαν ὁ Θεὸς ἐνεχείρισεν. ἡμῖν τὰ τῆς Ἐκκλησίας ἐπίστευσε. καὶ ὥσπερ ὁ τὴν σὴν ἀρχὴν ὑποκλέπτων ἀντιλέγει τῷ διαταξαμένῳ Θεῷ. οὕτω φοβήθητι, μὴ καὶ σὺ τὰ τῆς Ἐκκλησίας εἰς σεαυτὸν ἕλκων, ὑπεύθυνος ἐγκλήματι μεγάλῳ γένῃ. ἀπόδοτε, γέγραπται, τὰ Καίσαρος, Καίσαρι, καὶ τὰ τοῦ Θεοῦ, τῷ Θεῷ. οὔτε τοίνυν ἡμῖν ἄρχειν ἐπὶ τῆς γῆς ἔξεστιν. οὔτε σὺ τοῦ θυμιᾶν ἐξουσίαν ἔχεις, βασιλεῦ.

CXXVII. Ταῦτα μὲν οὖν κηδόμενος τῆς σῆς σωτηρίας γράφω. περὶ δὲ ὧν ἐπέστειλας, ταύτης εἰμὶ τῆς γνώμης. ἐγὼ οὔτε Ἀρειανοῖς συγκατατίθεμαι. ἀλλὰ καὶ τὴν αἵρεσιν αὐτῶν ἀναθεματίζω. οὔτε κατὰ Ἀθανασίου γράφω, ὃν ἡμεῖς τε καὶ ἡ Ῥωμαίων Ἐκκλησία, καὶ πᾶσα ἡ Σύνοδος ἐκαθάρισε.

CXXVIII. Καὶ γὰρ ταῦτα καὶ σὺ συνορῶν μετεπέμψω τὸν ἄνθρωπον, καὶ συνεχώρησας αὐτῷ μετὰ τιμῆς εἰς τὴν πατρίδα καὶ τὴν Ἐκκλησίαν ἐπανελθεῖν. τίς τοίνυν γέγονε πρόφασις τῆς τοσαύτης μεταβολῆς; οἱ αὐτοὶ γὰρ ἐχθροὶ εἰ καὶ πρότερον ἦσαν καὶ νῦν εἰσιν αὐτοῦ, καὶ ἃ νῦν ψιθυρίζουσιν. οὐ γὰρ παρόντος αὐτοῦ φθέγγονται. ταῦτα καὶ πρὶν πέμψῃ τὸν Ἀθανάσιον κατελάλουν, ταῦτα καὶ ἐλθόντες εἰς τὴν Σύνοδον διεθρύλλουν.

recuſaveritis, ego illi perſuadebo, ut mecum in Hiſpanias veniat.

CXXII. *Athanaſius autem his conditionibus obtemperavit, nihil contra obloquutus: illi vero ad omnia æque diffidentes receſſerunt, Athanaſius deinde tuis literis accerſitus venit in caſtra tua, omneſque inimicos ſuos, qui Antiochiæ præſto erant, ſingulatim citari juſſit, ut aut redarguerent, aut redarguerentur, & aut ſe præſentem commonſtrarent ea feciſſe quæ objecerant, aut ne abſentem calumniarentur, ſed ne te quidem hæc ipſis denunciantem ſuſtinuerunt, minime iſtiuſmodi conditiones admittentes.*

CXXIII. *Cur igitur nunc audis obtrectatores ejus? aut cur toleras Valentis, & Urſacii criminationes, pœnitentia & ſcripto profeſſos ſe calumniam feciſſe? Confeſſi enim ſunt ſuam ſycophantiam, non vi adacti, ut ipſi cauſſantur, cum nulli ibi milites incumberent, & tuus frater neſciret. Nihil enim tale ſub ipſo agebatur. qualia nunc fiunt, ſed illi ultro Romam venerunt, & coram Epiſcopo, Presbyteriſque ibi præſentibus confeſſionem ſuam ſcripto ediderunt, cum prius pacatas Literas, & amicas ad Athanaſium dediſſent.*

CXXIV *Quod ſi iis libet vim cauſſificari, idque pro malo habent, nec a te probatur; omitte igitur & tu violentiam tuam, nec Literas ſcribe, nec Comites mitte; ſed relegatos exſiliis libera, nec te de vi querente, majorem vim illi ſub tuo nomine exerceant.*

CXXV. *Quid enim tale a Conſtante actum eſt? aut quis ibi Epiſcopus relegatus? aut quando judiciis Eccleſiaſticis interfuit? aut quis ipſius Palatinus vim adhibuit, ut contra aliquem ſubſcriptio fieret, ut idem Valens cum ſuis aliquid colligat, habeatque, quod objiciat.*

CXXVI. *Deſine, quæſo, & memineris, te mortalem eſſe: reformida diem judicii. ſerva te in illam diem purum: ne te miſceas Eccleſiaſticis, neque nobis in hoc genere præcipe, ſed potius ea a nobis diſce. Tibi Deus Imperium commiſit: nobis quæ ſunt Eccleſiæ concredidit; & quemadmodum qui tuum Imperium occultis conatibus invadit, contradicit ordinationi Divinæ: ita & tu cave, ne quæ ſunt Eccleſiæ ad te trahens, magno crimini obnoxius fias.* Date (*ſcriptum eſt*) quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ Dei Deo. *Neque igitur fas eſt nobis in terris Imperium tenere, neque tu thymiamatum, & Sacrarum poteſtatem habes Imperator.*

CXXVII. *Hæc quidem ob curam tuæ ſalutis ſcribo, & de iis, quæ in Epiſtolis ſcribis, hanc meam ſententiam accipe. Ego neque Arianis aſſideo, neque ſuffragor, ſed eorum hæreſim anathemate damno, neque Athanaſii accuſationibus ſubſcribo, quem nos, & Romana Eccleſia, & univerſa Synodus innocentem pronunciavit.*

CXXVIII. *Nam & tu quoque, cum rem cognitam perſpectamque haberes, Athanaſium accerſiviſti; feciſti ei copiam, ut cum honore in patriam, & Eccleſiam reverteretur. Quæ igitur cauſſa eſt hujus tantæ mutationis, cum iidem inimici ejus ſint, qui antea fuerunt? Et quæ nunc ſuſurrant, nihil eorum, cum ille præſens eſſet, hiſcere audebant; ſed ea, antequam accerſeres Athanaſium, obmurmurabant,*

καὶ ἀπαιτούμενοι παρ' ἐμοῦ, καθὰ προεῖπον, τὰς ἀποδείξεις οὐκ ἴσχυσαν παρασχεῖν. εἰ γὰρ εἶχον, οὐκ ἂν ἔφυγον οὕτως αἰσχρῶς.

CXXIX. Τίς σε ἔπεισε μετὰ τοσοῦτον χρόνον ἐπιλαθέσθαι τῶν σεαυτοῦ γραμμάτων καὶ ῥημάτων; ἐπίσχες, καὶ μὴ πείθου κακοῖς ἀνθρώποις, ἵνα μὴ διὰ τὸ πρὸς ἀλλήλους καθῆκον, σεαυτὸν ὑπεύθυνον ποιήσῃς. ὧδε γὰρ τούτοις καθηκοντεύεις, ἐν δὲ τῇ κρίσει μόνος μέλλεις ἀπολογήσασθαι. οὗτοι τὸν ἴδιον ἐχθρὸν, διὰ σοῦ θέλουσιν ἀδικεῖν, καὶ βούλονταί σε διάκονον τῆς ἑαυτῶν πονηρίας γενέσθαι, ἵνα διὰ σοῦ καὶ τὴν μυσαρὰν αἵρεσιν, εἰς τὴν Ἐκκλησίαν ἐπισπείρωσιν. οὐκ ἔστι δὲ φρόνιμον δι' ἄλλων ἡδονὴν ἑαυτὸν εἰς πρόδηλον κίνδυνον ἐμβάλλειν, παῦσαι, παρακαλῶ, καὶ πείσθητί μοι, Κωνστάντιε. ταῦτα γὰρ πρέπει καὶ ἐμὲ γράφειν, καὶ σὲ τούτων μὴ καταφρονεῖν.

bunt , quo tempore a me conventi , quemadmodum ſuperius dixi , ut ederent criminum documenta , nihil in medium adducere potuerunt . nam ſi quicquam potuiſſent , non ita turpiter aufugiſſent .

CXXIX *Quis te igitur induxit , ut poſt tantũ temporis tuorum literarum & ſermonum oblivisceveris ? Inbibe te , quæſo , neque aures præbeas malis hominibus , neque ob mutuas invicem cum illis gratificationes , temetipſum reum facias. Quæ enim iis indulſeris , de illis in judicio ſolus cogeris cauſſam reddere . Iſti ſuum inimicum per te ſatagunt injuria afficere , teque volunt miniſtrum ſuæ malitiæ eſſe; ut per te deteſtabilem hæreſim in Eccleſia ſeminent . Non eſt prudentis , in gratiam alienæ libidinis ſe ipſum in certum periculum conjicere . Deſine , quæſo , & auſculta mihi , Conſtanti : hoc enim decet , & me ſcribere , & te non vilipendere .*

CXXX. Subdit vero Athanaſius , ſtatim poſt Epiſtolam Oſii exſcriptam : Ταῦτα μὲν ὁ Ἀβραμιαῖος γέρων , ὁ ἀληθῶς Ὅσιος , ἐφρόνησέ τε καὶ ἔγραψεν . *Hæc Abrahamicus ille ſenex, vere Oſius, ideſt,* ſanctus, *& ſenſit, & ſcripſit.*

CXXXI. Ac merito quidem ita loquitur Athanaſius , juſtiſque elogiis extollit venerandum illum Præſulem , quo nemo unquam liberius , nemo animo ſublimiori Deitatem veram Chriſti , & doctrinam Eccleſiæ Catholicæ, contra Arianos rerum potientes ſub Conſtantio Imperatore defendit . Et quamvis ille ſolus fere ubique terrarum dominaretur (utpote mortuo jam Conſtante , a quo in officio continebatur) & vires omnes exereret ad trahendum Oſium in Arianam impietatem, literis iteratis , minis , terroribus , blandimentis; ſtetit ſenex immotus , *veluti Marpeſia cautes* . Quin & tot ac talia illi regeſſit in Epiſtola præjacta , ut palam oſtenderet , ſe longe ſuperiori animo eſſe , quam Conſtantium ipſum : cui proinde exprobrat aperte impietatem Arianam , inconſtantiam judicii , facilitatem credendi calumniatoribus , & injuſtitiam damnandi Athanaſium , quem poſt accuratiſſimum rei examen antea innoxium prorſus invenerat .

EXCURSUS X.

Obſervantur nonnulla in præjactam Epiſtolam Oſii ad Conſtantium , Sacerdotali ſpiritu , ac libertate plenam . Oſium ſub initium quarti ſæculi tormenta, & vibices pro Chriſti Fide paſſum . Ætas illius , & Conſtantii invicem computatu . An reipſa ſecum in Hiſpaniam detulerit Athanaſium . Impudentia Conſtantii æternitatem ſibi tribuentis , ab Oſio reprehenſa .

CXXXII. POſſet inſtitui ampliſſimus Commentarius , & ſatis fructuoſus, in præjactam Oſii Epiſtolam ; non modo ad concordiam inter Sacerdotium , & Regnum ſtabiliendam , reſervato unicuique proprio jure , ſed etiam ad oſtendendum, qualiter Epiſcopi ſe gerere debeant , quoties Imperatores, ac Principes quique terreni Eccleſiæ jura invadunt , aut ejus libertatem violant, vel in ſacros homines auctoritatem exercere non verentur . Sed cum hoc ex inſtituto tractare non ſpectet ad ſcopum hujus Operis , id aliis agendum relinquo . Fortaſſis enim expediet , quempiam virum præſtantem, æque doctum, ac pium , in ſe recipere eam tractationem ſupra hanc Epiſtolam , etiam poſtquam Illuſtriſſimus Archipræſul Marca tam late de eo argumento diſſeruit in Libris , *De Concordia Sacerdotii , & Imperii*,ac poſtea Clariſſimus Princeps Cæleſtinus Sfondratus in ſuo *Reguli Sacerdotio* , quod cum eximia laude eruditorum omnium manibus teritur . Itaque placet modo ſolum nonnulla in ea Epiſtola obſervare , quæ opportuna ſunt methodo, ac ſcriptioni noſtræ .

CXXXIII. *Ego confeſſionis munus explevi &c.*) Memorat Oſius perſecutionem Chriſtianorum ſub Daciano Hiſpaniarum Præſide illatam tempore Maximiani Imperatoris, quem τὸν πάππον , id eſt , *avum* , appellat Conſtantii . Nimirum in illa tot Martyrum laniena , quos vel in ſola Cæſarauguſta innumerabiles fuiſſe, ſatis oſtendimus Diſſert. xvi. hujus Tomi Excurſu V. paſſus fuit ipſe Oſius diros cruciatus ob defenſionem Fidei anno ccciv. & vibices contraxit ex tormentis relictos , qui illum reliquo longiſſimo vitæ tempore venerabilem toti Eccleſiæ reddiderunt , & imprimis charum Imperatori Conſtantino , uti ſupra a numero 16. dictum eſt .

CXXXIV. Porro Oſius ex fortitudine, & & tolerantia ſua veteri cruciatuum illorum , animos reſumit , & ſuggerit Conſtantio , ſe æque modo , licet in extrema ætate , paratum eſſe ad quodvis durum , & terribile ſuſtinendum , ne ſanguinem innoxium fundat , vel juſtitiam, aut veritatem prodat, damnando Athanaſium , vel conſentiendo Urſacio , ac Valentini , qui Ariana hæreſi infecti , illum inſectabantur , veluti in ea parte ſibi adverſarium .

CXXXV. *Mihi crede , qui tibi avus ætate eſſe poſſem*) Nimirum anno ccciii. interfuerat Oſius Concilio Eliberitano, & inter undeviginti Epiſcopos , qui aderant , ſubſcripſerat , juxta Codices Mendozæ mſs. undecimo loco , juxta alios vero ſecundo. Epiſtola autem Conſtantii , cui reſpondet Oſius , videtur ſcripta anno ccclvi. aut circiter , ſiquidem anno ἀμέσως ſequenti per vim illatam a Conſtantio, Corduba Sirmium abductus fuit Oſius .

Præceſſerant itaque plus minus quinquaginta quatuor anni Epiſcopatus Oſii a tempore, quo interfuerat jam Epiſcopus Concilio apud Eliberim. Immo & S. Athanaſius verbis ſupra num. 110 exſcriptis, inquit de Oſio: *Sexaginta jam, & eo amplius, annos in Epiſcopatu agebat*. Quare attenta ætate, poſſet Oſius jam tum fere centenarius, fuiſſe avus Conſtantii Imperatoris, qui tunc viceſimum circiter annum Imperii numerabat; ætatis vero plus minus quadrageſimum. Mortuus enim fuit poſtea anno Chriſti CCCLXI. ætatis XLV. teſtibus Ammiano, & Socrate. Natus itaque fuit Conſtantius anno circiter CCCXVI. quo tempore Oſius numerabat ætatis annos plus minus quinquaginta quinque. Vnde dubium non eſt, quin attenta ætate illius avus eſſe potuiſſet.

CXXXVI. *Fuit ipſe in Sardicenſi Concilio &c.*) Nimirum anno CCCXLVII. ut ſupra Excurſu IV. præmiſimus, & qualiter in eo ſe geſſerit Oſius. Nunc addit, Concilium id celebratum fuiſſe hortatu ejuſdem Conſtantii, ac fratris ipſius Conſtantis, quem τῷ μακαρίτῃ, id eſt, *beati* appellatione honorat, tum quod bonus Imperator fuiſſet, tum quod jam tum vita functus eſſet. Scilicet Conſtans, anno CCCXLVIII. poſt celebratum Concilium Sardicenſe, monuit Conſtantium, ut Athanaſium, & alios Epiſcopos in ea Synodo inſontes declaratos, ſuis Eccleſiis reſtitueret. Biennio autem poſt, id eſt, anno CCCL. quo Magnentius perfidus, & ingratus Imperium uſurpavit Conſtanti, hic anno ætatis ſuæ quadrageſimo interfectus fuit. Unde oportet, Epiſtolam hanc Oſii loquentis de Conſtante veluti jam vita functo, ſaltem poſt cædem Conſtantis ſcriptam fuiſſe, & quantum judicare poſſum, anno CCCLVI. plus minuſve, ut jam ante monui.

CXXXVII. Subdit deinde plura in defenſionem Athanaſii, adverſus quem Urſacius, & Valens, cæterique inimici nihil probare potuerunt: quin & veritate conſtricti, ſuam ſycophantiam, ſive calumniam, pœnitentia, & ſcripto confeſſi ſunt: ut propterea indignum eſſet Conſtantio, ac plane injuſtum, iis aures præbere de cætero in ea accuſatione, ob quam infamia notati fuerant. Sane nihil ejuſmodi permiſſurum fuiſſe ævo ſuo Conſtantem: ſub ejus Imperio nullum Epiſcopum relegatum fuiſſe: nunquam illum judiciis Eccleſiaſticis interfuiſſe: Palatinos ejus, ſive aulæ miniſtros nemini adhibuiſſe vim, ut ſubſcriberet contra quempiam. Hæc, & plura alia ibi.

CXXXVIII. Notanda autem ſunt verba illa Oſii de Athanaſio præcedentia intra Concilium Sardicenſe: *Quod ſi innocens deprehendatur, & vos oſtenderit calumniatores, & æque illum recuſaveritis: ego illi perſuadebo, ut mecum veniat in Hiſpaniam*. Hinc aliquis fortaſſe colliget, veram eſſe narrationem quorundam recentiorum deſumptam ex Chronicis noviter detectis (ſeu potius obtruſis) qua ajunt, Athanaſium reipſa cum Oſio Hiſpaniam adiiſſe, & aliquanto tempore ibidem moratum, ad vitandam perſecutionem Arianorum. Sane eruditus Bivarius in Commentariis ad Dextrum anno CCCLII. pag. 381. relatis iis Athanaſii verbis, non dubitat, Olympium Thraciæ Epiſcopum, eadem cum eo ſentientem, fuiſſe adductum in Hiſpaniam ab Oſio, dum ſtatim ſubdit: *Similiter cum Olympio Athanaſii in ſententia compare, factum ab Oſio non ambigo*; nimirum, ut pariter ab Oſio in Hiſpaniam deferretur. Et paullo ante præmiſerat Bivarius, Athanaſium Hiſpaniam adiiſſe comitem Oſii, idque mox probandum receperat.

CXXXIX. Sed enim nullam rei probationem ſolidam adjungit Bivarius, nec potuit illam colligere ex verbis præjactis Athanaſii, cujus propoſitum deferendi ſecum Oſium in Hiſpaniam, non fuit abſolutum, ſed dumtaxat conditionale, ſi Athanaſius poſt innocentiam ſuam in Concilio Sardicenſi probatam, & calumniam adverſariorum convictam, non reciperetur in communionem. Cum vero in eodem Concilio numeroſiſſimo, & plenario probata fuerit Athanaſii innocentia, & convicti ipſius adverſarii, & palam data eidem communio, ſeu potius reſtituta; non debuit Oſius, & fortaſſe, nec decenter potuit, exſequi propoſitum illud deferendi ſecum Athanaſium in Hiſpaniam. Neque enim decebat Athanaſium communioni reſtitutum deſerere Eccleſiam Alexandrinam ſibi commiſſam, & tam longe peregrinari in Hiſpaniam, præſertim Bæticam, quæ tunc terminus fere Orbis habebatur.

CXL. Deinde nemo veterum Scriptorum meminit ejus peregrinationis Athanaſii in Hiſpaniam, nec idem S. Doctor, quo nemo melius id teſtari potuiſſet. Quin nec in eo Chronico, ſeu potius pſeudo-chronico Dextri, ubi tam multa paſſim leguntur παράδοξα, & inaudita, id habetur, aut indicatur. Multo autem minus, quod alii obtrudere audent ex farraginibus aliorum pſeudo-chronicorum, S. Athanaſium eo tempore metu Arianorum delituiſſe apud Regnum Caſtellæ Veteris in ea parte montis Diſtertii, quæ tunc appellabatur Vallis-Venaria, nunc corrupto nomine *Valvanera*, ubi extat antiquiſſimum Monaſterium Ordinis S. P. N. Benedicti, quatuor leucis a Naxara Urbe verſus Meridiem, Beatiſſimæ Virgini dicatum ſub invocatione *De Valvanera*, quo ex proximis, & diſſitis locis Hiſpani devotionis cauſa, & miraculorum fama ducti, frequentiſſime confluunt. Nimirum permiſſo gratis, Oſium reipſa in Hiſpaniam ſecum detuliſſe Athanaſium, non eſt veriſimile, quod hic ſe reciperet in montem Diſtertium quadringentis circiter milliaribus Italicis diſtantem a Corduba, ubi habitabat Oſius, & in loco aliquo ſuæ Diœceſis palam, vel occulte poterat Athanaſium fideliſſimum amicum retinere, ac defendere.

CXLI. *Deſine, quæſo, & memineris, te mortalem eſſe*) Hiſce verbis Oſius non modo admonet Conſtantium mortalitatis ſuæ, ne inſoleſcat; ſed etiam reprehendere videtur, ob faſtuoſum illum, & plus nimio arrogantem æternitatis titulum, quem ſibi uſurpaſſe dicitur, aliquando auditus uti verbis illis, *Æternitatem meam*. Nimirum, Ammianus Lib. 5. ait de illo proſperitate rerum, & adulationibus inflato: *Immunem ſe deinde fore ab omni mortalitatis incommodo, confeſtim a juſtitia declinavit, ita intemperanter, ut Æternitatem meam aliquoties ſubſcriberet ipſe dictando*. Reprehendit illum hoc loco propterea Oſius, veluti negantem Filio Dei æternitatem, & ſibi adſcribentem, quo nihil ſceleratius, & inſolentius eſſe poteſt.

CXLII.

CXLII. Moneo autem, non ſemper Conſtantium Filio æternitatem negaſſe. Nam in Sirmienſi Formula, Euſebio & Hypatio Coſſ. coram Conſtantio Sirmii hibernante ab Epiſcopis quibuſdam concepta, teſte Sozomeno, definitum fuit, *Filium per omnia Patri ſimilem eſſe*. Unde ſtatim conſequens eſt, ut æternus pariter credatur. Nec alio referri poſſe videntur quæ apud Epiphanium Hæreſi LXXIII. leguntur de Fide, περὶ τοῦ ὅμοιον εἶναι τὸν υἱὸν τῷ πατρὶ κατὰ πάντα. Cumque Valens Epiſcopus ſubſcribens illi parti priori, qua Filius dicitur Patri ſimilis, nollet addere poſteriorem *per omnia*; Conſtantius ibidem ad ſubſcribendum coegit. Itaque tunc ſaltem non negabat æternitatem Filio Dei. Lege Præfationem doctiſſimam Nicolai Fabri ad Fragmenta S. Hilarii ex Bibliotheca Pithœana col. 408.

CXLIII. Sed & ipſi Epiſcopi Homouſio adverſantes, uſque adeo viles, & abjecti palpones, atque aſſentatores Conſtantii fuerunt, ut dum eripere ſatagebant Filio Dei ſimilitudinem κατὰ πάντα, ac proinde æternitatem; non vererentur illam Conſtantio adſcribere. Ob idque eos laceſſit Athanaſius nuper citatus in Libro de Synodis, *quod æternum illi Imperatorem non dubitarent dicere, qui æternum Dei eſſe negarent Filium*. Merito itaque Oſius huc loco ipſi Conſtantio inquit: παῦσαι, παρακαλῶ, καὶ μνήσθητι ὅτι θνητὸς ἄνθρωπος τυγχάνεις. *Deſine, quæſo, & memineris, te mortalem eſſe.*

CXLIV. Reliquas Epiſtolæ partes impendit Oſius in oſtenſionem conſtantiæ ſuæ, defenſionem Athanaſii, & nequitiam adverſariorum oſtendendam, ne Conſtantius ullam iis fidem præſtet. Vide infra num. 199. facetum locum Ammiani Marcellini contra eundem Conſtantium.

EXCURSUS XI.

Diſſeritur, an Oſius poſt lapſum illum miſerandum in Concilio Sirmienſi, ſerio pœnituerit, an potius impœnitens horrendam mortem ſubierit. Veterum teſtimonia ipſius famæ in ſpeciem adverſantia objiciuntur, & urgentur, præſertim Sanctorum Hilarii, & Euſebii Vercellenſis, ac Iſidori Hiſpalenſis, juxta quædam exemplaria mſs.

CXLV. HActenus ſatis de rebus Oſii uſque ad lapſum in Concilio Sirmienſi poſteriore celebrato anno CCCLVII. ſitum in eo, quod diuturnis tormentis, & perſecutionibus attritus, & vexatus, communicaverit Vrſacio, & Valenti; quod ſolum de illo teſtatur S. Athanaſius; vel etiam in eo, quod Formulæ illi ſupra num 80. exhibitæ ſubſcripſerit, quam S Hilarius blaſphemam appellat. Sinamus, Oſium utroque eo titulo lapſum fuiſſe, nec aliquid valere conjecturas noſtras, teſtimonio ſatis idoneo Athanaſii innixas potiſſimum, ut poſteriorem, & graviorem ſubſcriptionis notam evadat.

CXLVI. Reſtat modo inquirendum, an Oſius de illo qualicumque ſcelere, ſive lapſu pœnitentiam egerit, & tandem in pace, ac communione Eccleſiæ longiſſimum vitæ curſum finierit: an potius impœnitens, & horrenda, ut quidam ajunt, morte, de hoc mundo migraverit. Proponam primo argumenta, ſive difficultates, quæ ſuadere videntur, Oſium non egiſſe pœnitentiam, & miſerrimo fine vitæ periodum clauſiſſe: deinde vero exhibebo fundamenta in oppoſitum, & quid tandem ſentiendum ſit.

CXLVII. Primo contra Oſium allegantur multi antiquorum, qui referentes ejus lapſum, nullatenus meminerunt pœnitentiæ ipſius, quæ certe debuiſſet eſſe manifeſta, & publica, ſicuti & lapſus fuit publicus. Imprimis id conſtare videtur ex S. Hilario, Scriptore ejus temporis, & teſte oculato, aut aurito eorum omnium, quæ tunc inter Catholicos, & Arianos gerebantur. Quotieſcumque enim meminit Oſii, nunquam ſine exſecratione id feciſſe invenitur, præſertim Libro, *De Synodis*, ob Formulam illam Sirmienſem: Præterea Libro *Adverſus Conſtantium* jam vita functum, (ac proinde poſt obitum Oſii, qui aliquanto ante Conſtantium deceſſerat) inter plurimas alias iniquitates, quas eidem exprobrat, inter medium & finem ait: *Suſcipis etiam adverſum deliramenta Oſii, & incrementa Urſacii, ac Valentis, emendationum tuarum damnationes*. Si autem Oſius palam pœnituiſſet, incredibile apparet, quod Hilarius id non ſignificaret, ſaltem poſt mortem Oſii, ad æquitatem ſervandam, immo & ad juſtitiam Catholicæ cauſſæ tuendam contra Arianos, qui jactabant, Oſium ab ipſis ſtetiſſe.

CXLVIII. Secundo opponuntur teſtimonia omnium fere veterum, qui de lapſu Oſii apud Sirmium teſtimonium unanimiter ferunt; de penitentia vero ipſius altum ſilent, uti videre eſt apud Hiſtoricos illos, qui intra ſæculum ab ejus morte computatum ſcripſere; veluti Sulpicium Severum, Socratem, & Sozomenum. Quibus adjungi poſſunt, Phœbadius ſive Sœbadius Agennenſis adverſus Arianos, & Vigilius contra Eutychen Lib. 5. Idem colligitur ex Scriptoribus longe poſterioribus, veluti ex Auxilio, ſub initium ſæculi decimi, in Libro, *De Ordinationibus Formoſi Papæ*, & Nicephoro circa ſæculum decimum tertium. Quos omnes adverſus Oſium coacervant aliqui, & ex ſectariis David Blondellus in Præfatione Apologetica Genealogiæ Franciæ contra Chifletium. Nimirum homini exoſam habenti auctoritatem ſupremam Sedis Apoſtolicæ, ſive Romani Pontificis, exoſus fuit pariter Oſius, qui illam in Concilio Sardicenſi tam fortiter aſſerendam curavit.

CXLIX. Tertio urget maxime teſtimonium exſtans de Oſio apud S Iſidorum Hiſpalenſem Libro communiter inſcripto, *De Viris illuſtribus*, hiſce verbis: *Oſius Cordubenſis Civitatis Epiſcopus, ſcripſit ad ſororem ſuam,* De laude virginitatis, *Epiſtolam, pulchro, ac diſerto comptam eloquio. In Sardicenſi etiam Concilio quamplurimas ipſe edidit ſententias. Hic autem poſt longum ſenium vetuſtatis, accerſitus a Conſtantio Principe, miniſque perterritus; metuens, ne ſenex, & dives damnaretur, vel exſilium pateretur; illico Arianæ impietati conſenſit: cujus quidem vitam, ut meruit, confeſtim crudelis exitus finivit: nam poſt impium (ut ait quidam) Oſii prævaricationem, dum S Gregorius Eliberitanus Epiſcopus in Cordubenſem Urbem, juxta Imperiale Decretum, fuiſſet adductus, ac minime* vel-

velles illi communicare; commotus Oſius dixit Clementio Conſtantii Præfecto Vicario, ut mitteret eum in exſilium, at ille: Non audeo (inquit) *Epiſcopum in exſilium mittere, niſi prius eum ab Epiſcopatu dejeceris. Ut autem vidit S. Gregorius, quod Oſius vellet dare ſententiam, appellat Chriſtum, totis Fidei ſuæ viſceribus exclamans: Chriſte Deus, qui judicaturus es vivos, & mortuos, non patiaris hodie inhumanam proferri ſententiam adverſus me minimum ſervum tuum, qui pro Fide Nominis tui, ut reus aſſiſtens, ſpectaculum factus ſum: ſed tu ipſe, quæſo, in cauſſa tua hodie judica, ipſe ſententiam proferre dignare per ultionem. Non ego quaſi metuens de exſilio fugere cupio; cum mihi pro tuo Nomine nullum ſupplicium grave ſit, ſed ut multi a prævaricationis errore liberentur, cum præſentem viderint ultionem. His dictis, ecce repente Oſius reſidens, faſtu quaſi Regalis Imperii, cum ſententiam conaretur exprimere, os vertit, diſtorquens pariter & cervicem, ac de ſeſſu in terram eliditur, atque illico exſpiravit. Tunc admirantibus cunctis, etiam Clementius ille Gentilis expavit: & licet eſſet judex, tamen metuens, ne in ſe ſimile ſupplicium vindicaretur, proſtravit ſe ad pedes ſancti Viri, obſecrans, ut ſibi parceret, qui in eum Divinæ Legis ignorantia peccaſſet, & non tam proprio arbitrio, quam mandantis imperio. Inde eſt, quod ſolus Gregorius ex numero vindicantium integram Fidem, nec in fugam verſus eſt, nec paſſus eſt exſilium. Unuſquiſque enim timuit de illo ulterius judicare.*

CL. Huic teſtimonio S. Iſidori occurri ſolet a defenſoribus Oſii multipliciter. Imprimis ajunt nonnulli, corrupta, interpolata, & vitiata fuiſſe ejuſdem S. Doctoris ſcripta a quodam Theodiſco Græco, qui Honorato poſt ipſum Iſidorum ſucceſſit in Archiepiſcopatu Hiſpalenſi, & poſtea in pœnam ſuorum ſcelerum depoſitus fuit. Ita enim teſtatur Lucas Epiſcopus Tudenſis in Hiſtoria Hiſpaniæ, quam ſcripſit ſub initium ſæculi decimi tertii. Itaque quicquid ibi narratur de contentione inter Gregorium Epiſcopum Eliberitanum & Oſium, eſſe centonem quempiam aſſutum germanis S. Iſidori ſcriptis, in quibus juxta varios Codices mſs. & ab eruditiſſimo Mendoza, aliiſque citatos, ac lectos, nihil ejuſmodi habetur, ſed hæc tantum: *Oſius Cordubenſis Eccleſiæ, Civitatis Hiſpaniarum Epiſcopus, eloquentiæ viribus ſatis exercitatus, ſcripſit ad ſororem ſuam*, De laude virginitatis, *Epiſtolam, pulchro, ac diſerto coopertam eloquio. Compoſuitque & aliud Opus*, De interpretatione veſtium Sacerdotalium, quæ ſunt in Veteri Teſtamento, *egregio quidem ſenſu, & ingenio elaboratum. In Sardicenſi etiam Concilio, quamplurimas edidit ipſe ſententias. Hic autem poſt longum ſenium vetuſtatis, ideſt, poſt centeſimum primum annum, in ipſo etiam limine vitæ, a Fidei limitibus ſubruens, ſerpentis jaculo concidit. Nam accerſitus a Conſtantio Principe, miniſque perterritus, metuens, ne ſenex, & dives damna rerum, vel exſilium pateretur; illico Arianæ impietati conſenſit, & vocabulum Homouſion, quod ſimul cum Patribus ſanctis; cæteris Eccleſiis ſequendum tradiderat, arreptus impietatis furore damnavit; cujus quidem vitam, ut meruit, confeſtim exitus crudelis finivit.*

CLI. Addunt deinde, dato quod id teſtimonium prius de controverſia inter Gregorium, & Oſium extaret in genuinis S. Iſidori ſcriptis, non tamen veluti ab ipſo traditum, aut confirmatum; ſed dumtaxat veluti narratum ex relatione cujuſpiam hominis obſcuri, aut fide non digni; quod videtur conſtare ex verbis illis, *ut quidam ait*. Hunc vero fuiſſe Marcellinum, ſchiſmaticum quendam Italiæ Presbyterum, & Luciferiani erroris ſequacem, qui ſimul cum Fauſtino ejuſdem ſchiſmatis participe ſcripſit Opuſculum, *De geſtis Epiſcoporum*, qui Arimini conſpirarunt ad ſupprimendum vocabulum Homouſii: & in illo totidem verbis loquitur de Oſio, ac Iſidorus eo loci, abſque mutatione ulla.

CLII. Verum exceptiones iſtæ, ſive ſolutiones difficultatis objectæ, non videntur plene occurrere. Imprimis valde ambiguum eſt, & ſuſpectum id, quod dicitur de Theodiſco Iſidori ſucceſſore in Sede Hiſpalenſi, & ſcriptorum ipſius corruptore, ut jam ſatis oſtendi Tomo I. Diſſertatione IV. Excurſu VII. Immo nullus omnino veterum ante Lucam Tudenſem, & Archiepiſcopum Rodericum, ejuſdem ſynchronon, invenitur meminiſſe prædicti Theodiſci, aut Theodiſcli, vel tranſlationis Primatus Hiſpaniæ ab Hiſpalenſi Eccleſia in Toletanam ob eam cauſſam.

CLIII. Deinde licet verba illa de contentione inter Gregorium & Oſium, & de horrenda hujus morte, deſumpta fuerint plane ex Marcellino ſchiſmatico, & ex hujus Opuſculo citato exſcripta κατα πόδας, ſive ab Iſidoro illum citante abſque nomine, ſive a corruptore quolibet ſcriptorum Sancti Doctoris, non propterea ſatis arguuntur erroris, aut falſitatis, cum manifeſtum ſit, ſchiſmaticos multos alioqui fide dignos haberi, & cum laude allegari in hiſtoriis, quas edidere: ut patet in Socrate, Sozomeno, Nicephoro, & aliis quibuſdam ſchiſmatis aut hæreſeos ſuſpicione notatis, quorum tamen alias in rebus hiſtoricis ratio habetur, & teſtimonia paſſim recipiuntur, etiam circa cauſſam Oſii, ut vidimus in ſuperioribus.

CLIV. Ulterius, narrationem ipſam litis, ſeu controverſiæ excitatæ inter Gregorium Epiſcopum Eliberitanum & Oſium Cordubenſem, cum prioris laude, & victoria, ac poſterioris exſecratione, indicare ſatis, aut etiam confirmare videtur S. Euſebius Epiſcopus Vercellenſis, ac Martyr, ejuſdem plane temporis, in Epiſtola ad eundem Gregorium Epiſcopum, exſtante inter *Fragmenta S. Hilarii*, edita a Cl. Viro Nicolao Fabro, hiſce verbis:

EUSEBIUS AD GREGORIUM EPISCOPUM SPANIÆ.

Domino Sanctiſſimo Gregorio Epiſcopo Euſebius in Domino ſalutem.

CLV. *Literas ſinceritatis tuæ accepi, quibus, ut decet Epiſcopum, & Dei Sacerdotem, tranſgreſſori te Oſio didici reſtitiſſe, & plurimis cadentibus Arimino in communicatione Valentis, & Urſacii, & cæterorum, quos ipſi blaſphemiæ crimine ante damnaverunt,*

eſſen-

*aſſenſum tuum denegaſſe: Fidem ſcilicet ſervans, quam Patres Nicæni ſcripſerunt. Gratulamur tibi in hoc, gratulamur & nobis: quia hoc, cujus propoſito, & hac Fide polleus, noſtri dignatus es meminiſſe. Permanenti autem tibi in eadem confeſſione, & nullam cum hypocritis retinenti ſocietatem, noſtram tibi communicationem promitte, quibus potes tractobis quanto labore prævales, tranſgreſſores: abjurga infideles, increpa, nihil metuens de regno ſæculari, ut feciſti: quia potior eſt qui in nobis eſt, quam qui in hoc mundo. Nos vero tui conſacerdotes tertio laborantes exſilio, hoc dicimus, quod manifeſtum eſſe putavimus: quoniam omnis ſpes Ariomanitarum non in ** ſuo aut limito conſenſu, ſed in protectione pendet Regni ſæcularis, ignorantes ſcripta: quia maledicti ſunt, qui ſpem habent in hominem: noſtrum autem adjutorium in Nomine Domini, qui fecit Cælum, & terram. In paſſionibus perdurare cupimus, ut ſecundum quod dictum eſt, in Regno glorificari poſſimus. Dignare nobis ſcribere, quid malos corrigendo profeceris, vel quantos Fratres, aut ſtantes agnoveris, aut ipſe movendo correxeris. Salutant te omnes, qui mecum ſunt, maxime Diacones, ſimulque petunt, ut cunctos lateri tuo fideliter adhærentes, noſtro digneris obſequio ſalutare.*

CLVI. Porro dubitare fas non eſt, Epiſtolam præjactam, fuiſſe ſcriptam a S. Euſebio Epiſcopo Vercellenſi, qui tunc in eadem navi erat cum aliis Catholicis Præſulibus relegatis in odium Fidei. Neque etiam ambigi poteſt, Gregorium illum Epiſcopum Spaniæ, ſive Spanienſem (ita enim proferebant antiqui) eo tempore præfuiſſe Eccleſiæ Eliberitanæ in Hiſpania ulteriore, ſeu Bætica. Ejus meminit poſtea S. Hieronymus Libro, *De Scriptoribus Eccleſiaſt.* Cap. 105. dicens: *Gregorius Bæticus Eliberi Epiſcopus uſque ad extremam ſenectutem diverſos mediocri ſermone tractatus compoſuit, & de Fide elegantem Librum, qui hodie ſupereſſe dicitur.* Quæ verba tranſtulit Honorius Auguſtodunenſis in ſuum, *De Scriptoribus*, Libellum 2. C. 105. Quod autem Bivarius, ut ſuum Dextrum tueatur, ad annum CCCLVI. & CCCLXXV. contendit, Gregorium ſynchronon Oſio, & in hoc loco memoratum, non fuiſſe Epiſcopum Eliberitanum, ſed Toletanum, caret omni fundamento: cum in Catalogis veteribus Præſulum Toletanorum nullus toto eo ſæculo legatur Gregorius, neque apud quemquam Auctorem antiquum. Quin potius S. Hieronymus verbis modo exſcriptis, Gregorium illum, quem Bæticum Eliberis Epiſcopum appellat, ſupponit jam mortuum in extrema ſenectute. Unde attento tempore, quo Hieronymus id ſcribebat, ſub finem circiter quarti ſæculi, aut initium quinti, neceſſum eſt dicere, hunc ipſum Gregorium fuiſſe, qui anno CCCLVII. Oſio reſtitit, & diu poſtea vixit.

CLVII. Deinde priora ejuſdem Epiſtolæ verba videntur denotare litigium illud ab Iſidoro, ſeu Marcellino memoratum inter Gregorium ipſum & Oſium tranſgreſſorem, cui reſtitit. Nihil enim aliud præſeferunt illa: *Literas ſinceritatis tuæ accepi, quibus, ut decet Epiſcopum, & Dei Sacerdotem, tranſgreſſori te Oſio didici reſtitiſſe.* Inſuper quæ ſequuntur, idipſum confirmare videntur: *Permanenti autem tibi in eadem confeſſione, & nullam cum hypocritis retinenti ſocietatem, noſtram tibi communicationem promitte.* Quid enim aliud hæc ſibi volunt, quam Gregorium Eliberitanum noluiſſe communicare Oſio tranſgreſſori, ut Marcellinus priori illo teſtimonio narrat? Unde videtur conſequens, ut vera etiam ſit ejuſdem narratio de horrenda morte Oſii ſequuta inter litigandum cum Gregorio: ac proinde Oſium impœnitentem periiſſe. Et hactenus quidem de argumentis negantium reſipuiſſe Oſium.

EXCURSUS XII

Oſtenditur ex appoſito illuſtribus S. Athanaſii teſtimoniis, non ſolam mira fortitudo, & libertas Sacerdotalis Oſii adverſus Imperatorem Conſtantium, & reliquos Arianos, pro Catholica Fide, uſque ad plagas, & rotas; ſed etiam pœnitentia poſt lapſum, exſecratio hæreſeos Arianæ, & pia mors apud Sirmium; non autem horrenda apud Cordubam, ut alii fabulantur.

CLVIII. SAt multa paſſus fuit miſerandus Oſius in extrema illa ſenecta, ſat longum martyrium duxit anno pene integro apud Sirmium, quin præterea infamiam perpetuam ſuper dolorem vulnerum ejus adjiciamus. Satis plagarum, vexationum, verberum, ac machinarum exhauſto corpori admotarum paſſus fuit ab Arianis, antequam per vim, aut fortaſſis etiam ſine libero rationis, & arbitrii uſu, in decrepita ætate communicaret impiis Urſacio ac Valenti, & ſubſcriberet Formulæ illi, judicio S. Hilarii, & aliorum quorundam, blaſphemæ, ac contrariæ Deitati veræ Filii, ſive Homouſio, quod ipſe cum Patribus Nicænis eouſque tam firmiter ſtabilierat.

CLIX. Satis, inquam, perpeſſus fuit (ultra tormenta jam olim ſub initio ejuſdem ſæculi Cordubæ tolerata in laniena illa Daciani Hiſpaniarum Præfecti, quorum vibices perpetuo retinuit) quin præterea in honore ſummum dedecus adhuc patiatur apud nonnullos recentiores, præſertim Davidem Blondellum ſupra num. 148. allegatum; dum valde prudenter cenſeri poteſt, ac credi, Oſium de qualicumque illo lapſu ſerio pœnituiſſe, & communioni Eccleſiæ reſtitutum in pace extremum clauſiſſe diem.

CLX. Agmen ducat defenſionis ejus Magnus ille Athanaſius, & Immobilis Fidei, atque Homouſii cum ea illigati, columna, ac teſtis omni exceptione major, qui in ſæpius citata Epiſtola, *Ad ſolitarios*, ita fatetur Oſii prævaricationem, ut plurimum illam extenuet, ac deinde prorſus deleat teſtimonio illuſtri retractationis, & pœnitentiæ ſequutæ.

CLX. Quod ut ordine enarremus, placet exhibere longiuſculum teſtimonium S. Doctoris, ductum a fine Epiſtolæ graviſſimæ Oſii, *Ad Conſtantium Imperatorem* iniquiſſimum, in ſuperioribus exſcriptæ, & expenſæ. Statim enim Athanaſius de eodem Conſtantio ſubdit: ὁ δὲ οὔτε τοῦ ἐπιβουλεύων ἀνεχώρει &c. *Ille autem neque inſidias de manibus depoſuit, neque cri-*

mi-

minandi occaſiones quærere deſiit, ſed gravius ſemper minabatur, ut eum vi oppreſſum in ſuas partes transferret, aut inobſequentem exterminaret. Sed, ut occaſionem Duces, & Satrapæ Babylonis ſedulo quærentes contra Danielem non inveniebant, niſi ex cauſſa Legis Dei: ita quoque nunc Satrapæ impietatis, ne fingere quidem quicquam contra ſenem potuerunt. Omnibus enim ille notus erat, ac verus pro ſuo nomine Oſius, hoc eſt, ſanctus, *habebatur, vitaque ejus irreprehenſibilis, niſi ex odio ejus contra hæreſim crimen mutuarentur.*

CLXII. *Calumniantur igitur eum, ſed non ut illi Danielem apud Darium, illibenter talia audientem; ſed ut Jezabel contra Naboth, & ut Judæi apud Herodem, his verbis agentes: Non ſolum non ſubſcribit contra Athanaſium, ſed & nos ob Athanaſium condemnat, & hæreſim tali odio perſequitur, ut aliis ſcribat, melius eſſe mortem perferre, quam proditores fieri veritatis: ob ipſam enim deinde ait, dilectum Fratrem Athanaſium perſecutionem ſuſtinere, & Liberium Romanorum Epiſcopum, cæteroſque omnes inſidiis tentari.*

CLXIII. *Hæc cum audiſſet impietatis propugnator Conſtantius Cæſar, & quod alii eſſent per Hiſpanias ejuſdem cum Oſio ſententiæ, quos cum ſollicitaſſet ad ſubſcriptionem, & impellere nequiviſſet, acterſit Oſium, & pro exſilio detinet illum integrum unum Sirmii, nihil veritus impius, nec Deum, neque patris ſui, quem erga Oſium habebat, affectum, neque ſenectutem hominis jam centenarii inhumanus ille reſpexit. Omnia namque ob amorem hæreſis neglectui habebat novus ille Achab, & noſtris temporibus ſecundus Balthaſſar.*

CLXIV. Hæc Athanaſii teſtimonia expendant quicumque plus juſto Oſium gravant, tam conſtantem, tam impavidum in tot perſecutionibus æquo animo perferendis, nec a quoquam, ſed a Conſtantio Imperatore potentiſſimo, ſpirante minas, exſilia, & tormenta, nullo ætatis, aut meritorum diſcrimine habito, & eodem tempore perſequente crudeliter Liberium Pontificem Romanum, cum aliis fideliter ipſum ſequentibus in Oriente & Occidente, Oſiumque cum pluribus Hiſpaniæ Epiſcopis, dum ille eſſet Cordubæ, ac tandem Sirmii per annum fere integrum.

CLXV. Notandum præterea, nec Conſtantium, nec Epiſcopos Arianos ipſius gregales, durante eo exſilio, & perſecutione Oſii apud Sirmium, inveniſſe in ejus moribus quicquam reprehenſione dignum; ſed ſolum ipſi objeciſſe defenſionem Nicænæ Fidei, & Athanaſii pro ea certantis: *Omnibus enim* (inquit S. Doctor) *notus erat, ac verus pro ſuo nomine HOSIUS, ideſt,* ſanctus, *habebatur, vitaque ejus irreprehenſibilis, niſi ex odio ejus contra hæreſim crimen mutuarentur.*

CLXVI. Hinc obiter deſpicies plauſtra calumniarum in Oſium jacta ab iis Epiſcopis Orientalibus plane Arianis, qui Sardicæ congregati ad Synodum celebrandam, receſſerunt ab Oſio, & reliquis Epiſcopis Catholicis, & miſerunt ad Africam quoddam impium decretum ſatis prolixum, exſtans inter *Fragmenta S. Hilarii* a Nicolao Fabro eruta ex Bibliotheca Pithœana, cui initium: *Gregorio Alexandriæ Epiſcopo &c.* Ibidem enim multa impie proferuntur adverſus Oſium, quaſi ſceleratorum hominum defenſorem, & piorum perſecutorem: qualem etiam fuiſſe volunt Julium Papam (licet judicio Catholicæ Eccleſiæ ſanctiſſimum) & utrumque in impietate conjungere non verentur, præſertim verbis illis: *Unde Julium Urbis Romæ, Oſium, & Protogenem, & Gaudentium, & Maximinum a Treviris damnavit omne Concilium* (nimirum, Conciliabulum eorundem Arianorum) *ſecundum antiquiſſimam legem* (melius dicerent, noviſſimam temeritatem, & impudentiam) *ut Auctores communionis Marcelli, & Athanaſii, cæterorumque ſceleratorum.* Hoc nimirum epitheto decorabant Ariani innocentiſſimos quoſque Arianiſmi perſecutores, Julium, Athanaſium, alioſque Catholicos.

CLXVII. Veniamus jam ad verba Athanaſii, ſtatim ſuperioribus adjuncta, quæ & Oſii lapſum, & pœnitentiam illico ſequutam apertiſſime proferunt. Subdit enim S. Doctor de Conſtantio Imperatore: Τοσαύτην γὰρ βίαν πεποίηκε τῷ γέροντι, καὶ τοσοῦτον αὐτὸν συνέσχεν, ὡς θλιβέντα αὐτὸν, μόγις κοινωνῆσαι μὲν τοῖς περὶ Οὐάλεντα καὶ Οὐρσάκιον, μὴ ὑπογράψαι δὲ κατὰ Ἀθανασίου· ἀλλὰ καὶ οὕτως οὐκ ἠμέλησεν ὁ γέρων· μέλλων γὰρ ἀποθνήσκειν, ὥσπερ διατιθέμενος ἐμαρτύρατο τὴν βίαν, καὶ τὴν Ἀρειανὴν αἵρεσιν ἀνεθεμάτιζε. id eſt: *Tantam enim vim intulit* (Conſtantius) *ſeni* (Oſio) *& ita eum arcte tenuit; ut afflictus, attritusque malis, tandem ægreque cum Urſacio, & Valente communicaret; ſed tamen ut contra Athanaſium non ſubſcriberet. Verum ne ita quidem eam rem pro levi habuit. MORITURUS ENIM, QUASI IN TESTAMENTO SUO, EORUM VIM PROTESTATUS EST, ET ARIANAM HÆRESIM CONDEMNAVIT, VETUITQUE EAM A QUOQUAM PROBARI, AUT RECIPI.*

CLXVIII. Durus certe, ac pervicax erit, quiſquis poſt tam illuſtre teſtimonium Magni Athanaſii de pœnitentia Oſii, dubitare de illa pergat. Nec ambigere licet, S. Doctorem tam aſſeveranter id affirmantem, certiſſimam rei notitiam habuiſſe a gravibus, & incorruptis Viris, qui aderant Oſio retractanti, & corrigenti quæcumque antea in extrema illa ſenectute per vim, & acerbitatem tormentorum illata commiſerat, Unde paullo poſt, tam de Liberio Papa, quam de Oſio (qui duo circa idem fere tempus ceciderant, & mox pœnitentiam egerant) ſubdit hæc valde notanda: *Quis iſta animadvertens, non opportune ad Dominum vociferetur? Stupor, & horror factus eſt ſuper terram: obſtupuit Cælum ſuper hoc, & terra magis, magiſque exhorruit. Patres populorum, & Fidei Magiſtri tolluntur, & impii in Eccleſiam intruduntur. Quis, cum videret Liberium Pontificem e Roma in exſilium ejici, magnum Oſium tot mala pati, tot Epiſcopos ex Hiſpania, & aliis regionibus in exſilium deportari, non abunde animadvertit, omnes criminationes contra Athanaſium, & reliquos omnes, falſas eſſe, & omnia ſycophantiis ſcatere?* Ac ſtatim adjungit: ἐπὶ ποῖον ἔγκλημα καὶ Λιβέριος; ἢ ποία κατηγορία κατὰ τοῦ γέροντος Ὁσίου; *Quod enim,*

quæ-

quæſo, crimen Liberii? aut quid in ſene Oſio culpari potuit? Cui interrogationi, ſeu excuſationi utriuſque, facillime occurri poſſet, ſi Liberius & Oſius non digne pœnituiſſent de ſuo lapſu. Certus igitur erat Athanaſius de retractatione, & correctione utriuſque. Et quomodo id compertum non haberet, qui tam in ea Epiſtola *Ad ſolitarios*, quam in *Apologiis* ſuis, aliiſque pluribus ſcriptis, cedro, & immortalitate dignis, tam diſtincte, tam minutatim, & ingenue narrat ea omnia, quæ inter Catholicos, & Arianos diſputata, & geſta ſunt, ut nemo veterum ea plenius noſſe, aut retuliſſe inveniatur?

CLXIX. Sed & longe poſtea in eadem Epiſtola *Ad ſolitarios*, quæ longiſſima eſt, pag. mihi 855. poſtquam acerrime invectus fuit contra Imperatorem Conſtantium, veluti Antichriſti prodromum, & longe pejorem Ethnicis, Judæis, atque tyrannis quibuslibet, & impio Rege Achab, ſubdit de hoc: *Ille ſaltem interfecto Nabuthe, compunctus eſt, & , viſo Helia, extimuit: iſte vero* (Conſtantius) *OSIVM TANTVM ET TAM EXIMIVM VIRVM, nihil reveritus eſt, neque poſt tot exſilia Epiſcoporum otio acquievit, aut animo compunctus fuit; ſed ut alter Pharao, quo magis atteritur, eo magis indureſcit, & quotidie pejora meditatur*. Porro Athanaſius non ita honorifice ſcriberet de Oſio, jam tum vita functo, niſi certum omnino eſſet, & fama publica vulgatum, maculam illam per vim, & tormenta ab Oſio contractam, dignis lacrymis, & competenti ſatisfactione deterſam fuiſſe.

CLXX. Denique id maxime obſervandum eſt, Athanaſiom ſcripſiſſe eam Epiſtolam ad ſolitarios, mortuo jam Oſio, ut plane denotant verba illa num. 167. exſcripta: *Moriturus enim, quaſi in teſtamento ſuo, eorum* (Arianorum) *vim proteſtatus eſt, & Arianam hæreſim condemnavit, vetuitque, eam a quopiam probari, aut recipi.* Unde duo colliguntur valde notanda, & opportuna.

CLXXI. Primum eſt, eam teſtificationem proferri ab Athaſio cum magna maturitate, prævio accurato examine eorum, quæ contigerant poſt lapſum Oſii, & in ejus morte: quando nimirum rem totam potuit magis compertam habere apud Sirmium, & finitimas regiones, ubi plerumque habitabat Athanaſius, quam alii longius, inde diſtantes, aut minus conſcii eorum, quæ Sirmii contigerant.

CLXXII. Secundum eſt, Oſium detritum ætate centum & unius annorum, quorum ultimum peregit Sirmii in aſſidua perſecutione, ac præterea vexatum ibidem verberibus, & machinis admotis, obiiſſe Sirmii paullo poſt lapſum. Neque enim credibile eſt, in adeo decrepita ætate, tot perſecutionibus, & tormentis afflicta, fuiſſe locum, ut Oſius inde rediret per tot terras, & maria, ab uno fere extremo Europæ in aliud, ac Cordubam perveniret, & rerum ibidem potiretur: qualiter opus eſſet, ut narratio illa Marcellini de horrenda ejus morte apud Cordubam, vera eſſet. Vide infra num. 187. Unde vel ſolo Magni Athanaſii teſtimonio, falſitatis manifeſtæ convincitur narratio prædicta, & germanis S. Iſidori Operibus ab aliquo ſciolo aſſuta ex ſcriptis Marcellini: qui addictus partibus Luciferianorum, de Novatianiſmo ſuſpectorum in neganda communione lapſis, videtur illius januam præcluſiſſe Oſio, & ad conflandum ipſi majorem invidiam, excitaſſe fabulam illam de horribili morte Oſii, aut excitatam ab aliis, facile admiſiſſe, & temere conſignaſſe ſcriptis.

CLXXIII. Similiter Athanaſius ipſe poſt obitum Oſii ſcripſit Diſputationem illam celebrem contra Arianos: in qua, poſtquam præmiſerat, non eſſe præſtandam fidem verbis, aut ſcriptis hæreticorum, contraponit his ſcripta Patrum, quos Catholicos, & Apoſtolicos appellat, atque primo loco nominat Oſium verbis illis: εἰ μὲν οὖν παρὰ ὀρθοδόξων ἦν τὰ γραφόμενα, οἷα ἐγεγόνει παρὰ τοῦ μεγάλου καὶ ὁμολογητοῦ Ὁσίου *&c. Si enim ſcripta iſta ab orthodoxis proficiſcerentur, qualia ſunt magni illius, & Confeſſoris Oſii, Maximini Galliæ, aut ejus ſucceſſoris, aut Philogonii, aut Euſtathii, Orientis Epiſcoporum, aut Julii, & Liberii* (poſt correctionem, & pœnitentiam) *Romanorum Pontificum* (his alios adjungit) *nihil eſſet, quod in his ſcriptis ſuſpicarere. Simplicia enim, & ſincera Apoſtolicorum Virorum ingenia ſunt*. Quo auſu ita ſcriberet S. Athanaſius de Oſio jam vita functo, ſi non eſset certus de pœnitentia ipſius, ac morte ſancta, & pia?

EXCURSUS XIII.

Eadem Oſii reſipiſcentia, & pia mors confirmatur, non modo ſolutione argumentorum, quæ Excurſu decimo objecta ſunt, ſed etiam conſiderationibus variis, ac teſtimoniis aliis S. Athanaſii, ac Theodoreti. Auctoritas S. Iſidori objecta examinatur, & oſtenditur, aut ſubdititia, aut nihil probans. Meram fabulam eſſe narrationem illam de horribili morte Oſii apud Cordubam.

CLXXIV. PLacet modo, non tantum reſpondere objectis Excurſu x. adverſus reſipiſcentiam, ſive pœnitentiam Oſii poſt lapſum, ſed inſuper illam manifeſtiorem reddere plurium aliorum teſtimoniis, poſt D. Athanaſium jam late expenſum, & qui unus ſufficeret ad defenſionem Oſii in tuto ponendam.

CLXXV. Atque imprimis, vel ipſe S. Hilarius, qui toties exclamat contra Formulam illam blaſphemam, tanquam ab Oſio, & Potamio Sirmii editam, nuſquam negare invenitur, Oſium poſtea illam retractaſse, aut pœnitentiam fecisse. Quin potius videtur, aut ſuſpendiſse judicium ea de re, & ſoli Deo remiſiſse, aut præterea indicaſse Oſii correctionem attenta pietate totius vitæ anteactæ. Id ſignificant verba illa Sancti Doctoris de Oſio jam lapſo, & mortuo: *Sed de eo nihil queror, qui icciro eſt reſervatus, ne judicio humano ignoraretur, qualis antea vixiſſet*. Quaſi diceret Hilarius, ſe minime audere ſententiam damnationis ferre adverſus Oſium, id enim Dei ſolius judicio reſervatum eſse: ſed ita, ut homines agnoſcere poſsent, qualis ipſe ante lapſum fuiſset.

CLXXVI. Cum igitur omnium hominum teſtimonio, quotquot eo tempore vixerunt, ac præſertim Patrum Nicænorum, & Sardicenſium, & in iis Magni Athanaſii, vita Oſii uſque ad ætatem centenariam fuerit irreprehenſi-

bilis, ut vidimus nnm. 165. & zelo Fidei, ac diſciplinæ Eccleſiaſticæ inſignit, ut omnes Scriptores veteres teſtantur, videtur conſequens judicio Hilarii, ne quiſquam temere audeat judicare, Oſium impœnitentem obiiſſe; ſed potius ſperare fas ſit, tam inooxiæ, & probatæ vitæ periodum bono fine clauſam fuiſſe.

CLXXVII. Videtur autem Hilarius ita loquutus ſub dubietate aliqua, quia non legit Epiſtolam illam S. Athanaſii ad Solitarios, ſcriptam, ut cenſeo, poſt mortem Oſii, vivente adhuc Conſtantio Imperatore, circa annum Chriſti, ſive Eræ vulgaris CCCLIX. quo etiam Liberius poſt ſuum lapſum reſipuerat. Non enim tunc ſcripta quæque tam facile evulgabantur, ac modo, beneficio artis typographicæ. Si enim Hilarius teſtimonium Athanaſii legiſſet, aut notitiam habuiſſet ab eiſdem teſtibus fide dignis, idipſum indubitanter affirmaſſet.

CLXXVIII. Verum quemadmodum Ariani tot verſutiis, artibus, & dolis uſi ſunt, ut Oſium viventem ſuis partibus addicerent, veluti Virum incomparabilem, & ſummæ apud omnes auctoritatis: ita cenſendi ſunt evulgaſſe ubique ipſius lapſum, ſive acceſſum ad Urſacium, & Valentem, alioſque e grege Arii, nulla mentione facta pœnitentiæ ſequutæ. Quapropter mirum non eſt, ut ſparſo per Orbem rumore, aut fama communionis initæ ab Oſio cum iis Epiſcopis verſipellibus, & tacita ipſius correctione, ac pœnitentia, S. Hilarius, & alii Præſules Catholici bona fide exſecrarentur illius lapſum, & nihil aperte de emendatione dicerent. Sed conſuluit Deus honori illius venarandi ſenis per os teſtium fide dignorum, a quibus rem accepit S. Athanaſius, & ſcriptis conſignavit.

CLXXIX. Ex dictis abunde patet ad primum argumentum num. 147. ex S. Hilario deſumptum. Nihil enim aliud evincit, quam lapſum Oſio imputatum ab Hilario in ſubſcribenda illa Formula apud Sirmium, quam Sanctus Doctor *blaſphemum* appellat. Sed nec certum eſt, quod Oſiut illam ſubſcripſerit, ſaltem prudens, & ſciens, aut libero judicii, & arbritrii uſu, ut jam ſupra vidimus a num.89. & conſtat ex Athanaſii teſtimonio num.167. exſcripto, totam Oſii culpam ſitam fuiſſe in communicando cum Urſacio, & Valente Epiſcopis Arianis, a quorum conſortio eouſque receſſerat. Itaque potuit facile contingere, ut iidem Ariani, inter alia apertiſſima mendacia, & impoſturas, quarum convicti fuerunt, vulgarent, aut diſſeminarent, Oſium ſubſcriptione ſua impiam illam Formulam muniiſſe, idque bona fide crederet S. Hilarius, & ex communi fama narraret, quamvis non eſſet verum. Nec enim credibile eſt, magnum illum Virum judicio, ac libertate præditum, probaſſe Formulam illam uſque adeo inſanam, & blaſphemam, ut vel ipſis Arianis occultis, aut ſemiarianis probroſa viſa fuerit, illamque propterea ſupprimendam curaverint.

CLXXX. Secundo argumento num. 148. objecto ex hiſtoricis veteribus, qui lapſum Oſii memorant, & pœnitentiam ſilent, reſponderi ſatis poſſet eo modo, quo fieri ſolet cuilibet argumento inficiali, quod in Scholis negativum dicitur, & levis ponderis cenſetur. Verum præterea addimus, quemadmodum nuper dictum eſt, impios illos Urſacium, & Valentem, alioſque Arii gregales, omni ſtudio curaſſe, ut Oſii acceſſus ad illos, licet per vim, & tormentorum lanienam extortus, per totum Orbem innoteſceret, ad conciliandam Arianiſmo auctoritatem; reſipiſcentia autem poſterior ſilentio premeretur. Unde & factum credo, ut Phœbadius, qui eodem Hilarii tempore in Gallia florebat, & poſteriores hiſtorici, veluti Sulpicius, Socrates, Sozomenus, Vigilius, ac multo magis Auxilius, & Nicephorus, qui pluribus poſtea ſæculis ſcripſerunt, ſolum memorarent lapſum Oſii, & nihil de pœnitentia palam, ac perſpicue dicerent.

CLXXXI. Credendum quoque, illos nullatenus legiſſe, aut non plene conſi-leraſſe Epiſtolam illam S. Athanaſii *ad Solitarios*, in qua tam aperte lapſum, & pœnitentiam Oſii commemorat. Si autem illam perlegerunt, fieri potuit, ut non cenſerent, opus eſſe teſtandi correctionem Oſii, ſatis ſuperque tali, ac tanto S. Doctoris teſtimonio firmatam. Et inde fortaſſis eſt, ut quamvis memorent, aut notent nævum Oſii temporarium, ſemper de illo jam vita functo loquantur honorifice, & cum veneratione magna, tanquam de Viro re, ac nomine ſancto.

CLXXXII. Sed nec forte ii legerant illuſtria verba ejuſdem Athanaſii in Libro, ſive Apologia, *De fuga ſua*, ſcripto pariter poſt mortem Oſii, ubi de illo ait: περὶ γὰρ τοῦ μεγάλου καὶ εὐγηροτάτου, καὶ ὁμολογητοῦ ἀληθῶς Ὁσίου, &c. *Nam de magno illo, & graviſſimæ ætatis Viro, eodemque confeſſore Oſio, vere Oſio,* idest, ſancto, *ſuperfluum arbitror mentionem facere, cum nullus fortaſſe ſit, qui cognitum non habebat, eum ab iſtis quoque in exſilium miſſum eſſe. Non enim quicquam latere poteſt in Viro illo tantæ claritudinis. In qua enim Synodo ille non dux & anteſignanus fuit? quem non ille recta tuendo in ſententiam ſuam pertraxit? Quæ Eccleſia illius præſidentiæ non pulcherrima monumenta retinet? Quis illum mæſtus adiit, ut non lætus abierit? Quis indigus ab eo poſtulavit, qui postulatum obtinuerit? Atque contra hunc quoque ſe audaces improboſque oſtendere, eo qu d certus ille eorum calumniarum, quas pro tuenda impietate contra me ſtruerent, ipſorum inſidiis ſubſcribere noluit. Quamvis enim tandem ob illatas ipſi multas plagas, immodicas, & ſtructas in cognatos ejus inſidias, ceſſerit ipſis ad horam, utpote ſenex, & corpore imbecillis; tamen en his quoque malitia iſtorum apparet, qui minime veros ſe Chriſtianos eſſe, undequaque declarare contendunt.*

CLXXXIII. Ea tamen Athanaſii verba legit abſdubio Theodoretus, qui multa eorum κατὰ πόδας exſcribit Lib.2. *Hiſt.Eccl.* Cap.15. citato Athanaſio; & ex iis patet, Oſium tandem tormentis, & perſecutionibus fractum in illa extrema ſenecta, non niſi *ad horam* ceſſiſſe, quod invitus commiſerat, prout antea num. 167. oſtenſum fuit alio luculentiſſimo teſtimonio ejuſdem Athanaſii. Subdit autem paullo poſtea Theodoretus, enarratis aliorum Præſulum perſecutionibus eodem tempore: *Tales auſus ſunt factionis impiæ* (Arianorum) *adverſus ſanctos. Oſius autem hic erat Epiſcopus Cordubæ, celebris in magna Nicæna Synodo,*

nodo, *& Princeps Sardicenſis*. Dum autem Theodoretus de Oſio, adhuc poſt lapſum illum *ad horam*, loquitur tanquam de Viro ſancto, eumque tam miris laudibus extollit; ſatis denotat, ipſum reſipuiſſe, & ſanctitatem ad morulam interruptam digna correctione recuperaſſe.

CLXXXIV. Ad tertium argumentum num. 149. objectum (quod difficilius eſt) vidimus ibidem uſque ad num. 158. qualiter multi reſpondeant, & qualiter teſtimonia illa S. Iſidori, Marcellini Presbyteri, & S. Euſebii Vercellenſis, ibidem exſcripta, urgeri poſſint, ne Oſius pœnituiſſe credatur, ſed potius horrendam mortem obiiſſe. Quibus addi poteſt teſtimonium Libri Anonymi Gotthico charactere, memorati ab Ambroſio de Morales Lib. 10. Cap. 37. in quo latius narratur caſus, & mors tremenda Oſii, ſimul & Potamii Epiſcopi (ut ibi dicitur) Liſbonenſis lapſus a Fide ob avaritiam, & tandem infelix mors. Vide infra num. 191.

CLXXXV. Verumtamen reſumendo quædam ex iis, & nonnulla alia addendo, reſpondemus imprimis, narrationem illam num. 149. exſcriptam de horrenda morte Oſii apud Cordubam, nullatenus exſtare in Manuſcriptis pleriſque purioribus, ſed ſolum in quibuſdam minus correctis Libris S. Iſidori, *De Viris illuſtribus*, idque ex ſcriptis Marcellini ſchiſmatici, qui cum nonnullis aliis Luciferianis ex parte tuebator doctrinam erroneam Novatiani de lapſis nunquam ad communionem recipiendis. Unde in Libro, *De geſtis Epiſcoporum*, qui Arimini conſpirarunt ad ſupprimendum vocabulum Homouſii, invectus fuit contra Oſium, quem fama erat pariter illud prætermiſiſſe in Formula illa blaſphemiæ nomine relata, ac notata a Sancto Hilario, de qua late nos in ſuperioribus egimus.

CLXXXVI. Itaque, uti Marcellinus nimio zelo exceſſit contra Oſium, & alios Arimini, ac Sirmii lapſos, claudens iis omnem aditum veniæ; ita videtur facile accepiſſe, aut foviſſe, & ſcriptis conſignaſſe narrationem illam de horrenda Oſii morte in Urbe Corduba coram Clementio Gentili, quæ abs dubio ex ſiniſtro vulgi rumore, aut fictione alicujus hominis fraudulenti, ortum habuit. Nimirum, narratione illa Marcellinus confirmabat opinionem ſuam de Epiſcopis lapſis nunquam ad communionem recipiendis, dum legerent omnes, Oſium toto Orbe celeberrimum, poſtquam cecidit Sirmii, voluiſſe Cordubæ ad communionem recipi per vim Gregorio Epiſcopo Eliberitano illatam coram Clementio Præfecto, & in pœnam ejus ſceleris obiiſſe mortem horrendam.

CLXXXVII. Verum nec Oſium Sirmii ex animo ſubſcripſiſſe Formulæ illi blaſphemæ, nec inde Cordubam remeaſſe, ſed obiiſſe Sirmii ſancte, ac pie, exſecrato Arianiſmo, & ejus ſectatoribus, tam clare oſtenſum fuit ſupra inſignibus teſtimoniis S. Athanaſii, & conjecturis urgentibus, ut nulla prudens dubitatio eſſe poſſit de ipſius pœnitentia, & falſitate illius narrationis. Quod ſi vero quiſpiam contendat, lapſum Oſii accidiſſe in Conciliabulo Ariminenſi an. CCCLIX. indeque Oſium in Hiſpaniam rediiſſe, & Concilium ſupra Excurſu 1. memoratum Cordubæ celebraſſe anno CCCLX. in quo palam damnavit Arianos, & peccatum ſuum correxit (ut contendit erudite Bivarius in Dextrum pag. 386. num. 3. non difficile concedam in eam ſententiam, modo firmum habeamus, Oſium publice erratum ſuum apud Sirmium, aut Ariminum antea commiſſum, tandem correxiſſe. Et id generatim teſtari videtur S. Damaſus illis verbis: *In ipſo principio ab iis ipſis, qui in Arimino revocare, aut retractare compellebantur, aſque ad hoc cauſſa correcta eſt, ut confiterentur, circumventione ſibi obreptum*. Lege & de hac re Theodoretum Lib. 2. Cap. 27.

CLXXXVIII. Fateor, apud S. Iſidorum Libro illo, *De Viris illuſtribus*, juxta multa mſs. exſtare verba illa de Oſio num. 150. exſcripta, in quorum extrema parte de illo legitur: *Ne ſenex, & dives damna rerum, vel exſilium pateretur, illico Arianæ impietati conſenſit, & vocabulum Homouſii, quod ſimul cum Patribus ſanctis, cæteris Eccleſiis ſequendum tradiderat, arreptus impietatis furore damnavit. Cujus quidem vitam, ut meruit, confeſtim exitus crudelis finivit.*

CLXXXIX. Sed hæc bona fide ſcripta fuerunt a Sancto Iſidoro, ſive potius exſcripta, circa annum Chriſti ſexcenteſimum triceſimum ducentis ſexaginta plus minus tranſactis a morte Oſii: quo tempore in Occidente, partim ex Marcellini Libro illo, partim ex narratione, & fama vulgi, quæ *vires acquirit eundo*, diſſeminatus fuerat longe, ac late Oſii lapſus, multo major, ac deterior, quam reipſa fuit, & ſubinde mors infeliciſſima, ſive apud Sirmium, ſive in Urbe Corduba.

CXC. Cæterum in eodem Occidente non ita facile inveniebantur, aut legebantur Opera Sancti Athanaſii Græce ſcripta intra Orientem, præſertim Epiſtola *ad Solitarios*, & Apologia, *De fuga*, in quibus omnia alia apparebant, & luculentiſſime habebatur, Oſium Sirmii infracto animo uſque ad flagella, & tormenta plurima per integrum annum reſtitiſſe; deinde fracto viribus corpore, vix, & ægre communicaſſe *ad horam* Urſacio, ac Valenti Arianis: non autem ſubſcripſiſſe Formulæ impiæ ipſorum, aut damnationi S. Athanaſii: deinde vero moriturum, quaſi pro teſtamento exſecraſſe hæreſim Arianam, & omnes illius ſectatores.

CXCI. Denique, licet in exemplaribus mſs. S. Iſidori, quotquot exſtant, ſicuti & in excuſis, legantur plura contra Oſium juxta alterutrum e teſtimoniis jam exſcriptis, credibile jam valde eſt, ea verba non ab Iſidoro prodiiſſe, ſed a quopiam ſciolo, aut maligno corruptore Scriptorum ipſius, ſive is fuerit Theodiſcus in Sede Hiſpalenſi ſucceſſor (ut multi cum Luca Tudenſi ajunt, quibus non aſſentior (ſive Iſidorus quiſpiam Mercator dictus (ut recentiores fere omnes volunt, quamvis ille mea opinione nunquam in rerum natura fuerit ſub eo nomine) ſive tandem quidam alius adhuc ignotus: qui, quemadmodum juxta pleroſque priſcis veterum Pontificum Epiſtolis uſque ad Siricium centones, & aſſumenta multa, ac parachroniſmos adjecit: ita etiam

mangonio aliquo Librum illum Iſidori, *De Viris illuſtribus*, vitiaſſe putandus eſt. Vide quæ hac de re late præmiſimus ſupra Diſſertat. I. & IV. Porro ex iis quæ apud Sanctum Iſidorum leguntur, juxta diverſa exemplaria, videtur deſumptum quicquid narrat Honorius Auguſtodunenſis de Oſio; ſimiliterque Scriptor ignotus cujuſdam Codicis exarati Gotthico charactere, lecti a doctiſſimo Viro Ambroſio de Morales in Bibliotheca S. Ildephonſi Complutenſis. Verum is Auctor, ipſius judicio, antiquior eſt Iſidoro. Sed quid, ſi ſit Marcellinus ille ſchiſmaticus, cui ea fabula tribuitur communiter?

CXCII. Itaque falſa videtur omnino narratio illa horrendæ mortis Oſii, ſive crudelis exitus, juxta alia, & alia illius Libri Iſidoriani exemplaria: cum conſtet manifeſtiſſimo Sancti Athanaſii teſtimonio, Oſium ad horam lapſum in ſola communicatione violenta cum Urſacio, & Valente Arianis, illico reſipuiſſe, & pœnituiſſe, ac moriturum, quaſi tabulis teſtamenti anathema iis dixiſſe, ac quibuslibet ipſorum ſequacibus. Quod tanti Doctoris teſtimonium, nec Sanctus Hilarius, nec ullus alius veterum, veluti Sulpicius, Phœbadius, Theodoretus, Socrates, & Sozomenus, infringunt. Nemo enim eorum, ſive legerit Epiſtolam Athanaſii *ad Solitarios*, & Apologiam, *De fuga*, ſive non, dixit, aut ſcripſit, Oſium impœnitentem obiiſſe. Quotcumque vero ea Opuſcula legerunt, ſatis, credo, arbitrati ſunt, quod a ſantiſſimo, & incorruptiſſimo Doctore tam aſſerveranter traderentur, ne quis de eorum veritate dubitaret.

EXCURSUS XIV.

Oſtenditur luculentius adhuc ex ſacris monumentis ejuſdem temporis, narrationem illam adverſus Oſium, ne umbram quidem veritatis habere. Inſuper, nullum Hiſpaniæ Epiſcopum conſenſiſſe Ario ab exorta ejus hæreſi uſque ad finem, ſub Imperio Valentiniani.

CXCIII. JAM quod objectum fuit a numero 154. ex Epiſtola Sancti Euſebii Vercellenſis, *Ad Gregorium Epiſcopum Hiſpanum* (qui Eliberitanæ Eccleſiæ præfuiſſe legitur apud S. Hieronymum verbis numero 156. allegatis) nullatenus confirmat narrationem illam Marcellini, de morte horribili Oſii apud Cordubam occaſione diſſidii cum Gregorio ipſo coram Clementio Conſtantii Præfecto. Nihil enim ibi de hoc habetur, nihil de Urbe Corduba, nihil de recurſu Oſii in ea cauſa pure Eccleſiaſtica ad Forum ſæculare. Nec poſſet Oſius, niſi amiſſo rationis judicio, aut exuto omni pudore, trahere Gregorium per vim ad Tribunal laicum; cum paucis ante annis tanquam Præſes in Concilio Oecumenico Sardicenſi, Canone III. tam graviter, ac ſerio ſtatuiſſet, ut cauſæ Epiſcoporum a Sede Apoſtolica terminarentur. Quomodo Oſius ſui compos, & nullis minis, aut terroribus Clementii Præfecti Cæſarei apud Cordubam Urbem compulſus, auderet perfricta fronte Gregorium Epiſcopum coram illo ſiſtere, cum biennio plus minus ante obitum ipſi Cæſari Conſtantio dixiſſet in Epiſtola illa graviſſima ſuperioribus exſcripta: *Ne te miſceas Eccleſiaſticis, neque nobis in hoc genere præcipe, ſed potius ea a nobis diſce. Tibi Deus Imperium commiſit; & quemadmodum qui tuum Imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi Divinæ: ita & tu cave, ne quæ ſunt Eccleſiæ, ad te trahens, magni criminis obnoxius fias.*

CXCIV. Quapropter ex Epiſtola illa Sancti Euſebii Vercellenſis, exſtante inter Fragmenta Operum Sancti Hilarii, ne in ſpeciem quidem colligitur quicquam ſavens narrationi illi de horribili morte Oſii apud Cordubam Urbem. Solum exinde conſtat, Gregorium Epiſcopum Hiſpanum reſtitiſſe palam Oſio (nimirum apud Sirmium, quo ambo per vim a Conſtantio abducti fuerant) ac præterea Epiſcopis illis, qui biennio poſt apud Ariminum, territi minis Conſtantii Imperatoris, communicarunt Urſario, & Valenti, ac reliquis iis Epiſcopis, quos idem S. Euſebius hypocritas, & Ariomanitas appellat. Itaque ſolum agit de Oſio, in Sirmienſi Conciliabulo, ubi lapſus fuit, & de Ariminenſi nominatim, ubi Oſius nunquam interveniſſe legitur. Ibidem igitur Gregorius Eliberitanus palam reſtitit Epiſcopis illis, qui vili, & abjecto animo ceſſerunt minis, ac terroribus Conſtantii, ac Formulam Fidei Nicænam deſeruerunt: non autem litigium aliquod habere potuit eo tempore cum Oſio, qui longiſſime inde apud Sirmium in Pannonia biennio ante obierat.

CXCV. Immo & (quod valde notandum) apud Ariminum duo tantum Concilia celebrata id temporis inveniuntur, unum Oecumenicum, alterum Arianum: utrumque anno Chriſti CCCLIX. cum jam Oſius apud Sirmium pœnitens ſancte & pie diem obiiſſet anno CCCLVII. paullo poſt lapſum ſuum, ut ſuperioribus oſtenſum fuit. Porro Oecumenicum illud præceſſit intra prædictum annum CCCLIX. & plene Catholicum fuit; ut patet ex *Definitione Fidei* ibidem edita, & *Damnatione hæreſeos Arianæ*, atque *Epiſtola Synodica ad Conſtantium*, Græce ac Latine exſtante apud Collectionem Labbei To. II. col. 795. ac ſequentibus. Arianum vero Conciliabulum Ariminenſe poſteriore parte ejuſdem anni CCCLIX. exhibetur ibidem col. 801. & ſeq. Cum igitur in *Epiſtola S. Euſebii Vercellenſis* dicatur Gregorius Hiſpanus Epiſcopus reſtitiſſe Oſio (ſcilicet apud Sirmium anno CCCLVII.) ac deinde hypocritis, & Arioman itis apud Ariminum congregatis anno CCCLIX. nimirum biennio poſt mortem Oſii, apud Sirmium; qua, non dico veritate, ſed veritatis ſpecie, dici poteſt, Gregorium apud Cordubam Oſio reſtitiſſe?

CXCVI. Evidentius autem idipſum patebit ex Epiſtola Synodica ejuſdem Conciliabuli Ariminenſis, *ad Conſtantium*, in qua cum nominentur Epiſcopi illi degeneres, & refractarii, qui abjecto, & adulatorio animo receſſerunt a Formula veræ Fidei paullo antea Arimini conſtituta in legitimo, & Oecumenico Concilio, nulla tamen fit Oſii mentio; cum certe omnino fieri deberet, ac primo loco, tum ob antiquitatem maximam, & auctoritatem ſummam illius; tum præterea ad venerationem eidem pſeudo-ſynodo conciliandam. Atqui nec

nec nomen Oſii ibi legitur. Non itaque Oſius ibidem fuit, nec potuit cum Gregorio Eliberitano ibidem diſſidium habere, adhuc dato, quod jam tum nullatenus obiiſſet. Lege *Fragmenta Hilarii* Libro 2. pag. 36. & 37. Baronium ad annum CCCLIX. num. 33. 34. & 35. ac Labbæum ubi nuper col. 802. Unde ſemper mibi difficilis apparet opinio Bivarii ſupra num. 187. indicata, atque aliorum ex Hiſpanis contendentium, lapſum Oſii accidiſſe in Conciliabulo Ariminenſi anno CCCLIX. & inde Cordubam rediiſſe anno CCCLX. ac celebrato illo Concilio ſupra Excurſu I. memorato in favorem Athanaſii, & contra Arianos, Cordubæ paullo poſt mortuum fuiſſe. Conformius enim longe eſt verbis S. Athanaſii, quod Sirmii obierit anno CCCLVII.

CXCVII. Inſuper Gregorius Eliberitanus eodam anno CCCLVI. quo Oſius ex Hiſpania juſſu Conſtantii profectus Sirmium, & ibidem manens integro anno uſque ad lapſum Oſii, reſtitit ipſi ob communicationem tandem præſtitam Urſacio ac Valenti Arianis; deinde mortuo ibidem Oſio paullo poſt, ſub finem anni CCCLVII. permanſiſſe videtur in Pannonia, aut non longe, inde exſul cum aliis ſanctis Epiſcopis uſque ad annum CCCLIX. in quo apud Ariminenſe Concilium Fides Nicæna confirmata fuit, & poſtea ob furorem Conſtantii ſuppreſſa, aut violata, tam publice, & impudenter, ut propterea S. Hieronymus in Dialogo, *Adverſus Luciferianos*, dixerit tritum illud: *Totus pene Orbis Arianum ſe eſſe miratus, tunc vere ingemuit*.

CXCVIII. Non inquit Hieronymus, *totus Orbis*, ſed, *totus pene Orbis*. Quamvis enim plurimi Epiſcoporum Conſtantii metu perculſi, prætermiſſa Formula Nicænæ Fidei, aliam ſubrogaverint Arianiſmo faventem, & multi ex iis fuerint, qui antea eodem anno in legitimo Concilio Ariminenſi Nicænum Symbolum confirmaverant; permanſere multi alii, & in iis Gregorius Eliberitanus, cum Liberio Papa, qui noluit ſubſcribere. Similiter S. Athanaſius eodem tempore in *Epiſtola ad Africanos* inquit: *Quis non odio habeat illos, qui, quæ Patrum ſunt, abrogant; recentiora vero Arimini per vim, & metum extorta anteponunt?* Ulterius S. Ambroſius in Epiſtola 32. alias 21. mox citanda, ait: *Certe major numerus Arimini, Nicæni Concilii Fidem probavit, Ariana decreta damnavit*. Et S. Damaſus: *In ipſo principio, ab iis ipſis, qui in Arimino revocare, aut retractare compellebantur, uſque ad hoc cauſſa correcta eſt, ut confiterentur, circumventione ſibi obreptum*.

CXCIX. Nimirum in eo Conciliabulo Ariminenſi (quod ii perduelles Epiſcopi legitimum Concilium appellabant, & præferre volebant Oecumenico illi paullo antea celebrato) talis Formula concepta fuit, ut ex ea per legitimam illationem Filius non homouſios, ſive *conſubſtantialis* Patri, non Deus ſimpliciter, ſed factura Dei, ſive creatura diceretur. Unde Ambroſius non multis poſt annis de eodem Conciliabulo ſcribens Epiſt. XXXII. ad Valentinianum Imperatorem (alias XXI. juxta noviſſimam editionem Monachorum Sancti Mauri) inquit: *Cum iis plane bene convenit Ariano, qui Chriſtum creaturam dicit: quod etiam Gentiles, atque Judæi promptiſſime confitentur. Hoc ſcriptum eſt in Ariminenſi Synodo: meritoque Concilium illud exhorreo, ſequens tamen tractatum Concilii Nicæni, a quo me, nec mors, nec gladius poterit ſeparare. Quam Fidem parens tuæ clementiæ Theodoſius beatiſſimus Imperator & ſequitur, & probavit. Hanc Fidem Galliæ tenent, hanc Hiſpaniæ, & cum pia Divini Spiritus confeſſione cuſtodiunt*. Eandem vero degenerum Epiſcoporum apud Ariminum blaſphamiam exſecratus fuit Gregorius Eliberitanus, qui adhuc in eiſdem partibus verſabatur, idque ſcripſit ad Sanctum Euſebium Epiſcopum Vercellenſem tunc exſulantem, qui ipſi reſpondet in Epiſtola illa num. 155. exſcripta, & laudat impenſe, quod primum Oſio, nimirum apud Sirmium, deinde, vero hypocritis illis, & Ariomanitis, apud Ariminum reſtitiſſet.

CC. Concluditur itaque, nullum fuiſſe locum ab anno CCCLVI. quo Gregorius Eliberitanus, ſicut & Oſius, ex Hiſpania Sirmium abductus fuit, uſque ad annum CCCLIX. ſub cujus finem terminatum eſt Conciliabulum Ariminenſe, ut Gregorius ipſe in Hiſpaniam rediret; multo autem minus, ut apud Cordubam Vrbem haberet coram Clementio Præfecto litigium illud cum Oſio, jam antea apud Sirmium vita functo.

CCXXI. Unde id ſolatii habere poſſumus Hiſpani, ut quo tempore Oſius Cordubenſis ad horam cecidit apud Sirmium, reſiſteret ipſi Gregorius Eliberitanus Epiſcopus ejuſdem provinciæ Bæticæ: cumque poſtea plerique Epiſcopi apud Ariminum probroſa ἀσυνέτων convellerent Catholicam de Homouſio Fidem, Gregorius ipſe palam, & intrepido animo illam tueretur. Quare de primo ad ultimum narratio illa de horrenda morte Oſii apud Cordubam, fabuloſa eſt, dignaque plane, ut de cætero ab eruditis quibuslibet hominibus in Morboniam, aut Utopiam Inſulam relegetur. Et certe illius miſerandæ Epiſcoporum cataſtrophes, tam apud Sirmium, quam apud Ariminum, non fuit cauſa infelix Oſius, ſed iniquiſſimi illi Vrſacius, & Valens, ac præſertim impiiſſimus Conſtantius Imperator: quem propterea non ſolum exſecrantur Athanaſius, Hilarius, & alii Patres; ſed etiam irridet Ammianus Marcellinus, Ethnicus licet, dicens: *Chriſtianam Religionem abſolutam, & ſimplicem, anili ſuperſtitione confundens, in qua ſcrutanda perplexius quam componenda, excitavit diſſidia plurima, quæ progreſſu fuſius aluit concertatione verborum: ut catervis Antiſtitum jumentis ultro citroque diſcurrentibus, per Synodos, quas appellant, dum ritum omnem ad ſuum traducere conatur arbitrium, rei vehiculariæ ſucciderit nervos*.

CCII. Colligitur demum, in graviſſimo illo ſchiſmate inter Catholicos ex una parte, & Arianos ex altera, quod totum fere Orbem Chriſtianum diviſit, ab undecimo circiter anno Imperii Conſtantini, ideſt, Eræ Chriſti, ſive vulgaris trecenteſimo decimo ſeptimo, uſque ad Imperium Valentiniani Auguſti, per octoginta circiter annos, nullum Epiſcopum Hiſpanum ſubſcripſiſſe Arianiſmo in rei veritate, ne Oſium quidem. Quod ſane mirabili, ac piiſſimæ Dei providentiæ erga Hiſpaniam adſcriben-

ben dum, ubi ex aliis nationibus in Oriente; & Occidente, tam multos, ac pene innumeros Epiſcopos legimus ea ſorde maculatos, etiam in ipſis Conciliis, ſive Conciliabulis potius.

CCIII. Ut enim nihil addam de Ariminenſi Synodo, omnium teterrima, & probroſiſſima, quod paullo ante iodicavi, nec de Alexandrina, aut Nicæna Oecumenica, intra quas non defuerunt aliqui faventes Ario, quamvis non palam; fuerunt plurimæ aliæ, in quibus prævaluit Arianiſmus. Tales reputantur vel in ſolo Libello Synodico Græco, opera Juſtelli detecto, Cæſareenſis Palæſtina Arianorum, Tyria, Mareutica, Antiochena, & Conſtantinopolitana, tempore Conſtantini Magni, qui tamen ſemper immobilis in Fide Catholica perſtitit, & ſolum ex ſiniſtra verſipellium quorundam narratione, ac dolis, nonnunquam minus quam par eſſet, aliquot Catholicos protesit.

CCIV. Deinde ſub Imperio Conſtantii ducto ab anno cccxxvii. Arianiſmus eouſque repreſſus, velut ruptis repagulis liberius graſſari cæpit; primum in Conciliabulo Conſtantinopolitano, coacto juſſu ejuſdem Conſtantii, de quo inquit idem Synodicus: καὶ τῶν ἀδελφῶν αὐτῶ ὀρθοδοξέντων, μόνος εἰς τὸ Ἀρειανικὸν κατωλίσθησε φρόνημα. *Et cum Fratres illius orthodoxi eſſent, ſolus ipſe in Arianorum ſenſum prolapſus eſt.* Deinde Antiochiæ tres aliæ Synodi erraticæ ſunt coactæ: prima ſub Euſebio Nicomedienſi, in qua Symbolum Fidei Nicænæ corruptum fuit: ſecunda, in qua prætereà Athanaſius depoſitus eſt: tertia demum, in qua ita Photinus, Sabellius, & Marcellus Ancyræ, anathemate notati ſunt, ut tamen novum Fidei Symbolum cuderetur, quod veluti alienum, aut etiam contrarium Nicæno, Julius Papa, & cæteri Orientales admittere noluerunt.

CCV. Porro in nulla Synodo erratica iſtarum fuit Oſius, vel quiſpiam alius Epiſcopus Hiſpanus. Solum in ſequenti, nimirum, Sardicenſi Oecumenica, & adhuc numeroſiore, quam Nicæna interfuit, ac præſedit nominè Apoſtolicæ Sedis Oſius, & cum eo ſex alii Hiſpaniæ Epiſcopi ſupra Excurſu 1. numero 7. nominati; omnes Catholici, atque S. Athanaſii defenſores, qui, & poſtea Cordubæ celebraſſe cenſentur cum eodem Oſio Concilium ibidem memoratum, & per omnia cohærens Nicæno, ac Sardicenſi. Nec dubito, eodem circiter tempore plures alias Synodos pariter Catholicas ab Oſio, veluti præſtantiſſimo Conciliorum Patre, & immobili Catholicæ Religionis columna, in Hiſpania, & fortaſſe apud Cordubam, coactas fuiſſe, aſperrimis illis temporibus. Sed cum earum monumenta non eſſent, potius viſum illas ex conjectura probabili iodicare, quam temeritate quadam aſſerere celebratas certo quopiam anno, uti audet architectus pſeudo-chronicorum.

CCVI. Similiter nec Oſius, nec ullus alius Hiſpaniæ Epiſcopus, interfuit aliis Synodis Arianorum poſtea ſequutis. Talis fuit Philippopolitana ex ſeceſſu illorum Epiſcoporum, qui noluere cum Oſio, ac reliquis Patribus Sardicenſibus in Sardicenſi Concilio admittere S. Athanaſium. Talis deinde Antiochena, Præſide ibidem impio, & calumniatore Stephano Epiſcopo, qui poſtea jure depoſitus fuit. Talis & Hieroſolymitana, ac Sirmienſis prior ſemiarianorum anno cccli. ut ſupra num. 77. diximus, contra Photinum coacta in ſpeciem ſolum: ἀληθείᾳ δὲ, κατὰ τῶ θείω συμβόλω, καὶ Ἀθανασίω τῶ γενναιόφρονος. *Revera autem contra Divinum Symbolum, & Athanaſium generoſa mente præditum*, ut inquit Synodicus Liber. Porro ei Synodo non interveniſſe Oſium, jam ſupra monuimus num. 76. nec ullum alium Hiſpaniæ Epiſcopum illuc profectum invenio. Quod ſi Socrates Lib. 2. Cap. 26 ibidem citatus indicat Oſium eidem Sirmienſi Concilio interveniſſe; corrigendus eſt, cum ſolum inveniatur adfuiſſe poſteriori alteri Concilio Sirmienſi anno ccclvii. ut eo loci comprobavimus: & in illo pariter fuit Gregorius Hiſpanus Epiſcopus Eliberitanus, qui Oſio ad communionem admittenti Urſacium, ac Valentem reſtitit. Itaque ubi unus Hiſpaniæ Epiſcopus miſere cecidit (quamvis citra hæreſim ullam, ut ſæpè oſtenſum eſt) alius Epiſcopus Hiſpanus illum reprehendit.

CCVII. Unde demum efficitur (quod probandum recipimus) neminem Epiſcopum Hiſpanum unquam Ario conſenſiſſe, ſaltem uſque ad annum ccclvii. in quo mortuus fuit Oſius apud Sirmium. Quin & biennio poſt, cum plurimi Epiſcopi in poſteriori Concilio (verius Conciliabulo) turpiter ad partes Arii tranſiiſſent, Gregorium prædictum Eliberitanum Præſulem iis reſtitiſſe, & tam immane ſacrilegium exprobraſſe, palam vidimus ex Epiſtola S. Euſebii Vercellenſis ad eundem, exſcripta num. 155.

CCXVIII. In progreſſu autem oſtendemus, qualiter poſt mortem Oſii, tempore S. Damaſi Papæ nonnulla contra Arianos Concilia fuerint celebrata in Hiſpania, teſte S. Athanaſio. Unde Catholicam Fidei Nicænæ in ea doctrinam permanſiſſe illibatam, ſicuti & in Gallia, ſaltem uſque ad tempus Valentiniani Imperatoris, jure dixit eodem tempore Ambroſius verbis illis num. 199. exſcriptis, quæ lubens reſumo: *Quam Fidem* (Nicænam) *parens tuæ clementiæ Theodoſius* (natione Hiſpanus) *beatiſſimus Imperator, & ſequitur, & probavit. Hanc Fidem Galliæ tenent, hanc Hiſpania, & cum pia Divini Spiritus confeſſione cuſtodiunt.*

E X C U R S U S XV.

Expenditur obſcurus locus S. Auguſtini pro Oſio, & verus ipſius ſenſus oſtenditur ex Actis Concilii I. Arelatenſis in Gallia celebrati: ac concluditur ejuſdem Oſii defenſio, allegatis Scriptoribus, qui illum tuentur, nemine jam ex Catholicis diſcrepante. Monitum ad recentes Ariomanitas.

CCIX. ERuditiſſimus Mendoza Lib. 1. in Concilium Eliberitanum, egregie defendens cauſſam Oſii, inter plura alia ſolide allegata pro ipſius emendatione, & pia morte, laudat, & exſcribit locum quendam Sancti Auguſtini Tomo IX. Lib. I. contra Epiſtolam Parmeniani, qui in Epiſtola quadam ad Tychonium indignabatur adverſus Oſium, tanquam injuſtum, & ſceleratum. Defendit vero Oſium Sanctus Doctor ibi Cap.

Cap. 4. hiſce verbis: *Quod enim de Oſio dicunt Cordubenſi quondam Catholico Epiſcopo, flagitandum eſt, ut probent, non ſolum talem illam fuiſſe, qualem dicunt; ſed quod talis fuerit, manifeſtum illis fuiſſe, quibus eum communicaſſe aſſerunt. Hoc enim niſi probaverint, fruſtra dicunt, ſe ſciſſe qualis fuerit: quia neſcientibus obeſſe non potuit, a quibus ſe iſti innocentibus ſeparando, propter ipſam ſeparationis ſacrilegam iniquitatem innocentes eſſe non poſſunt. Hoc enim magis credibile eſt (ſi tamen Oſius ab Hiſpanis damnatus, a Gallis eſt abſolutus) ſic fieri potuiſſe, ut falſis criminationibus Hiſpani circumventi, & callida inſidiarum fraude decepti, contra innocentem ferrent ſententiam, & poſtea pacifice in humilitate Chriſtiana cederent ſententiæ collegarum, quibus illius innocentia comprobata eſt, ne pervicaci, & animoſa perverſitate, priores ſuas ſententias defendendo, in ſacrilegium ſchiſmatis, quod omnia ſcelera ſupergraditur, cæcitate impietatis irruerent: ſicut iſti miſeri fecerunt, & nec ſero ſaltem tatiens diviſi, atque cæciſi ſentiunt, quod fecerunt.*

CCX. Sed enim ex verbis iſtis S. Auguſtini directo ſolum habetur dafenſio Oſii, quantum ad ea, quæ geſſerat in Concilio Arelatenſis I. longe antea; non autem quoad geſta multo poſtea apud Sirmium, ubi miſere lapſus fuit.

CCXI. Quod ut luculenter appareat, recolendum memoria eſt, quod ſupra num. 23. & ſeqq. præmiſimus de Concilio Arelatenſi I. in Gallia celebrato anno Chriſti CCCXIV. Sylveſtri Papæ, I. Conſtantini Imperatoris, IX. in cauſa Donatiſtarum contra Cæcilianum, præſente Oſio, cum Imperatore Conſtantino, cui eo tempore familiariſſimus erat, & plurimis Patribus Gallis, Hiſpanis, Italis, aliiſque diverſarum nationum, quos Ado in Chronico ſexcentos fuiſſe ait, cæteri vero ducentos ſolum. Porro in eo Concilio Hiſpani (ſi ſtandum ſit relationi Parmeniani) initio ſuffragium dedere pro Donato adverſus Cæcilianum: ſed videntes reliquos Patres aperte, ac rationabilius ſtantes pro illo, ac præſertim Oſium, conceſsere in eandem eorum ſententiam, & Cæcilianum innoxium declararunt, ac proinde iniquam fuiſse accuſationem illius a Donatiſtis factam per calumniam, & dolum, præſertim Ingentii Scribæ mercede conducti ad mentiendum. De quo legendi, Euſebius, Lib. 10. Cap. 5. Optatus Milevitanus, Lib. *Contra Parmenianum*, S. Auguſtinus, Epiſt. LXVIII. alias LXXXVIII. & Baronius late ad annum CCCXIV. num. 21. & ſeqq. uſque ad 72.

CCXII. Nunc vero ex illo primo Libro S. Auguſtini ſupra citato contra Epiſtolam Parmeniani, conſtabit mens S. Doctoris in tuendo Oſio. Conquerebantur imprimis Donatiſtæ, *de ſententia Concilii Arelatenſis*; & effutiebant, *Gallos, Hiſpanos, & Italos, & eorum ſocios* (ideſt, reliquos aliarum nationum Epiſcopos in eo Concilio congregatos, & Cæcilianum innocentem declarantes) *traditoribus Africanis* (ſcilicet Cæciliano, & Felici Aptungitano Epiſcopo) *commercio ſcelerum, & ſocietate criminum eſſe conſimiles*. Verum nominatim, & maxime conquerebantur de Oſio, veluti qui auctoritate ſua reliquos Hiſpanos, initio Donatiſtis faventes, traxiſſet in ſuam, & aliorum communem ſententiam pro Cæciliano, & Felice, tamquam inique accuſatis.

CCXIII. Hac occaſione S. Auguſtinus ibidem Cap. 4. profert verba illa numero 209. exſcripta de Oſio, *Quod enim de Oſio dicunt Cordubenſi &c.* Nimirum Donatiſtæ ajebant, Oſium fuiſse hominem injuſtum, ac ſceleratum, ac proinde Patres Concilii Arelatenſis cum eo communicantes, ſeſe conſtituiſse reos ſcelerum ipſius, atque participes eorundem criminum. Quippe veluti teſsera Donatiſtarum erat, hominem Chriſtianum nullam communicationem habere poſse cum injuſtis, ſeu peccatoribus; eum tamen ipſi eſsent omnium nequiſſimi, & veluti tales Eccleſiaſtico, & Imperiali judicio toties condemnati.

CCXIV. Eam vero criminationem refellit S. Auguſtinus, imprimis ponendo, aut aſſerendo, Oſium Catholicum Epiſcopum fuiſse: deinda negando fuiſse injuſtum aut ſceleratum qualiter ipſi effutiebant: præterea inficiando, iniquitatem ejus, ſi qua eſset, fuiſse perſpectam aliis Epiſcopis, qui in Concilio Arelatenſi cum ipſo communicarunt. Subjungit, ſi forte Oſius ab Hiſpanis eſt damnatus, & a Gallis abſolutus, ut Donatiſtæ ajebant, fieri potuiſse, ut Hiſpani Donatiſtarum fraudibus decepti initio vellent ferre ſententiam contra Cæcilianum, & contradicare Oſio in ea parte: poſtea vero perſpecta juſtitia Cæciliani, Donatiſtarum dolis, & unanimi Patrum aliorum, atque ipſius Oſii conſenſu, *pacifice in humilitate Chriſtiana cederent ſententiæ collegarum, quibus illius*, Cæciliani, *innocentia comprobata fuerat*. Quam ipſam mutationem ſententiæ in Hiſpanis, ſi revera fuit, laudare pergit Auguſtinus, allegatis in id Scripturæ Sacræ locis, contra Donatiſtarum protерviam, & ſubjungit: *Si viveret Parmenianus*, nimirum ille ipſe contra cujus Epiſtolam ad Tychonium ſcribit, *non auderet jam reprehendere Hiſpanos, & eos appellare prævaricatores, qui a ſententia ſua in collegarum ſententiam deflexerunt, ne ipſe offenderet collegas ſuos, qui multi Primiano jam a ſe damnato in melius correcti, ad trecentorum Concilium tranſierunt; magis eligentes contra ſuas proprias venire ſententias, quam contra pacem unitatis, etiam in parte Donati*.

CCXV. Hæc ibi S. Auguſtinus, Cap 4. allegati Libri primi, pro Hiſpanis, qui Concilio Arelatenſi interfuerunt, & nominatim pro Oſio. Deinde Capite octavo introducit Parmenianum conquerentem, *quod Conſtantinus eos*, Donatiſtas nimirum, ſæpius jam convictos, atque damnatos, *ad campum, ideſt, ad ſupplicium duci juſſit; & hoc tam immaniter juſſiſſet, Hiſpano Oſio ſuggerente ſuſpicionibus ſuis, ſicut ſemper, damnando inauditos*.

CCXVI. Verum calumniam hanc Oſio impactam refellit ſtatim Auguſtinus, dicens: *Quaſi vero non humanius, ac probabilius alius crediderit, Oſio tanquam Epiſcopo ſuggerente, potius factum, ut in leniorem coercitionem, quamvis immaniſſimi ſceleris, id eſt, ſacrilegi ſchiſmatis, ſententiam flecteret Imperator*. Hæc ibi S. Doctor de pietate Oſii, quem ſupra Catholicum Epiſcopum appellaverat, & de quo nihil ſiniſtrum unquam ſcripſiſſe legitur, nec memoraſſe lapſum ipſius apud Sirmium, quan-

quantum mihi licuit rem veſtigare in ſcriptis Auguſtini. Dum vero illum iterato laudat, & vindicat a calumniis Donatiſtarum, videtur optimam de illo opinionem habuiſſe, quemadmodum de aliis Epiſcopis Catholicis, qui pie, ac ſancte viaerunt, & in Communione, ac pace Eccleſiæ mortui ſunt. Scribebat porro Librum prædictum S. Auguſtinus, juxta ſententiam doctiſſimorum Patrum Congregationis S. Mauri, in Præfatione ad Tomum ipſius nonum, anno circiter co. ideſt quadraginta duobus tranſactis a morte Oſii, quo tempore fama ipſius videtur integra fuiſſe apud omnes, & nulla ratio habita fabuloſæ illius narrationis Marcellini Presbyteri de horrenda morte Oſii. Vide Diſſert. ſequentem, num. 65. quam aliter Bivarius interpretetur locum præjactum S. Auguſtini, ſed immerito.

CCXVII. Denique ſæculis ſequentibus, & nominatim nono, non ſolum apud Latinos, ſed & Græcos, Oſius famam integram retinuit, veluti qui Martyrium paſſus fuiſſet tempore Diocletiani, & poſtea defenſor Fidei conſtantiſſimus fuiſſet. Unde illud Photii in Epiſtola ad Michaelem Bulgariæ Principem, loquentis de Nicænis Patribus: *Οἷς δὲ ὁ Κορδύβης ἐπίσκοπος συνετέτακτο, ὃς κατὰ τὰς ἐθνικὰς διωγμὰς τὴν κλῆσιν ἐπαληθεύουσαν ἔδειξεν. Ὅσιος γὰρ ὀνομαζόμενος, ἀβέβηλον αὐτῷ τὴν ὁμολογίαν τῆς εἰδωλικῆς λατρείας διετήρησεν. Cum his erat Oſius Cordubæ Epiſcopus, qui in Ethnicorum perſecutionibus nomen ſuum reipſa verum eſſe demonſtravit. Cum enim OSIUS appellaretur, confeſſionem ſuam ab idolorum cultu puram, integramque ſervavit.*

CCXVIII. Mitto plura alia hujuſmodi teſtimonia apud veteres ſparſa, & ſolum addo, etiam hoc ſæculo in Oriente apud Syros Oſium inter Divos coli, & in Kalendario eorum collocari die v. Novembris, teſte aurito Bivario in Deatrum ad annum CCCLX. Num. a. qui refert, ſe id accepiſſe Romæ ab Archiepiſcopo Damaſceno, Legato tunc Patriarchæ ejus nationis in Urbe; & eaſtare ibidem multas Eccleſias Oſio dicatas.

CCXIX. Hæc in honorem, & qualemcumque defenſionem illius veneradi Præſulis, Conciliorum Principis, Epiſcoporum Magiſtri, defenſoris accerrimi Fidei Catholicæ, ac Nicæni Symboli, obſervaſſe ſufficiat, præter nonnulla alia, quæ adjeci Commentariis doctiſſimorum Mendozæ, Loaiſæ, & Gonzalez, Tomo ſequenti, Libro primo *in Concilium Eliberitanum*, pag. 303. & ſeqq. Sane ii pariter ita lapſum Oſii fatentur, ut ab eo reſipuiſſe, atque in pace Eccleſiæ diem obiiſſe cenſeant, rejectis narrationibus in oppoſitum, veluti aereis, ſive fabuloſis. Quod ipſum ea inſtituto docent Baronius Tomo III. ad annum CCCLVII. num. 30. & ſeqq. Padilla *Hiſt. Eccleſiaſt. Hiſpaniæ*, Centuria IV. Cap. 53. Pineda, *Monarch. Eccl.* Lib. 13. Cap. 5. Villegas in *Floribus SS.* Valdes, *De dignitate Regum Hiſpaniæ*, Cap. 7. num. 20. Mata-moros in *Apologetico*, Alderete in *Antiquitatibus Hiſpaniæ*, Lib. I. Cap. 3. Bivarius in Dextrum ad annum CCCLA. num. a. Nicolaus Antonius Tomo I. nondum edito, & apud me eaſtante, Scriptorum veterum Hiſpaniæ.

CC. Quin & Primus Cabilonenſis in ſua *Topographia ſpirituali*, verbo *Corduba*, collocat illum inter Sanctos ejus nobiliſſimæ Urbis, nam relatis multis ipſorum, ſubdit: *Hic Oſius Epiſcopus conſcius Athanaſii Alexandriæ Epiſcopi, Hilarii Pictavienſis, Euſebii Vercellenſis, & Meletii Antiochení Epiſcoporum, migrat Confeſſor.* Sed enim collocare quempiam inter Sanctos, ad ſolam Sedem Apoſtolicam attinet, quæ tamen nihil definivit circa ſanctitatem Oſii. Nobis ſatis fuerit veram ipſius correctionem, & pœnitentiam, ac piam mortem hiſtorice oſtendiſſe.

CCXXI. Ea Gallis idipſum tuentur Theophilus Raynaudus in *Hoplotheca*, Sectione 2. Serie 3. Cap. 26. Joannes Morinus Lib. I. *Exercitationum*, Cap. 20. Godefridus Hormantius in *Vita S. Athanaſii* Gallice ſcripta, Tomo II. Lib. 8. Cap. 4. ac Natalis Aleaander in *Hiſt. Eccleſ.* Sæculi IV. Diſſert. aax. nemine Catholicorum, quem legerim, diſcrepante, & unico ea heterodoais Davide Blondello diſſentiente, cui, præter alias exceptiones, non audiendo, ſufficit illud Ariſtotelis: *μία χελιδὼν ὐ ποιεῖ τὸ ἔαρ.*

CCXXII. Verum ſinamus gratis, ſive permittamus ultro, Oſium reipſa in Arianiſmum fuiſſe lapſum, atque in eo permanſiſſe abſque retractatione, aut correctione ulla. Quid inde boni eliciet Blondellus, aut ſi quis alius cum eo ita cenſet? Numquid Calviniana, aut Lutherana communio, vel ipſa Religio Catholica, aliquod inde decus, aut utilitatem percipiet? Nullatenus. Cum enim omnes conveniamus in aſſerendo Trinitatis myſterio, juata Nicæni Concilii doctrinam, nemini Chriſtianorum conveniens eſſe poteſt, quod ab ea degeneraverit, & perpetuo receſſerit Oſius ille Magnus, qui tot annis, tali conſtantia, tam ſumma apud omnes authoritate pro ea decertavit. Itaque infructuoſum eſt prorſus, non modo Catholicis, ſed ipſis quoque heterodoxis, quod aſſeratur, Oſium in Arianiſmo extremum clauſiſſe diem.

CCXXIII. Sed nec Sociniani, ſive Ariomanitæ recentes, qui cloacam illam, aut ſentinam inſtaurant, ubi ipſorum patriarcha exonerans alvum egeſſit peſtilentem animam, aliquod patrocinium ſuis erroribus inde habere poſſunt. Si enim non accipiunt teſtimonium S. Athanaſii eacuſantis Oſium, & aſſeverantis, ipſum pœnituiſſe, ac retractaſſe quæcumque invitus fecerat; supereſt, ut acquieſcant narrationi apud S. Iſidorum exſtanti, & ex Marcellino deſumptæ, de terribili morte Oſii, & prodigio Divinitus patrato contra illum, in defenſionem Gregorii Eliberitani pugnantis pro Catholica Fide. Hinc autem Sociniani nullum ſectæ ſuæ patrocinium accipient, ſed potius damnationem manifeſtam invenient. Si enim Deus patenti miraculo interemit Oſium pro Ario ſtantem, & liberavit Gregorium ipſi reſiſtentem; profecto cauſſa Fidei Nicænæ, pro qua decertabat Gregorius, juſta, & Deo ipſi probata, fuit. Deus enim ſumme ſanctus, veraa, ac juſtus, nequit miraculo ullo confirmare doctrinam falſam, aut rem injuſtam.

CCXXIV. Itaque novi iſti Ariomanitæ, quocumque ſe vertant circa mortem Oſii, nullum inde præſidium ſibi accerſere poſſunt. Sed mittamus illos, veluti cæcos, & duces cæcorum: quo-

Google

quorum inſanas blaſphemias latius confutavimus toto ſecundo Tomo Theologiæ S. Anſelmi, præſertim in Prolegomenis: ubi oſtenſum fuit contra noviſſimos illorum, præſertim Eniedinum, Schlichtingium, Smalcium, Crellium, Brennium, Sandium, aliaque exoſa Deo, & Cælitibus nomina, Patres Concilii Nicæni non aliam de Homouſio, ſeu vera Filii conſubſtantialitate cum Patre, doctrinam tradidiſſe, ab ea, quam ipſi ab anterioribus Eccleſiæ Patribus traditione continuata acceperant, Patres ab Apoſtolis, & Apoſtoli ab ipſo Chriſto.

JOSEPHI CATALANI ADDITIO.

Diximus nonnihil & nos de Oſio Tomo noſtro I. Conciliorum in Hiſtoria Nicæni I. Generalis Concilii, præſertim Num. XIX. & XX. ubi inter alia monuimus, quod dicitur de Sancti Oſii Feſto celebrari apud Syros ſolito die V. Novembris, falſum eſſe; juxta conteſtationem mihi jam pridem factam a Viro Clariſſimo, ac Religioſiſſimo Petro Benedetti Syro, inſigni Societatis Jeſu Theologo, ac Scriptore erudiſſimo, ingenue fatente, in Syrorum Kalendario, aliiſque ipſorum Libris Oſii Feſtum minime reperiri. Quicquid ſit, lapſus eſt certe Oſius, in ejuſque lapſum, ſicuti & duorum aliorum Virorum inſignium, Origenis, & Tertulliani lectu quædam digna adnotavit alius præſtantiſſimus laudatæ Societatis Jeſu Theologus Petrus Cotonus Libro II. Eccleſiæ Militantis, Capite XXIV. inſcripto, *De miſerando, & horribili lapſu trium Virorum illuſtrium, quod ingenio nimis ſuo, opinionique tribuerent.*

DISSERTATIO DECIMA OCTAVA

De variis Conciliis, quæ dicuntur celebrata in Hiſpania ante & poſt Eliberitanum, nullatenus contentis in Collectione S. Iſidori Hiſpalenſis.

Ubi de Chronicis Dextro, Maximo, Luitprando, Juliano Perez, & Hauberto, adſcriptis, apud quæ indicantur plurima Hiſpaniæ Concilia.

Hactenus curæ fuit explanare, quibus Conciliis interfuerit Oſius intra & extra Hiſpaniam, ac quidnam in iis geſſerit. Quia vero circa id fortaſſe plus juſto ac ſolito morati ſumus lectorem, nunc ea prolixitas brevitate compenſanda erit, celeri Excurſu per ſingula eorum, quæ memorantur, vel apud antiquos Scriptores, vel a modernis ſub prætextu Commentariorum in Chronicon illud, quod nomine Dextri apparuit, & vulgatum fuit a centum circiter annis, cum Libris aliis Marco Maximo, Luitprando, Helecæ, Juliano Perez, & Hauberto Hiſpalenſi adſcriptis: qui omnes, judicio eruditiſſimorum Virorum intra & extra Hiſpaniam, ejuſdem ſunt farinæ, ſeu potius furfuris. Licet negari non poſſit, plurima in iis veroſimilia haberi, quæ forſan in re contigerunt, & reipſa accidiſſe volunt illorum Commentatores, præſertim vero eruditiſſimus Bivarius. At id non evincit ex vi Chronicorum ejuſmodi, quæ erudit auctoritate carent; ſi aliunde, ex Scriptoribus, aut aliis monumentis veteribus, & fide dignis non habeatur.

EXCURSUS I.

Plura Concilia, tanquam celebrata in Hiſpania, memorari in Chronicis, a centum circiter annis circumferri ſolitis nomine Dextri, Maximi, Helecæ, Luitprandi, ac Juliani Perez, nullatenus indicata a S. Iſidoro, vel quopiam alio Scriptore uſque ad finem fere præcedentis ſæculi. Eorum pſeudo-chronicorum Auctor, ſive architectus innumerabilium fictionum, quiſnam fuerit.

II. IN Chronico illo Flavii Lucii Dextri Barcinonenſis nomine vulgato Toleti circa annum MDXCIV. & poſtea edito cum Commentariis, atque Apologiis variorum, præſertim Franciſci Bivarii Ciſtercienſis, indicantur ſparſim plurima Concilia, tanquam in Hiſpaniis celebrata a tempore Apoſtolorum uſque initium quinti ſæculi, quo idem Dexter, S. Paciani Epiſcopi Barcinonenſis filius, & amicus S. Hieronymi, florebat *clarus apud ſæculum*, & notus ob *Hiſtoriam omnimodam*, ſic inſcriptam, & dicatam ipſi Hieronymo, id teſtanti, tum in Apologia advorſus Ruffinum Libro ſecundo, tum in Libro, *De Scriptoribus Eccleſiaſticis*, ubi de eodem Dextro honorifice loquitur.

III. Utinam haberemus modo aliquod exemplar omnino germanum, aut ſaltem ſcriptum antiquo charactere, Hiſtoriæ memoratæ Dextri, licet non excederet ducentos vetuſtatis annos. Sic enim liberi eſſemus a tot controverſiis moleſtiſſimis, excitatis a fine ſæculi præcedentis, quo exemplar quoddam ipſius dicitur Toleti apparuiſſe, veluti delatum ex Bibliotheca vetuſtiſſimi, & clariſſimi Monaſterii Fuldenſis in Germania: ubi tamen re poſtea ſæpius examinata diligenter, nec in Librorum indicibus, neque apud Monachos ibi commorantes, ullum unquam veſtigium ejuſmodi Hiſtoriæ inventum fuit. Quod multi, & graves Viri examinare curarunt diligentiſſimo ſtudio intra ipſum Fuldenſe Monaſterium; quidam propriis oculis, uti ex Societate Jeſu Broverus, qui Antiquitates Fuldenſes collegit, ac

prælo edidit, Cornelius a Lapide, Lambertus Stravius Rector Collegii Fuldenſis, & ex aliis Reverendiſs. Abbas S. Anaſtaſiæ D. Alphonſus Vazquez, Catholicæ Majeſtatis eximius Theologus, atque Ablegatus in Poloniam. Omnes autem ii teſtati ſunt, nullum ejus Libri veſtigium apud Fuldam eſſe, vel memoratum inveniri. Vide infra Excurſu VII. Unde eruditiores plerique, tam intra, quam extra Hiſpaniam, cenſent, nullum uſque adhuc exemplar antiquum Hiſtoriæ Dextri inventum fuiſſe: illud autem, quod Toleti apparuit, eum aliis Marci Maximi, Helecæ, Luitprandi, ac Juliani Perez, quamvis invicem diſtantium multis ſæculis, uno fere tempore nata fuiſſe e cerebro unius ejuſdemque male feriati capitis; nimirum, Hieronymi Roman de la Higuera, hominis quidem plurimæ lectionis, & obſervationis hiſtoricæ, ſed longe majoris cavillationis, & artis Pelaſgæ, ad obtrudendum veroſimilia pro veris, poſsibilia pro factis, & imaginaria quæque pro ſolidis, ac reipſa exiſtentibus. Is nimirum, cogitationes ſuas inanes, & aereas venditavit pro ſcriptis Dextri, Maximi, Helecæ, Luitprandi, Juliani Perez, aliorumque, miſeranda corruptione Hiſtoriæ Hiſpanicæ, ac deluſione imperitarum plebium, ſemidoctorum hominum, immo & multorum ex doctis alioqui, ſed minus in critice, aut eruditione ſolida, & antiqua verſatis.

IV. Unde ſtatim fere, ac prodierunt ſcripta illa, ſeu folia ficus, ab Higuera diſſeminata, doctiſſimus Vir Joannes Baptiſta Perez Canonicus Toletanus, poſtea Epiſcopus Segobricenſis, quo pollebat ſubacto judicio, ea rejecit, veluti palam ſuppoſititia. Pariter illa ſpreverunt eodem tempore ex ipſa Societate Petrus Ribadeneyra, ac Ioannes Mariana, ſicuti & poſtea Ferdinandus de Salazar, Cornelius a Lapide, Melchior Inchofer, Philippus Labbè, ac tandem Joannes Bollandus, Godefridus Henſchenius, & Daniel Papebrochius, Collectores magni ejus Operis, quo Acta Sanctorum caſtigatiſſima exhibentur, XIX. juſtis voluminibus jam editis Antuerpiæ; in quibus paſſim ea recentia pſeudo-chronica rejiciuntur, veluti ſpuria, & conficta, ac nullius omnino momenti ad quicquam in Hiſtoria ſacra, aut humana ſtabiliendum, quicquid imperitorum hominum, aut ſemidoctorum vulgus, immo etiam alias doctorum nonnulli, in oppoſitum clament, velintque, ea ſcripta eſſe cedro digna, & veneranda.

V. Poſſem equidem innumera fere loca proferre Bollandi, Henſchenii, ac Papebrochii, in quibus, aut ſupreſſo nomine, aut nominatim, ac palam, ſugillant, & traducunt Hieronymum Roman de la Higuera, quamvis ſodalem ſui ipſorum Inſtituti, tanquam architectum earum fabularum, quæ in dictis pſeudochronicis leguntur. Verum ſatis ſit indicare nonnulla ex Tomo VII. Sanctorum Maji, ubi pag. 393. inquit Papebrochius: *Non poteram credere relationibus ab Hieronymo Higuera de Roman acceptis; quia eum eſſe noveram inventorem fabularum infinitarum, quibus Eccleſiaſticam Hiſpaniæ hiſtoriam integro jam ſæculo inquinari, ſæpius dolere cogor.* Ac præterea eodem loco col. 2. incumbit *refutandis Higueræ commentis*. Et pagina 393. *ejusdem* ſequenti, laudans fideliſſimum Aragoniæ Hiſtoriographum Hieronymum Zuritam, inquit: *Libros edidit anno MDLX. utique longe priuſquam Higuera cogitaret de Hiſtoria Hiſpanica ſuppoſititiis ſuis antiquitatibus interpolanda.*

VI. Denique, ut plurima alia prætermittam, in eodem Tomo VII. ad diem 30. Maji pag. 405. toti Capiti quinto hanc epigraphen adhibet: *Higueræ figmenta*. Ac pag. 406. num. 50. marginali ait: *Romanus iſte* (Higuera nimirum, qui & Roman) *machinam talem moliens, nihil egit ſolertius, quam ut quaquaverſum ſpargeret ſuorum commentorum fragmina, quibus poſtea in confirmationem adornatæ a ſe fabulæ concurſuris, tanquam teſtimoniis omni certitudine ſubnixis uteretur.* Nimirum pariter finxit, & in vulgus diſſeminavit alio atque alio tempore, varia ſcripta nomine Dextri, poſtea alia ſub nominibus Maximi Cæſarauguſtani, Luitprandi, Juliani Perez, & aliorum. Si vis rem totam ab ovo, ut ajunt, diſcere, lege eruditiſſimas Diſſertationes Eccleſiaſticas, præſertim III. & IV. Excellentiſſimi Principis Marchionis de Mondexar (alias Agropolitani) ubi clarius meridiano ſole demonſtrat, quomodo, quibus gradibus, & quam apertis fictionibus, ea pſeudo-chronica ab Higuera fuerint obtruſa; & quot teſtimoniis plurimorum, etiam intra Societatem, falſitatis, ac fictionis convicta.

VII. Quamvis vero ſingula eorum figmentis plena ſint, ſibi invicem adſtipulantur ea arte, ut quæcumque in uno quolibet paradoxa, immo & fabuloſa leguntur, poſſint fulciri ex farraginibus alterius: ut proinde ſummo Vir ingenio, eruditione, ac criſi, Nicolaus Antonius, Jacobæus Eques, & Conſiliarius Regius, anno MDCLXXXIV. octo ante obitum ſuum diebus, in Epiſtola doctiſſima ad ma Matritu Salmanticam data, facete ſcripſerit, quatuor illos ab Higuera cuſos Auctores, Dextrum, Maximum, Luitprandum, & Julianum Perez, eſſe totidem pſeudo-evangeliſtas, qui ſibi invicem concordant in mentiendo, ſicuti quatuor Evangeliſtæ ſacri mutuo ſibi conſonant in veritate aſſerenda.

VIII. Idem Nicolaus Antonius duobus Tomis jampridem anno MDCLXXII Romæ editis Bibliothecæ Hiſpanæ, & ubique cum ingenti plauſu receptis, ubicumque ſeſe offert occaſio, acriter invehitur adverſus omnia ea figmenta: ſed præſertim ubi loquitur nominatim de Hieronymo Roman de la Higuera (qui fuit quaſi primus *doli fabricator Epeus*, ut Maro accinebat) Roderico Caro, Franciſco Bivario, Laurentio Ramirez de Prado, Thoma Tamayo de Vargas, & Joanne Tamayo de Salazar, Scriptore, ſeu confarcinatore Martyrologii Hiſpani, Quære ſingulos utroque eo Tomo ſub propriis nominibus.

IX. Sed adhuc uberius ea commenta refellit tribus aliis voluminibus nondum editis, & apud me exſtantibus, magnam partem ſcriptis propria ipſius manu: *De Scriptoribus Hiſpanis quotquot fuere uſque ad annum Chriſti MD.* Ibi ſæpius, & gravius, & vehementius, omni argumentorum genere palam oſtendit falſitatem, abſurditates, erroreſque paſſim occurrentes in Libris iis, præſertim ubi nominatim

Google

tim agit de prædictis, Dextro, Maximo, Luitprandu, & Juliano Perez, ac de Heleca Cæſarauguſtano Epiſcopo, cujus nomine etiam aliæ ſimiles farragines obtruſæ fuerunt.

X. Verum ſpeciatim Tomo I. ex nondum editis, ubi agit de Scriptoribus Hiſpanis quarti ſæculi Eræ Chriſtianæ, & nominatim de Deſtro, enarrat initium, progreſſum, & interitum eorum pſeudo-chronicorum jam imminentem, hiſce verbis, quæ lectoribus eruditis invidere nolui, donec fortaſſe id eximium Opus publicæ luci committatur.

EXCURSUS II.

Ex ſcriptis nondum editis Cl. V. Nicolai Antonii profertur brevis narratio, in qua de ortu, progreſſu, & interitu jam imminente eorum pſeudo-chronicorum agit, præſertim Dextri, & promittit uberiorem eorum refutationem.

11. HUjus ſæculi quarti exeuntis (ait ille pag 409. ms.) abſque dubio eſt Dextri memoria, quam conſervavit Hiſpanis ſui Hiſtorici magnus Doctor Hieronymus; neque eſt aliquid ſolidum, ac certum, quod movere nos debeat, ut hinc ad ſequens ſæculum quintum, res ejus transferamus. Pacianum Epiſcopum Barcinonenſem, egregiumque Scriptorem, nuper laudatum dimiſimus. Hujus filius Dexter fuit, clarus parente optimo, clarus literis, & honoribus geſtis in ſæculo. Vetus, inquam, & verus Dexter, quem unus S Hieronymus, non ſemel, aut ſine peculiari elogio, poſteritati commendavit.

XII. Quod nomen jam hoc ſæculo ex innocenti, & laudabili, fatalitate quadam, in contrarium adeo degeneraſſe, ut fictitii, ac ſubleſti proverbialis fere appellatio ſit, maximopere dolet probum, ac ſerio doctum quemque, Hiſpanique nominis vere amantem. Natus quippe ante octoginta ferme annos, Dextri illius antiqui ſchemate ſeſe venditans novitius alter; quem brevi, ſive propitia, ſive ſiniſtra fama, pro varia hominum opinione, per totum Latini Orbis ſpatium enormiter famoſum volare fecit.

XIII. Sed hic nondum nos Icaro huic cereis pennis audaciſſime innixo, verum hiſtoriæ ſolem, in ruinam exitiumque oppenemus; cum id peculiari opere a nobis procurandum ſit: ſed germanum Dextrum Paciani filium, mutuatis ab Stridonenſi magno encomiaſte vivis coloribus, deſcribere opus, & conſilium eſt.

XIV. De patria nihil habemus dicere, niſi quod Paciano Barcilone Epiſcopo natus, noſtras vulgo habitus ſit, reclamante nullo, aut alìorſum trahente. Sæculari autem militiæ dato nomine, variiſque, ut ſolet, geſtis Reipublicæ muneribus, ad ſupremum tandem μετὰ τὰ σκῆπτρα (ut ait Zoſimus) *citra Regium*, auctoritatis culmen in Occidente fuit aſſumptus anno Chriſtiano CCCXCV. aut circiter. Hoc enim anno, quo Coſs. fuere Olybrius, & Probinus, diemque ſuum obiit Theodoſius Imperator, Dextro PP. directæ ſunt Leges aliquot in Codice Theodoſiano, nempe L. LIII. & L. LIV. *De curſu publico*. L. II. *De Indulgentiis debitorum*. L. II. *Si quis pecuniat conſtav.* L. V. *De exſecutor. & exactionibus*. L. CXLVI. *De Dicurionibus*, omnes in eodem Theodoſiano Codice.

XV. In Occidente diximus, non in Oriente, quæ una e fabulis de Dextro jactatis. Nam cum hæ Leges, ſive mandata Mediolani concepta ſint, quæ Urbs Italiæ celeberrima ditionis fuit Imper. Honorii, ejuſque Occidentalis Imperii propriæ; in qua commoratum hoc annu eundem Honorium, exequiaſque Theodoſio parenti celebraſſe, non ſinit nos ambigere S. Ambroſii ea, quam habuit coram eo, laudatoria piiſſimi Principis oratio; certiſsimum haberi debet, Honorii has eſse Conſtitutiones ad Præfectum ſuo in Occidentalibus partibus, non Orientalibus, Prætorio directas, quantumvis uterque Cæſar his inſcriptus ex more ſit. In qualibet enim alterutrius, vel cujuſcumque ex pluribus Imperatoris ſanctione, ætatis qua nati ſunt, aut qua rebus quique præeſse cœperunt, ordine ſervato inſcribebantur ſimul omnes uti ſanctionis Auctores, quaſi unius, ejuſdem, atque indiviſi Imperii diviſiſse inter ſe adminiſtrationis curam, non Principatus majeſtatem, videri vellent.

XVI. Nec S. Hieronymus in *Apologia adverſus Ruffinum* ſecunda quicquam ait, niſi Præfectum Prætorio fuiſse: *Ante annos ferme decem, cum Dexter amicus meus, qui Præfecturam adminiſtravit Prætorii, me rogaſſet.* Nec tamen totius Occidentis Præfecturam tribuimus Dextro, quæ nulla hujus temporis tam ampla fuit; ſed Italiæ, ex diviſione Conſtantini, ſat vulgo nota, quatuor Præfecturarum. Idque inde colligitur, quod in laudata Lege II. Cod. Theodoſiani, *De Indulgentiis debitorum*, res ordinetur Provinciæ Campaniæ, quæ ad Præfectum Italiæ ſpectabat.

XVII. Nec remorari nos debet nota illa inſcriptionis harum Legum, nempe LIII. & LIV. *De cenſu publico*, quibus aliæ ſimiles ſunt in eodem Titulo: *Dextro PP.O.* quæ quidem in cæteris deeſt. Vel enim *O.* litera per compendium ſignificat Præfecto Prætorio, non *Prætorii* legendum, vel ſi Orientis Præfecturam denotare alias ſolet, ut obſervat Urſatus, *De Notis Romanorum*, pagina 366. hic ſaltem ubi apertiſsime res ad Præfecturam ſpectat Italiæ, vitioſa, & ſuppoſititia eſt.

XVIII. Hunc eundem, nec alium fuiſse Dextrum exiſtimo, ad quem anno, quo Coſs. fuere Valentinianus IV. & Eutropius, ſcilicet redemptionis noſtræ CCCLXXXVII. Comitem per id tempus rerum privatarum, nuncupata fuit L. II. Codice Juſtinianeo, *Nerei dominicæ, vel templorum &c.* ſub Theodoſio ſcilicet magno in Orientis partibus; nam Conſtantinopoli, ubi hoc anno is fuit, Lex data legitur. Ad quod munus forte, niſi & alia fuerint, non ad Præfecturam, quæ nondum ei obvenerat, reſpiciens Hieronymus, ann. CCCXCII. quo Scriptores laudabat Eccleſiaſticos, *clarum apud ſæculum* pronunciavit noſtrum, *Dexter* (inquit) *Paciani, de quo ſupra dixi filius, clarus apud ſæculum, & Chriſti Fidei deditus, fertur ad me omniminodam Hiſtoriam texuiſſe, quam necdum legi.*

XIX. Hic ipſe ſic animatus Vir in ſtudia Hiſtorica ſuſcitavit anſie magnum eundem Hieronymum ad colligendum, ac deſcribendum

Eccleſiaſticos Scriptores eo Libello, quo vix alium utiliorem veteres memoriæ nobis conſervavere. Icciroo ei, quem hortatorem elucubrandi Operis ſibi fatetur fuiſſe, nuncupatione illius dignari æquum exiſtimavit Hieronymus: *Hortaris, Dexter* (ait in Proœmio) *ut Tranquillum ſequens, Eccleſiaſticos Scriptores in ordinem digeram &c.* Qui paullo infra Dextri eloquentiam non obſcure annotaſſe videri poteſt, dum Ciceronem ſuum Dextri vocat. *Itaque Dominum Jeſum Chriſtum precor, ut quod Cicero tuus, qui in arce Romanæ eloquentiæ ſtetit, non eſt facere dedignatus in Bruto, Oratorum Latinæ linguæ texens Catalogum; id ego in Eccleſiæ ejus Scriptoribus enumerandis digne cohortatione tua impleam.*

XX. *Omnimodam* hanc talis Viri *Hiſtoriam* in deperditis habuere undecim fere ſæculorum, qui his delectarentur ſtudiis, homines, quorum quidem ad aures nihil de Dextro, & ſcriptis ejus aliud, quam quod a Hieronymo erga eum amor, ac Viri fama expreſſerat, perveniſſe legimus. Cum repente, dum retro proximum exiret ſæculum, percrebreſcere rumor cœpit de inventa in Germaniæ quodam angulo memorata Hiſtoria. Inventionis Hiſtoriam referunt Didacus Murillus in *Hiſtoria de nueſtra Sennora del Pilar.* Cap. 4. & in *Apologetico ejuſdem Hiſtoriæ Prologo.* Franciſcus Portocarrero, *Vida de S. Ildefonſo*, in *Proœmio*. Joannes Calderon in *Præfatione* Cæſarauguſtanæ *Dextri* editionis, Franciſcus Bivarius in *Apologia pro Dextro* editionis Lugdunenſis, & in *Cenſura Operum Luitprandi*, editionis Antuerpienſis, aliique.

XXI. Auctor rei Jeſuitarum ſodalis quidam, Hieronymus Romanus de la Higuera nomine, Toletanus patria, undique municus Vir ſubſidiis curioſæ omnis, qua Hiſtorica conſtat res, doctrinæ. Amicis hic nunciavit primum, atque inde amicorum ope quemvis alium per Hiſpanias certiorem fieri voluit, remiſſum ſibi a Thoma de Torralva ejuſdem Societatis, e Germaniæ Vvormacia Urbe *Dextri Chronicon*, ſive *Hiſtoriam omnimodam*, una cum M. Maximi, aliarumque continuatorum fragmentis.

XXII. Offendiſſe ajebat hunc Torralvam in quemdam illius Urbis civem, dum inter Germanos peregrinatur, qui penes ſe Fuldenſi e Bibliotheca, ut referebat, acceptum hunc theſaurum ſervabat, quem cum redimere ab eo vellet, fruſtra fuit, Codicem exſcribendi permiſſione contentus. Atque hujus exempli a Torralva excerpti, ſibique officioſe, veluti ad præceptorem, anno MDXCIV. tranſmiſſi, poſſeſſionem ubique jactabat; communicans inde per Litteras doctis, ſibique familiaribus aliquot viris, fragmenta quædam, quæ ad momenta eorum pertinerent, ægre ſe continens præ gaudio Higuera.

XXIII. Idem tamen poſt aliquot annos exempla alia hujus ſui exempli e manibus abire permiſit. Quorum aliquod Cæſarauguſtæ repertum, Joannes Calderon Franciſcanus anno MDCXIX. Typis in eadem Urbe committi curavit primus. Viſa tamen in publica hominum luce, illuſtrium horum Virorum, alias celebrium, tam propitia, ſecundaque rebus Hiſpaniæ noſtræ monumenta, veluti ex orci faucibus erepta, mirum quantum exultare, ſubſultare omnes, qui aliquo honoris ſenſu, pietatiſve tangerentur, ſtatim fecere; Provinciæ, Urbes, Eccleſiarum Collegia Sacra, Religioſorum hominum cœtus efferre ſe, ac nova ſibi delata in gremium, clariſſimorum Civium, ſodalium, tutelarium, inclytarum actionum, geſtorumque olim famæ celebris ornamenta jactare, conferreque invicem, & gratulari; tamquam ſi Pyrenæi ſaltus igne iterum correpti, Hiſpaniæ, quanta eſt, fines omnes metallorum liquefactorum torrentibus inundaviſsent. Hinc eruditiores cura etiam ſolicitare, ut ingruentem lætitiam non cæca mente, ſed oculata, ſuique, ac ſuorum bonorum conſcia ſuſcepiſse viderentur.

XXIV. Eodem enim fere tempore Rodericus Carus Utrarlenſis Presbyter, Franciſcus Bivarius Ciſtercienſis Monachus, Thomas Tamayus Vargas Regius Hiſtoricus, propugnandæ, exponendæ, illuſtrandæ, atque ornandæ huic Spartæ induſtriam omnem, ingeniique, atque eruditionis vires, quibus pollebat maximis, contulere. Carus expedivit certe rem, edito Dextri, ac Maximi ſyſtemate, ex collatione aliquot mſs. exemplorum, brevibuſque Notis, ſed elegantibus, & ingenuis munito, Hiſpali anno MDCXXVII. Bivario ſerius agenti Volumen eſcidit ſatis grande ſoli Dextro impenſum, Lugduni eodem anno. Cum præceſſiſſet utique triennio integro Thomæ Tamayi juſtum Opus ſub *Dextri defenſi*, ſeu *Novitatum antiquarum* vulgari Titulo, recens repertum *Chronicon* veteri Auctori aſſerens, veraque eſſe maximo conatu contendens omnia in eo comprehenſa, aut ſaltem falſa certo haud eſſe. Taceo innumeros, qui aliud agentes, Hiſtorias nempe Regnorum, Urbium, ſacrarum familiarum, domorumve, generales, particulares, Elogia, Apologetica rerum Hiſpaniarum ſcribentes, Dextri verſibus cumplevere omnes paginas, moneta hac uti legitima paſſim expenſa, perque omnium ſinus liberaliter ſparſa.

XXV. At quamvis huic facilitati res tam novas temere credendi non unus, aut alter ex noſtris, cui dextra in parte mamillæ cor ſaliret, indignatus continere intra prudentiæ limites civium noſtrorum philautiam, quæ vere judicii omnes faciebat partes, tam verbis præſentes, quam ſcripto per literas diu procuraviſsent, victi demum, ſuppreſſique, & quaſi tacere compulſi ſunt, prævalente ſuffragiorum numero, ac leocinante cæco patriæ amuri novæ mercis cupiditate. Niſi quod ante aliquot annos re penitius conſiderata, caſuque repertis non quidem levibus ſuſpicionis argumentis, negotium pene jam apud nos confectum retractari cœpit, advocata ad partes libere ſentiendi, qua rationis compotes ſumus, ac dicimur, facultate, fereque eo jam res proceſſit, ut admoneri ſe noſtri cives non ægre patiantur, a novis his Chronologis Hiſtoriæ noſtræ, non lætas vires, ſed tumorem inditum; & quæ turgida, & inflata ſit, habitiorem falſo apparere.

XXVI. Sed quia de his fabulis peculiariter agendum nobis eſt in Cenſura ejuſdem pſeudo-Dextri, *Omnimodam* veri, & germani DEXTRI HISTORIAM, loculis *Bibliothecæ noſtræ Hiſpanorum Scriptorum*, deperditam ho-

hodie jam, aut latentem; inſerimus tactum, & ad alia pergimus, contenti annutaſſe obiter, penes me aſſe illius *Chroniti*, ſeu *Chronitorum Dextri, Maximi, atque Luitprandi* exemplum, quæ jam primo vel habuit, vel jactavit ſe habere Hieronymus Higuera (an e Germania accepta, non auſim dicere.) Idque ab editis ſub eorum nomine in publicam lucem diverſiſſimum. Stupes, Lector, demiratus confidentiam cenſuræ. Placaberis, ſpero, gratiaſque mihi de indicio habebis, cum collatis inter ſe Dextri nomine inſcripto vulgari *Chronico* nullam, ut præſefert, jacturam paſſo, ac noſtro, altero acephalo, majorique ea parte mutilo, quod ad finem hujus *Bibliothecæ* partis edi curabimus, perpenſiſque noſtris ſuo tempore ſufficiendis pro hujus poſterioris conſtantiori fide argumentis, ad occultum hactenus, aut nondum ſatis reſeratum temerariæ, aut verius impiæ ſuppoſitionis myſterium, manu, & oculis contrectandum introduceris.

EXCURSUS III.

Quodnam judicium tulerint de eiſdem Chronicis Viri alii inſignes, pariter & de Chronico Hauberti Hiſpalenſis nomine edito, & obtruſo circa medium hujus ſæculi. Auctoris proteſtatio valde notanda.

XXVII. HUcuſque Nicolaus Antonius, non minus ingenuus, & veritatis amans, quam eruditus, qui poſtremis vitæ ſuæ annis, ſimul cum literatiſſimo, & Excellentiſſimo Marchione Mondexarenſi (tot Libris jam editis ſatis celebri) & Cl. Viro D. Luca Corteſio, Conſiliario ſupremi Caſtellæ Senatus, D. Joſepho Pellizerio, Thoma de Leon Jeſuita, aliiſque egregiis Viris, veras, & ſolidas Hiſpaniæ laudes amantibus, & reſpuentibus fabuloſas, impenſe laboravit in detegenda origine eorum Chronicorum, ſeu Librorum, qui ingenti omnium ſere ordinum plauſu circumferebantur, nomine Dextri, Maximi, Luitprandi, Helecæ, & Juliani Perez.

XXVIII. Sed quamvis laudati ii Viri doctiſſimi invenerint in dictis Chronicis, ſeu Libris, tertio quoque verbo tot abſurditates, & falſitates, quemadmodum & alii a nobis allegati num. 5. & 6. (ut nihil dicam de Archipræſule Marca, & pluribus aliis pariter rejicientibus ſcripta illa veluti notha, & ſubleſtæ fidei) adjecerunt præterea diligentiam ſummam, ut invenirent primum illud exemplar Dextri, quo ab initio uſus fuit Higuera, ſive id accepiſſet ex Germania, ut ipſe ajebat, ex Monaſterio Fuldenſi; vel, ut poſtea adjecit, a Patre Torralva, ſive non. Tandem nulli parcentes diligentiæ, aut ſumptui, illud invenerunt, ut idem Nicolaus Antonius teſtatur verbis Numero 26. exſcriptis. Sed quale? Diverſiſſimum ſane ab iis exemplaribus, quæ idem Higuera poſterius ubique diſtribuenda curavit. Illud enim erat utcumque tolerabile, ſive longe minus fabuloſum: hæc vero tot additamentis, fictionibus, falſitatibuſque interpolata, vitiata, aut corrupta ſunt, ut nihil fere in iis ſanum inveniatur, nihil fide dignum in iis, quæ addit ſupra id, quod jam antea a probatis Scriptoribus traditum fuerat. Addit autem paſſim nova, & mira, & incredibilia, ut proinde iis pſeudo-chronicis, præſertim Juliani Toletani, objicere poſſimus verba illa increpatoria S. Auguſtini Lib. 3. *Contra Julianum* Eclanenſem, & ipſius gregales, Cap. 3. *Mira ſunt, quæ dicitis: nova ſunt, quæ dicitis: falſa ſunt, quæ dicitis. Mira ſtupemus, nova cavemus, falſa convincimus*.

XXIX. Idem porro judicium ferunt eruditiſſimi quique ſupra laudati, & nominatim ipſe Nicolaus Antonius tribus iis Voluminibus mſs. apud me exſtantibus, circa Opera alia ejuſdem generis ab Higuera pariter ficta, & in lucem edita: qualia ſunt Chronica M. Maximi Cæſarauguſtani Epiſcopi, una cum *Fragmentis Helecæ*, & *Braulionis* Succeſſorum in eadem Sede. Item *Chronica Luitprandi Ticinenſis Diaconi*, & *Juliani Toletani Archidiaconi*: ac præterea *Adverſaria eorumdem Luitprandi*, & *Juliani*. Hæc omnia jamdiu edita ex mſs. Higueræ, quamvis multorum elogiis laudata, & Commentariis illuſtrata a nonnullis Viris eruditis; nunquam tamen fidem impetrare potuerunt ab aliis longe eruditioribus in criſi Librorum, quales hactenus allegavimus. Plena enim ſunt eventibus, ac rebus miris, novis, ac plane falſis, juxta phraſem illam S. Auguſtini. Et, ut antea monui, eo artificio, ſeu ea mentiendi arte compoſita ſunt, ut in qualibet narratione omnia illa *Chronica*, & *Adverſaria* ſibi invicem reſpondeant, & conſonent. Quod argumento plane invicto eſt (præter plura alia meridiano ſole clariora, quorum multa ſparſim præmiſimus hoc Tomo 1.) prædictos omnes Libros, jam non ab aliis, & aliis Scriptoribus diverſo tempore, ac loco prodiiſſe, ſed ab uno eodemque Auctore intra Toletum, iis fabulis fingendis, conſarcinandis, & veluti quadam harmonia contemperandis vacante.

XXX. Poſſem hoc loci κατὰ πόδας exſcribere quicquid laudatus D. Nicolaus Antonius profert circa Maximum, Helecam, Braulionem, Luitprandum, & Julianum ſub propriis eorum nominibus Tomo 1. & 11. *De Scriptoribus antiquis Hiſpaniæ* apud me mſs. ex quibus luculentiſſime conſtaret eorum omnium ſuppoſitio, & ſtructura ab eodem artifice, & uniformitas in fingendo. Sed prætermittendum duxi hoc loco brevitatis gratia, ac propterea, quod ſperem id Opus eruditiſſimum, & auro contra non carum, tribus Voluminibus comprehenſum, publicæ luci committendum, vel a me, vel a quopiam alio.

XXXI. Verum ex Tomo 1. *Bibliothecæ Hiſpanæ*, Romæ edito ab ipſo D. Nicolao Antonio anno MDCLXXII. pag. 456. verbo *Hieronymus Roman de la Higuera*, accipe pauca hæc de Chronicis iis plurimorum plauſu receptis: *Quæ tamen alii, exterorum nempe eruditiſſimus quiſque, noſtrorumque hi, qui ratione magis, quam præjudicatis ducuntur opinionibus, ſive conſcio (Higuera), ſive ignaro eo, fuiſſe conficta, atque iis Hiſtoricis, quorum nomina præſeferunt, ſuppoſita; luculentioribus in dies argumentis convicti liquido ipſi credunt, nec minus ſperant perſuadere aliis ſe, ad rem qui mentem adduxerint doceri cupidam*

fa-

facile poſſe. Hæc paulo temperantius contra Higueram Romæ ſcribebat tunc, quod nondum haberet plane exploratam ipſius fictionem. Verum poſtquam in Hiſpaniam rediit, & non ſolum teſtimoniis fidedignorum, ſed oculis ipſis, mangonium, & malam illius fidem compertam habuit; illico exaſperavit ſtylum, & nominatim tanquam fabulatorem perſtrinxit. Qua de re Vir optimus aliquando a me admonitus, ut mitius ſe gereret, reſpondit, & multis rationibus probandum recepit, non aliter loqui, & ſcribere oportere. Tantam enim ſtragem Hiſtoriæ Hiſpanicæ, præſertim ſacræ, ab iis pſeudo-chronicis illatam fuiſſe, ut oporteat ea palam traducere, & exſecrari nominatim Auctores illorum, veluti perniciofos bono communi, ac veritati. Cujus rei exempla attulit, etiam ex Sanctis Patribus deſumpta, quibus perſuaſus fui ad idem ſentiendum.

XXXII. Præterea creditur idem Higuera inchoaſſe, aut affecta reliquiſſe plura alia nondum edita, quod ſciam, veluti, *Fragmenta S. Athanaſii* primi Epiſcopi Cæſaraugustani: item Iſidori Epiſcopi Pacenſis *Epitomen temporalem* (diverſam crediderim ab ea, quæ extat adhuc ms. in Bibliotheca magnæ Eccleſiæ Toletanæ, unde fidele exemplar eruendum curavi, quod penes me eſt) ac denique *Additiones Joannis Ægidii Zamorenſis ad Chronicon Juliani*. Porro ea ſcripta, vel in ipſa epigraphe redolentia genium Higueræ, non dubito præcedentibus ſimilia, & in iis memoranda ſimiliter inter plura alia ſubleſtæ fidei, multa Hiſpaniæ Concilia, quæ nunquam, nuſquam fuerunt. Solum miror deſuiſſe iis obſtetricantem manum cujuſpiam defenſoris, vel commentatoris, ut iis partus jam diu publica luce frueretur. Si quando id acciderit; moneo poſteros, ne ſimilibus fabulis fidem præſtent, & ut meminerint illorum verborum Laocoontis ad ſuos: *Equo ne credite Teucri*.

XXXIII. Idipſum cenſendum de Chronico circa medium hujus ſæculi obtruſo ſub nomine Hauberti Hiſpalenſis, quod eatenus a nemine viſum, aut nominatum, ſe inveniſſe jactabat, & e Bibliotheca S. Dionyſii Pariſienſis clam abſtuliſſe, atque in Hiſpaniam detuliſſe, Antonius Zapata (ita ſe appellari amabat, ſed reipſa Antonius Lupian) in Catalonia natus, pulſandis organis in ſua patria addictus. Is leviter tinctus lectione hiſtoriæ variæ, præſertim Hiſpanæ, ac non parum animatus exemplo Higueræ, cui tam bene ceſſerant apud pleroſque fictiones ejuſmodi, recentem eam chimæram invexit, in qua innumeras novitates, paradoxa inaudita, Concilia eatenus ignota Hiſpaniæ, Sanctos plures exteros, quaſi Hiſpanos, Sedes Epiſcopales nunquam ab alio memoratas, & alia id genus portenta protulit.

XXXIV. Porro id Chronicon Gothico charactere ſcriptum noluit unquam exhibere alicui emunctioris naſi, aut ſatis perito in legendis antiquis literarum formis, aut veteribus mſs. quamvis ſæpe, & inſtanter rogatus fuiſſet a quibuſdam. Nimirum, intererat plurimum, ne fraus detegeretur. Sed poſtea deprehenſum fuit a Viris peritiſſimis, & omni fide dignis, qui fraudem ſuſpicabantur, & diligentiſſime inquirebant, intra Codicem illum nihil aliud eſſe quam *Chronicon Euſebii Cæſarienſis*, cum *Continuatione S. Hieronymi*. Eum Librum pro Chronico Hauberti venditavit diu Lupianus, & ſparſit quædam exemplaria cogitationum, ſive fictionum ſuarum, quaſi ad literam exſcripta e Chronico ipſo apud ſe extante; in quo tamen nec verbum habebatur, nec nomen quidem Hauberti Hiſpalenſis, niſi recenti manu initio adjectum, loco Euſebii Cæſareenſis, cujus opus erat. Detecta itaque fraude Lupiani, iidem homines eruditi, qui antea vehementer illam ſuſpicabantur, oculis demum ipſis eam uſurparunt, & Haubertum Hiſpalenſem cenſuerunt ſimilem chimæram illis aliis ab Higueriano genio profectis.

XXXV. Verum cum juxta vetus dictum, experimentumque commune, nulla ſit fatuitas abſque patrono, inventus fuit in Hiſpania, qui pſeudo-Haubertum protegeret, ac multis, & prægrandibus voluminibus tuendum, atque illuſtrandum reciperet, nimirum Gregorius Argaiz, profeſſione Benedictinus. Quod ipſum, licet videatur non nimis decorum dilectiſſimæ Religioni meæ, cui tot nominibus obſtrictus ſum, cenſui minime diſſimulandum hoc loco: ne quis exiſtimet me ſiniſtro quopiam genio, aut præpoſtero affectu abductum, ſtrinxiſſe calamum adverſus Higueram, alterius Inſtituti hominem. Ingenuus veritatis, & utilitatis publicæ amor, qui compulit Bollandum, Henſchenium, Papebrochium, & tot alios Societatis claros Scriptores, ſupra num. 5. & 6. indicatos, ad traducendum nominatim illum, quamvis ſuum ſodalem; impulit etiam me ad ferendum palam judicium de ipſo, & pariter de Lupiano, & Argaizio: verum mitius de hoc, quod non mala fide, dolo, aut fraude, ſed ab eo ſeductus, per nimiam ſimplicitatem peccaverit. Vide infra num. 52. & 53.

XXXVI. Hæc in toto iſto Opere, ſive Collectione Conciliorum Hiſpaniæ, & quibuſlibet aliis lucubrationibus noſtris jam editis, aut etiam edendis, intellecta velim. Nemini enim arbitrio noſtro notam inurimus, nemini nominatim invidiam conflamus, niſi præcedentibus jam aliorum Libris publice ſparſis cum eadem criſi. Et hoc ipſum quidem, tunc ſolum præſtamus, quum judicio gravium Virorum, ac noſtro, intereſt Reipublicæ Literariæ, ac tuendæ veritati hiſtoricæ, præſertim ſacræ, ſive Eccleſiaſticæ, ac neceſſarium eſt, ut fraudes, fictiones, & commenta ſimilia, cum ſuis artificibus, ſive architectis, innoteſcant, & de cætero cum riſu, aut exſecratione repellantur.

E X C U R S U S IV.

De Conciliis, quæ juxta Chronicon Dextro adſcriptum dicuntur celebrata in Hiſpania apud Eliberim, & Cherronem prope Valentiam, intra primum ſæculum Eræ Chriſtianæ, a primis Epiſcopis, præſertim S. Jacobi Diſcipulis. Quid in ea parte ſentiendum ſit, etiam ob ipſis Eccleſiis, in quarum honorem ea antiquitatis monumenta, aliaque ſimilia, ex iis Chronicis circumferuntur.

XXXVII. Qualiſcumque vero ſit, ſi qua eſt auctoritas Chronicorum eorundem, hoc loco ſolum indicabimus Concilia ab ipſis memorata, eiſdem ipſorum verbis, & annis

nis Eræ Chriſtianæ, ſive communis, qua utitur pſeudo-Dexter: cum tamen notiſſimum ſit, nec ipſius ſæculo, nec præcedentibus, numeratum fuiſſe juxta annos Chriſti, ſed ſolum penes Conſules, aut Eram Diocletianam. Quod unum ſufficeret ad evincendam ſuppoſitionem, immo & malam fidem architecti illarum farraginum. Sed ut ut ſit, ſeriem annorum ab ipſo obſervatam ſequemur.

XXXVIII. Anno Chriſti quinquageſimo ſeptimo inquit Chronicon Dextro adſcriptum: *Horum S. Jacobi Diſcipulorum* (de quibus antea egerat) *nonnulli ſub Alloto, Neronis judice, dum ad Concilium Illiberri conveniunt, flammis exuſti, ſpoliati ſuis, ſuorumque bonis omnibus, generoſe morientes pro Fide Chriſti, coronati ſunt*. Vide Notas Franciſci Bivarii in hæc verba, ſimiliter & in alia de reliquo alleganda, ne paſſim ipſum citare cogamur. Idemque dictum eſto circa Concilia indicata in Chronicis adſcriptis Maximo, & ab ipſo Bivario editis.

XXXIX. Anno Chriſti ſexageſimo: *Cum conveniſſent in Cherronenſi Urbe prope Valentiam in Hiſpania, Concilii cauſſa, Sancti Pontifices, Diſcipuli quoque S. Jacobi, Baſilius Carthaginis Spartariæ Diſcipulus ejus primus, Eugenius Valentinus, Pius Hiſpalenſis, Agathodorus Tarraconenſis, Elpidius Toletanus, Etherius Barcinonenſis, Capito Lucenſis, Ephrem Aſturicenſis, Neſtor Palentinus, Arcadius Juliobrigenſis, ſub eodem Neronis judice* (nimirum, Alloto antea nominato) *bonis ſpoliati, necati ſunt*.

XL. Sed enim ne fidem præſtemus iis narrationibus Dextro adſcriptis (præter alia argumenta ἀναντίῤῥητα) urget admodum, quod in antiquiſſimo Martyrologio Eccleſiæ Lugdunenſis, ubi memorantur ad Idus Majas primi Epiſcopi ad Hiſpanias miſſi, inter quos præcipui fuiſſe creduntur Diſcipuli S. Jacobi, longe alia nomina, quam prædictorum, leguntur. En ejus verba: *Natalis SS. Confeſſorum, Torquati, Thyſephontis* (alias *Cteſiphontis*) *Secundi, Indalecii, Cæcilii, Eſicii, Euphraſii, qui Romæ a SS. Apoſtolis ordinati Epiſcopi, & ad prædicandum verbum Dei in Hiſpanias, tunc Gentili adhuc errore implicatas, directi ſunt*. Et poſt pauca ſubditur: *Torquatus Acci, Thyſephon Vergii, Euphraſius Eliturgi, Secundus Abulæ, Indalecius Urci, Cæcilius Eliberi, Eſicius Carſecæ, quieverant*.

XLI. In quibus non apparet nomen cujuſquam eorum S. Jacobi Diſcipulorum, qui ſub Dextri auctoritate Concilium celebraſſe in Hiſpania, aut martyrium ſubiiſſe leguntur. Quin & antiqua, ac communis fere multarum Hiſpaniæ Eccleſiarum traditio fert, hoc poſteriori loco nominatos, fuiſſe ſocios, ac Diſcipulos S. Jacobi, & eo Hieroſolymis per martyrium ſublato, ab Apoſtolis Petro & Paullo miſſos Roma in Hiſpaniam fuiſſe ad prædicandum. Quod poſtremum ſatis confirmant duæ Pontificiæ Epiſtolæ, altera Innocentii I. Papæ ad Decentium Eugubinum Epiſcopum, altera Gregorii VII Lib. 1. Regeſti ad Alphonſum VI. & Sanctium, Hiſpaniæ Reges: quarum prior extat in Collectione Labbeana Conciliorum Tomo II. col. 1245. poſterior Tomo a. col. 53. Immo & Breviarium ipſum Romanum, quo omnes utimur, in Lectionibua ſecundi Nocturni ad diem 25. Julii, id confirmat.

XLII. Præterea nec nomina illa Diſcipulorum S. Jacobi ſub auctoritate Dextri memorata, conveniunt ſatis cum nominibus eorundem exſtantium in Hiſtoria Pelagii Epiſcopi Ovetenſis, ſcripta ſexcentis circiter retro annis, apud Bibliothecam magnæ Eccleſiæ Toletanæ, unde exemplar fideliter eruendum curavi, quod penes me habeo. Etenim Diſcipulos S. Jacobi numerat Calocerum, Baſilium, Pium, Chryſogonum, Theodorum, Athanaſium, & Maximum. Ex quibus ſoli Baſilius & Pius in illa narratione habentur apud Dextrum, aſſignata unicuique eorum omnium pro libito propria Eccleſia: idque ea veteratoris pſeudo-Dextri ſecuritate de impetranda a nobis fide, ac ſi palam id in tabulis incorruptis ejuſdem primi ſæculi ſcriptum oſtendiſſet. Porro vera eorundem Diſcipulorum nomina, & Eccleſiarum, quas rexerunt, potius accipienda duco ex vetuſtiſſimo illo Martyrologio Lugdunenſi, quam ex Hiſtoria Pelagii: quod & vetus traditio Eccleſiarum, Scriptorumque Hiſpaniæ confirmat.

XLIII. Notet maxime prudens, & eruditus Lector, nos nullatenus negare, tum primo Eræ Chriſtianæ ſæculo, tum ſequentibus, celebrata fuiſſe ab Epiſcopis Hiſpaniæ plura Concilia, quorum memoria non invenitur apud quemquam antiquum, & indubitatum Scriptorem, neque apud Collectionem ullam Conciliorum, ſeu veterem, ſeu recentem. Veroſimile enim eſt, immo & valde credibile, priſcos illos Epiſcopos Apoſtolicorum temporum, & Succeſſores eorum, virtutibus heroicis præditos, & veluti primitias ſpiritus habentes, in Hiſpania ſæpius coeuntes, ſimul contuliſſe plura ſpectantia ad Fidem, mores, & diſciplinam Eccleſiaſticam, atque Edictis ſuis decreviſſe quicquid opus videbatur in eum ſcopum. Ejuſmodi vero Collationes, & Decreta, Conciliorum nomine appellari, nihil vetat.

XLIV. Quin & ut reipſa plures ejuſmodi conventus, Concilia, aut Synodos iniiſſe cenſeantur, credere noa cogit Canon xxxvi. Apoſtolorum, in quo dicitur: δεύτερον τοῦ ἔτους Σύνοδος γενέσθω τῶν ἐπισκόπων, καὶ ἀνακρινέτωσαν ἀλλήλους τὰ δόγματα τῆς εὐσεβείας, καὶ τὰς ἐμπιπτούσας ἐκκλησιαστικὰς ἀντιλογίας διαλυέτωσαν· ἅπαξ μὲν τῇ τετάρτῃ ἑβδομάδι τῆς πεντηκοστῆς, δεύτερον δὲ ὑπερβερεταίου δωδεκάτῃ. *Bis in anno fiat Epiſcoporum Synodus, & inter ſe examinent Decreta Religionis, & incidentes Eccleſiaſticas controverſias componant: ſemel quidem quarta hebdomada Pentecoſtes; iterum autem Hyperberetæi* (alias Octobris) *duodecimo*. Immerito autem pro frequentia Conciliorum citatur a Bivario S. Lucius Papa in *Epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ*, quam nos jam ſupra exhibuimus, quoniam in illa nec verbum de Conciliis celebrandis apparet.

XLV. Quis autem neget ſanctiſſimos illos Epiſcopos eum Canonem, aut ſaltem illius doctrinam adeo ſalutarem, & neceſſariam populis rite erudiendis, exacte obſervaſſe? Quomodo non credemus, ad debellandas tot hæreſes alio atque alio tempore, intra quodlibet fere ſæculum excitatas, & præſertim primis tribus Eræ Chriſtianæ, ſimulque ad præcavendas, & ſuperandas tot Ethnicorum perſecutiones, non

ſu-

ſæpius coiviſse, ſimul deliberaſse, & decreviſse plurima populis Hiſpanis utilia, & ſalutaria; ac proinde multas Synodos coegiſſe? Nec aliter florere potuiſſet in Hiſpaniis Religio Chriſtiana tam longe, ac late, editis tot Martyribus, non modo ſub Imperio Diocletiani, ubi innumerabiles fuerunt vel in una Cæſarauguſta; ſed etiam tempore Neronis, qui apud Cluniam Coloniam (hodie *Corunna de Conde*) erexit culumnam illam memoratam ab Aldo Manutio in *Orthographia*, Ambroſio Morales Lib. 9. *Hiſtor.* Cap. 17. & Baronio ad annum Chriſti LXIX. addita literis uncialibus inſcriptione, qua crudeliſſimus Chriſtiani nominis perſecutor gloriabatur, ſe morti tradidiſſe latrones, & ſuperſtitioſos. Hoc enim epitheto dignabatur Chriſtianos illos, qui apud Cluniam ob profeſſionem Fidei ſplendidiſſimum martyrium ſubiere.

XLVI. Ut propterea jure diserit laudatus Baronius ad prædictum annum: *Conſidera ex his vehementiſſimam perſecutionem Neronis* (loquitur de illa apud Cluniam Hiſpaniæ) *ut creditum fuerit, Chriſtianam Religionem ab eo penitus exſtirpatam*. Ac præterea: *Potes ex his quoque Lector probe conjicere, fuiſſe Hiſpaniarum Eccleſiam his temporibus florentiſſimam, dum tanquam ingens quoddam ab impiis æſtimatum eſt collatum a Nerone beneficium, quod Chriſtianis eam provinciam expurgaſſet*. Quomodo autem Hiſpana Ecclaſia poſſet tunc eſſe florentiſſima, tum Neronis ævo, tum perſecutorum ſequentium, tum maxime Decii, ac Diocletiani, editis Martyribus abſque numero, ſi in ea non floreret maxime Fides, puritas morum, & Eccleſiaſtica diſciplina; quibus ſervandis tam neceſſaria eſt ſanctitas, cura, & ſollicitudo Epiſcoporum, præſertim congregatorum in Conciliis; ubi ſacrarum Legum cuſtodia firmius, ac latius ſtabilitur, errata præterita corriguntur, futura præcaventur, & mores omnium reformantur?

XLVII. Dicamus itaque, ſub Ethnicis Imperatotibus fuiſſe plurima Concilia, ſive Synodos, aut conventus Epiſcoporum in Hiſpania, ad Fidem tuendam, mores corrigendos, & diſciplinam Eccleſiaſticam ordinandam, non minus quam in aliis regionibus Occidentis, & Orientis. At vero quænam in ſingulari fuerint ea Concilia, quo loco, quonam anno, & a quibus Epiſcopis celebrata fuerint, nemo, niſi divinando, affirmare poteſt. Non enim id colligi valat ex traditione aliqua, quæ certa non exſtat, neque ex Scriptore, aut monumento aliquo certo, aut indubitato quindecim priorum ſæculorum Eræ Chriſtianæ; ſed dumtaxat ex iis pſeudo-chronicis, quæ ſub finem decimi ſexti, id eſt avorum noſtrorum tempore, & poſtea diebus noſtris, a quibuſdam male feriatis capitibus obtruſa fuerunt. Illorum commune peccatum inde ortum fuit, quod plurima lectione inſtructi, præſertim rerum Hiſpanicarum, conjiciebant, aut ratione aliqua veroſimiliter ſuſpicabantur multa, quæ unoquoque tempore potuerunt avenire. Hinc proceſſerunt temere ad ea affirmanda, quaſi revera tunc eveniſſent. Itaque asorbitarunt palam, indebito tranſitu a poſſibilitate ad factum, & a veroſimili ad verum.

XLVIII. Et certe clariſſimæ Eccleſiæ, ac toto Orbe celebres, Toletana, Hiſpalenſis, Tarraconenſis, Cæſarauguſtana, ac Bracarenſis, aliæque Hiſpaniæ ſimiles, & antiquiſſimæ, non egent commentitiis laudibus, aut calamis vænalibus, quibus adſcribantur iis fabuloſi honores, ex Conciliis reipſa non celebratis apud illas, aut ex Epiſcopis imaginariis, aut Sanctis, qui in rerum natura non fuerunt, vel floruerunt alibi. Eſt enim adeo clara illarum memoria ab antiquis ſæculis uſque modo certis, & exploratis ejuſmodi titulis, aliiſque pluribus, ut nihil ultra deſiderare debeant, & jure indignari poſſint adverſus rhapſodos, & fabuloſos ejuſmodi aſſentatores, qui ambitu quodam, aut cenoduxiæ genio, vel novitatum pruritu, aut quæſtuoſo animo, & ſordido, iis adulantur, nullo earum decore, & communi veritatis hiſtoricæ rerum Hiſpanicarum, præſertim ſacrarum, jactura.

EXCURSUS V.

De variis Conciliis, quæ dicuntur ſecundo, ac tertio ſæculo celebrata in diverſis Hiſpaniæ locis, juxta Chronico illa ſubleſtæ fidei, Dextro, Maximo, Juliano, & Hauberto adſcripto. Refutantur omnia, veluti ὑποβολιμαῖα, *aut ſubdititia*.

XLIX. Quamvis nollem ea reſumere, quæ ſupra in Apparatu præmiſi circa rem hanc; cogit me rerum ordo, ac ſeries temporum, ad nonnulla eorum repetenda. Porro ex dictis ibidem, & nuper adjectis, ſatis colligitur, fuiſſe locum, rationem, & neceſſitatem, ut tribus primis Eræ Chriſtianæ ſæculis plura Concilia Epiſcoporum cogerentur in Hiſpania. Unde non dubito, generatim loquendo, multa ibidem celebrata fuiſſe a ſanctiſſimis Epiſcopis Hiſpaniæ, præſertim Toleti, Hiſpali, Tarracone, aut Bracaræ, tanquam in Eccleſiis præcipuis, florente tunc maxime pietate, ac religione Hiſpanorum, ut præmiſimus num. 46. Quod autem reipſa fuerint coacta hoc, vel illo loco, aut anno, & a quibuſnam Epiſcopis, nemo unquam mortalium determinaſſe, aut aſſeruiſſe invenitur, niſi avorum noſtrorum tempore Auctor Chronicorum prædictorum. Is enim longe oculatior cæteris, inveniſſe dicitur innumera antiquitatis monumenta, a nemine euſque cognita, & Concilia Hiſpaniæ plurima, quorum nec Dionyſius Exiguus, nec apud noſtrates Hiſpanos S. Martinus Bracarenſis, nec S. Iſidorus Hiſpalenſis, nec ulli alii Collectores Conciliorum, veteres, aut recentes, meminerunt. Hæc, nimirum, felicitas ſervata fuerat uni Higueræ, qui non peragratis Regionibus variis, aut Bibliothecis inſignibus per Europam diſperſis, nec evolutis archivis, aut chartulariis Eccleſiarum, & Urbium (uti fecere eo fere tempore ex Hiſpanis clariſſimi Scriptores, & Hiſtorici, atque antiquarii, Antonius Auguſtinus, Garſias Loaiſa, Joannes Mariana, Hieronymus Zurita, Ambroſius Morales, Stephanus Garibay, Prudentius Sandoval, Antonius Jepius) ſed permanens Toleti aſſiduo, tot pretioſa monumenta ſe inveniſſe jactabat, eaque venditabat aliis, facili credulitate deluſis. Verum quibuſdam ſub-

ſubacti judicii , & exactæ criſeos , gemmæ illæ deprehenſæ fuerunt vitreæ , atque evanidæ , & , quod apud Græcos in proverbio eſt , ϑησαυρὸς ἄνθρακες .

L. Primo itaque loco intra ſecundum ſæculum occurrit Concilium Toletanum, de quo Dextri nomine dicitur , ad annum cv. num. 6. *Poſt aliquot annos ab adventu ſuo in Hiſpaniam , Sanctus Eugenius M. Marulus rem primatus Hiſpaniæ confert cum Viris ſanctis, & primariis , Epitecto Cæſarauguſtano , & Philetbeo ſocio peregrinationis ſuæ, Legato etiam S. Clementis , Vitaliqne , & Avito, qui profectus poſt ad inſulas Fortunatas Martyr fuit; Aulo Cornelio Palma, & P. Turano, Duumviris , Toletanis, Catholicis Viris, multiſque Carpetaniæ , & aliunde Epiſcopis coactis* . Quam narrationem omnibus retro ſæculis inauditam, multis exornat , & comprobare nititur Bivarius eo loco , ſicuti & plura alia ſimilis farinæ ; eruditione quidem multa , ſed male impenſa in defenſionem cauſſæ prorſus deſploratæ apud omnes eos , quibus dexteritas eſt diſcernendi in antiquorum ſcriptis vera a ſubdititiis, & germana a nothis. Quin nec opus eſt multa induſtria , aut exacta criſi , ad detegendam fabulam in iis verbis contentam , & adulatione plenam (quæ ſtatim in oculos incurrit) erga magnam Eccleſiam, & nobiliſſimam Urbem Toletanam , ubi eæ farragines excogitatæ fuerunt : quæ duæ certe iis fucatis , & fictis ornamentis non egent , & jure indignari poſſunt adverſus ejuſmodi mythologos , veteratoreſque .

LI. Secundo occurrit aliud Concilium Toletanum apud eundem pſeudo-Dextrum ad annum cxi. hiſce verbis : *S. Martus Marcellus Eugenius Toleti Concilium ex Epiſcopis Carpetanis , & aliis , babet de rebus Fidei, ac morum* . In iis verbis , ſicut & in proxime præcedentibus , cæcum , aut ultro exoculatum eſſe oporret , qui non videat affectationem verborum , tam in anticipato Toletanæ Eccleſiæ Primatu , ſolidioribus alias fundamentis innixo , quam in multiplicandis nominibus Eugenii Præſulis , & aſſignanda Concilii materia *in rebus Fidei, ac morum*; quæ locutio a paucis retro ſæculis introducta fuit . Et certe ſanctiſſimi illi Eccleſiæ Epiſcopi primis ſæculis , ſpiritu humilitatis, & veræ pietatis pleni , nihil cogitabant de honore Primatus , ſed de onere rite ſuſtinando , & ſalute animarum procuranda . Quin longe poſtea , & inclinante quarto ſæculo , S. Gregorius Nazianzenus , eum eſſet Archiepiſcopus Conſtantinopoleos , non dubitavit dicere in conſpectu ejus magnæ, atque Imperialis Urbis : ὡς ὄφελόν γε μηδὲ ἦν προεδρία, μηδέ τις τόπου προτίμησις , καὶ τυραννικὴ προνομία , ἵν᾽ ἐξ ἀρετῆς ἐγινωσκόμεθα . *Utinam autem ne ullus quidem Sedis principatus eſſet , nec ulla alia loci prælatio, nec tyrannica prærogativa , ut ex ſola virtute cognoſceremur* . Nec tamen inde impeditur rectus ordo Hierarchiæ Eccleſiaſticæ , inter ſuperiores, & inferiores ſancte conſtitutus . Sed aliud longe eſt affectatio ſacri honoris , & elatio ultra terminos rite præſcriptos , quæ ſola digna eſt reprehenſione , & iis verbis carpitur a Nazianzeno . Vide quæ diximus in Commentariis ad Concilium Eliberitanum , Libro 3. Capite 42.

LII. Tertium Concilium memoratur , tanquam Hiſpali celebratum anno clix juxta Chronicon Hauberto Hiſpalenſi adſcriptum ; id eſt , homini nunquam in rerum natura viſo, aut audito , donec Antonius Lupian , alias Zapata, ſatis mihi notus viſu, & alloquio, circa medium hujus ſæculi novum id pſeudo-chronicon invenit ; id eſt , chimæram recentem , ſeu parergon ultra alias ſub præcedentis ſæculi finem obtruſas . Inibi ergo ad prædictum annum dicitur : *Hiſpali Synodus contracta eſt XXXVI Epiſcoporum , qui in agro congregati , in puteo profunde necati ſunt . Animæ eorum evolare uſque ad Cælos viſæ ſunt a circumſtantibus. Corpora eorum a Chriſtianis.....ſunt* . Sinamus , vixiſſe inter mortales Haubertum Hiſpalenſem , & Chronicon aliquod ſcripſiſſe circa ſæculum nonum, aut decimum, juxta Lupianum . Undenam Haubertus poſt tot ſæcula ille habere potuit eam notitiam ? ex quonam Scriptore, aut traditione , nunquam eatenus memorata , aut poſtea audita , donec Lupiano placuit eam obtrudere ? Sane ſicuti Higuera Toletanæ Eccleſiæ, atque Urbi inſigniter adulatus fuit ejuſmodi commentis ; ita & Lupianus Hiſpalenſi . Uterque inter ſe partitur monumenta ſacra , Concilia , Epiſcopus , Sanctos , & Martyres , ut unicuique earum Eccleſiarum, & Urbium adſcribat , quaſi iis quiſquiliis , aut figmentis egerent ad ſplendorem ſuum ſolidum , ac ſecurum in eximio gradu retinendum .

LIII. Verum ſicuti non defuere pſeudo-chronicis Higueræ commentatores , qui in ejus gratiam veroſimilia pro veris , poſſibilia pro factis , & notha pro germanis haberi vellent , nimia potius , quam mala fide : ita nec Lupiano hyperaſpiſtes inter noſtrates defuit , ut ſupra numero 34. & 35. præmiſi , nempe Argaizius . Illum diu, ac multum ſcripturientem, & Libros edentem pro Hauberto (mediocri hiſtoriæ notitia , verum majori ſimplicitate , aut pervicacia) monuimus multi, ne iis næniis vacaret , aut operam luderet . Reverendiſſimus Magiſter Joannes de la Riba , Catholicæ Majeſtatis Theologus , & Concionator (qui antea fuerat Generalis Benedictinæ Congregationis Hiſpanicæ) Vir ſane doctus , juſtitiæ , ac veritatis amantiſſimus , illum nonnunquam propterea increpavit , & mihi idipſum exſequendum injunxit . Sed nec ipſius monita , nec mea , nec Clariſſ. Viri & celeberrimi Scriptoris D. Emmanuelis Gonzalez Tellez, qui in eadem ſententia jam tandem nobiſcum erat , nec aliorum plurium , quicquam profecerunt . Novaturienti enim genio præditus , & præoccupatus inſanabili illo cacoethe ſcripturiendi mira , ac rara , undecumque ea accepiſſet , nunquam ſibi temperavit in ea parte . Denique editis quatuordecim plus minus voluminibus, avidiſsime receptis, & auro contra non caris apud minus peritos, atque ingenti pretio venditis in America ; tandem plenus triumphis , ut ſibi videbatur , reportatis ex Pellizerio , & aliis Viris eruditis a quibus refellebatur , in extrema ſenectute diem Matriti obiit anno circiter MDCLXXXIII.

LIV. Quarto loco ſuccedit Bracarenſe , cum aliis multis , & frequentibus Hiſpaniæ , apud pſeudo-chronicon Juliani Perez nomine vul-

vulgatum, nothum quidem, ſed germanum fratrem aliorum ſimilium ab uno Higuera editorum; in quo ad annum CCLII. num. 105. dicitur: *In cauſſa Novati habentur in Hiſpania crebra Concilia, ſcilicet, Bracaræ, Emeritæ, Tarracone, Hiſpali, Toleti, & alibi.* Voluit artifex earum farraginum demereri omnes Hiſpaniæ Eccleſias, & Urbes, ac ſodalitates Regularium veterum; ideoque nulli earum non dedit aliquid eximium, veluti Concilia, ſanctus Præſules, Martyres, &c. Sic etiam Argaizius ſe geſsit poſtea in ſuo Hauberto illuſtrando: ut propterea Magiſter Gregorius Quintanilla, pariter Benedictinus, & in Salmanticenſi Univerſitate Primarius linguæ ſacræ Profeſſor, Libro edito in Tabernaculum Fœderis, facete illum incuſaverit, quod ſe geſſiſſet in ſuis Libris evulgandis, inſtar Mahometi in Alchorano diffundendo. Ut enim id plauſibile ubique redderet, cuilibet Religioni veræ, aut falſæ aliquid contulit nebulo ille. Fidem aliquam exhibuit, partim doctrinæ Evangelicæ, partim Moſaicæ, partim Ethnicæ, partim Neſtorianæ; ut ex omni conditione hominum Sectatores haberet innumeros, & laudatores. Nemo enim facile id reprehendit, aut reſpuit, in quo aliquid honoris, aut gratiæ ſibi concedi agnoſcit.

LV. Sane nihil in Hiſpania geſtum fuiſſe contra hæreſim Novatiani, agnoſcitur toto tertio ſæculo, neque ullum ejus rei veſtigium habemus, cujuſquam veteris Scriptoris teſtimonio, aut traditione acceptum. Neque enim illud extat apud quemquam Auctorem de ea hæreſi loquentem, qualis fuit imprimis S. Cyprianus paſsim in Epiſtolis, præſertim de Lapſis, intra ſæculum ipſum tertium. Sed nec ullus allegari poteſt ex ſæculo quarto, veluti Euſebius Lib. ſexto, Epiphanius Hæreſi LIX. Ambroſius, Libro primo, *De Pænitentia*, ac S. Pacianus Epiſcopus Barcinonenſis in tribus Epiſtolis adverſus Novatianos, & Parænesi ad Pœnitentiam, ubi certe allegaſſet contra illos Concilia Juliani nomine memorata, ſi in Hiſpania ſæculo antecedenti celebrata fuiſſent adverſus Novatianiſmum, quem ii Patres impugnabant. Verum artifex illius pſeudo-chronici plurimis poſtea ſæculis intra Toletum conſiſtens, teleſcopio ſuo detexit ea, quæ prædicti Patres ſuo ævo, & poſteriores ſequentibus ignorarunt.

LVI. Quintum Concilium apud eundem pſeudo Julianum num. III. circa eadem fere tempora, appellatur Tarraconenſe, cum pluribus aliis circa Baptiſmum ab hæreticis collatum. Verba exhibeo: *Habentur etiam frequenter Synodi Tarracone, Hiſpali, Carthagine, Bracaræ, Toleti, Emeritæ, an Baptiſmus collatus ab hæreticis, cum intentione faciendi quod Eccleſia prætendit, validus ſit. Concluſit validum, nec ſemel ab hæreticis baptizatum, baptizandum.* Si quemadmodum extant plura veterum teſtimonia de Conciliis circa eam quæſtionem habitis Romæ a S. Stephano Papa, in Africa a S Cypriano, & in Aſia a S. Firmiliano, eſſet vel unum aliquod de Conciliis pariter celebratis in Hiſpania, aut traditio quæpiam antiqua, facile cederemus. Verum cum nemo antiquorum inveniatur, qui eorum Hiſpaniæ Conciliorum meminerit, nec S. Pacianus, qui in Hiſpania, *De Baptiſmo* ſcripſit quarto ſæculo, nec S. Auguſtinus, qui tam fuſe initio quinti egit ea de re adverſus Donatiſtas, nec demum aliquis uſque ad finem ſæculi præcedentis; videtur totum id pariter Higuerianis mercibus adſcribendum. Maneant itaque prædicta Concilia, ſicut & plurima alia iis pſeudo-chronicis indicata, intra limites poſſibilitatis, ex qua ſola procedere ad affirmandum factum, ſive exiſtentiam cujuſpiam rei, ſolius hominis eſse poteſt, aut nimium creduli ſive temerarii, aut egregie ad fingendum compoſiti.

EXCURSUS IV.

De Concilio quodam Toletano, quod juxta Chronicon Dextro adſcriptum dicitur celebratum anno CCCXI. in defenſionem Eliberitani. Oſtenditur, illud eſſe ſuppoſititium, & plura ibidem, atque in aliis pſeudo-chronicis narrari a veritate aliena, præſertim circa cultum SS. quæ animadverſione, & correctione egeant. Indiculus chronologicus Conciliorum Hiſpaniæ, quæ primis quatuor ſæculis Eræ Chriſtianæ celebrata dicuntur in novis pſeudo-chronicis.

LVII. Vidimus ſupra Diſsert. I. Concilium Eliberitanum fuiſse ab Hiſpanis Epiſcopis celebratum anno Eræ Chriſtianæ CCCIII. aut circiter. Nunc videamus, quænam alia intra idem ſæculum quartum celebrata dicantur in iis Chronicis ſubleſtæ fidei, quamvis non extent in Collectione S. Iſidori, nec in ulla veteri, aut recenti.

LVIII. Primo occurrit, juxta Chronicon Dextro adſcriptum ex editione Franciſci Bivarii, ad annum CCCXI. pag. 370. num. 3. Concilium Toletanum ſub Natali Epiſcopo hiſce verbis: *Concilium Toleti contrahitur in defenſionem Eliberitani.* Præmiſsum vero fuerat immediate ad annum CCCX. *Natalis Epiſcopus Toletanus ſuccedit ſanctiſſimo Confeſſori Melantio, qui, ut illa ferebant tempora, multa paſſus eſt pro Eccleſiæ Catholicæ contra hæreticos, & Gentiles, defenſione.*

LIX. Sed enim in iis verbis plura difficilia occurrunt, & incredibilia. Imprimis tam in hoc Concilio, quam in aliis quatuor priorum ſæculorum, Chronicon illud numerat annos a nativitate Chriſti; quod unum ſatis eſset ad convincendam ſuppoſitionem, & fraudem; immo & ignorantiam craſsam architecti illius in Chronologia, & Hiſtoria. Notum enim eſt iis omnibus, qui alterutram vel a limine ſalutarunt, ne Chriſtianos quidem, primis ſaltem quinque ſæculis, numeraſse annos a Chriſto nato, donec Dionyſius Exiguus, ineunte ſæculo ſexto, circa annum DXXX. eam epocham introduxit. Immo & ea ipſa paucis locis, aut nationibus multo poſtea recepta fuit, veluti a Beda in Anglia poſt initium ſæculi octavi, & in Gallia poſt medium noni, ac longe poſt in Hiſpania. Itaque quinque primis ſæculis, tam a Chriſtianis, quam a Gentilibus, numerabantur anni per Conſules, aut ab imperio Diocletiani, aut præterea nonnunquam ab Urbe condita. Hæc ſola cæcitas architecti illarum farraginum ſatis eſſet, ut quilibet homines mediocriter docti oculos aperuiſſent ad fictionem detegen-

Digitized by Google

tegendam. Deinde accedendo propius ad rem noſtram, Catalogus a D. Loaiſa editus Toletanorum Præſulum, qui numerat inter illos Melantium, collocat poſt ipſum immediate Pelagium; immo ab hoc numerare incipiunt S. Ildephonſus, & Catalogus mſſ. S. Æmiliani. Poſt Pelagium ſequitur ſine ullo medio Patruinus, ſeu Patronus, qui poſtea anno Chriſti cc. vel ccv. celebravit Concilium I. Toletanum, ſuo loco a nobis exhibendum, cum aliis duodeviginti Epiſcopis. Quomodo ergo Natalis potuit ἀμέσως ſuccedere Melantio in Epiſcopatu Toletano?

LX. Deinde juxta Catalogum Præſulum illius magnæ Eccleſiæ, editum a Domino Loaiſa, poſt Melantium, Pelagium, & Patruinum, jam recenſitos, ſequuntur ordine ſuo Turibius, Quintius, Vincentius, ac Paulatus: omnes ii ſex numero poſt Melantium. Accedit ſeptimus Natalis, octavus Olympius, ac nonus Audentius, cujus mentio eſt apud Gennadium. Si ergo ſex Epiſcopi fuerunt ab anno circiter cccvt. quo Melantius obiiſſe cenſeri poteſt (utpote qui intervenerat Concilio Eliberitano circa annum ccciti.) quis locus eſſe potuit, ut intra ſolos quinque annos uſque ad cccxi. obirent ſex illi Epiſcopi interjecti ſucceſſive in Eccleſia Toletana, & jam illam regeret Natalis, præſideretque Concilio Toletano in eundem annum cccvi. relato juxta Chronicon Dextro adſcriptum? Hæc certe ἄτοπα, aut ἀσύστατα apparent.

LXI. Præterea, qua veritate dici poteſt, id Concilium fuiſſe contractum in defenſionem Synodi Eliberitanæ? Hæc enim unanimiter celebrata ab Epiſcopis Hiſpaniæ ſub initium ejuſdem ſæculi quarti, nullum impugnatorem habuiſſe legitur tota illa ætate, nec pluribus poſtea ſæculis. Equidem ſub initium decimi Auxilius defenſor Formoſi Papæ impugnavit aliquos Canones Concilii Sardicenſis (cui Oſius, unus ex Patribus Eliberitanis, præfuit) veluti de Novatianiſmo ſuſpectos, quod in iis ob quædam gravia crimina negaretur reis communio, etiam in fine vitæ, quam ipſius criminationem rejecimus ſupra Diſſert. II. a num. 55. Non tamen Auxilius eo loco meminit Synodi Eliberitanæ, aut illam impugnavit, ſed Sardicenſem ſolam: quippe eam priorem nullus rejeciſſe invenitur, niſi paucis aliquot poſt medium ſæculi proxime præcedentis, ut ſuo loco vidimus. Itaque cauſa apud Dextrum aſſignata ad id Concilium Toleti celebrandum anno cccxi. fictitia eſt.

LXII. Quinam, rogo, fuere impugnatores Eliberitanæ Synodi, tam paucis retro annis coactæ a ſanctiſſimis illis Epiſcopis? inter quos S. Valerius Præſul Cæſarauguſtanus cum Diacono ſuo S. Vincentio, & Oſius ille magnus, ſeſe præparabant ad glorioſum martyrium anno ſequenti ſuſtinendum?

LXIII. Quiſnam Hiſpanorum eſſe potuit tunc tam imperitus, aut audax, aut ſciolus, ut impugnaret Synodum illam, in qua nihil apparet alienum a doctrina ſalutari, diſciplina veteri Eccleſiaſtica, & auſteritate vitæ feliciſſimorum illorum temporum? Aut quænam tot illorum Canonum ſeveriorum particula, vel periodus eſt, qua negetur poteſtas Eccleſiæ ad remittendum quælibet peccata, etiam graviſſima, & atrocia, poſt Baptiſmum commiſſa?

In hoc autem ſita fuit hæreſis Novatianorum, etiam poſtquam Novatiani anteambitionis ſui rigorem utcumque temperarunt, ut conſtat ex Cypriano Epiſt. LII. Euſebio Lib. 6. *Hiſtoriæ*, Cap. 36. Ambroſio Lib. I. *De Pœnitentia*, Cap. 2. Auguſtino, & Philaſtrio in Libris, *De Hæreſibus*, ac Socrate Lib. 4. Cap. 13. qui, & ipſe ſecta Novatianus fuit. Lege ſis inter alios ea de re diſſerentes, eruditiſſimum Petavium in Epiphanium Hæreſi LIX. quæ eſt Novatianorum, ubi valide tuetur PP. Eliberitanos ab omni Novatianiſmi nota, præter plura alia quæ jam ſupra dedimus in noſtris Diſſertationibus.

LXIV. Ulterius, neminem eo tempore auſum quicquam dicere, aut moliri contra Synodum Eliberitanam, patet ex eo, quod decem circiter annis poſtea (nimirum Chriſti cccxiv.) congregatum fuerit in Gallia Concilium Arelatenſe I. interveniente ibidem Oſio (qui antea Eliberitanum celebraverat) cum aliis Hiſpanis, & Epiſcopis plurimis diverſarum nationum, quos nonnulli ſexcentos fuiſſe volunt, alii ducentos. In eo autem nihil omnino muſſitatum legitur contra Synodum Eliberitanam: quin potius plurima illius Decreta conſonant omnino Eliberitanis. Nam cum Eliberi vicies circiter in Canonibus totidem pro graviſſimis criminibus impoſita fuiſſet perpetua communionis privatio; poſtea in Arelatenſibus ſepties eadem pœna ſtatuitur; nimirum, Can. IV. *De Agitatoribus*. V. *De Theatricis*. VI. *De iis qui in infirmitate credere volunt*. VII. *De iis qui Magiſtratus Gentilium gerunt*. IX. *De literis Confeſſorum*. XI. *De Matrimoniis infidelium*, & XXIII. *De Apoſtatis*, ut mittam plures alios Canones Arelatenſes palam ex Eliberitanis deſumptos, uti citato loco indicavimus.

LXV. Quod autem Bivarius in Notis ad ea verba Dextri, omnes nervos ingenii, & eruditionis exerens, contendit, allegato Auguſtino Lib. I. contra Epiſtolam Parmeniani, Cap. IV. Oſium fuiſſe ab Hiſpanis Arelate accuſatum, & a Gallis abſolutum de nimio illo rigore, quo ſe geſſerat in condendis Canonibus Eliberitanis plus juſto ſeveris; voluntaria ipſius conjectura eſt, & nullatenus prodeſt ad tuendum verba Dextri nomine ſcripta circa perſecutionem motam adverſus Concilium Eliberitanum in Hiſpania, ob cujus defenſionem fuerit aliud Toleti congregatum anno cccxI. Senſus enim S. Auguſtini eo loco eſt longe alius, ut ſatis oſtendimus in ſuperioribus Diſſertat. Nec Arelate fuit excitata controverſia circa auſteritatem Concilii Eliberitani, quæ potius unanimiter probata fuit, ſimilibus ſeptem Canonibus editis. Tota altercatio fuit circa cauſſam Cæciliani cum Donatiſtis, quos initio abſolvebant Hiſpani, & damnabat Oſius, cujus ſententiam tandem omnes Patres ejus Synodi, & Hiſpani ipſi (antea adverſi in ea parte Oſio, tanquam nimis ſevero contra Donatiſtas) tandem re melius conſiderata, ſequuti ſunt, ut palam a nobis eo loco confirmatum eſt. Itaque ſemper apparet fictitium id Concilium Toletanum, quaſi congregatum anno cccxI. in defenſionem Eliberitani, utpote quod a nemine intra, aut extra Hiſpaniam impugnabatur.

LXVI. Præterea eadem fere ſeveritas Eliberi-

beritanorum Patrum in vindicandis criminibus gravioribus, negata in perpetuum Communione, ſervata fuit poſtea intra idem ſæculum quartum anno cccxlvii. in primis Canonibus Concilii Oecumenici Sardicenſis a tota Eccleſia cum ſumma veneratione recepti; cui præſuit idem Oſius, & intervenere plures alii Hiſpaniarum Epiſcopi cum trecentis quinquaginta variarum nationum pariter ſubſcribentes. Ubinam ergo pſeudo-Dexter fundamentum invenire potuit, ut aſſereret Synodum Eliberitanam circa annum cccxi. (ideſt octo circiter annis poſtquam celebrata fuerat) perſecutionem paſſam, ut propterea opus fuerit alia Synodo Toleti coacta ad illam tuendam?

LXVII. Mitto plurima alia non minus decretoria adverſus id figmentum; & ſolum addo, pariter nutare fidem verborum illorum, quibus Melantius Præſul Toletanus decoratur elogio *Sanctiſſimi Confeſſoris*. Licet enim nullatenus dubitem, ſed potius pie credam, Melantium eo felici ſæculo fuiſſe Virum pium, & bonum Præſulem inſtar aliorum, qui intervenerant Synodo Eliberitanæ cum ipſo; nullum tamen fundamentum invenio in SS. Iſidoro, Ildephonſo, aut aliis antiquis Scriptoribus, vel in aliqua veteri traditione, ut Melantius habeatur, aut computatur inter Sanctos, qualiter illum collocant idem Dexter ad an. cclxxxvi. Julianus ad cclxxxi. & cclxxxviii. Luitprandus in Fragmentis ad annos cccii. & cccv. invicem ſe munientes, ut aſſolent, ad quamlibet fabulam ſtabiliendam, & confundentes Melantium hunc cum S. Melanio Epiſcopo Rhotomagenſi, qui in Martyrologio Romano laudatur ad diem 22. Octobris. Vide plura, quæ de hac fictione præmiſi in Notis ad ſubſcriptionem Melantii apud Concilium Eliberitanum, ubi etiam monui, quam temere Tamayus illum Martyrologio Hiſpano inſeruerit Tomo v. ad eandem diem.

LXVIII. Nimirum hæc, & alia commenta ſimilia, quæ in ipſum Concilium Eliberitanum notavi circa Patritium, Flavium, & Camerinum, quos pariter Tamayus intruſit Martyrologio Hiſpano (ſicut & alios plures ſine ullo ſolido fundamento, in toto illo vaſtiſſimo Opere) nullo in pretio eſſe debent, & doctiſſimorum hominum judicio merentur indignationem omnium eorum, qui verum decorem Hiſpaniæ, immo & Eccleſiæ amant, inanem autem, ſeu pro libito fictum deteſtantur. Præſertim quoniam perniciosum eſt, & exſecrandum, quod quipiam male feriati homines audeant obtrudere Regno alicui, Eccleſiæ, Urbi, aut populo, Sanctos aliquos nunquam Faſtis Divorum adſcriptos, nec antiquiſſima veneratione certis locis uſque adhuc cultos, aut non natos, vel verſatos ibidem, ſed longe alibi. Atque hoc ipſum jamdiu exhorrui tam in illis pſeudo-chronicis, quam in eo Martyrologio, magna ſui parte iis farraginibus conſtante. Unde ortum fuiſſe vereor, ut in aliquibus Eccleſiis, & populis celebrentur tanquam Sancti proprii, & ipſarum Epiſcopi, qui aut nec Sancti, nec Epiſcopi fuerunt; aut ſi Sancti, & Epiſcopi, certe in aliis Eccleſiis, & populis exterarum nationum orti ſunt, aut Sedes ſuas habuerunt. Sed parum proderit hæc animadverſio, ac lamentatio mea, & aliorum impenſe amantium verum Hiſpaniæ decorem, ſi Domini Epiſcopi, quorum id maxime intereſt, non exquiſierint omni zelo veritatis, ac Religionis ſolidæ ſtudio examinare novitates ejuſmodi a centum circiter annis introductas in ipſorum Diœceſibus, occaſione eorum pſeudo-chronicorum, & Martyrologii Hiſpani, præſertim circa cultum Sanctorum. Si autem invenerint ſolum innixas ejuſmodi fundamento plane aereo, nec alteri ſolidiori, & ſecuro; poterunt, ac debebunt ejuſmodi vanitates, immo & ſuperſtitiones omnino abſcindere cum magna ſui nominis laude, & Eccleſiarum fructu.

LXIX. Certe in hanc Supremam Sacrorum Rituum Congregationem paſſim deferuntur e toto fere Chriſtiano Orbe relationes, & petitiones ad recitandum in variis Eccleſiis, Urbibus, aut Regionibus Officium Divinum de pluribus Sanctis, quos ajunt ibidem natos, aut ſepultos, aut Epiſcopos fuiſſe olim, & circa alia ſimilia. Ea vero omnia accuratiſſime quidem examinantur; & niſi gravium Scriptorum veterum teſtimonio, aut antiquiſſima, & continuata traditione conſtent, palam rejiciuntur. Idipſum facturos ſpero Illuſtriſſimos Hiſpaniarum Epiſcopos, nec abducendos unquam indiſcreta illa pietate, qua vulgares, aut imperiti homines ubique fere pro aris, & focis tueri ſolent quicquid novi profertur circa Sanctos aliquos, vel memorias ſacras e re ipſorum, quamvis nulli ſolido fundamento innitatur.

LXX. Mitto plura alia Concilia in eiſdem pſeudo-chronicis indicata, & variis Hiſpaniæ Eccleſiis, Epiſcopis, ac certis annis adſcripta, quæ pariter apud nullum antiquum Scriptorem memorantur, neque in ulla Collectione habentur, & quorum nulla unquam traditio extitiſſe invenitur. Ex quibus Capitibus, quamvis alia deeſſent, omnia illa reſpuenda ſunt; non veluti impoſſibilia, ſed tanquam ὑποβολιμαῖα, aut ſubdititia, quæ temere, & ſine ullo fundamento ſolido celebrata fuiſſe hoc, vel illo loco, aut anno dicuntur.

LXXI. Talia ſunt apud Dextrum cum Commentariis Bivarii, Julianum Perez, & Haubertum, intra prima quatuor ſæcula Æræ Chriſtianæ (ut multa ex dictis reſumam, & alia breviter adnectam) ſequentia Concilia, quæ ſolum indicaſſe, perinde ac non admiſiſſe, aut dubitaſſe, vel refutaſſe ſit. Ann. Chriſti

Eliberitanum	lvii.
Cherronenſe	lx.
Toletanum	cv.
Toletanum	cxii.
Hiſpalenſe	clix.
Toletanum	clx.
Hiſpalenſe	cclii.
Hiſpalenſe	ccliv.
Hiſpalenſe	cclxx.
Toletanum	cccxi.
Toletanum	cccxxiv.
Hiſpalenſe	cccliv.
Emeritenſe	ccclxviii.
Luſitanum	ccclxxxiv.
Cæſaraugustanum	ccclxxxiv.
Toletanum	ccclxxxvi.
Hiſpalenſe	ccclxxxvi.
Hiſpalenſe	ccclxxxviii.
Toletanum	ccclxxxviii.
Tarraconenſe	ccclxxxviii.

LXXII.

LXXII. Prædicta omnia Concilia, veluti apocrypha ut minimum, ſive auctoritate deſtituta cenſemus propter argumenta præjacta, & plura alia, quæ brevitatis cauſa prætermittimus. Et quemadmodum unus idemque fuit architectus Deatri, Maaimi, Helecæ, Luitprandi, ac Juliani Perez; ita etiam in omnibus iis unus idemque continuatus fuit craſſiſſimus error numerandi tampora Conciliorum quatuor primis ſæculis per annos Chriſti, ut ſupra Num. 59. monuimus. Si quodquam vero unius, aut alterius ex Conciliis aliis, licet prætermiſſum in omnibus Collectionibus, apparuerit gravi, & antiquo fundamento ſatis fulcitum; illi debitum locum, & auctoritatem tribuemus, nihil divinantes de anno, aut loco, vel Epiſcopis congregatis, niſi ubi valde probabilis conjectatio id permiſerit.

EXCURSUS VII.

Deſenſores eorumdem pſeudo-chronicorum admoneutur, & dedocentur teſtimoniis Virorum graviſſimorum intra, & extra Hiſpaniam, præſertim e Societate Jeſu, qui detexerunt eorum fabuloſum inventionem, commenta, fictiones, parachroniſmus, & abſurditates, ut proinde iis nulla fidei adhibenda ſit, neque circa Concilia Hiſpaniæ, neque circa innumera alia paradoxa, niſi aliunde certo aliquo teſtimonio antiquorum, aut veteri, & recepta traditione confirmentur.

LXXIII. Quamvis plura de hoc præmiſerimus tota Diſſertatione, præſertim Excurſu I. & II. oportet, ut nonnulla alia ſuperaddamus ad evellendam radicitus (ſi fiari puſſit) inanem credulitatem multorum, qui iis novis Chronicis, quaſi totidem oraculis fidem præſtant. Video enim apud noſtrates experimento comprobatum illud eruditiſſimi Marianæ Libro, *De adventu D. Jacobi*, Cap. I *Neſcio quo pacto fictis ſæpe fabulis, & præpoſteris mendaciorum nugis, populus magis, quam veritate, & ſinceritate capitur*. Itaque, præter ibidem dicta, ceu ut plurimis hominibus magis credulis, quam eruditis, adhuc magnos clamores edentibus in defenſionem pſeudo-Dextri Higueriani, tanquam e Fuldenſi Bibliotheca delati in Hiſpaniam, mutis aſse liceat; placet hoc loco exſcribera nonnulla ex teſtimoniis gravium, ac doctiſſimorum Virorum, imo & celebriorum Scriptorum Societatis præter illa, quæ ſupra indicavi, aut protuli. Ex iis palam conſtabit, quali, & quam probroſa fictione invectum fuerit ab Higuara Dextri nomine illud pſeudo-chronicon, in quo tot inaudita Concilia, & tam innumeræ ſabulæ obtruduntur. Servabo autem plus minus ordinem temporis, quo floruerunt, & indicabo ſolum ipſorum verba, latius exſcripta ab Eacellentiſſimo Marchione Mondexarenſi in ſuis Diſſertationibus Eccleſiaſticis III. & IV. quarum hoc loco, brevitatis cauſſa, ſolas paginas deſignabo.

LXXIV. Vix Higuara anno MDXCIV. muſſitare cœpit, & vulgare quædam paradoxa, & folia novitatum plena, veluti deſumpta ex Dextro Fuldenſi; cum Vir Cl. Joannes Baptiſta Perez tunc Canonicus, & Bibliothecarius Toletanus, ac poſtea Epiſcopus Sagobricenſis emunctori, quo pollebat, naſo, odoratus fuit ſuppoſitionem, & fictionem earum farraginum, eaſque ſibilo axcepit. Idipſum contigit duobus Societatis celebribus Viris, atque inſignibus Scriptoribus, Joanni Marianæ, ac Petro da Ribadeneyra, qui Toleti tunc cum eodem Higuera intra idem Collegium habitabant. Rem totam enarrat, & confirmat Thomas de Leone, pariter Jeſuita, in doctiſſima Epiſtola ad laudatum Marchionem ſcripta anno MDCLXVIII. Ideoque nec prior in toto eximio Opere, *De rebus Hiſpaniæ*, aut in Libro, *De Prædicatione S. Jacobi in Hiſpania*; nec poſterior in *Vita ejuſdem Apoſtoli*, uti voluit teſtimonio aliquo ex pluribus, quæ tunc circa id nomine Dextri circumſerebantur. Quin & Eacellentiſſimus Dux de Alcala teſtatus fuit, ſe ab ore ipſius Marianæ audiviſse, *ejuſmodi Libros fuiſſe confictos, ſuppoſititios, & nullius fidei*, pag. 239. & 240.

LXXV. Prudentius de Sandoval Benedictinus, Epiſcopus Pampilonenſis, tot Hiſtoriæ Voluminibus ubique notus, & valde verſatus in evolvendis, ac diſcernendis mſs. vetaribus, agens *De rebus Silonis Hiſpaniæ Regis*, pag. 107. & da quadam Epiſtola (nunquam eatenus viſa, neque unquam detecto ejus originali) quam vulgaverat P. Higuera circa S Thyrſum Martyrem, quaſi Toleti iuventam; refert controverſias, & diſcordias variorum excitatas circa auctoritatem, aut ſuppoſitionem ejus Epiſtolæ, & concludit: *Entendian los mas, que havia ſido ficcion de un Padre de la Compania, harto curioſo en antiguedades, y amigo mio*. id eſt: *Plerique cenſuerunt, illam fictam fuiſſe a quodam Patre Societatis, ſtudioſo antiquitatum, & amico meo*. Immo quia illum amici nomine dignabatur, pepercit tunc ejus nomini. Verum illud aliis locis detaxit, veluti in Libro *Antiquitatum Tudenſium*, pag. II. & præterea in Notis ad ſcripta quinque Epiſcoporum folio 190. ubi impugnans D. Maurum Caſtela Ferrer ob quandam opinionem fundamento carentem, ait de illo: *Valeſe de un autor llamado Dextro, cuya fee ayuda poco en materia tan grave, ni de las obras de el ſabemos mas de lo que ha querido decir Higuera*. Nimirum: *Allegat quemdam Auctorem, qui Dexter nominatur. Verum hujus fides parum juvat in re adeo gravi: nec de ejus ſcriptis aliud ſcimus, QUAM QUOD VOLUIT DICERE HIGUERA*. Qua phraſi Hiſpanica ſatis expreſſit Sandovalius, nullam fidem iis ſcriptis adhibendam.

LXXVI. Petrus Salazar de Mendoza, Canonicus Toletanus, & accuratiſſimus veſtigator monumentorum veterum ejus graviſſimæ Eccleſiæ, atque Urbis, ſub idem tempus elaborabat ſcripta ſua ea de re, quorum partem prælo commiſit. Quamvis vero ſciret, ac videret vulgari quotidie ea folia ficus, & ubique fere recipi cum plauſu, & admiratione plurium; nullam eurum rationem habuit, valuti ſubleſtæ fidei, & fictionis manifeſtæ, pag. 250.

LXXVII. Cornelius a Lapide in *Chronotaxi ad Acta Apoſtolorum*, non ſolum cenſet nullius ſidei Chronicon Dextri nomine vulgatum, ſed etiam teſtatur librum illum Fuldæ nulla-

Digitized by Google

latenus inveniri : *Nonnulli tamen eruditi* (inquit) *quibus acris eſt criſis , ſpurium cenſent, vel certe aliorum laciniis aſſutam,& vitiatum: tum quia ſtylus ſubradior Dextri ſtylum non æquat: tum quia paradoxis,& parachroniſmis inſperſum videtur : tum quia ubi , & quando, & a quo poſt tot ſæcula repertum ſit , ignoratur . Sane illud Fuldæ ſtudioſe perquiſivi , & non inveni .*

LXXVIII. Lambertus Stravius , Rector Societatis in Collegio Fuldenſi , ſæpius requiſitus,an Liber Dextri evulgatus ab Higuera eſſet in Bibliotheca Monaſterii Fuldenſis , prout ille aſſerebat ; reſpondit literis exſtantibus apud P. Incofer Scriptorem Societatis ejuſdem Cap. 44. *De ſcriptis Flavii Dextri ſæpius a me quæritur per literas . Idem reſpondere omnibus cogor, in hac Bibliotheca non ſupereſſe Auctorem, ſed neque conſtare , fueritne aliquando : multo minus, an Toletum in Hiſpania miſſus ſit .* Addit etiam Stravius , ſe conſuluiſſe ea de re Chriſtoforum Broverum, Scriptorem *Antiquitatum Fuldenſium* , quas edidit Antuerpiæ anno Domini MDCXII. & pariter hunc reſpondiſſe , de tali Libro nullam ſibi unquam fuiſſe notitiam . Quin & cum ipſe Broverus teſtetur , a tempore Caroli Magni (qui fingitur dono dediſſe Chronicon illud Monaſterio Fuldenſi) totum id vaſtiſſimum ædificium ter conflagraſſe , & monumenta quæque , ac Libros , & ipſa Diplomata Pontificum , atque Imperatorum flammis abſumpta fuiſſe ; debuit conſequenter negare, Librum ejuſmodi Fuldæ conſervatum fuiſſe, adhuc ſuppoſita donatione Caroli Magni. Vide Mondexarenſem pag. 266. & ſeqq.

LXXIX. P. Paullus de Raxas , quem D. Thomas Tamayo citat inter defenſores Dextri , potius illum reiicit . Conſultus enim ea de re a P Thoma de Leone ſupra laudato , ipſi dixit , *ſibi ſemper Librum illum videri intruſum & ſubdititium: præſertim poſtquam fuit apud Belgium tum Marchione de Aytona Gubernatore illorum Statuum . Facta enim exquiſita diligentia , inventum fuit , fabuloſam exſtitiſſe miſſionem ejus Libri e Bibliotheca Fuldenſi .* Ita Thomas ipſe teſtatur in ea Epiſtola , anni MDCLXVIII. Mondexar. pag. 262.

LXXX Sed & cum Higuera preſſus variorum objectionibus, quibus detegebatur commentum inventionis Dextri apud Fuldam , dixiſſet, ſibi miſſum fuiſſe a P. Thoma Torralva ex Vvormacia Germaniæ Urbe exemplar quoddam ejuſdem Dextri ; inquiſivit Pater Melchior Incofer a Patre Joanne Geleno Vvormacienſis Collegii Rectore , an ita eſſet . Is vero reſpondit : *Sperabam , nos certo aliquid de Chronicis manuſcriptis Flavii Lucii Dextri, & Marci Maximi , quæ a P. Thoma Torralva Vvormacia miſſa dicuntur , & illius rogatu ad P Hieronymum de la Higuera tranſmiſſa , cognituros . Quæſivimus ubi potuimus , ſed nihil invenimus, neque P Thomæ , neque Chronici memoriam . Fuit hic prædicans Vvormacienſis filius , antiquitatis ſtudioſiſſimus , qui nunc alio migravit . Tamen egimus , ut ex eo aliquid intelligeremus . Sed negat , ſe unquam quicquam audiviſſe .* Mondexar , pag. 265. Itaque tam procul a veritate fuit dicere , exemplar cujuſpiam Chronici fuiſſe a Patre Torralva miſſum , quam e Fuldenſi Bibliotheca erutum .

LXXXI. P. Matthæus Raderus S. J. in *Præfatione ad Analecta* ſua in Martialem , loquens de Chronico eodem Dextri nomine inſcripto , liberrime ait : *Hoc Chronicon nihil aliud eſt , quam farrago fabularum , partim recenter excogitatarum , partim famæ aliquot ſæculis continuatæ mendacio comprobatarum .*

LXXXII. Aubertus Miræus in *Scholiis* ad Librum S. Hieronymi , *De Scriptoribus Eccleſiaſticis* , pariter inquit : *Eruditis hæc Fragmenta videntur ſimilis fariaæ cum Beroſo Annii Viterbienſis*: qui porro quot fabulis plenus ſit, omnes norunt .

LXXXIII. Philippus Labbè S. J. in Diſſertat. ampliſſima & eruditiſſima, *De Scriptoribus Eccleſiaſticis* , Tom. II. pag 36. generatim de omnibus Chronicis , Fragmentis , & Adverſariis , editis , aut conſarcinatis ab Higuera nomine diverſorum , ait : *Verum , ut dicam quod res eſt , quodque omnes per Europam eruditione , ac judicio eximii cenſent: omnia illa Luitprandorum , Dextrorum , Maximorum , Helecarum , Julianorumque , Hiſpano Gottica Chronica , cum quiſquiliis Joannis Viterbienſis , & fabulis anilibus , aut Amadiſiorum nugis , ſunt in Utopiam , Morboniamque inſulam releganda .* Ac præterea miratur, homines notæ eruditionis , Franciſcum Bivarium , Thomam Tamayum , ac Laurentium Ramirez de Prado, in animum induxiſſe , ut ea pſeudo-chronica tuerentur , ac ſubdit : *Quæ obiter dicta velim, ne imperitæ multitudini fucum facere pergant homines , aut opipare creduli, aut certe (quod avertat Deus) plus mendacis cujuſdam gloriolæ , quam ingenuæ veritatis amantes .*

LXXXIV. Quod ipſum fere antea cenſuerat de eiſdem Bivario , ac Ramirez , David Blondellus in *Genealogia Francica* , Tomo II. pag. 428. loquens de Luitprando pariter Higueriano : *Quid ad nos , ſi Adverſaria Luitprandi (mali corvi Bivarii malum ovum , cui fovendo bonas horas male collocavit Laurentius Ramirez de Prado) exoſculere ?* Quin & pagina præcedenti 437. pariter invectus fuerat contra politiſſimum D. Didacum Saavedram, quod ſuam *Coronam* ſuam *Gotthicam* fœdaſſet multis ejuſmodi quiſquiliis: *Didaci Saavedræ* (inquit) *non ſtipulis , quibus , ceu radiis ſtramineis , diſcriminaretur , ſed putri limo , exhalantibuſque mephitim Franciſci Bivarii , Hieronymi Higueræ , & conſimilium fabulatorum foliis Coronam ſuam deturpare auſi , judicium probare nequaquam poſſumus .* Sed enim cum notum ſit , Blondellum erga res, & ſcripta quæque , ac decora Hiſpanorum , iniquiori animo , & ſtylo liberiori fuiſſe ; parum moveret illius judicium , ni præterea tot aliorum teſtimonis omni exceptione liberis , & argumentis invictis confirmaretur .

LXXXV. Præter tam multos Scriptores hactenus laudatos tota Diſſertatione , allegat Marchio Mondexarenſis ubi ſupra , præſertim pag. 274. (& fideliter quidem , quantum mihi examinare licuit, neque aliter de tanto Viro, & eximio Principe cogitari poterat)plurimos alios pariter reiicientes illa *Chronica* , *Adverſaria*, & *Fragmenta* , veluti ſubdititia , notha , ac ficta. Nimirum Petrum de Marca Archiepiſcopum Pariſienſem, D Iſidorum Aliagam Inquiſitorem Generalem Hiſpaniæ & Archiepiſcopum Valenti-

Digitized by Google

tinum, Joannem Briz Martinez Abbatem Pinnetenſem, Martinum Carrillo Abbatem Montis-Aragonii, Joannem de le Puente, Alphonſum Maldonado, Martinum de Anaya Maldonado, Franciſcum de Riosa Ahumada, Joannem de Arruego, Lupum de la Caſa, Gabrie em Pennotum, Ludovicum Nonium, Lucam Holſtenium, Leonem Alletium, Jacobum Uſſerium, Rocchum Pyrrhum, Ferdinandum Ughellum, Joannem Sverium Boxhornium, Arnaldum Ochenart, Franciſcum Mariam Florentinium, Gſparem Ellazun, Antonium Brandaon; & es Societate Jeſu Ferdinandum Quirinum de Salezer, nominatum ed Archiepiſcopatum Charquenſem in Peruvia, Heribertum Roſweidum, Dionyſium Petavium, Theophilum Raynaudum, Joſephum Tirinum, atque Joannem Baptiſtam Pozam.

LXXXVI. Quibus ſi adjungas plures alios Epiſcopos, Hiſtoricos, & Scriprores celebres, tem eb ipſo Excellentiſſimo Merchione, quam a nobis decurſu totius Diſſertationis in eundem ſcopum laudatos; invenies profecto, commune judicium eruditorum cujuslibet nationis, & gradus, quotquot ee *Chronica*, *Adverſaria*, & *Fragmenta* examinarunt, in eo convenire, ut e centum circiter annis excogitata fuerint Toleti, partim es veroſimilibus conjecturis eorum, quæ olim contingere potuerant; partim ex febuloſis narrationibus, eut aereis trreditionibus; pertim ex libidine fingendi piure in decus netionis, patriæ, eut hujus, vel illius Eccleſiæ, eui erchitectus earum ferreginum edulatur; partim es cenodoxia, ſive pruritu cependæ elicujus gloriolæ apud præſentes, & poſteros. Quod ipſum de inventoribus febuloſorum Hauberti Hiſpalenſis, Liberati &c. dictum etiam accipe.

LXXXVII. Unde Antonius Mecedo in *Luſitania purpurata*, pag. 11. diait: *Viri docti, Itali, Germani, Galli, Hiſpani, Luſitani, Belgæ, Flavii Dextri Chronicon integræ fidei eſſe negant: utpote quod ab aliis Auctoribus Dextri nomine obtento conſcriptum ſit: qui, ut dictis fidem conciliarent, illud ſibi affinxerunt, ac proinde parvi momenti eſt, quodcumque iſtud ſit deſumptum a Dextro teſtimonium*.

LXXXVIII. Nec locus esciplendi adverſus leudatos Scriptores, quaſi nonnulli eorum æmulatione aliqua, eut præpoſtero affectu, vel circa decus Hiſpaniæ, vel erga Hieronymum Roman de la Higuera, ſtylum contra nove Chronice exacuerint, & ſtrinxerint. Nam præterplura alie, iis exceptionibus præcludendis ſatis ſuperque eſt, quod non modo omnes fere exteri eruditiores, ſed & præſtantiſſimi quique inter Hiſpanos, & nationis ſuæ amantiſſimi, illa rejecerint ab initio uſque modo, potius rationem veritatis habentes, quam amoris patrii: præſertim cum Hiſpenia tot titulis certis, & esploratis longe, ac lete ſplendidiſſime, non egeat ejuſmodi quiſquiliis, & fabuloſis laudibus. Similiter nec tot Scriptores inſignes Societetis olim, & nunc ee commente ſibilo escipere, aut nominetim Higuerem treducere cenſendi ſunt, iniquo erga illum effectu, ſed potius obſtricti veritatis amore, qui in quolibet homine ingenuo, ec gravi præponderere debet cuilibet utilitati privatæ, aut famæ unius, vel alterius Scriptoris. Denique, ut late oſtendit Marchio Mondesarenſis locis allegatis, commenta iis Libris proleta, ſunt adeo probroſa, ut vel ipſis eorum defenſoribus, præſertim Roderico Caro, & Thomæ Tameyo, tandem ut minimum interpolate, & ſuſpecta epparuerint, ob ineluctabilie ergumenta, quæ poſtea occurrerunt.

LXXXIX. Credo equidem, Higueram facile abductum fuiſſe nimio effectu rerum Hiſpeniæ, aut Toleti, aut nominis ſibi faciendi ex tot paredosis inventis, ut obtruderet pſeudo-chronica illa. Forteſſis etiam non duxit religioni fingere nonnulle, modo in netionis, aut petriæ decorem cederent; quod aliqui errones licere putarunt: ut patet ea Bodino in *Methodo Hiſtor*. Cap. 4. & Cicarello in Libello ſupplice edito a Leone Allatio. Sed edjiciamus cauſſam aliam veroſimiliorem Higuerieni auſus. Cum eodem tempore, quo ille iis næniis diſtinebatur Toleti, introducte fuiſſet opinio (multo poſtea damnate) de licito uſu reſtrictionum mentelium; quid mirum, ſi forte vulgaret tanquam vera, & exiſtentia plurima, quæ intus reputabat ſolum poſſibilia, aut veroſimilia? Nimirum, justa illam exſecratam opinionem, jem tum invaleſcentem, potuit facile occurrere Higueræ reſtrictio alique mentalis, qua verum cum falſo componeret, & veroſimilia pro certis, ac poſſibilie pro præteritis venditaret.

XC. Idipſum fortaſſe contigit Antonio Lupian, elias Zapate, ut novam chimæram Heuberti Hiſpalenſis obtruderet, veluti ſupplementa quædem Higuerianarum cogitationum, circa medium hujus ſæculi, quando opinio illa reſtrictionum mentalium tam altes radices miſerat. Quid ſi etiam eidem doctrinæ innisus Joannes Temeyo de Salazar, tot farraginibus impleverit ſex illa vægrandia volumina ſui Martyrologii Hiſpani? Nempe utriuſque tempore pleuſibilis, & velde probebilis hebebatur opinio illa docens, poſſe homines licite dicere, ac ſcribere plure felſa in ſenſu naturali, & obvio, dummodo in alio ſenſu mentali, & reſtricto vera ſint: qua diſtinctione adhibite, nullum mendecium tam epertum dici poteret, ut ſub conditione aliqua, vel ſenſu intus concepto, non poſſet verificari, & impune proferri.

XCI. Undecumque vero inſederit enimis ipſorum tam abſurde cogitatio, & infelis conetus, id certum eſt, & invictis argumentis comprobatum eb inſignibus Viris omnium nationum ſuperius leudatis, contineri in iis pſeudo-chronicis, non ſolum innumera paradoxa, ſed ſubdititie, intruſa, falſa, conficta, & ut Græci loquuntur, ἄτοπα, ὑποβολιμαῖα, & ἀδύνατα; ec proinde nullam fidem mereri quicquam in iis contentum, quatenus ibidem hebetur. Nam ſi in ſcriptis probatis, & esploretis veterum, vel in treditionibus antiquis, & venerandis, ſufficiens aliunde fundementum habeat narratio aliqua, non propterea rejiciende erit, quod etiam in iis pſeudo-chronicis legatur.

XCII. Et hæc pauca e plurimis, quæ ed menum erant, ſufficient ad ea Chronica, ac commente rejiciende: in quibus tot Concilia quatuor primis ſæculis (idemque eſt de aliis tribus ſequentibus) celebrate finguntur in Hiſpania: tot ipſi Martyres, Epiſcopi, Confeſſo-

ſores, Vitgines, & Scriptores tribuuntur, qui vel nunquam antea iis claſſibus adſcripti fuerunt, aut alibi terrarum nati ſunt, & nunquam Hiſpanas oras ingreſſi. Quo quid pernicioſius eſſe poſſit Hiſtoriæ Hiſpanicæ, cultui Eccleſiaſtico, & veritati rerum geſtarum, immo & decori nobiliſſimæ nationis, tot veris titulis conſpicuæ, ego non invenio. Utinam ii, quorum intereſt, præſertim Domini Epiſcopi, & Regii Conſiliarii Senatuum Juſtitiæ, ac Fidei, tam probroſas fictiones cum ipſis pſeudo-chronicis exterminent, & ſimilibus fabulatoribus frænum imponant, ut ſæpe alias monui.

EXCURSUS VIII.

An tempore S. Damaſi habitum fuerit in Hiſpania Concilium aliquod adverſus Arianos, & quale illud fuerit. Ubi plura obſervatu digna ad Hiſtoriam, & Chronologiam Eccleſiaſticam ſpectantia.

XCIII. Vidimus Diſſertat. XVII. Excurſu I. Cordubæ celebratum fuiſſe Concilium anno circiter CCCL. (vel ut alii volunt CCCLX.) a magno illo Oſio, & aliis Hiſpaniæ Epiſcopis, adverſus Urſacium, Valentem, alioſque Præſules Arianos, quos antea idem Oſius anno CCCXLVII. cum aliis Patribus abdicaverat in Oecumenico Concilio Sardicenſi, ſub Pontificatu Julii I. Nec dubito, circa idem tempus, & Liberii Papæ, qui ipſi in Sede Apoſtolica ſucceſſit, coactas fuiſſe plures alias Synodos iis aſperrimis temporibus in Hiſpania, ubi Epiſcopi tam conſtanter tuebantur Catholicam adverſus Arium doctrinam, ut ſuis locis diximus.

XCIV. Verum dolendum eſt, quod ea monumenta prorſus perierint, ſicuti & plura alia Hiſpaniæ, ut proinde vix de iis, niſi ſummum generatim loqui poſſimus. Ut proinde temere ſe gerant, quicumque ex aerea pſeudochronicorum narratione obtrudunt Coneilia antiquis ignota, iiſque adſcribunt certum locum, annum, ac numerum, & nomina Epiſcoporum intervenientium; de quo ſatis in ſuperioribus dictum eſt.

XCV. Porro durante perſecutione Athanaſii, celebrata fuiſſe in Hiſpania aliquot Concilia contra Arianos, dubitari nequit. Nam præter illud Cordubenſe paullo antea memoratum, exſtat illuſtris Athanaſii locus Tomo I. in Epiſt. *Ad Epictetum Epiſcopum Corinthi*, ubi ait: Διὰ τοῦτο γοῦν καὶ νῦν διαφόρων γενομένων Συνόδων, ἔν τε τῇ Γαλλίᾳ, καὶ Σπανίᾳ, καὶ τῇ μεγάλῃ Ῥώμῃ, πάντες οἱ συνελθόντες, τοὺς μὲν ἔτι κρυπτομένους καὶ φρονοῦντας τὰ Ἀρείου, Αὐξέντιον δὴ λέγω τὸν ἐν Μεδιολάνῳ, καὶ Οὐρσάκιον, καὶ Οὐάλεντα, καὶ Γάϊον ἀπὸ τῆς Παννονίας, σύμψηφοι, ὡς ἀφ' ἑνὸς πνεύματος κινούμενοι, ἀνεθεμάτισαν. *Diverſis Conciliis per Galliam, Hiſpaniam, & Romæ celebratis, omnes, qui in ea conventa fuere, iſtos lucifugas, qui ſeſe etiamnum occultant, & quæ Arii ſunt, ſapiunt, Auxentium dico Mediolanenſem, Urſacium, Valentem, & Gajum Pannonem, communi calculo, unius ſpiritus incitatu, anathemate percuſſerunt.* Videntur ea contigiſſe longe poſt mortem Oſii, cujus nulla eſt mentio apud Athanaſium in ea Epiſtola; & ſub Pontificatu Sancti Damaſi natione Hiſpani, inchoato anno CCCLXVII. cujus tempore Auxentius Epiſcopus Mediolanenſis Arianus, adhuc ſub Valentiniano Imperatore Catholiciſſimo, clam effundebat virus ſuum cum Urſacio, & Valente contra Religionem Catholicam. Unde Damaſus plures Synodos contra illum coegit Romæ, ejuſque imitatione Gallia, atque Hiſpania nonnullas alias, anno plus minus CCCLXIX. poſt quas eam Epiſtolam ſcripſit Athanaſius.

XCVI. Ut autem id intelligantur plenius, obſervandum eſt, Auxentium Epiſcopum Mediolanenſem, profeſſione Arianum, & Catholicis infenſiſſimum, propterеaque impugnatum a ſanctiſſimis Viris, Athanaſio, Hilario, Philaſtrio, & Euſebio Vercellenſi, ſtuduiſſe dolis, & fucata confeſſione videri Catholicum apud Valentinianum Imperatorem. Eo autem ſeducto, Hilarius Mediolano diſcedere juſſus veluti calumniator, ſcripſit Epiſtolam ad omnes Epiſcopos, & Fideles, ut Auxentium vitarent; quam Hieronymus Lib. *De Scriptoribus*, appellat *Libellum contra Auxentium*. Et certe eo antidoto opus fuit; quoniam Auxentius noviter in ſuperbiam elatus, quod Imperator, & Mediolanenſes ſibi, veluti Catholico, inhærerent, plures ſeducere perrexit, atque in iis Epiſcopos multos Illyrici. Ne autem id virus latius ſerperet, Hilarius eam Epiſtolam encyclicam ſcripſit, qua veteratoris fraudes detegerentur; videturque poſtrema ex lucubrationibus S. Doctoris, ſcripta anno CCCLXVIII. niſi forte doctiſſimi PP. Congregationis Benedictinæ S. Mauri invenerint aliam poſteriorem in nova editione Operum S. Hilarii, quam avidiſſime exſpectamus.

XCVII. Sed & S. Damaſus Papa, qui Auxentii artem Pelaſgam noverat, eodem anno CCCLXIX. Romæ Concilium celebravit nonaginta Epiſcoporum Italiæ, & Galliæ; in quo poſt accuratam rei diſcuſſionem, tum Formula Ariminenſis Concilii damnata fuit, tum idem Auxentius nominatim, ac præterea ſcripta eſt Epiſtola Synodalis ad Epiſcopos Illyrici, ut vitarent Auxentium, & in Formula Fidei permanerent, quam Synodus Nicæna præſcripſerat. Extat ea Epiſtola Græce, & Latine apud Labbeum Tom. II. col. 901. & 902. Porro ante id Concilium aliud item Romanum præceſſerat ſub eodem Damaſo, in quo Valens, & Urſacius, veluti Ariana lue infecti, damnati fuerant, ut teſtatur laudatus Athanaſius in Epiſtola ad Epiſcopos Africanos, qui & fidem facit, antea a ſe in Ægypto Synodum coactam, in qua relatum fuit ad Damaſum Papam de damnando Auxentio.

LXXXVIII. Hac igitur occaſione, tum Conciliorum Romæ, & in Ægypto celebratorum, tum præterea Epiſtolæ S. Hilarii ad omnes Epiſcopos, coacta eſt paullo poſt Synodus in Hiſpania, in qua Auxentius, Urſacius, & Valens, denuo demnati fuere, veluti Arii ſequaces, & Catholicæ Fidei hoſtes. Utinam autem quemadmodum Sanctus Athanaſius factum teſtatur, ſic etiam locum Concilii indicaret, & tempus.

LXXXIX. Sed tamen illud probabiliter conjici poteſt, tum ex relatis verbis S. Athanaſii, tum ex obſervationibus hiſtoricis doctiſ-

ſimi

ſimi Cardinalis Baronii ad annum CCCLXIX. quo ipſo, aut circiter, ea Concilia in Galliis, Hiſpaniis, & Romæ ſub Damaſo Papa (qui biennio ante Pontificatum inierat) contra Auxentium Mediolanenſem, Urſaciumque, pariter Arianos, celebrata fuerunt. Sed quonam loco id Hiſpaniæ Concilium unicum, aut multiplex habitum fuerit, nemo veterum nos docet, nec affirmare poſſumus. Satis itaque ſit tempus illius deſignare ex conjectura circa annum Chriſti CCCLXIX.

C. Si qua vero fides tribuenda ſit Chronico Flavii Dextri nomine vulgato, multa erunt, quibus idipſum aliquanto diſtinctius comprobetur. Imprimis enim ille ad annum CCCLX. legitur dicens: *Gregorius Toletanus Epiſcopus communicavit res ſuas B. Hilario Epiſcopo Pictavienſi.* Hoc enim ſtatuto, credibilius apparet, nomen Hilarii jam tum celebre in Hiſpania fuiſſe, ut proinde Epiſcopi ejus exemplo, & literis incitati, veteratores illos communione ſua interdixerint.

CI. Deinde idem Dexter ad annum CCCLXIV. *Synodus Iliciana circiter eodem tempore coacta.* Verum non *Iliciana*, ſed *Illyriciana*, legendum. Ea autem anno circiter CCCLXVIII. apud Illyricum coacta fuit, ejuſque meminere Theodoretus, Lib. 4. Cap. 8. Sozomenus Lib. 6. Cap. 12. atque Hilarius in Fragmentis Synodi Ariminenſis, & Liber Synodicus verbis illis: Ὁ πανευφημότατος γοῦν ὁ μέγας &c. apud Labbeum Tomo II. col. 887. Itaque non fuit ea Synodus Iliciana, ut artifex pſeudo-Dextri ſcripſit (forte ad illam Hiſpaniæ adſcribendam pro arbitratu & more ſuo) ſed Illyriciana, eaque omnino Catholica, anno circiter CCCLXVIII. ideſt, penultimo vitæ S. Hilarii illam memorantis. Dato autem, quod hæc in Hiſpania fuiſſet habita, ea eſſe non potuit de qua loquitur Athanaſius. Nam Hiſpanica videtur celebrata ſtatim poſt utramque Damaſi memoratam, quarum poſterior anno CCCLXIX. habita eſt. Idem videtur dicendum de aliis, quas indicat Dexter ad annum Chriſti CCCLXVIII. hiſce verbis: *Frequentes in Hiſpania paſſim Synodi dicuntur collectæ: maxime vero coguntur Toleti, & variæ prope Tritium.* Niſi, quod fieri facile potuit, ut aliqua earum anno ſequenti celebraretur contra Auxentium, Urſacium, & Valentem, paucis retro menſibus damnatos in Concilio Romano ſub Damaſo Papa; ac proinde locus eſt, ut illam ipſam indicaret Sanctus Athanaſius, qui nonniſi triennio poſt obiit; nimirum, anno Chriſti CCCLXXII. ſexto Nonas Maji, ut colligitur ex Ruffino Lib. 2. *Hiſtoriæ*, Cap. 3. & Cyrillo Alexandrino Epiſt. I. qui quadraginta ſex Epiſcopatus annos illi tribuunt, nimirum, computatos ab anno CCCXXVI. immediato poſt Nicænam Synodum.

CII. Hæc dixerim, dato, quod fides aliqua præſtanda ſit Chronico illi vulgato ſub nomine Dextri, licet apud me, & alios longe eruditiores, nullam mereatur, adhuc poſt ingenioſa, & laborioſiſſima Commentaria Franciſci Bivarii, de quo uſurpaveris jure illud:

. . . . *Si Pergama dextra*
Defendi poſſent, etiam hac defenſa fuiſſent.

CIII. Notandum vero eſt, quo tempore ea Concilia in Hiſpania celebrabantur, tum contra Arianos, tum poſtea adverſus Priſcillianiſtas, ſub finem ejuſdem ſæculi quarti (de quibus ſuo loco) videri floruiſſe jam inter Hiſpanos Audentium, de quo Gennadius in Catalogo Virorum Illuſtrium inquit Cap. 14. *Audentius Epiſcopus Hiſpanus ſcripſit adverſus Manichæos, & Sabellianos, & Arianos; maximeque intentione ſpeciali contra Photinianos, qui nunc Bonoſiaci vocantur, Librum, quem prætitulavit: De Fide adverſus omnes hæreticos: in quo oſtendit, antiquitatem Filii Dei coæternalem Patri fuiſſe, nec quod initium Deitatis tunc a Deo Patre acceperit, cum a Maria Matre Virgine homo, Deo fabricante, conceptus, & natus eſt.* Multorum opinione, Audentius ipſe eſt, qui in Catalogis veteribus Toletanorum Præſulum ponitur inter Olympium, & Aſturium, vixitque uſque ad annum CDV. Sed enim difficile apparet, aut attento curſu ordinario incredibile, vel etiam ἀδύνατον, quod ab anno Chriſti CD. in quo dicitur Patruinus Toletanus interfuiſſe Concilio I. Toletano adverſus hæreticos prædictos celebrato, & nominatim adverſus Priſcillianiſtas, uſque ad annum CDV. in quo D. Loaiſa, & alii, collocant Aſturium jam Toletanum Antiſtitem, fuerit locus Audentio ad occupandam eandem Sedem. Nimirum mortuo Patruino, ſucceſſores ipſi dantur ordine ſuo apud eundem D. Loaiſam Turibius, Quintius, Vincentius, Paulatus, Natalis, Olympius, & Audentius, ante Aſturium, qui collocatur anno CDV. Quis autem credat, intra ſpatium quinque annorum fuiſſe locum, ut octo Præſules Toletani viverent, regerent, ac morerentur? Aut igitur Audentius ille celebris Scriptor, & Epiſcopus Hiſpanus, a Gennadio laudatus, non fuit Præſul Toletanus, ſed alterius Eccleſiæ; aut ſi Toletanæ, oportet, ut in ea Sede præceſſerit longe antea. Quid etiam, ſi ille ipſe fuerit, qui anno CCCXXC. in Concilio Cæſarauguſtano I. dicitur *Augentius*, & ibidem inter alios ſubſcribit? Fieri enim facile potuit ut *d.* mutaretur in *g.*

CIV. Sed ut ut ea res ſe habeat, & quicumque demum Toletanus Præſul interfuerit Conciliis ſupramemoratis ab Athanaſio contra Arianos; certum eſt, Audentium laudatum contra eos, ſimiliterque adverſus Sabellianos, & Manichæos omnium peſſimos, ex inſtituto ſcripſiſſe, ut Gennadius teſtatur. Quod autem ipſe addit, Audentium *intentione ſpeciali* edidiſſe Librum illum *contra Photinianos*; non facile corrigendum, prout Bivarius vult, quaſi legi debeat, *contra Priſcillianum*. Id enim nonniſi nimia licentia fieri poteſt; præſertim cum eo ipſo ſæculo quarto Photinianorum ſecta emerſiſſet ex officina Photini, viventis adhuc tempore S. Epiphanii, a quo tamen Hæreſi LXXIII. & in Anacephalæoſi, ſequaces illius, potius Paulianiſtæ, quam Photiniani dicuntur, quod Paulianiſtarum errorem tertio ſæculo ortum, & confixum ab Eccleſia, ex orco ſuſcitaſſent. Unde & in Concilio Sardicenſi damnati fuerunt anno CCCXLVII. & poſtea in Sirmienſi I. anno CCCLI. ut alibi diximus.

CV. Porro Paulianiſtarum hæreſis, a Paulo Samoſateno Antiochiæ Epiſcopo invecta, & denominata, ea ipſa eſt, quam Gennadius teſtatur ab Audentio Hiſpano *intentione ſpeciali* impugnatam. Dum enim demonſtrandum aſſumpſit, *antiquitatem Filii Dei coæternalem Pa-*

Patri fuiſſe, nec quod initium Deitatis tunc a Deo Patre acceperit, cum a Maria matre Virgine homo, Deo fabricante, conceptus, & natus eſt; (ut integra Gennadii verba reſumam) totum id reſpondet hæreſi Paullianiſtarum, ſeu Paullianorum, deſcriptæ ab ipſo Epiphanio Hæreſi LXV. Auguſtino Hæreſi XLIV. & Nicephoro Lib. ſexto *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, Cap. 30. Legendum itaque eſt eo loco, uti editum habetur, *contra Photinianos*.

CVI. Nec propterea negu, Priſcillianum, ac ſequaces illius, præcipuos errores, tum eorum hæreticorum, tum Manichæorum, Arianorum, & Sabellianorum, in unum collegiſſe. Hoc enim conſtat ex Regula Fidei Concilio Toletano I. inferius ſubjungenda. Nec ambigo, Audentium Hiſpanum Antiſtitem, ex inſtituto impugnaſſe in eo Libro errores Priſcilliani, ac ſequacium. Verum cum hoc cohæret, quod ſectæ illi non tribuerit propriam aliquam appellationem, & Priſcilliani errorem ſequentes appellaret Photinianos: quoniam illorum præſertim hæreſes a Paullianiſtis mutuatas, & eodem ſæculo quarto circiter mediante in prædictis Synodis, Sardicenſi, & Sirmienſi confixas, instaurarunt, atque in Galliam, & Hiſpaniam invexerunt.

CVII. Obiter nota, hoc eodem tempore quo Auxentius Mediolani Arianam ſectam diſſeminabat, damnatam ab Hiſpanis Epiſcopis, floruiſſe S. Martinum, quem Philippus Cluverius Libro primo *Italiæ Antiquæ*, Cap. nono ſatis longo, in fine pag. 73. ait, fuiſſe poſtea Tarraconenſem in Hiſpania Epiſcopum. Nititur auctoritate Sozomeni Libro tertio *Hiſtoriæ Eccl.* Cap. decimo tertio, ubi de eodem Martino Sabarienſi loquitur. Sed enim in verbis, tam Græcis ejuſdem Sozomeni, quam Latinis ex interpretatione prolatis, quæ ibidem exſcribit idem Cluverius, nihil de Hiſpania habetur, nec de alio Martino, quam celeberrimo illo Galliarum, Epiſcopo Turonenſi, qui Sabariæ in Pannonia natus, poſtea heroicis ſuis virtutibus, ac ſtupendis miraculis totam Eccleſiam ſplendidiſſime illuſtravit. Unde Cluverius, alioqui diligens, & eruditus Geographus, aut potius typographus, ſine dubio lapſus fuit: nec nos volumus Turonenſi Eccleſiæ invidere eximium honorem ſibi provenientem ex eo, quod illam ſolam uſque ad obitum rexerit Sanctus Martinus, neque unquam rexerit Tarraconenſem, aut fortaſſe nec viderit. Σφάλμα itaque fuit, aut μνήμης ἁμάρτημα, ſcribere *Tarraconenſem*, ubi debuit dicere *Turonenſem*.

CVIII. Hiſce Diſſertationibus, veluti in anteceſſum Operis præcipui expeditis, accedamus jam ad exhibendas, ordine temporum ſervato, Epiſtolas celebriores Pontificum Romanorum ad Hiſpanos, itemque Concilia ejuſdem florentiſſimæ nationis a tempore S. Damaſi, & deinceps; non alicujus mangonio obtruſa, non ſuppoſititia, aut ſublestæ fidei, qualia paſſim in iis pſeudo-chronicis indicantur; ſed vera, & germana, atque explorata, apud omnes. Si quodquam vero ulterius celebratum fuiſſe colligatur ex gravi quopiam teſtimonio antiquorum, dabimus illi opportunum locum. Si denique occurrerit aliquod dubiæ fidei, proponemus difficultates nobis occurrentes, quæſtione in medio relicta. Denique ultra Diſſertationes ſtudio proprio elaboratas toto Opere (niſi forte aliquam alieno nomine vulgare contingat) proteremus in ea omnia monumenta, Notas, ſive Obſervationes doctiſſimorum hominum, & noſtras, ſub proprio uniuſcujuſque nomine; tum ne plagium committere videamur; tum juxta dictum cujuſdam veterum, *ut ſuum cuique decus poſteritas rependat*.

JOSEPHI CATALANI ADDITIO.

Elucet quammaxime vel in deſcripta hactenus Diſſertatione, quanta fuerit Cardinalis de Aguirre doctrina, atque religio in refellendis fabulis, commentiſque variorum ſuæ nationis Scriptorum, qui inanes, aereaſque cogitationes variis Libris expreſſas venditarunt pro Scriptis legitimis veterum Auctorum. Laudandi præ ceteris inclytæ Societatis Jeſu Scriptores, qui nec ſodali ſuo Hieronymo de la Higuera commentorum artifici pepercerunt, ut allatis laudatorum Scriptorum teſtimoniis perſpicue oſtendit idem de Aguirre.

Cauſam, cur Higuera, aliique mali feriati homines chronica ſuppoſititia, notha, ac ficta ab ipſis, pro germanis vulgare non erubuerint, docet idem Religioſiſſimus Cardinalis de Aguirre Excurſu VII. num. 89. cujus aurea verba operæ pretium duco repetere ad ſugillandos magis magiſque, qui falſis laxorum Caſuiſtarum opinionibus inhærent. Sic ergo ille loco citato: *Sed adjiciamus cauſam aliam veroſimiliorem Higueriani auſus. Cum eodem tempore, quo ille iis næniis diſtinebatur Toleti, introducta fuiſſet opinio, multo poſtea damnata, de licito uſu reſtrictionum mentalium; quid mirum, ſi forte vulgaret tanquam vera, & exiſtentia plurima, quæ intus reputabat ſolum poſſibilia, aut veroſimilia? Nimirum juxta illam execratam opinionem jam tum invaleſcentem, potuit facile accurrere Higueræ reſtrictio aliqua mentalis, qua verum cum falſo componeret, & veroſimilia pro certis, ac poſſibilia pro præteritis venditaret.* Addit & alia Eminentiſſimus Scriptor, quæ nos edocent, quanta in Eccleſiam mala manarunt ex tot tantiſque opinionibus, quas laxi molleſque Theologi perperam probabiles vocant. Sed dolendum profecto eſt, etiam hodie inveniri Auctores, qui propoſitionibus ab Apoſtolica Sede confixis, variis artibus in ſuam, ac Fidelium incautorum ruinam patrocinari non verentur. Ceterum putat laudatus Cardinalis de Aguirre, idipſum, quod Higueræ, contigiſſe etiam Antonio Lupiano, alias Zapata, & Joanni Tamayo de Salazar, ut nempe ille novam chimæram Hauberti Hiſpalenſis obtruderet, veluti ſupplementa quædam Higuerianarum cogitationum circa medium ſæculum XVII. quo opinio illa reſtrictionum mentalium altas radices miſerat; hic etiam eidem doctrinæ innixus, tot farraginibus impleret ſex illa prægrandia volumina ſui Martyrologii Hiſpani. Nempe utriuſque tempore plauſibilis, & valde probabilis habebatur opinio illa, merito poſtea damnata, docens, poſſe homines licite dicere, ac ſcribere plura falſa in ſenſu naturali, & obvio, dummodo in alio ſenſu mentali, & reſtricto vera ſint.

EPI-

EPISTOLA MELCHIADIS PAPÆ
AD OMNES HISPANIÆ EPISCOPOS.

Noviter correcta, juxta antiquiſſima mſs.

De accuſationibus, & jurgiis, & ut nemo alteri infeſtus ſit. De Baptiſmo, & impoſitione manuum Epiſcoporum; utrum eorum aliud ſine altero ſufficiat, aut majus eſſe videatur.

I. *De judiciis Epiſcoporum, ſive majoribus cauſſi ad Apoſtolicam Sedem deferendis, & ut nullus eam probibeatur appellare.*
II. *Quod ſit majus Sacramentum, impoſitio manus Epiſcoporum, an Baptiſmus?*
III. *De jejunio Dominicæ diei, & quinta Feria.*

Dilectiſſimis Fratribus, Marino, Benedicto, Leontio, & cæteris Hiſpaniarum, ac illis in partibus Epiſcopis, (1) Melchiades.

1 Melciades, aut Miltiades.

APoſtolici præcepti verba ſunt, *apud Judæos, atque Gentiles ſine offenſione nos eſſe debere*, hoc quiſquis Chriſtianus eſt, tota animi virtute (2) cuſtodit. Quod cum ita ſit, non parum periculi illi manere poterit ante Deum, qui hoc detrectat etiam Fidelibus exhibere. Nam qualiter nos, qui neminem perire volumus, iſta contriſtent, quæ auctoribus Chriſtianis percellunt animos Chriſtianos, Dominicus in Evangelio ſermo teſtatur. Ait enim ipſe Salvator, *quod expediat ſcandalizanti unum de puſillis, in maris profundum demergi*. Ideo quæ ſit ejus jam pœna, quæramus, cui tale ſupplicium legimus expedire.

1. Cor. 10. — *2 Cuſtodiat. Vat.* — *Matth. 18. Luc. 17.*

Quapropter iſta, Chariſſimi, verba valde ſunt ponderanda, & cavenda, ne pro temporalibus (3) æterna, & pro caducis manſura, & pro parviſſimis temporalibus perdantur (quod abſit) perpetua gaudia. Unde vos rogamus, & obſecramus, ut nullus alteri noceat, neque infeſtus, aut nocens exiſtat; ſed, juxta Apoſtolum, *alter alterius onera portet, ut Legem Chriſti adimpleat. Et nolite judicare invicem, ſed* juxta Apoſtolum ipſum, *hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum fratri, vel ſcandalum*. Primo ſemper (4) ante omnia diligenter inquirite, ut cum juſtitia, & (5) veritate definiatis. * Neminem condemnetis ante verum, & juſtum judicium. Nullum ſuſpicionis arbitrio judicetis; ſed primum probate, & poſtea charitativam proferte ſententiam. *Et quod vobis non vultis fieri, alteri nolite facere.*

3 Pro temporalibus perdantur: vero e medio interjectis, omiſſis. Vat. — *Galat. 6. Rom. 14.* — *4 Ante deeſt. Vat.* — *5 Caritate.* — ** Neminem condemnantes ante.*

Mementote ſermonis Domini ſemper, qui ait: *Nolite judicare, & non (6) judicabimini: (7) nolite condemnare, ut non condemnemini. In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini*. Epiſcopos nolite judicare, nolite condemnare abſque (8) ſenis hujus auctoritate. Quod ſi feceritis, irrita erunt veſtra judicia, & vos condemnabimini.

Tob. 4. — *Hic incipit Ep. in mſs. Iſidori.* — *6 Ut non judicemini. Vat.* — *7 Abeſt uſque ad id quo. Vat.*

Hoc enim privilegium huic Sanctæ Sedi a temporibus Apoſtolorum ſtatutum eſt * ſervare, quod illæſum manet uſque in hodiernum diem. Epiſcopos ergo, quos ſibi Dominus (9) tanquam oculos elegit, & columnas Eccleſiæ eſſe voluit, quibus etiam ligandi, & ſolvendi dedit poteſtatem, ſuo judicio reſervavit, hocque privilegium Beato clavigero Petro ſua vice ſolummodo commiſit. Quod ejus juſte prærogativum ſuccreſcit * Sedi, futuris hæreditandum, atque tenendum temporibus, quoniam & inter Beatos (10) Apoſtolos fuit * quædam diſcretio poteſtatis. Et licet cunctorum par electio foret, Beato tamen Petro conceſſum eſt, ut aliis præemineret; eorumque, quæ ad querelam venirent, cauſſas, & interrogationes prudenter diſponeret. Quod Dei ordinatione taliter ordinatum eſſe credimus, ne omnes (11) poſterorum cuncta ſibi vindicarent, ſed ſemper majores cauſſæ, ſicut ſunt Epiſcoporum, & potiorum curæ negotiorum, ad unam Beati Principis Apoſtolorum Petri Sedem confluerent, ut inde ſuſcipiant finem judiciorum, unde acceperunt initium inſtitutionum, ne quandoque a ſuo diſcreparent Capite.

** Sedis.* — **Servari.* — *8 Tanquam abeſt. Vat.* — *9 Quæ prærogativa ſucceſſit.* — *10 Beatiſſimos.* — ** S. Leo Ep. 14.* — *11 Poſteri eorum.*

I. Si vero ſe viderit quiſquam veſtrum prægravari, hanc Sedem appellet, huc recurrat, ut ſemper inſtituta fuit conſuetudo; quia & voluntarie eis compatiemur, & libentes, (12) prout Dominus dederit, admini-

12 Libenter. Vat.

nleulum feremus. Nec a quoquam, Fratres, inhibeatur, aut objurgetur, (1) qui noſtræ conſors communionis eſſe voluerit; ſed magis et veniendi auxilium (2) præſtetur * quia ſufficit unicuique objurgatio, quæ fit a plurimis, ut, juxta Apoſtolum (3), *magis donetis, & conſolemini, ne forte abundantiori triſtitia abſorbeatur, qui in anguſtia eſt*. Propter quod *obſecro vos*, (4) ut ipſe ait, *ut confirmetis in illo charitatem*. Eorum enim os * accuſandi Sacerdotes, vel teſtificandi in eos obſtruimus, quos non humanis, ſed Divinis vocibus mortuos eſſe ſcimus, quoniam infidelis * homo mortuus eſt in corpore vivente. Nec in ſuſpicionem veniat homo fidelis, * ut dicat, aut faciat ea, quæ pati non vult. Si quis fidelis eſt, videat ne falſa loquatur, aut cuiquam inſidias ponat. Facile * eſt ergo hominem fallere, non tamen Deum. Sapiens non eſt, qui nocet. Et nihil mali vult qui eſt fidelis. In his enim fidelem, & infidelem hominem cognoſcere poſſumus in nocendo, & adjuvando, ut ipſa Veritas ait: *Bonus homo ex bono theſauro cordis (5) ſui profert bona. Ex abundantia enim cordis os loquitur*. Pro nobis enim dicit Dominus per Prophetam: *Eos vero qui judicant vos, ego judicabo*. Et iterum ad (6) ſervos ſuos dixit: *Nolite timere opprobrium hominum, & blaſphemias eorum ne metuatis*. De talibus quoque Propheta canit, dicens: *Non ſic impii, ſed tamquam pulvis, quem projicit ventus. Propterea non reſurgent impii in judicio, neque peccatores in congregatione juſtorum: quoniam novit Dominus viam juſtorum, & iter impiorum peribit. Quare conturbatæ ſunt gentes, & plebes meditabuntur inania? Conſurgent Reges terræ, & Principes tractabunt pariter adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum ejus. Diſrumpamus vincula eorum, & projiciamus a nobis (7) jugum ipſorum. Habitator Cæli ridebit, (8) & Dominus ſubſannabit eos. Tunc loquetur ad eos in ira ſua, & in furore ſuo conturbabit eos*. Et alibi dixit: *Scius impii in medio cordis ejus, non eſt timor Dei ante oculos ejus. Quoniam doloſe egit adverſus eum in oculis ejus, ut inveniret iniquitatem ejus ad odium. Verba oris ejus iniquitas, & dolus: ceſſavit cogitare, ut benefaceret. Iniquitatem cogitat in cubiculi ſuo, ſtabit in via non bona, malum non abjiciet. Domine in Cælo miſericordia tua uſque ad (9) nubes, juſtitia tua ſicut montes Dei, judicia tua abyſſus multa. Homines, & jumenta ſalvos facies, Domine: quam pretioſa miſericordia tua Deus! Et filii Adam in umbra alarum tuarum ſperabunt, inebriabuntur de pinguedine domus tuæ, & torrente deliciarum tuarum potabis eos. Quoniam tecum eſt fons vitæ, & (10) in lumine tuo videbimus lumen. Attrahe miſericordiam tuam ſcientibus te, & juſtitiam tuam rectis corde. Non veniat mihi pes ſuperbiæ, & manus impiorum non me commoveat. Ibi ceciderunt operantes iniquitatem, expulſi ſunt, & non potuerunt ſurgere*. Audivimus a quibuſdam Fratribus, quibus infeſti eratis nimis, quod jurgia, & (11) diſcordiæ ſint inter vos. Propterea iſta ſcripſimus vobis mandantes, ut ita teneatis, ſicut & ab Apoſtolica Sede vobis tenenda mandantur. Unde & Domini (12) Præcurſor in Evangelio militibus interrogantibus reſpondit dicens: *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, ſed contenti eſtote ſtipendiis veſtris*. Concutit enim hominem, qui illum injuſte conturbat. De his hæc vobis (13) interim ſufficiant. Si autem majoribus indigueritis, vita comite, mittite, & mittentur vobis.

II. De his vero, ſuper quibus rogitaſtis vos informari, ideſt, utrum majus eſſet Sacramentum, manus impoſitio Epiſcoporum, aut Baptiſmus; ſcitote, utrumque magnum eſſe Sacramentum. Et ſicut unum a majoribus fit, ideſt, a Summis Pontificibus, quod a minoribus perfici non poteſt; ita & majori veneratione venerandum, & tenendum eſt. Sed ita conjuncta ſunt hæc duo Sacramenta, ut ab invicem, niſi morte præveniente, nullatenus poſſint ſegregari, & unum ſine altero rite perfici non poteſt. Nam unum, præveniente morte, ſalvare ſine altero poteſt, aliud autem non poteſt. Unde ſcriptum eſt: *In diebus illis* (dicit Dominus) *effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem*. Advertamus ſummas divitias bonitatis (14) Dei, quod in confirmandis neophytis manus impoſitio tribuit ſingulis, hoc tunc Spiritus Sancti deſcenſio in credentium populos donavit univerſis. Sed quia (15) diximus, quod manus impoſitio,

1 Quoniam. *Vat.*
2 Præſter. *Vat.*
* *Quæ ſequuntur uſque ad §. II. adjunxit ... Juſtelli.*
2. *Corinth.* 2.
3 *Magis* abeſt *Vat.*
4 Sicut. *Vat.*
* *Hadr. Coll.*
* *Xyſti ſent.* 6. *ex verſione Ruffini.*
* *Ejuſdem ſent.* 168. 291.
* *Sent. ejuſdem* 76. 291. 203.
Matth. 12.
5 Proferet bona, & malus homo ex malo theſauro cordis. *Vat.*
Iſai. 49.
6 Ad ſervos dicit. *Vat.*
Iſaiæ 51.
Pſal. 1.
Pſal. 2.
7 Laqueos eorum. *Vat.*
8 Et abeſt. *Vat.*
Pſal. 35.
9 Fides tua uſque ad nubes. *Vat.*
10 τὸ Et abeſt *Vat.*
11 Diſcordia. *Vat.*
12 Dominus in Evangelio. Τὸ *Præcurſor* deeſt. *Vat.*
Luc. 3.
13 Interdum. *Vat.*
De conſ. diſt. 5. Spiritus Sanctus, qui ſuper.
Et in Decret. Ivon. Lib. 1.
Joel. 2.
14 *Dei* deeſt. *Vat.*
15 Ut diximus. *Vat.*

ſitio, & Confirmatio (1) ad Baptiſmi perfectionem pertineat, & qui jam regeneratus in Chriſto eſt, confirmare aliquid poſſit, forte cogitat ſibi aliquis, quid mihi prodeſt poſt myſterium Baptiſmatis, (2) myſterium Confirmationis? aut quantum video, non totum de fonte ſuſcepimus, ſi poſt ſontem ádjectione novi generis indigemus. Non ita dilectiſſimi. Attendat charitas veſtra. Sicut exigit militaris ordo, ut cum Imperator quemcumque in militum receperit numerum, non ſolum ſignet receptum, ſed etiam armis competentibus inſtruat pugnaturum; ita in baptizato benedictio illa munitio eſt. Dediſti militem, da ei adjumentum militiæ. Numquid prodeſt, ſi quiſquam parentum magnam (3) pupillo conferat facultatem, niſi providere ſtudeat & tutorem? Itaque (4) Paracletus regeneratis in Chriſto cuſtos, & conſolator, & tutor eſt. Ideo dicit ſermo Divinus: *Niſi Dominus cuſtodierit Civitatem, (5) fruſtra vigilat qui cuſtodit eam*. Ergo Spiritus Sanctus, qui ſuper aquas Baptiſmi ſalutiſero deſcendit illapſu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in Confirmatione augumentum præſtat ad gratiam. (6) Et quia in hoc mundo (7) tota ætate victuris, inter inviſibiles hoſtes, & pericula gradiendum eſt; in Baptiſmo regeneramur ad vitam, poſt Baptiſmum confirmamur ad pugnam: in Baptiſmo abluimur, poſt Baptiſmum roboramur. At ſi continuo tranſituris ſufficiant regenerationis beneficia; victuris (8) tamen neceſſaria ſunt Confirmationis auxilia. Regeneratio per ſe ſalvat (9) mox in pace beati Sæculi recipiendos: Confirmatio autem armat, & inſtruit ad agones mundi hujus, & prælia reſervandos. Qui autem poſt Baptiſmum cum acquiſita innocentia immaculatus pervenit ad mortem, confirmatur morte, quia non (10) poteſt peccare poſt mortem. Hic ſi forte illud etiam requirere velimus, poſt Paſſionem, & Reſurrectionem Chriſti, quid Apoſtolis profuerit adventus Spiritus Sancti, ipſe Dominus eis evidenter exponit. *Quæ dico*, inquit, *vobis*, *non poteſtis ea portare modo. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, ipſe docebit vos omnem veritatem*. Vides quia cum Spiritus Sanctus infunditur, cor fidele ad prudentiam, & conſtantiam dilatatur. Itaque ante deſcenſionem Spiritus Sancti, uſque ad negationem, Apoſtoli deterrentur: poſt viſionem (11) vero ejus uſque ad Martyrium, contemptu ſalutis armantur. Secundum hoc (12) per Chriſtum redimimur, per Spiritum vero Sanctum dono ſapientiæ ſpiritualis illuminamur, ædificamur, erudimur, inſtruimur, conſummamur, ut illam Sancti Spiritus vocem audire poſſimus: *Intellectum tibi (13) dabo, & inſtruam te in via hac, qua gradieris*. De Spiritu Sancto accipimus, ut ſpirituales efficiamur, *quia animalis homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei*. De Spiritu Sancto accipimus, ut ſapiamus inter bonum, malumque diſcernere, juſta diligere, injuſta reſpuere, ut malitiæ, ac ſuperbiæ repugnemus, ut luxuriæ, ac diverſis illecebris, & fœdis, indigniſque cupiditatibus reſiſtamus. De Spiritu Sancto accipimus vitæ amorem, & gloriæ (14) ardorem, ut ſucceſſi Divinitus, erigere a terrenis mentem ad ſuperna, & Divina valeamus.

III. Jejunium vero Dominici diei, & quintæ Feriæ nemo celebrare debet, ut inter jejunium Chriſtianorum, & Gentilium (15) veraciter credentium, atque infidelium, & hæreticorum, vera, & non falſa diſcretio habeatur. Unde ſcriptum eſt: *Quæ pars Chriſti ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? Quæ autem participatio juſtitiæ cum iniquitate?* Et iterum: *Nolite jugum ducere cum infidelibus*. De cætero, Fratres, *videte, nequis vos decipiat inanibus verbis, neque per philoſophiam, & inanem fallaciam ſecundum traditionem hominum, ſecundum elementa mundi, & non ſecundum Chriſtum; quia in (16) Chriſto habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter, & eſtis in illo repleti, qui eſt Caput omnis Principatus, & poteſtatis, in quo & circumciſi eſtis circumciſione, non manufacta, in expoliatione corporis carnis, ſed (17) in circumciſione Chriſti, conſepulti (18) ei in Baptiſmo, in quo (19) reſurrexiſtis per fidem operationis Dei, qui ſuſcitavit illum a mortuis. Et vos cum mortui eſſetis in delictis, & præputio carnis veſtræ, convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta, delens quod adverſum vos erat, chirographum Decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio, & affigens illud Cruci, expolians Principatus, & poteſtates,* tra-

1 *Ad Baptiſmi perfectionem pertinet*, & deſunt hæc verba. *Vat.*
2 Myſterium confirmatur. *Vat.*
3 Parvulo.
4 Ita. *Vat.*
Pſal. 126.
5 In vanum vigilant qui cuſtodiũt eã. *Vat.*
6 *Et* abeſt. *Vat.*
7 In hunc mũdum. *Vat.*
8 Autem. *Vat.*
9 Mox &c. recipiẽdos. Cõfirmatio armat &c. *Vat.*
10 Quia jam. *Vat.*
Joann. 16.
11 Viſitationem. *Vat.*
12 Hæc. *Vat.*
13 Dabo tibi. *Vat.*
Pſal. 31.
1. *Cor.* 2.
14 Ardore ſucceſſi ut erigere a term. *Vat.*
Conſtit Apoſtol. Lib. 5. *Cap. ult.*
15 Etvez. *Vat.*
2. *Cor.* 6.
Ibidem.
Coloſſ. 2.
16 In ipſo inhabitat. *Vat.*
17 Tò *Sed* abeſt *Vat.*
18 Tò *Et* abeſt *Vat.*
19 Et reſur. *Vat.*

traduxit confidenter, palam triumphans illos in ſemetipſo. Nemo ergo
vos judicet in cibo, & potu; aut in parte diei feſti, aut neomeniæ, aut
ſabbathorum, quæ ſunt umbra futurorum: corpus autem Chriſti. Nemo
vos ſeducat volens in humilitate, & religione Angelorum; quæ non vi-
dit, ambulans fruſtra, inflatus ſenſu carnis ſuæ, & non tenens caput,
1 Nexus, & conjuctiones. *ex quo totum corpus per* (1) *nexum, & conjunctionem ſubminiſtratum, &*
2 Augumentum Dei. *conſtructum, creſcit in* (2) *argumentum Fidei. Si ergo mortui eſtis cum*
Chriſto ab elementis hujus mundi; quid adhuc tamquam viventes in
mundo decernitis? Ne tetigeritis, neque guſtaveritis, neque contrecta-
3 Interitu. *Vat.* *veritis quæ ſunt omnia in interitum* (3) *ipſo uſu, ſecundum præcepta, &*
4 In deeſt *Vat.* *Coloſſ.* 3. *doctrinas hominum, quæ ſunt rationem quidem habentia ſapientiæ, in*
(4) *ſuperſtitione, & humilitate, & non ad parcendum corpori, non in*
honore aliquo ad ſaturitatem carnis. Igitur ſi conſurrexiſtis cum Chri-
ſto, quæ ſurſum ſunt quærite, ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens; quæ
ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram. Mortui enim eſtis, & vita
veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Cum Chriſtus apparuerit vi-
ta veſtra; tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria. Mortificate er-
go membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, immundi-
tiam, libidinem, concupiſcentiam malam, & avaritiam, quæ eſt ſima-
lacrorum ſervitus, propter quæ venit ira Dei in filios incredulitatis,
5 Viveretis in illis. *Vat.* *in quibus & vos ambulaſtis aliquando, cum viveretis* (5) *cum illis. Nunc*
* Omnia. *autem deponite & vos* * *omnem iram, indignationem, malitiam, blaſphe-*
miam, turpem ſermonem de ore veſtro. Nolite mentiri invicem, ex-
ſpoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes novum,
eum qui renovatur in agnitionem ſecundum imaginem ejus, qui creavit
6 Tò Ut abeſt. *Vat.* *eum,* (6) *ut ubi non eſt Judæus, & Gentilis, circumciſio, & præpu-*
tium, barbarus, & Scytha, ſervus, & liber, ſed omnia, & in om-
nibus Chriſtus. Induite ergo vos ſicuti electi Dei, Sancti, & dilecti, vi-
ſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam,
ſupportantes invicem, & donantes vobiſmetipſis, ſi quis adverſus ali-
quem habet querelam: ſicut & Chriſtus donavit vobis, ita & vos. Su-
per autem omnia hæc charitatem habentes, quod eſt vinculum perfectio-
nis. Et pax Chriſti vigeat in cordibus veſtris, in qua & vocati eſtis
in uno corpore, & grati eſtote. Verbum Dei habitet in vobis abundan-
ter, in omni ſapientia docentes, & commonentes voſmetipſos Pſalmis,
Hymnis, & Canticis ſpiritualibus in gratia cantantes in cordibus ve-
ſtris Deo. Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in
7 Tò Facite, abeſt. *Vat.* *nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti* (7) *facite; gratias agentes Deo & Pa-*
tri per ipſum. Vos, chariſſimi, nolite deficere benefacientes. Quod ſi
aliquis fuerit, qui non obedierit verbis Apoſtolicis, hunc notate, &
2. *Theſſ.* 3. *non commiſceamini cum illo, ut confundatur. Et nolite quaſi inimicum*
8 Æſtimare. *Vat.* (8) *exiſtimare, ſed corripite ut fratrem. Deus autem pacis det vobis id-*
Rom. 15. *ipſum ſapere in alterutrum, & in omnes, & ipſe ſit ſemper vobiſcum*
in omni loco. Amen. Data Kalendis Martii, Voluſiano, & Ruffino Vi-
ris Clariſſimis Conſulibus.

NOTÆ SEVERINI BINII.

HOC *enim privilegium huic Sanctæ Sedi a temporibus Apoſtolorum ſtatutum.*] Ut Epiſcoporum cauſæ ad Romanæ Eccleſiæ Sedem deferantur, Apoſtolico Can. LXXIII. & LXXIV. conſtitutum eſt, idemque omnium fere Pontificum Decretalibus Epiſtolis confirmatum eſt.

Sacramentum.] Illi, a quibus Melchiades conſulebatur, Confirmationem Sacramentum eſſe, præſupponebant. Errant igitur qui, quod ſupra in Notis ad Urbani I. Fabiani, & Cornelii Epiſtolas annotavi, hoc Sacramentum a Melchiade inſtitutum eſſe tradunt: cujus enim expreſſa mentio fit in multis antiquorum Pontificum Epiſtolis, antiquiore Elibertino Concilio Capite 38. & 77. pluribus vetuſtioribus Eccleſiæ Patribus, ac Doctoribus ſuo loco a nobis recenſitis; quommodo a Melchiade inſtitutum eſſe potuit?

Manus impoſitio Epiſcoporum.] Non quælibet manus impoſitio eſt Sacramentum, ſed tantum confirmativa. Multiplex enim in Scriptura manus impoſitio legitur; una curativa, de qua intelligendum eſt illud Marci ult. *Super ægros manus imponent, & bene habebunt.* Item illud Act. 9. *Abiit Ananias, & imponens ei manus, dixit: Saule frater, Dominus miſit me Jeſus, ut videas, & implearis Spiritu Sancto.* Sicut etiam illud Act. 28. *Contigit autem, patrem Publii febribus, & dyſenteria vexatum jacere, ad quem Paulus intravit, & cum oraſſet, & impoſuiſſet ei manus, ſalvavit eum.* Alia eſt manus impoſitio, quæ dici poteſt ordinativa, vel conſecrativa, de

qua

qua dicitur 1. ad Timoth. 4. *Noli negligere gratiam, quæ in te eſt per impoſitionem manuum Presbyteri &c.* Tertia eſt impoſitio manus cæremonialis ad Baptiſmum, quæ fit ad quamdam catechumeni ſanctificationem, de qua intelligendum eſt illud Auguſtini Lib. 2. *De peccatorum merit. & remiſſ.* Cap. 26. ubi ait, *Catechumenos ſecundum quemdam modum ſuum per ſignum Chriſti, & orationem manus impoſitionis ſanctificari*. Item in Concilio Hiſpalenſi II. Can. VII. Carthaginenſi IV. Canone LXXXV. Quarta eſt peccatorum reconciliativa, de qua Aurelianenſi I. Can. II. & III & Can. VIII. Concilii Arelatenſis. Quinta eſt quædam manus impoſitio deprecativa, qualis videtur illa, de qua eſt ſermo Act. 13. *Tunc jejunantes & orantes, imponenteſque iis manus, dimiſerunt illos*. Paullum nempe, & Barnabam jam ante confirmatos, & ordinatos: abeuntibus igitur manus imponendo, bene tantum precati ſunt. Sexta eſt manus impoſitio confirmativa, qua gratiæ, quæ in Baptiſmo ad remiſſionem peccati ſufficientiſſime data eſt, alia ad gratiam Baptiſmatis augendam, & roborandam ſuperadditur eo fine, ut baptizatus Fidem in Baptiſmo ſuſceptam loco, ac tempore requiſito conſtanter credat, Fidemque confiteatur. De hac poſteriore intelligendus eſt hic locus Melchiadis, ſicut & illud Act. Cap. 8. *Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum Sanctum*. Item illud: *Cum vidiſſet autem Simon, quia per impoſitionem manus Apoſtolorum daretur Spiritus Sanctus; obtulit iis pecuniam, dicens. Date mihi hanc poteſtatem, ut cuicumque impoſuero manus, accipiat Spiritum Sanctum*. Eodem modo accipiendum eſt illud Act. 19. *Poſtquam impoſuit Paullus illis manus, venit Spiritus Sanctus ſuper illos, loquebanturque linguis, & prophetabant*. Ita Gloſſa 1. Quæſt. I. Canone: *Manus impoſitio*.

Unum a Majoribus fit, ideſt a Summis Pontificibus, quod a minoribus perfici non poteſt.] Hod idem Euſebius Epiſtola 3. in fine ait his verbis: *Manus impoſitionis Sacramentum magna veneratione tenendum eſt, quod ab aliis perfici non poteſt, niſi a Summis Sacerdotibus*. Quod quidem Jure Divino ordinario recte, & convenienter conſtitutum eſt; ita tamen ut nihilominus juſta, ac rationabili de cauſa a Pontifice diſpenſari poſſit, ſicut & frequenter diſpenſatum eſt, ut Presbyter hoc Sacramentum conferat. Nam Ambroſ. in Cap. 4. ad Epheſ. teſtatur, in Ægypto Presbyteros confirmare in abſentia Epiſcoporum. Item cum Gregorio Pontifici, ut ſcribitur Epiſtola 26. Libro 3. relatum fuiſſet, in Inſula Sardiniæ ſolitos fuiſſe Presbyteros baptizatos confirmare, id facere eos prohibuit; ex qua prohibitione, cum ſcandalum ortum eſſe videret, ſic prædicto loco ſcribit: *Nos quidem ſecundum uſum veterem Eccleſiæ noſtræ fecimus: ſed ſi omnino hac de re aliqui contriſtantur, ubi Epiſcopi deſunt, ut Presbyteri etiam in frontibus baptizatos* (impreſſi omnes corrupte legunt, *baptizandos*) *Chriſmate tangere debeant*. Unde Conc. Florent. in Decr. Eugenii, ſolum Epiſcopum poſſe conferre eam unctionem, quæ eſt Confirmationis Sacramentum, ſubdit: *Legitur tamen aliquando per Apoſtolicæ Sedis diſpenſationem ex rationabili, & urgente admodum cauſſa, ſimplicem Sacerdotem Chriſmate per Epiſcopum confecto hoc adminiſtraſſe Confirmationis Sacramentum*. Qua diſpenſatione nihil Juris Divini immutari, pulchre declarant Bellarminus & Suarez, *De Sacramenti Confirmationis Miniſtro*, apud quos plura hac de re videre poteris.

Confirmatio ad Baptiſmi perfectionem pertineat.] Confirmatio appellatur perfectio Baptiſmi, non tantum hoc loco, verum etiam in Concilio Eliberitano Canone LXXVII. item a Dionyſio Areopagita, *De Eccleſiaſtica Hierarchia* Cap. 4. Par. 3. illius Capitis, ubi eam *divinæ generationis ſacroſanctam perfectionem* appellat. Ambroſ. Lib. 2. *De Sacram*. Cap. 2. eandem nominat, *Spirituale ſignaculum, quod poſt fontem supereſt, ut perfectio fiat*. Non ſane, quod Baptiſmus citra Confirmationem nihil gratiæ tribuat, aut baptizati peccatum plene, ac perfecte non tollat; ſed quod per Confirmationem baptizato augumentum, & robur gratiæ ſuperaddatur ad Fidem in Baptiſmo ſuſceptam conſtanter profitendum. Suarez Tom. 3. Diſput. 34. *De Confirmat.* Sect. 2.

Jejunium Dominici diei.] Vide quod diximus in Notis Can. Apoſtolic. LXV. & aliorum. BINIUS.

DISSERTATIO DECIMA NONA.

An Epiſtola hæc nomine S. Melchiadis Papæ inſcripta ad Hiſpanos ſit germana; & qualiter extricari poſſint Criticorum nodi, illam ſuppoſitionis arguentium.

I. Immorandum eſſet nimis tuendæ auctoritati hujus Epiſtolæ, ni jam id generatim feciſſemus To. I. in *Apparatu*, præſertim Diſſert. IV. circa omnes fere illas, quæ nomine veterum Pontificum a Clemente uſque ad Syricium circumferuntur. Quemadmodum vero eo loci monuimus, plerique illarum progreſſu temporis, vitio exſcriptorum, & quorumdam ſciolorum auſu, aut interpolatione, multa errata, & aſſumenta irrepſiſſe, quæ tamen non officiunt auctoritati earum quoad ſubſtantiam, ſive fundum materiæ, de qua ibidem agitur; ita etiam dicendum de hac Epiſtola Melchiadis ad omnes Hiſpaniæ Epiſcopos, quæ quidem in omnibus Collectionibus tam editis, quam mſſ. etiam antiquiſſimis, quibus D. Loaiſa uſus fuit, & in aliis ubique extantibus, præſertim in Bibliotheca Vaticana invenitur: nec ippſius γνησιότης in dubium vocata fuit, niſi ab inclinante ſæculo præcedenti, quo ſacra hæc monumenta primum ab heterodoxis, poſtea vero a pleriſque Criticis etiam Catholicis reſpui, aut ſaltem vellicari cœperunt.

II. Certe ſi S. Melchiades, & ipſius deceſſores tantam adhibuiſſent curam, ut Epiſtolæ ipſorum Decretales toto Orbe Chriſtiano pu-

bli-

Digitized by Google

blicarentur, & in omnibus Eccleſiis ſolicite cuſtodirentur, quantam poſtea adhibuit Syricius Papa circa Epiſtolam celebrem ad Himerium Tarraconenſem (ut ſuo loco videbimus) hodie illarum exemplaria pura, & incorrupta extarent, ſicuti prædicta extat. Sed omiſſio publicationis, & curæ ejuſmodi, præſertim ſub Ethnicis Imperatoribus perſequentibus Chriſtianos, & ipſorum ſcripta, in cauſſa fuerunt, ut ea veneranda monumenta paucis locis ſervarentur, & errata, nævos, variaque aſſumenta ſubirent.

III. Præcipuus Melchiadis ſcopus eſt agere de judiciis Epiſcoporum, ſive majoribus cauſis ad Sedem Apoſtolicam deferendis; & ut nullus eam prohibeatur appellare. Hoc autem nonnulli nimium delicati cenſent importunum, & ſubdititium; cum eo tempore non eſſent contentiones, aut lites in Hiſpania, quæ id Reſcriptum exigerent, aut egerent tali Decreto.

IV. Sed imprimis obſervandum eſt, Epiſtolam illam a Melchiade ſcriptam fuiſſe anno Chriſti trecenteſimo undecimo, aut circiter; ideſt quinquaginta annis poſt inceptam graviſſimam illam cauſſam Baſilidis, & Martialis Epiſcoporum, quæ a tempore S. Stephani Papæ, ac S. Cypriani, tot turbas, & diſſidia excitavit in Hiſpania, & Africa, ac tandem Romæ. Qua de re late egimus hoc Tomo I. Diſſertat. XIV. Ibidem vero Excurſu III. oſtenſum fuit, litem illam diu duraſſe: ſiquidem Baſilides, & Martialis longe poſt ſuam e Sedibus depoſitionem reſtituti fuerunt a Xyſto II. Papa, ob non ſervatum juris ordinem in iis deponendis: ut patet ex ipſius Epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ ibidem exſcripta, quæ de eodem argumento depoſitionis Epiſcoporum, & appellationis in cauſſis majorum ad Sedem Apoſtolicam agit. Unde & §. 4. ſubdit Xyſtus: *Fratres vero, quos timore terreno injuſte damnaſtis, ſcitote, a nobis juſte eſſe reſtitutos*. Quorſum enim hæc, ni Epiſcopi Hiſpaniarum damnaſſent antea Baſilidem, Martialemque, non ſervato juris ordine, & propterea uterque a Xyſto reſtitutus fuiſſet? Quis vero exitus illius difficillimæ cauſæ fuerit, & quamdiu duraverit, incertum eſt. Fieri autem potuit, ut illa multo tempore protraheretur, & reliquiæ adhuc durarent, vel excitarentur ſub Pontificatu Melchiadis Papæ, licet nihil eorum modo legatur in Auctoribus, vel monumentis ejus temporis, quorum pleraque perierunt.

V. Obſervanda ſunt porro verba illa Melchiadis in proœmio Epiſtolæ: *Epiſcopos nolite judicare, nolite condemnare abſque Sedis* (alias *ſenis*) *hujus auctoritate. Quod ſi feceritis, irrita erunt veſtra judicia, & vos condemnabimini. Hoc enim privilegium huic Sanctæ Sedi a temporibus Apoſtolorum ſtatutum eſt ſervare: quod illæſum manet uſque ad hodiernum diem*. Hæc fere eſt, ac fuit, præſertim nono ſæculo inclinante, petra ſcandali circa cauſſas Epiſcoporum Apoſtolicam Sedem appellantium: & cujus occaſione tot lites in Gallia motæ fuerunt adverſus Rhotadum, & Hincmarum Laudunenſem, Epiſcopos, Romam appellantes. Qua de re ſatis egimus in *Apparatu* hujus Operis Diſſertat. VII. ubi & late confirmata fuit monumentis totius antiquitatis Chriſtianæ veritas doctrinæ hoc loco traditæ a Melchiade Papa, quicquid recentiores aliqui contra velint. Etenim teſtimonia ibidem a nobis adducta, tam Melchiade anteriora, quam poſteriora, & plura alia argumenta ἀναντίῤῥητα, rem ipſam luculentiſſime oſtendere videntur.

VI. Prima igitur difficultas objecta auctoritati hujus Epiſtolæ, ſita eſt in verbis quibuſdam illius, quæ inveniuntur mutuata ex Scriptoribus longe poſterioribus, apud quos leguntur. Imprimis totum illius initium, ſive prologus, uſque ad verba: *cui tale ſupplicium legimus expedire*, extat κατὰ πόδας initio Epiſtolæ I. S. Cæleſtini Papæ ad Epiſcopos Galliæ, duobus poſt Melchiadem ſæculis ſcriptæ.

VII. Deinde pars ultima ejuſdem prologi ab iis verbis: *Hoc enim privilegium*, uſque ad finem, impetitur veluti interpolata, ſive accerſita ex Epiſtola 84 alias 12. S. Leonis Papæ, quæ eſt ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem Epiſcopum. Præterea ſub finem §. 1. ejuſdem Epiſtolæ exſcribuntur verba non pauca Pſalmorum primi, ſecundi, & triceſimi quinti, juxta verſionem S. Hieronymi, qui tamen nondum erat natus tempore S. Melchiadis Papæ.

VIII. Inſuper totus fere § 2. in quo diſquiritur, quod ſit majus Sacramentum, impoſitio manuum Epiſcopi, an Baptiſmus; videtur deſumptus αὐτολεξεὶ ex Homilia de Pentecoſte, plerumque tributa Euſebio Emiſſeno, quam tamen alii S. Eucherio, alii Fauſto adſcribunt. Tres autem ii Scriptores notiſſimi, longe poſt obitum Melchiadis orti ſunt. Quiſquis autem fuerit ejus Auctor, eleganti ſtylo utitur, & longe alio, ac præſtantiori, quam ſit in reliquis Melchiadicæ Epiſtolæ partibus. Videtur ergo interpolata pluribus aſſumentis Patrum poſteriorum.

IX. Secunda difficultas, eaque valde communis, oritur ex anachroniſmo, ſive errore temporis, in quo data dicitur Epiſtola hæc, nimirum, Kalendis Martii, Voluſiano & Ruffino Viris Clariſſimis Conſulibus. Melchiades autem tribus fere retro menſibus jam obierat die decima Decembris. Itaque non a vivente, ſed a mortuo illam ſcribi oportuit.

X. Verum hæc objecta non ſunt tanti ponderis, ut nos dimoveant, aut recedere cogant ab illa bona fide, qua tot ſæculis credita fuit germana hæc Epiſtola, & uti talis allegata a Romanis Pontificibus, ac innumeris Scriptoribus, præcipue, aut ſaltem a ſæculo octavo inclinante ſub Adriano Papa I. ut oſtenſum fuit Diſſertationibus IV. & VII. ſupra allegatis; ex quibus plura ſatis opportuna huc transferenda eſſent, ni repetitionis tædio prohiberemur. Nonnihil tamen ad ſingulas difficultates reſpondere, aut leviter indicare oportet.

XI. Primum quod attinet, fatemur verba illa priora prologi extare in Epiſtola I. S. Cæleſtini ad Epiſcopos Galliarum. Unde autem probant adverſarii, ex hac poſteriore deſumpta fuiſſe, & in illam tranſlata potius quam e converſo? Credibilius certe eſt, Notarium illum, qui ab Epiſtolis erat Cæleſtini, uſurpaſſe verba priora Epiſtolæ Melchiadicæ, ac ſuæ adaptaſſe; uti quolibet fere tempore ſoliti ſunt Notarii Principum, & præſertim Romanorum Pontificum, etiam eruditi, uſque modo. Quod ſatis oſtenſum fuit Diſſertatione IV. citata, Excurſu II. a num. 25. uſque ad finem, ubi plurima

Digitized by Google

rima alia invenies ſatis opportuna ad ſuadendum, argumentum illud, cui maxime innituntur recentiores ad labefactandam fidem earum Epiſtolarum veterum, non eſse ineluctabile, ut ipſi cenſent, ſed potius enerve, *telumque imbelle ſine ictu*, uti olim de illo Priami dictum.

XII. Quod additur ex Epiſtola S. Leonis 84. alias 12. ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem Epiſcopum, quaſi eadem omnino ſint illius verba, ac Melchiadis, circa primatum Sancti Petri inter Apoſtolos, & ſupra reliquos Eccleſiæ Epiſcopos; ſolum ab eo objici potuit, qui utramque Epiſtolam minime legiſset, nec invicem contuliſset. Omnino enim diverſa ſunt utriuſque verba, quamvis ſenſus ſit idem: uti in aliis plurimis, & indubitatis Pontificum Epiſtolis, & ſanctorum Patrum locis, idem primatus S. Petri, ſive Sedis Apoſtolicæ, ſupra reliquos Epiſcopos, & Eccleſias, exprimitur aliis atque aliis verbis, & nonnunquam eiſdem, quoniam poſteriores in ea re libarunt verba prædeceſsorum, nec ſolum ſenſum. At cum in præſenti, & verba diſſideant, & ſtylus utriuſque ejus paragraphi ſit diverſus; nihil inde contra auctoritatem Epiſtolæ Melchiadicæ erui potuit, niſi præpoſtere omnino, & ab homine, qui ſolum alienis, aut infidis oculis uſus fuiſset.

XIII. Jam vero æque inanis, & ſpernenda eſt objectio ex verbis Pſalmorum 1. & 2. quaſi aſſumta fuerint juxta verſionem S. Hieronymi nondum nati. Patet enim, collata a nobis verſione Pſalmorum varia cum ea, quæ adſcribitur Doctori Maximo, differre hanc ab illa, quæ uſurpatur a Melchiade quoad utrumque Pſalmum priorem.

XIV. Major difficultas apparet quoad verba deſumpta ex Pſalmo 35. quæ conſonant ſibi, ſive eadem videntur apud Melchiadem, & Hieronymum. At imprimis non omnino eadem ſunt, cum in uno, aut alio verbo, ſive voce diſſideant, uti minutatim exquiſivimus, & comperimus. Sed eſto, eadem prorſus eſſent, nihil inde evincitur contra auctoritatem Epiſtolæ S. Melchiadis. Nam præter ea, quæ monuimus Diſſert. IV. allegata num. 21. & ſeqq. circa verſionem S. Hieronymi collatam cum illa antiquiore, qua ab ipſo fere Apoſtolorum tempore uſa fuerat Eccleſia; incumbit adverſariis onus probandi, verſionem illam prædicti Pſalmi 35. totidem verbis, quibus legitur apud Melchiadem, non fuiſſe adhuc ipſius tempore conceptam, aut lectam in Eccleſia, ſed ſolum a tempore S. Hieronymi, quod non facile oſtendent. Deinde, dato, aut permiſſo, quod ſub eiſdem verbis a Melchiade exſcriptis verſio non fuiſſet facta ipſius tempore, ſed longe poſtea; dici poteſt, quempiam forte librarium, aut alium exſcribentem Melchiadis Epiſtolam ſæculis ſequentibus, noluiſse verba prædicti Pſalmi allegare juxta verſionem veterem, ſed juxta recentiorem Sancti Hieronymi, quæ a tempore S. Gregorii Magni in majori pretio, & frequentiori uſu eſse cœpit, ut ipſe teſtatur in Epiſtola ad S. Leandrum Hiſpalenſem, & clarius Lib. 2. *Moralium*, Cap. 24. Quin & ipſe S. Iſidorus Collector præcipuus Conciliorum, & Epiſtolarum Pontificiarum, & ſynchronos ejuſdem S. Gregorii, teſtatur, ſuo ævo receptam fuiſse, ac majori in pretio habitam

verſionem recentiorem, ideſt, S. Hieronymi, *quod eſſet verborum tenacior, & perſpicuitate ſententiæ clarior*.

XV. Fortaſſis etiam Iſidorus ipſe videns verſionem S. Hieronymi ſuo tempore jam receptam ubique in Eccleſia, & conformiorem textui Hebraico, curavit, ut veterum Pontificum Epiſtolæ in ſua Collectione ita exſcriberentur, ut teſtimonia pleraque, aut omnia Scripturæ in iis citata, eſsent juxta recentiorem verſionem S. Hieronymi, ad commodiorem uſum legentium. Hæc conjectura, ſicuti & præcedens, ſatis veriſimilis eſt, & opportuna ad extricandum nodos plurimos hujus generis, quibus auctoritas earundem Epiſtolarum irretiri, & implicari ſolet. Itaque breviter occurri poteſt iis omnibus alterutra ſolutione: vel quia verba ipſa Scripturæ ab iis Pontificibus allegata, extarent in exemplari ſacrorum Bibliorum, quo ii uſi ſunt: vel quod progreſsu temporis ab exſcriptoribus, ſive ab ipſo S. Iſidoro mutata fuerint juxta verſionem recentiorem S. Hieronymi, quæ a tempore S. Gregorii, & ejuſdem Iſidori celebrior, & communis apud Chriſtianos omnes eſſe cœpit.

XVI. Denique quod objicitur ex §. ſecundo circa comparationem Sacramentorum Baptiſmi, & Confirmationis, utrum eorum majus ſit; quaſi ea verba ſint longe alterius ſtyli, & elegantiæ a præcedentibus, & mutuata ex Homilia illa de Pentecoſte multo poſtea ſcripta, non admodum premit. Imprimis ſtylus non adeo diverſus eſt, ut non potuerit prodire ab eodem Scriptore tota Epiſtola, licet inæqualis quoad eam partem: cum paſſim intra eundem librum, opuſculum, tractationem, aut Epiſtolam unius prorſus Auctoris, appareat inæqualitas, & major, aut minor elegantia, aut barbaries quoad alias, atque alias partes. Indeque eſt, ut vel in Scriptoribus politiſſimis nonnullæ periodi, ſententiæ, aut etiam lucubrationes integræ, magis aut minus laudentur: in aliis impolitis, quædam mediocria, aut toleranda, quædam vero inæqualiter horrida legantur, licet nemo prodens eundem eſse Auctorem dubitet. Quidni & hoc ipſum contigerit Melchiadi Papæ ſcribenti eo tempore, quo potius curæ erat ſimplicitas Chriſtiana, & pietas Pontificibus Romanis, quam uniformitas ſtyli, aut æqualitas, vel elegantia ſermonis? Qua ipſa reſponſione occurri facile poteſt eidem argumento paſſim objici ſolito contra auctoritatem Epiſtolarum, fere omnium, quæ priſcis Pontificibus a Clemente uſque ad Syricium adſcribuntur.

XVII. Deinde non parum negotii faceſſit eruditis examen Auctoris Homiliæ illius de Pentecoſte nondum adhuc palam noti. Joannes enim Gagnejus Cancellarius Pariſienſis primus omnium in Bibliotheca Vet. PP. editionis Colonienſis, Homiliam illam cum pluribus aliis edidit nomine Euſebii Emiſſeni juxta vetera exemplaria, in quibus eidem adſcriptam teſtatur. Quod ipſum fere cenſuerat antea Trithemius Lib. *De Scriptoribus Eccleſiaſticis*, agens de eodem Euſebio Emiſſeno, cui eas Homilias tribuit inter plura alia ſcripta, & floruiſſe ait anno CCCL. Sed enim, uti recte obſervarunt Andreas Schottus, Labbeus, & alii, Homiliæ illæ ab Auctore Latini ſermonis peritiſſimo ſcri-

ptæ fuerunt; ac proinde non ab Euſebio Emiſſeno ita appellato, quod eſſet Emeſſæ in Syria Epiſcopus, ubi ſolum Syriace, aut etiam Græce ſcripſiſſe cenſendus eſt. Quare jam communiter fere a recentioribus tribuuntur alteri Euſebio Epiſcopo natione Gallo, vel S. Eucherio Lugdunenſi. Quicumque vero prædictorum fuerit, certe is poſt tampus S. Melchiadis floruit, & ſcripſit; ut proinde hic in Epiſtola præjacta nun potuerit allegare ipſius verba.

XVIII. Sed & notandum eſt, illa non exſtare in Homilia de Pentecoſte tributa Euſebio Epiſcopo Gallicano apud noviſſimam Bibliothecam Vet. PP. Aniſſonianam Tomo VI. ubi demum edita legitur pag. 770. Similiter nec inter ſcripta S. Eucherii Lugdunenſis aodem Tomo exhibita invenio Homiliam aliquam de Pentecoſte, ubi exſtent verba illa, quæ in Epiſtola Melchiadis leguntur, & notantur veluti longe poſteriora, atque aſſuta. Dato autam, aut permiſſo gratis, quod exſtarent apud Euſebium Gallicanum, vel Eucherium Lugdunenſem, aut quemlibet, alium Melchiade poſteriorem; putari debet, hunc ab illo mutuaſſe potius, quam e converſo: ſicuti generatim reſpondimus ad ſimilia objecta hoc Tomo I. Diſſert. IV. allegata, præſertim a num. 26. uſque ad 32. Niſi forte quiſpiam ante, aut poſt tempus S. Iſidori Collectoris Epiſtolarum, quibuſdam illarum, & huic etiam Melchiadiacæ adjunxerit in margine verba Scripturum poſtetiorum; quæ ſubinde aliquis imperitus, aut ſciolus ſucceſſu temporis aſſuerit corpori ipſi, ſive eonte tui Epiſtolarum earumdem, ut ſæpe ibidem monui, præſertim num. 100. Inde vero ſummum colligere liceret, interpolatas eſſe ipſas Epiſtolas, non autem ſubdititias, vel fictas.

XIX. Altera difficuſtas adverſus fidem ipſius Epiſtolæ petitur ex notatione temporis ejuſdem, Kalandis Martii, Voluſiano & Ruffino VV. Cl. Coſſ. cum tamen Melchides jam obiiſſet anno proxime præcedenti die decima menſis Decembris.

XX. Sed facile occurritur. Imprimis non omnino compertum eſt, quonam anno Melchiades diem obierit. Licet enim ut plutimum tres anni & ſex menſes Pontificatus illi adſcribantur, Euſebius tamen in Hiſtoria, & Chronico videtur illum attendera ad ſex annos, ae proinde non eſt facile diſignare, quibus Conſulibus is Pontifex, deceſſerit.

XXI. Dato autem, quod ille rexarit Eccleſiam tribus annis & ſex menſibus tantum, non ſatis oſtendi poteſt, die decima Decembris, qua mortuus fuit, non extitiſſe Conſules Voluſianum, & Ruffinum, ut in notatione Epiſtolæ habetur. Nam in Actis mſs. RR. Pontificum Sereniſs. Reginæ Sueciæ, collatione facta cum Colbertinis, ita legitur: *Melchiades natione Afer ſedit annos tres, menſes ſex, dies ſeptem, ex die Nonas Julii, a Conſulatu Maximiani VIII. uſque ad Maxentium II. qui fuit menſe Septembris, Voluſiano & Ruffino Conſulibus.* Quod ſane notationi temporis prædictæ conſonare videtur.

XXII. Sic pariter legitur in aliis multis Codicibus mſs nunc extantibus in Bibliotheca Vaticana. Omnes enim, aut ſaltem plerique antiquiſſimi, Epiſtolam eandem ad Conſulatum Voluſiani, & Ruffini referunt. Si autem Conſulatus utriuſque cœpit menſe Septembri, (incertum qua de cauſſa) ut indicatur ſatis in teſtimonio nuper exſcripto; loeus plane fuerit, ut tribus poſt menſibus, die decima Decembris intra eundem annum Melchiades humana poſuerit. Quo ſtatuto, evaneſcit difficultas objecta.

XXIII. Præterea in Faſtis Idacio tributis, partim a Sirmondo editis, plenius vero a Labbeo Tomo II. Bibliothecæ mſs. Librorum, ac recuſis noviſsime ab Emmanuele Schelſtrate in Appandice Tomi I. *Antiquitatis Eccleſiæ*, pag. 549. & ſeqq. indicato ad oram anno CCCXI. dicitur κατα πόδας: *Maximiano VIII. Conſule. His Coſſ. quod eſt, Ruffino, & Voluſiano, diem functus Maximianus Junior.* Vides pariter utrumque eorum conjunctum; & ſolum ſupareſt veſtigare, an eodem anno Melchiades Epiſtolam præjactam ſcripſerit. At cur non ita, cum tot mſs. in aodem Conſulatu utriuſque tempus illius collocent?

XXIV. Parum ab iis variat Liber Pontificalis correctus a Luca Holſtenio ex præſtantiſſimis Italiæ Codicibus, & prælo datus ab eodem Schelſtrate ubi paullo ante. Legitur enim ibidem pag 443. *Miltiades natione Afer ſedit annos tres, menſes ſeptem, dies duodecim, ex die Nonas Julii, a Conſulatu Maxentii uſque ad Maximum II qui fuit menſe Septembris, Voluſiano, & Ruffino Coſſ* ſcilicet Conſules non ſolum creatos fuiſſe menſe Januario, ſed etiam Martio, Majo, Quinctili circa ſolſtitium, necnon Kalendis Septembris, aut Idibus Decembris, juxta variam rationem temporum, jam monuimus ſupra Diſſert x. num. 9. ex Dionyſio Halicarnaſſeo Lib. 6. *Antiquit. Romanorum*, Cap. 43. & Lib. 9. Cap. 31. & Lib. 11. Cap. ultimo; atque ax Marliano in Annalibus Conſulum pag. 5. allegante Livium, & Ciceronem in eundem ſcopum. Itaque videtur ſatis conſtare tot teſtimoniis, ut plura alia miſſa faciam, S. Melchiadem Pontificatum geſſiſſe ſub Conſulatu Voluſiani, & Ruffini, & eandem Epiſtolam ſcripſiſse, prout in exemplaribus illius habetur, quicquid ſit de anno Eræ Vulgaris, quo mortuus eſt.

XXV. Quapropter nimium delicati ſunt, qui ex eo capite auctoritatam bujus Epiſtolæ negant, cum tot ſint Faſtorum, Manuſcriptorum, Epocharum, & Auctorum varietates, quorum pleriſque concordar notatiu illius, licet nonnullis aliis diſsentiat. Vide quæ alias monuimus adverſus ſimiles axceptiones, aut objectiones ſupra Diſsertatione IV. citata, necnon Diſsertat. X. & XIII. ac præterea pluribus earum Epiſtolarum non fuiſse ab initio adjectos Conſules, ſed poſtea ab exſcriptoribus ex conjectura additos fuiſse, ut Binius obſervat.

JOSEPHI CATALANI ADDITIO.

Cogimur & hoc loco repetere, quæ alias ſuperius diximus, admirandum ſcilicet Cardinalis de Aguirre ingenium, conatumque in defendendis rot veterum ſummorum Pontificum Epiſtolis, quas eruditiſſimi Viri, vel etiam, dum ille ſcriberet, pro nothis habebant, & omnino rejiciebanr. Nune vix aliquem invenies mediocris litetaturæ, qui eaſdem ſummo olim in pretio habitas amplecti velit.

EPI-

EPISTOLA LIBERII PAPÆ

AD OSIUM EPISCOPUM CORDUBENSEM,

De lapſu Vincentii.

Circa annum Chriſti CCCLIII.

QUia in nullo conſcientiam tuam debeo præterire, multi ex Italia Epiſcopi convenerunt, qui mecum Imperatorem Conſtantium fuerant deprecati, ut juberet, ſicut ipſi placuerat dudum, Concilium Aquilejenſe congregari. Vincentium Capuenſem cum Marcello æque ex Campania Epiſcopo, Legationem noſtram ſuſcepiſſe, Sanctitati tuæ inſinuo. De quo eum multi ſperarem, quod & cauſſam optime retineret, & judex in eadem cauſſa cum Sanctitate tua frequenter reſediſſet; crediderani, Dei Evangelium ſua Legatione poſſe ſervari. Non tantum nihil impetravit, ſed & ipſe in illam ductus eſt ſimulationem. Poſt cujus factum, duplici mœrore confectus, moriendum magis pro Deo decrevi, ne videar noviſſimus delator exiſtere; nam videtur ſententiis accommodaſſe conſenſum.

N O T Æ   V A R I O R U M.

EPiſtola hæc eruta fuit a Card. Baronio ex Codice Veticano 667 e. cujus eſt inſcriptio: *Concordia Canonum*. Ex ea autem patet, quanto in pretio haberet Liberius Papa Oſium, & qualiter ipſius adjutorio, & auctoritate uteretur ad graviores cauſſas expediendas. Nimirum ab eo tempore, quo ſub Imperio Maximiani, & Præfectura Daciani in Hiſpania, peſſus fuit tormenta, & vibices pro Fide Chriſti, apud Cordubam, circa annum CCCIV. ſemper toti Eccleſiæ venerabilis exſtitit, toto fere Imperio Conſtantini, Conſtantii, ſub Pontificatibus Sylveſtri, Marci, Julii, & Liberii, ut fuſius monuimus Diſſertatione III. CARD. DE AGUIRRE.

Conſtantius victoria Maxentii elatus, publico Edicto mandarat, ut Ariani in communionem Eccleſiæ reciperentur, Athanaſius vero condemnaretur. Liberius, ut eum a concepto furore placere poſſet, atque imminentem non tem adverſus Athanaſium, quam univerſam Eccleſiam Catholicam, ac præſertim in Occidentales Epiſcopos, perſecutionem anteverteret, deputatos anno præcedente Legatos, Vincentium atque Marcellum, ad Conſtantium Arelate in Gallia agentem ablegavit, qui de cogendo Aquilejæ Concilio illum interpellarent. Arelatem venientes, invenerunt ibi complures Arianæ factionis Epiſcopos, & aliquos Occidentales, Saturninum, & Fortunatianum Aquilejæ Epiſcopum, quos Ariani per Conſtantium in ſuam communionem pellexerant. Vincentius horum importunitate ſolicitatus, & imperio Conſtantii deceptus, tandem (proh ſcelus!) vel precibus, vel minis Arianorum, aut Conſtantii inflexus, ſummi Fidei athletæ, innocentiſſimique Viri Athanaſii damnationi turpiſſime ſubſcripſit, ſuoque exemplo omnes prope Italiæ Epiſcopos ad idem ſcelus committendum induxiſſet, niſi ſecunda Legatio Pontificis per Luciferum Epiſcopum, ejuſque collegas id impedivisſet. Hæc ex Severo Lib. 2. Epiſtola Liberii ad Conſtantium, & Euſebium, & Apologia Athanaſii ad Conſtantium Baronius anno Chriſti CCCLIII. num. 15. & ſeqq. BINIUS.

CONCILIUM CORDUBENSE

Præſide Oſio celebratum

anno circiter CCCL. vel juxta alios CCCLX.

Ex Synodico, apud Labbeum Tomo II. Concil. pag. 91.

I. ΔΙΟΠΕΡ Κορδύβης Ἐπίσκοπος ὁ πανόσιος Σύνοδον θείαν καὶ ἱερὰν ἐπισκόπων ἐν τῇ οἰκείᾳ πόλει προσκαλεσάμενος, τὸ θεουργὸν ἐτράνωσε μάθημα κατακρίνας οὓς ἡ Σαρδικοῦ ἀπεκήρυξε Σύνοδος καὶ οὓς πάλιν ἐδικαίωσε, προσδεξάμενος.

QUapropter Cordubæ Epiſcopus ſanctiſſimus Oſius Synodum divinam, & ſanctam Epiſcoporum ſua in Civitate convocans, divinitus expoſitam illuſtravit doctrinam; condemnans eoſdem quos Sardicenſis abdicaverat Synodus, quos ea abſolverat, recipiens.

II. De hoc Concilio, ejuſque tempore, & occaſione, qua celebratum fuit, ſatis egimus ſupra Diſſert. II. Excurſu I. ubi & diximus, quinam fuerint Epiſcopi in eo abdicati, quinam autem ſuis Sedibus reſtituti. Quapropter nihil hoc loco addendum cenſuimus.

III. Præterea ibidem Excurſu III. multipliciter oſtenſum fuit, Oſium, & Patres cæteros Serdicenſis Concilii, ſicut & Eliberitani, longe antea celebrati, alieniſſimus fuiſſe a labe Novatianiſmi, dum tot ſeveros Canones ediderunt, quibus multis graviſſimorum ſcelerum

reis interdicebatur communione, etiam in fine vitæ. Ut autem appareat uberius, eam ſeveritatem nihil cum Novatianis habuiſſe commune; viſum hoc loci exhibere tres Epiſtolas Sancti Paciani Epiſcopi Barcinonenſis, florentis eodem tempore, quo Oſius. In iis ex inſtituto refellit Novatianos, ſed ita ut diſciplinam Eccleſiaſticam tueatur, in eo gradu, & aſperitate, qua tunc recepta fuerat in Hiſpania, immo & in Gallia a tempore Concilii I. Arelatenſis celebrati anno CCCXIV. cujus multi Canones omnino reſpondent Eliberitanis, uti oſtendimus loco citato, Excurſu II. num. 26. & ſeqq. Quemadmodum autem nemo unquam Novatianiſmi incuſavit Patres Concilii illius Arelatenſis, nec S. Pacianum, ob diſciplinam aliquanto rigidiorem; ita nemo jure incuſare poteſt Oſium, aut reliquos Patres Eliberitanos, vel Sardicenſes ex eodem capite.

IV. Exhibeamus itaque Epiſtolas ipſas Paciani adverſus Novatianus, ſed longe correctiores, quam antea prodierint. CARD. DE AGUIRRE.

SANCTI PACIANI EPISCOPI BARCINONENSIS

EPISTOLÆ TRES

AD SYMPRONIANUM NOVATIANUM.

Prima de Catholico nomine. Secunda de Literis ejuſdem Sympromiani. Tertia contra Tractatus Novatianorum.

Collatæ modo cum ms. pulcherrimo Sereniſſimæ Suecorum Reginæ, octingentorum circiter annorum antiquitatis, exſtante nunc in Bibliotheca Vaticana, addita ad marginem varietate lectionum.

UT Defenſio Patrum Concilii Eliberitani, de quo Tomo II. majus robur accipiat, conſtetque uberius, errorem Novationorum procul ab iis fuiſſe, immo & a tota Hiſpania eo quarto Sæculo; placuit hoc loco exſcribere Epiſtolas tres celebres S. Paciani Epiſcopi Barcinonenſis, præſertim poſtremam earum adverſus eandem hæreſim. Floruit vero Pacianus circa medium ejus Sæculi: utpote qui inclinante illo circa annum CCCLXXX. ſub Imperio Theodoſii Magni in extrema ſenectute erat. Viſum autem præmittere, quid de illo S. Hieronymus, quid etiam recentiores aliqui dicant. CARD. DE AGUIRRE.

S. Hieronymus in Catalogo Eccleſiaſticorum Scriptorum.

II. *PAcianus in Pyrrhinæi jugis Barcilonæ Epiſcopus, caſtitate, & eloquentia, & tam vita, quam ſermone clarus, ſcripſit varia Opuſcula, de quibus eſt* Κέρβος, *& contra Novatianos. Sub Theodoſio Principe in ultima ſenectute mortuus eſt.*

Cardinalis Bellarminus Libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis.

III. *PAcianus Epiſcopus Barcilonenſis obiit, Theodoſio imperante, & ſcripſit Epiſtolas tres contra Novatianos, quarum meminit S. Hieronymus in Libro,* De Scriptoribus Eccleſiaſticis, *nunc vero in Bibliotheca Patrum, & ſeorſum in editione Romana anni Domini MDLXIV. non ſolum extant tres illæ Epiſtolæ, ſed etiam Parænesis ejuſdem Paciani ad pœnitentiam, & Libelius,* De Baptiſmo. *Neque aliquid occurrit, unde de eorum Librorum auctoritate dubitari poſſit.*

Philippus Labbe in Diſſertatione de Scriptoribus Eccleſiaſticis.

IV. *PAcianus Barcinonenſis in Pyrenæi jugis Epiſcopus, vixit Sæculo Chriſti quarto, obiitque jam ultima ſenectute die 9. Martii, imperante Theodoſio Seniore, circa annum CCCLXXX. Vide Cap. 106. Catalogi,* De Scriptoribus Eccleſiaſticis, *quem S. Hieronymus dicavit ejuſdem Paciani filio Flavio Lucio Dextro, Præfecto Prætorio; & Sophronius S. Hieronymi æqualis in Græcum ſermonem tranſtulit &c.*

EPISTOLA PRIMA SANCTI PACIANI
AD SYMPRONIANUM NOVATIANUM
DE CATHOLICO NOMINE.

Pacianus Symproniano Fratri (1) *ſalutem.*

1 Deeſt. *Vat.*

V. SI non carnalis intentio, ſed, ut ego arbitror, vocatio ſpiritualis eſt, Domine, quod ex nobis Fidem Catholicæ veritatis examinas, tu potiſſimum quæ, vel quam diverſa (2) ſequeris, indicare debueras, qui a rivulo procul in quantum apparet exorſus, fontem, atque originem principalis Eccleſiæ non tenebas (3), ut quæ cauſſa potiſſimum de unitate corporis noſtri ſolviſſet, aperires; nudari enim eas partes oportet, quibus medicina depoſcitur. Nunc clauſo, ut ita dixerim, Literarum ſinu, quæ membra nobis potiſſimum curanda ſint, non videmus. Tantæ enim a capite Chriſtiano hæreſes extiterunt, ut nominum ipſorum ſit volumen immenſum. Nam, ut Judæorum hæreticos prætermittam, Doſythcum Samaritanum, Sadducæos, & Phariſæos, quanti Apoſtolorum temporibus emerſerint, dinumerare perlongum eſt. Simon magus, & Menander, & Nicolaus, & cæteri, quos fama recondit obſcura. Quid poſterioribus temporibus Ebion, &(4)Appelles, & Marcion, & Valentinus, & Cerdon; nec longe poſt eos, Cataphryges, & Novatiani, ut examina novella prætercam. (5)

2 Sequeteris. *Vat.*
3 Ut quæ vos C. p. Tô te, deeſt. *Vat.*
4 *Apelles.* Et ita ſemper. *Vat.*
5 Præter eam? *Vat.*

VI. Quis ergo mihi primum per Literas refutandus eſt? Ipſa ſi voles nomina omnium charta non capiet; niſi quod ſcriptis tuis, pœnitentiam uſquequaque damnantibus, ſecundum Phrygas te(6)aſſenſiſſe pronuncias. Verum his ipſis, Domine clariſſime, tam multiplex, & diverſus eſt error, ut non hoc unum in illis, quod contra pœnitentiam ſapiunt, ſed quaſi quædam capita Lernæa cædenda ſint. Et primum hi pluribus nituntur Auctoribus; nam puto, & Græcus (7) Blaſtus ipſorum eſt: Theodotus quoque, & Praxeas veſtros aliquando docuere; ipſi illi Phryges nobiliores, qui ſe animatos mentiuntur a Leucio, ſe inſtitutos a Proculo gloriantur. Montanum, & Maximillam, & Priſcillam ſequuti, quam multiplices controverſias excitarunt de Paſchali die, de Paracleto, de Apoſtolis, de Prophetis; multaque alia, ſicut & (8) de Catholico nomine, de venia pœnitentiæ.

6 Senſiſſe. *Vat.*
7 Et Blaſtus. *Vat.*
8 Et hoc de. *Vat.*

VII. Quare ſi omnia iſta diſcutere velimus, (9) docili præſentia opus eſt, ſi hæc ſola, quæ ſcribis, non ſatis inſtituerem, tamen quia(10)quomodo admirantibus ſerviendum eſt, informandi tui gratia, ſummatim ad ea, de quibus ſcribere dignatus es, colloquimur. Si quid ſcire plenius de noſtro voles, oportet, ut de tuo profiteare ſimplicius, ne obſcurius conſulendo, non ſcire nos facias, utrum interroges, an laceſſas.

9 Doc. præſentiam neceſſarium eſt. *Vat.*
10 Quoquemodo adjuvantibus. *Vat.*

VIII. Interea quod ad præſentes(11)pertinebit, ante omnia te rogatum volo, ne ob hoc ipſum auctoritatem mutueris errori, quod (ſicut ais) per Orbem totum nullus(12)intus ſit, qui te revinceret, aut perſuadere tibi poſſet contra quam crederes. Nam & ſi nos imperiti, periſſimus Dei Spiritus; & ſi nos infideles, fidelis Deus, qui negare ſe non poteſt. Tum porro quod(13)obtinendo Sacerdotibus Dei diu contendere non licebat: *Nos*, inquit Apoſtolus, *talem conſuetudinem non habemus, nec Eccleſia Dei*. Poſt unam correptionem, ſicut ſcis ipſe, contentioſus omittitur. Perſuadere autem quis aliquid poſſit invito? Tua ergo, Frater, non illorum culpa eſt, ſi tibi, quod erat optimum, nemo perſuaſit. Nam & hodie in poteſtate tua eſt, ut noſtra etiam ſcripta contemnas, ſi ea mavis vincere, quam probare. Cæterum & ipſi Domino, & Apoſtolis ejus plurimi reſtiterunt, nec perſuaderi veritas cuiquam potuit, niſi (14) ei propria religione conſenſit.

11 Literas *Vat.*
12 Inventus ſit. *Vat.*
13 Obnitente. *Vat.*
1. Cor. 11. T. 1. 3. C.
14 Niſi qui ei *Vat.*

IX. Itaque, Domine, & nos non ea fiducia ſcripſimus, qua repugnanti aliquid perſuadere poſſimus; ſed ea fide, qua volenti, bonæ pacis aditum non negemus; quæ ſi animo tuo, (15) & cordi eſt, de Catholico nomine nullum(16)habet eſſe luctamen. Si enim per Deum id populus noſter adipiſcitur, nec interrogandum eſt, præcedente auctoritate Divina. Si per hominem, quando uſurpatum, detegendum. Tunc ſi bonum

15 *Et*, deeſt. *Vat.*
16 Debet. *Vat.*

num nomen eſt, non recipit odium; ſi malum, caret invidia. Novatianos audio de Novato, aut Novatiano vocari: ſectam tamen in his, non nomen accuſo, nec Montano aliquis, aut Phrygibus nomen objecit.

X. Sed ſub Apoſtolis, inquies, nemo Catholicus vocabatur. Eſto, ſic fuerit, vel illud indulge. Cum poſt Apoſtolos hæreſes extitiſſent, diverſiſque nominibus columbam Dei, atque reginam lacerare per partes, & ſcindere niterentur; nonne cognomen ſuum plebs Apoſtolica poſtulabat, (1) quo incorrupti populi diſtingueret unitatem, ne intemeratam Dei virginem error aliquorum per membra laceraret? Nonne appellatione propria decuit caput principale ſignari? Ego forte ingreſſus populoſam Urbem hodie, cum Marcionitas, cum Appolinariacos, Cataphrygas, Novatianos, & cæteros ejuſmodi comperiſſem, qui ſe Chriſtianos vocarent; quo cognomine congregationem meæ plebis agnoſcerem, niſi Catholica diceretur? Age, quis cæteris plebibus nomina tanta largitus eſt? Cur tot Urbibus, tot nationibus ſua quæque deſcriptio eſt? Ipſe ille, qui Catholicum nomen interrogat, cauſſam ſui nominis neſciet (2), ſi requiram unde mihi traditum eſt? Certe non eſt ab homine mutuatum, quod per ſæcula tanta non cecidit. Catholicum iſtud, nec Marcionem, nec Appellem, nec Montanum ſonat, nec hæreticos ſumit auctores.

1 Quæ. *Vat.*
2 Neſciat, ſi requiram? *Vat.*

XI. Multos nos Spiritus Sanctus edocuit, quem Paracletum Apoſtolis, & Magiſtrum Deus miſit e Cælis, multa ratio, ſicut dicit Paullus, & honeſtas, & (ut ait) ipſa natura. Quid? Parva nobis de Apoſtolicis Viris, parva de primis Sacerdotibus, parva de Beatiſſimo Cypriano Martyre, atque Doctore currit auctoritas? An volumus docere doctorem? An ſapientiores illo ſumus, & ſpiritu carnis inflamur adverſus eum, quem æterni Dei teſtem, nobilis cruor, & clariſſimæ paſſionis corona perduxit? Quid tot earum partium Sacerdotes, quos per totum Orbem cum eodem Cypriano pax una ſolidavit? Quid tot annoſi Epiſcopi, tot Martyres, tot Confeſſores? Age, ſi illi, uſurpando nomini huic, auctores idonei non (3) fuerint; nos idonei erimus negando? Et noſtram potius auctoritatem patres ſequentur, & emendanda Sanctorum cedet antiquitas, & jam putreſcentia vitiis tempora, canos Apoſtolicæ antiquitatis eradent? Nec tamen æſtues, Frater: Chriſtianus mihi nomen eſt, Catholicus vero cognomen. Illud me nuncupat, iſtud oſtendit: hoc probor, inde ſignificor.

3 Fuerunt. *Vat.*

XII. Et ſi reddenda poſtremo Catholici vocabuli ratio eſt, & exprimenda de Græco interpretatione Romana; Catholicus (4) ubi unum, vel, ut doctores (5) putant, obedientia (6) omnia nuncupatur, mandatorum ſcilicet Dei. Unde Apoſtolus: *Si in omnibus obedientes eſtis*. Et iterum: *Sicut enim per* (7) *obedientiam unius hominis, peccatores conſtituti ſunt multi*; (8) *ſic per obeditionem unius, juſti conſtituentur multi*. Ergo qui Catholicus, idem (9) juſti obediens. Qui obediens, idem eſt Chriſtianus, atque ita Catholicus Chriſtianus eſt. Quare ab hæretico nomine noſter populus hac appellatione dividitur, qum Catholicus nuncupatur: ſed & ſi Catholicus ubique unum eſt, ſicut ſuperiores putant, idipſum David indicat dicens: *Aſtitit regina in veſte aurata*, & (10) *variegata*, hoc eſt, una in omnibus. Et in Cantico Canticorum Sponſus hæc loquitur: *Una eſt columba mea, perfecta mea, una eſt matri ſuæ, electa eſt genitrici ſuæ*. Et iterum: *Adducentur Regi Virgines poſt eam*. Et adhuc: *Adoleſcentulæ, quarum non eſt numerus*. Ergo in omnibus una, & una ſuper omnia. Si rationem nominis quæris, apparet.

4 Ubique unū vel &c. *Vat.*
5 Doctores. *Vat.*
6 Omnium.
Rom. 5.
7 Iod. *Vat.* Καθολικός *Ωn. verſaus.*
8 Sic per dicto audient à uu. *Vat.*
9 Juſti deeſt. *Vat.*
10 Varietate. *Vat.*
Pſalm. 44.
Cant. 6.
Pſal. 44.

XIII. De pœnitentia vero, Deus præſtet, ut nullis Fidelibus neceſſaria ſit, nemo poſt ſacri fontis auxilium, foveam mortis incurrat; nec tarda ſolamina ingerere Sacerdotes, aut docere cogantur, ne peccandi iter aperiant, dum peccanti remediis blandiuntur. Sed nos hanc indulgentiam Dei noſtri, miſeris, non beatis; nec ante peccatum, * ſed poſt peccata detegimus; nec ſanis medicinam, ſed male habentibus nuncismus. Si nihil in baptizatos poſſunt nequitiæ ſpirituales, nihil fraus illa ſerpentis, quæ primum ſubvertit hominem, quæ poſteris ejus tot titulos damnationis impreſſit; ſi receſſit a mundo, ſi regnare jam cœpimus,

* *Non enim opus eſt medico valentibus.*
Matth. 9.
Maiu. 2.

pimus, ſi nullum oculis, nullum manibus, nullum mentibus noſtris crimen obrepit, abjiciatur hoc Dei donum, repellatur auxilium, nulla exomologeſis, nulli gemitus audiantur, contemnat omne remedium ſuperba juſtitia.

XIV. Quod ſi hæc homini ſuo Dominus(1) providit, ſi idem ſtantibus præmia, qui jacentibus remedia largitus eſt, deſinite Divinam accuſare pietatem, tot Cæleſtis clementiæ titulos objectu rigoris eradere, aut gratuita Domini bona inobſecrabili aſperitate prohibere. Non largimur iſta de noſtro: *Convertimini ad me*, dicit Dominus, *ſimulque* (2) *in jejunio, & fletu, & planctu ſcindite corda veſtra*. Et iterum: *Relinquat impius vias ſuas*, (3) *& convertatur ad Dominum, & miſericordiam conſequetur*. Itemque Propheta in hunc modum clamat: *Quoniam Deus pius, & mitis, & patiens*, (4) *& qui reflectat ſententiam adverſus malitias irrogatam*. Habetne tam diuturnum ſerpens venenum; (5) & Chriſtus non habet medicinam? Diabolus in (6) mundo interficit; Chriſtus hic non poteſt ſubvenire? Pigeat ſane peccare, ſed pœnitere non pigeat. Pudeat periclitari, ſed non pudeat liberari. Quis naufrago tabulam, ne evadat, eripiet? Quis ſanandis vulneribus invidebit? Annon David dicit: *Lavabo per ſingulas noctes lectum meum, in lacrymis ſtratum meum rigabo*. Et iterum: *Peccatum meum ego agnoſco, & facinus meum non texi*. Et adhuc: *Dixi* (7) *confitebor adverſum me delictum meum Deo meo, & tu remiſiſti*(8)*impietatem cordis*. Nonne ille(9)poſt cædis, & adulterii reatum, pro(10)Bethſabee pœnitenti, Propheta reſpondit: *Dominus abſtulit a te peccatum tuum*? (11)Num Babylonium Regem poſt tot idololatriæ facinora damnatum exomologeſis(12)non liberavit? Et quid eſt, quod ait Dominus: *Nonne qui ceciderit, reſurget; & qui adverſus fuerit, convertetur*? Quid illa tot ſimilitudinum Dominicarum argumenta reſpondent? Quod drachmam invenit mulier, & gratulatur inventam? Quod paſtor ovem reportat erraticam? Quod filio revertenti poſt * prodacta omnia bona, & cum meretricibus, & fornicariis epotata, pater blandus occurrit, & invidum fratrem oſtenſa ratione caſtigat? *Filius*, inquiens, *meus hic mortuus fuerat, & revixit, perierat, & inventus eſt*. Quid ille in via vulneratus, a Levita, & Sacerdote præteritus? nonne curatur?

1 Ipſe pr. *Vat.* *Joel.* 2. 2 Tò *In* abeſt *Vat.* *Prov.* 28. 3 Et vir ſacinoroſus cogitationes ſuas. *Vat.* 1. *Joel.* 4. 4 Eſt, & q. *Vat* 5 Tò *Et* abeſt. *Vat.* 6 Hoc m. *Vat.* *Pſal.* 9. *Pſal.* 31. *Ibidem*. 7 Proſequat *Vat.* 8 Impietatem cordis mei. *Vat.* 9 Illi. *Vat.* 10 Berſabee. *Vat.* *Hierem.* 8. 11 Non. *Vat.* 12 *Non* abeſt. *Vat.* * *A prodigo, egi prodactū, juxta Catonis dictum, propter viam facere.* *Luc.* 15. *Apo.* 2.

XV. Revolve quæ ſpiritus dicat Eccleſiis. Epheſios deſertæ dilectionis accuſat, ſtuprum (13) Tiathyrenis imputat, Sardos in opere ceſſantes, Pergamenos docentes diverſa reprehendit, Laodicenorum divitias inurit, & tamen omnes ad pœnitentiam ſatisfactionis invitat. Quid Apoſtolus ad Corinthios, cum ita dicit: *Ne cum venero, lugeam multos ex his, qui ante peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam ex his, quæ ante geſſerunt in fornicatione, & immunditiis ſuis*? Quid quum rurſus ad Galatas: *Si quis præventus fuerit in aliquo delicto* (ideſt *quocumque*) *vos qui ſpirituales eſtis, inſtruite ejuſmodi in ſpiritu manſuetudinis, cavens, ne & tu tenteris*. At numquid pater-familias in magna domo, argentea tantum, & aurea vaſa cuſtodit? (14)Nonne & fictilia, & lignea, & compoſita quædam, & refecta dignatur? *Nunc gaudeo* (inquit Apoſtolus) *quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam*. Et iterum: *Quia ſecundum Deum triſtitia pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur*. Sed pœnitere non licuit. Nemo ſine fructu imperat laborem. *Dignus eſt enim*(15)*mercenarius mercede ſua*. Numquam Deus non pœnitenti comminaretur, niſi ignoſceret pœnitenti. Solus hoc, inquies, Deus poterit; verum eſt, ſed & quod per Sacerdotes ſuos facit, ipſius poteſtas eſt. Nam quid eſt illud, quod Apoſtolis dicit: *Quæ ligaveritis in terris, ligata erunt & in Cælis. Et * quæcumque ſolveritis in terris, ſoluta erunt & in Cælis*. Cur hoc, ſi ligare hominibus, ac ſolvere non licebat? An tantum hoc ſolis Apoſtolis licet? Ergo & baptizare ſolis licet, & Spiritum Sanctum dare ſolis, & ſolis gentium peccata purgare, quia totum hoc non aliis, quam Apoſtolis imperatum eſt.

13 Tyathiſſis. *Vat.* 1. *Cor.* 12. *Galat.* 6. 14 Non & *Vat.* *Cor.* 7. 15 Operarius. *Vat.* *Luc.* 10. *Matth.* 16.

XVI. Quod ſi uno in loco, & reſolutio vinculorum, & Sacramenti poteſtas datur; aut totum ad nos ex Apoſtolorum forma, & poteſtate deductum eſt; aut nec illud ex Decretis relaxatum eſt: *Ego*, inquit, *fundamentum poſui, alius autem ſuperædificat*. Hoc ergo ſuperædificamus, quod Apoſtolorum doctrina fundavit. Denique & Epiſcopi, Apoſtoli nominantur,

1. *Cor.* 3.

ſicut

ſicut de Epaphrodito ediſſerit. *Fratrem, & commilitonem*, inquit, *meum; veſtrum autem Apoſtolum*.

1 Tò *Et* abeſt. *Vat.*
Phil. 2.

XVII. Si ergo & lavacri, & Chriſmatis poteſtas, majorum(1)& longe Chariſmatum, ad Epiſcopos inde deſcendit, & ligandi quoque jus adſuit, atque ſolvendi. Quod etſi nos ob noſtra peccata temerarie vindicamus; Deus tamen illud, ut Sanctis, & Apoſtolorum Cathedram tenentibus, non negabit, qui Epiſcopis etiam unici ſui nomen indulſit.

2 Reverentis. *Vat.*
3 Tò *Et* deeſt. *Vat.*
1. *Petr.* 2.

XVIII. Plura ſcriberem, Frater, ni & celeritate pueri (2) revertentis urgerer, (3) & vel præſenti tibi, vel de omni propoſito confitenti, copioſiora ſervarem. Nemo Epiſcopum hominis contemplatione deſpiciat. Recordemur, quod Petrus Apoſtolus Dominum noſtrum Epiſcopum nominarit: *Sed converſi*, inquit, *modo ad Epiſcopum, & Paſtorem animarum veſtrarum*. Quid Epiſcopo negabitur, in quo Dei nomen operatur? Reddet quidem ille rationem, ſiquid perperam fecerit, vel ſi corrupte, & impie judicaverit; nec præjudicatur Deo, quominus mali ædificatoris opera reſcindat: interea ſi pia illa adminiſtratio eſt, adjutor Dei operum perſeverat. Ecce Apoſtolus ad laicos ſcribit: *Si cui quid*(4)*donatis, & ego. Nam & ego quod donavi, ſi quid donavi propter vos in perſona Chriſti, ut non* (5)*poſſideatur a Satana; non enim verſutias ejus ignoramus*. Si autem quod laici donant, Apoſtolus donaſſe ſe dicit; quod Epiſcopus fecerit, qualiter reſpuetur? Ergo nec Chriſma, nec Baptiſma, nec criminum remiſſio, nec innovatio corporis, ſanctæ poteſtati ejus indulta eſt, quia nihil propria uſurpatione mandatum eſt, totumque id ex Apoſtolico jure defluxit.

4 Donaſtis. *Vat.*
2. *Cor.* 1.
5 Poſſideamur. *Vat.*

XIX. Scio, Frater, hanc ipſam pœnitentiæ veniam non paſſim omnibus dari; nec antequam, aut interpretatio Divinæ voluntatis, aut forſitan viſitatio fuerit, relaxari: magno pondere, magnoque libramine, poſt multos gemitus, effuſionemque lacrymarum, poſt totius Eccleſiæ preces, ita veniam veræ pœnitentiæ non negari, ut judicaturo Chriſto nemo præjudicet. Si apertius, quid tu ſentias, ſcripſeris, Frater, plenius inſtrueris.

OBSERVATIO IN HANC EPISTOLAM.

CAtholicus ubique unum.] *Eccleſiam* Catholicam *appellari Græca dictione, quod ubique terrarum diffundatur, interpretatur D. Auguſt. Epiſt.* 170. Ad Severinum. *Et in Breviculo* Contra Donatiſtas *collationis* 3. *diei Cap.* 3. *narrat dixiſſe Catholicos, merito ſe tales eſſe, & vocari, quod Eccleſiæ toto Orbe diffuſæ communicarent: reſpondiſſe vero Donatiſtas, non Catholicum nomen ex univerſitate gentium, ſed ex plenitudine Sacramentorum inſtitutum. Alioqui Epiſtola* 48. *cum reprehendit Vincentium ex hæreſi Rogatiana, quod acutum aliquid dicere ſibi videretur, cum Catholicæ nomen non ex totius Orbis communione, ſed ex obſervatione omnium præceptorum divinorum, & omnium Sacramentorum interpretaretur; non tam illam reprehendit nominis interpretationem (quam hoc loco doctiorum eſſe dicit D. Pacianus) quam quod ex ea perſuadere nitebantur Rogatianiſtæ, ſe remanſiſſe ſolos, qui ex divinorum præceptorum obſervatione Catholici recte appellarentur. Mihi enim multo potius videtur illam probare cum enarratione in Pſal.* 65. Eccleſia (*inquit*) totum tenet, hæretici in parte ſunt. *Illa enim eadem Epiſt.* 48. *non negat forte appellari Catholicam, non a toto orbe terrarum, ſed a toto, quod veraciter tenet*, cujus veritatis (*inquit*) nonnullæ particulæ in diverſis etiam hæreſibus inveniuntur. Anonymus.

Ad num. 19. *Scio Frater &c.* Ita perſtringit S. Pacianus Novatianos veniam negantes lapſis poſt Baptiſmum, ut tamen acerbitatem pœnitentiæ commendet verbis iis graviſſimis, quo veniam ſcelerum conſequantur. Lege, & expende. Miraberis profecto nimiam facilitatem, immo temeritatem eorum, qui lapſis in peccata gravia & multa, non præeunte debita diſpoſitione veræ pœnitentiæ, abſolutionem impendere audent. Cardinalis de Aguirre.

JOSEPHI CATALANI ADDITIO.

Facilitatem Confeſſariorum complurium noſtri ævi in abſolvendis graviſſimorum criminum reis impoſitione leviſſimarum pœnitentiarum, reprehendimus jam noſtro 1. Tomo Conciliorum in Commentario ad Canonem xi. Concilii 1. Nicæni, num. vii. & ſeqq. ubi deſcripſimus, explicuimuſque celebre Decretum de hac re Concilii Tridentini Seſſione xiv. Cap. viii. ubi diſerte mandat, ſatisfactionem pœnitentium debere gravitati criminum reſpondere: *Debent ergo*, inquit, *Sacerdotes Domini, quantum ſpiritus, & prudentia ſuggeſſerit, pro gravitate criminum, & pœnitentium facultate, ſalutares, & convenientes ſatiſfactiones injungere; ne ſi forte peccatis conniveant, & indulgentius cum pœnitentibus agunt, levia quædam opera pro graviſſimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur*. Varias rationes, ob quas hodieque, quantum fieri poteſt, ſervari debeat vetus probata Eccleſiæ diſciplina, citato Capite viii. habentur.

S. PA-

S. PACIANI BARCILONENSIS EPISCOPI
AD SYMPRONIANUM.
DE EJUS LITERIS.
EPISTOLA SECUNDA.

Pacianus Epiſcopus Symproniano Fratri ſalutem.

XX. IN quæſtione prolixa, quantum potero, brevitatem ſequar. Neque tibi, Frater, ſub interrogationis bonæ ſpecie occulta verborum tela jaculanti, atque objicienti, quæ ipſe machinare, aliquam vicem malitiæ repenſabo. *Orare pro perſequentibus jubemur, maledicentibuſque benedicere*. Fraus enim quaſi vulpeculæ, vis (1) autem leonis eſt: utrumque ab homine alieniſſimum, ſed fraus odio digna majore. Nam eum plus (2) nocere credas, quaſi ignarus interrogas; cum docere te putes, ſimulas erudiri. *Rabbi*, Dominum vocabant veteres Phariſæi, cum ænigmata legis opponerent, Magiſtrum appellabant, cum ſibi omne Magiſterium vindicarent. Quidlibet agas, Frater, totum ex me ſimpliciter recognoſces. Malo imperitus, quam malitioſus intelligi; malo fatuus, quam callidus judicari.

Matth. 5.
1 Tò *autem*, abeſt. *Vat.*
2 Noſſe te cr. *Vat.*

XXI. Quare priuſquam rationem Fidei noſtræ (de qua moveris) aſſignem, accipe pauca de Litteris tuis, quas tractatui prætuliſti. Reſectum eſſe te dicis prioribus Epiſtolis meis, & ſtatim addis, me cum amaritudine reſpondiſſe quæ ſcripſerim. Si amara reficiunt, quid dulcia operentur, ignoro; niſi (3) quia, ut in medicinæ poculis, ſolet amarum magis quam dulce medicari. Sed quæſo, Literas meas (4), an aliquo felle reſperſæ ſint, quid ſuperbum, quid inſuave reſponderim. Plures me, ais, hæreſes nominaſſe, de quibus nemo quæſierit. Age, quid tua, ſi hæreticus non eras? Qui cum de Fide noſtra quæſtionem moveres, & doceri velle te diceres; ſcripſi ignorantiæ cauſas eſſe multiplices, quæ vos potiſſimum haberet, ut (5) aperires, ne retexendis pluribus æſtuarem.

3 Tò *Quia*, deeſt. *Vat.*
4 Meas repetas, an. *Vat.*
5 *Ut* deeſt. *Vat.*

XXII. De Catholico nomine multa reſpondi placide. Dixi enim, nihil alterius intereſſe, quid alius vocaretur. At ſi vim nominis poſtulares, quodcumque (6) illud eſſe mirificum, ſeu unum in omnibus, ſeu unum ſuper omnia, ſeu, quod ante non dixi, filius regis, ideſt populus Chriſtianus. Adeo certe non inditum nobis, quod per ſæcula tanta non caderet. Et ſane gratulor, quod licet alios antepoſueris; etiam circa nos aſſentiare de nomine. Quid ſi negares? Natura clamaret. Aut ſi adhuc dubitas, taceamus. Ambo, quod vocabimur, hoc erimus, teſte nominis vetuſtate. Cæterum ſi pertinacius flagitaveris; vide, ne tibi Vir ille virtutis exclamet: *Quid interrogas nomen meum? Et ipſum eſt mirabile*. Tunc addidi ſane, unde Catholici nomen hoc traherent, non eſſe reputandum; quia nec Valentinis ſi a Valentino, nec Phrygibus ſi a Phrygia, nec Novatianis ſi a Novatiano vocarentur, imputari ſolere. Hic tu graviter commoveris, & quaſi aculeo fixus erigeris; nam ſic iratus exclamas: Numquid Cypriano Sancto Viro hoc obeſt, quod populus ejus Apoſtaticum nomen habet, vel Capitolinum, vel * Syndreum? Conviciaris, & ecce non moveor. Horum ne aliquid appellati ſumus? Interroga ſæculum, Frater, totoſque ex ordine annos, an nobis nomen hoc hæſerit, an Cypriani populus aliud quam Catholicus nominatus ſit: Nunquam nomen ullum ex his audivi. Jam vide, ſi vocari aliquis eo nomine potuit, quod ſibi neſcit impoſitum. Quid ergo? Maledicta ſunt iſta, non nomina, & maledicta iraſcentium, maledicta petulantium. Quotvis & ego vos poſſum appellare nominibus, ſi liceat iraſci. Cyprianum *Sanctum* vocas, & populum (7) ejus *Apoſtaticum*? Quomodo? *Si initium Sanctum*, * *& farina*; *& ſi radix ſancta, & rami*. Egone Apoſtaticus, an Novatus? Novatus, inquam, patre prodito, Eccleſia derelicta, partu uxoris effuſo. Egone Apoſtaticus, an Novatianus, quem abſentem Epiſtola Epiſcopum finxit, quem, conſecrante nullo, linteata Sedes accepit. Verum iſta poſterius, interim ipſi vos dicite, quid vocemini.

6 Illud eſſet a eſſe m. *Vat.*
Jud. 13.
* Arbitror, hic legendum συνέδριον. eſt autem cō. viciū a Concilii nomine ductum in invidiam Cypriani.
7 Ipſius. *Vat.*
* *Romanos* 11. εἰ δὲ ἀπαρχὴ ἁγία. καὶ τὸ φύραμα. κὶ ἡ ῥίζα ἁγία, δοι.

XXIII. Negatiſne, Novatianos a Novatiano vocari? Quodlibet (1) nomen imponas, ſemper iſtud hærebit. Scrutare totos, ſi videtur, Annales, & crede tot ſæculis, reſpondebis Chriſtianum. Inquirente me genus ſectæ, Novatianum non inficiaberis. Nec tamen ego Novatiani tui nomen accuſo, quod toties requiſitum circumloquentibus (2) lineis, & operto quodam ſinu claudis. Fatere ſimpliciter, nihil eſt ſceleris in nomine. Quid te toties interrogatus abſcondis? Quid cauſſam nominis erubeſcis? Cum primum ſcripſeras, Cataphrygem putabam. Tunc (3) ſecundis quidem literis confiteris? Meo invides nomini, & tuum vitas? Vide, quid ſit pudoris in cauſſa, quæ refugit quod vocatur.

1 Illis nom. *Vat.*
2 Lineis. *Vat.*
3 Tu ne. *Vat.*

XXIV. Quæ caſtigas, & agis? Quaſi ad Rhetorem venerimus, aut ars ſit tractanda, aut de verſibus Virgilii (4) verſus enarrarem? Cum plures hæreticos nominaſſem, addidi: *Et quos fama recondit obſcura*. Et unde tu hoc de Virgilii verſu tractum putas, ſi Virgilium omnino non noveras? Atqui ego (5) non ex ordine verſum poſui. Dixi enim: *Quos fama recondit obſcura*, ut loquentibus moris eſt, ex copia ſermonis humani dicere aliquid, quod ante dictum ſit. Tu vero verſum ſuo ordine, ſua compage repetiſti. Adeo Virgilium plus amaſti, ut nefas fieri putares, ſi verſum ejus infringeres? Et tamen ego a parvulo didiceram. Quid mirum, ſi in ea incidi, quæ ſciebam? In te, Frater, tantus eſt labor, ut ea nunc demum legas, quæ lecta quondam ab aliis erubeſcebas. Latinis inſtitutum, Latine loquentem tam accuſare debebis, quam Græce Grecum, quam Parthice Parthum, quam Punice Pœnum. Medis, Ægyptiis, Hebræis ſua lingua eſt, ſecundum copiam Domini, qui eam in centum viginti ora modulatus eſt.

4 Diſputandum. Quid ergo dixerã, aut quos Virgilii verſus enarrarem? *Vat.*
5 Atqui nego. *Vat.*

XXV. Poeticum verſum Epiſcopus dixit. Quid? Paullus Apoſtolus erubeſcit, cum Athenienſem illum verſum & (6) dixit, & comprobat? Nam in Actis Apoſtolorum ita ponit: (7) *Quidam etiam ſecundum vos dixerunt:* * Hujus namque genus ſumus; *cum igitur genus ſimus Dei*. Et rurſus ad Titum dixit: *Dixit quidam ex illis, proprius eorum Propheta* *: *Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri*. Et addidit: *Teſtimonium hoc verum eſt*. Sic * peccamus exemplo, nec rhetores ſumus; ſed quamcumque vocem, copiam Dei eredimus. Latium, Ægyptus, Athenæ, Thraces, Arabes, Hiſpani, Deum confitentur, omnes linguas Spiritus Sanctus intelligit.

6 Dicit. *Vat.*
7 Sicut quidam. *Vat.*
* *Paullus ex Arato Solenſi id mutuatus eſt.*
* *Id ex Epimenide.*
* Si. *Vat.*

XXVI. Tu ipſe cur ais: *Literas tuas vivaci cedro perlinam propter carioſos hoſtes Muſarum*. Quarum, oro, Muſarum? An quæ invenerint Literas, & ſcripſerint chartas, quas tineæ perſequentur? Dic, oro, Frater, Muſæ literas repererunt? Nonne per Dominum omnia, & a Deo omnia? Præter illas centum, & viginti linguas, fuit adbuc alia Muſarum? Heſiodus iſtud in Helicone mentitus eſt, ſed Athenienſium ſtudio, *quibus* (8) ut Apoſtolus ait) *nihil vacabat, niſi loqui*. Nos, teſte Apoſtolo, omnium vocum modos, omnium genera linguarum a Deo inſpirata retinemus. Ignoſco tamen, Frater, ſi quid & tu de tuo auctore præſumis, & Novatiani Philoſophiam, per quam ille in naufragium Religionis incurrit, cum Heſiodi auctoritate conjungis. Verumtamen Apoſtoli meminiſſe debueras, qui ait: *Videte, ne quis vos decipiat per Philoſophiam, & inanem ſeductionem*.

8 Ut abeſt. *Vat.*
Act. 17.
Col. 2.

XXVII. Jam quale illud eſt, quod Catholicis imputandum putas: *Si quando vos Reges, aut imperia perſecuta ſunt*. Ergo e contrario, vobis debuit imputari, quoties (9) Regum* & perſecutionem Catholici pertulerunt; atque (10) noſtros pagani Principes perſecuti ſunt. Vos Chriſtianorum odia pertuliſtis? Sed noſtri magis * queſti ſunt. Viderit (11) qui hoc fecit, qua mente, quo ſpiritu, pacemne, an diſcordiam procurarit. *Verum & ſi quidam eorum deliquerunt*, inquit, *numquid Fidem Dei deſtruunt?* Nec tamen tu querelam putes fuiſſe noſtrorum. Sed cum per noſtram Fidem Chriſtiani Principes eſſe cœpiſſent; ipſi Principes Catholicæ, hoc eſt, ſuæ parti faventes, proprio dolore commoti ſunt; niſi forte Danieli imputabitur, quod a Dario vindicatus eſt; aut Heſteri ſanctiſſimæ fœminæ, cum pro ea Dux Regis occiditur; aut tribus Pueris, (12) quod propter eos poſt experimenta flammarum, profanis, & incredulis Rex Babylonius comminatur! Nonne Simonem Petrus judice adſtipulante confundit?

9 Impius, & perſecutiones. *Vat.*
* *Impietatem.*
10 In n. *Vat.*
* *Querit debuerunt.*
11 Quis h. fecerit. *Vat.*
Rom. 3.
Dan. 6.
Heſter. 7.
Dan. 3.
12 Cum. *Vat.*

Num

Google

Num Elymam favente Sergio Paullus excæcat? * Vindicatus eſſet & Hieroſolymis, ſi quid Fidei ligatus habuiſſet. Neſcis, ſervire ipſas innocentibus poteſtates, & in bonum Sanctis (1) Patribus miniſtrare? Sicut Apoſtolus dicit: *Principes non ſunt timori bono operi, ſed malo. Vis tamen non timere poteſtatem? Bonum fac, & habebis laudem ex ea per Dominum; miniſter enim eſt tibi in bonum.*

* *Locus hic obſcurior.*
1 Partibus. *Vat.*
Rom. 13.

XXVIII. Et tamen ego de nullo queſtus ſum, de nemine vindicatus. Nec * impedire mihi Novatianos puto, quorum parvitate, ſi vellem, atque defectu poteram gloriari. Ecce plebem tuam Imperatori nullus accuſat, & ſolus es. *Oportet nos tamen omnes ſtare ante tribunal Dei.* Quod unum ſcio, quererentur Novatiani, ſi cauſſa eorum eſſet (2) ullis grata Principibus.

* *Pro impedimento eſſe.*
2 Illis. *Vat.*

XXIX. *Utilius eſſet*, (3) ais, *vincere, quam placere.* At qui vincendi ardore ducuntur, contentione (4) proficiunt. Apoſtolus vero ait: *Si quis autem videtur contentioſus eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus, nec Eccleſia Dei.* Contra de ſtudio placendi: *Omnibus*, inquit, *per omnia placeo, non quærens quod mihi utile ſit, ſed quod multis, ut ſalventur.* Vos autem dum veſtra, non Fratrum commoda cogitatis; vincendo mavultis elidere, quam placendo recreare. Malum bono viciſſe, rationis eſt: cæterum in quacumque cauſſa velle ſuperare, præſumptionis inſanæ eſt. Non de Apoſtolico jure, ſed Græco: apud quos ſcriptum putatur, omnem morem Lacedæmoniorum inflammatum eſſe cupiditate vincendi. Sus quoque ille lutulentus, & inſana tygris, quid aliud velint, niſi vincere, quam placere?

3 Eſſe. *Vat.*
4 Proficiant.
1. *Cor.* 11.
1. *Cor.* 10.

XXX. Vacare tibi ſcribis, & ideo te contentioſa delectant. Mihi vero Catholicis negotiis occupato, poſt triginta ferme dies Literæ tuæ traditæ ſunt, poſt alios quadraginta repetitæ.

XXXI. Iraſci me, ais. Abſit. Stimulari ut apem credo, quæ interdum aculeo mella defendit. Verum recole utrimque literas, jam videbis, ſpiculiſne, an floribus paginam conſeramus. De ſimilibus quidem Apoſtolus, quos oportet * indentari. Sed attende. Nos tecum quaſi columbæ, ore potius, quam dente confligimus.

* Nove, *pro*, In quod oportet dẽtem infringi.

XXXII. Utinam (5) verum eſſet, quod doceri velle te dicis; jam ipſa tibi manibus meis Sancti Spiritus unguenta ſuggererem. Amas me? Non læſi. Scio. Sed tunc demum amares, ſi non diverſa ſentires, atque operi meo blandus accederes.

5 Ut namque. *Vat.*

XXXIII. Cypriani Epiſtolas mihi placere miraris? Quidni Beati Martyris, & Catholici Sacerdotis? Novatianum mihi ingeris? Philoſophum ſæculi fuiſſe audio, nec (6) ſatis miror ab Eccleſia Dei vivi degeneraſſe. Cognoſco, radicem Legis antiquæ, fontem veteris populi reliquiſſe, Cornelio invidentem, Novati inſaniæ commodatum, ſine conſecratione legitima Epiſcopum factum; ideoque neque factum per Epiſtolam eorum, qui ſe Confeſſores eſſe ſimularent, qui matris unius membra divellerent. Hæc ego tibi, Frater, confeſſione veſtrorum, literis approbabo. Ita tuus iſte Philoſophus, *ſapientiam ſuam quærens ſtatuere* (ſicut Apoſtolus ait) ſapientiæ Dei non eſt ſubjectus, quoniam per ſapientiam ſuam mundus non recognoſcit ſapientiam Dei. Nam quod ante paſſum Novatianum putas, & Cyprianum dixiſſe ſubjungis: *Præceſſit me adverſarius meus*; vide, quam maniſeſte reſpondeam. Novatianus Martyrium nunquam tulit, nec ex verbis Beatiſſimi Cypriani auditum iſtud, aut lectum eſt. Habes ejus Epiſtolas, quibus Cornelium Urbis Epiſcopum, cui tunc Novatianus inviderat, inimicis Principibus reſiſtentem, ſæpe confeſſum, ſæpe vexatum refert, plurimis Confeſſoribus, plurimis quoque Martyribus Ducem factum, & cum plurimis glorioſiſſime coronatum, vivente tunc Novatiano, etiamque ſecuro. Nam & ideo ab Eccleſia Chriſti receſſerat, ne illum labor Confeſſionis urgeret. Qui primum ſtimulatus invidia, Epiſcopatum Cornelii non ferebat; inde ſe Novato, paucorum Epiſtolis deriſus, addixerat. Hæc te omnia de Novatiano Cypriani Literæ perdocebunt.

6 Non. *Vat.*

XXXIV. Porro etiamſi paſſus eſt aliquid Novatianus; non tamen (7) etiam occiſus. Etiamſi occiſus, non tamen coronatus. Quidni? Extra Eccleſiæ pacem, extra concordiam, extra eam matrem, cujus portio debet eſſe qui Martyr eſt. Audi Apoſtolum: *Et ſi habuero* (8) *omnem Fidem, ita ut mon-*

7 Et oc. *Vat.*
8 Habeam. *Vat.*
1. *Cor.* 13.

tes transferam, charitatem non habeam, nihil ſum. Et ſi in cibos pauperum diviſero omnem ſubſtantiam meam, & ſi tradidero corpus meum ad comburendum, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt. Cyprianus autem in concordia omnium, in pace communi, in Confeſſorum grege paſtus eſt, & ſæpe confeſſus iteratis perſecutionibus, & multa laceratione vexatus, & noviſſime ſalutari calice propinatus eſt. Hoc fuit coronari? Quare ſibi habeat Novatianus Epiſtolas ſuas, ſibi tumorem, ſibi ſuperbiam, qua dum in altum elevatur, eliſus eſt; dum nemini parcit, effuſus.

XXXV. En qui ſalutis viam fratribus inexorabili religione præcludat! En qui ſe * palam ferre, & aream Domini purgare confidat! Miſerere tui, (1) Symproniane Frater, ne te Novatianus ſub hac fronte decipiat; ut ideo juſtior putetur, quia reliquos ſui comparatione deſpexit. Sæpe fiduciam mentitur audacia, & deſperatis quibuſque peccatoribus, falſa bona conſcientiæ imago blanditur. Contra vero omnis humilitas innocentia eſt, etiam illa debitrix, etiam illa peccatrix, etiam illa, quæ animam ſuam cum peccatore blanditur. *Dele me*, inquit Moyſes, *de Libro tuo, quem ſcripſiſti; ne (2) peccatores perirent. Optaveram*, inquit Apoſtolus, *anathema eſſe ipſe ego in Chriſto pro fratribus meis cognatis ſecundum carnem.* Utique ambo pro peccatoribus deprecantur; & propter hoc Deum nec Moyſes, nec Paullus offendit. Novatianus his melior? Emendator Prophetarum? Doctor Apoſtolorum? Jam cum Chriſto videtur ut idem Moyſes? Jam ut Paullus in tertium Cælum ſublimis evehitur? Jam, neglectis omnibus, ſolus auditur? Hæc ad Literas tuas reſpondiſſe ſuffecerit.

* *Alias*, paleam auferre. 1 *Tui*, deeſt. *Vat.*

Exod. 32. 2 Ne. *Vat.* *Rom.* 9. 2. *Cor.* 12.

XXXVI. Sed quia de pœnitentia non agenda, vel ante Baptiſmum agenda, latius diſputaſti, multiſque Capitulis exemplorum tractatus ipſius paginam referſiſti; reſpondebo ad ſingula ex abundanti: quæ Fides verior habeat, non tacebo. Tu, ut auditui noſtro largiter imperare dignatus es, benignam rurſus vicem præbeto tractatui. Præſtabit fortaſſe Dominus, ut qui nos tibi patienter obtulimus, fructum aliquem de tua etiam patientia reportemus. Dominus te in æternum cuſtodire, & protegere dignetur, & Chriſtianum, atque Catholicum vivere faciat, & concordare nobiſcum. Amen.

S. PACIANI BARCILONENSIS EPISCOPI

AD EUNDEM,

CONTRA TRACTATUS NOVATIANORUM.

EPISTOLA TERTIA.

Pacianus Epiſcopus Semproniano Fratri ſalutem.

XXXVII. Tractatus omnis Novatianorum, quem ad me confertis undique propoſitionibus deſtinaſti, Symproniane Frater, hoc continet. Quod poſt Baptiſmum pœnitere non liceat; quod mortale peccatum Eccleſia donare non poſſit; immo quod ipſa pereat recipiendo peccantes. Præclarus honos, ſingularis auctoritas, magna conſtantia; rejicere nocentes, attactus peccantium fugere, innocentiæ ſuæ male confidere!

XXXVIII. Quis hoc indicat, Frater? Moyſes, an Paullus, an Chriſtus? At Moyſes deleri e libro pro blaſphematoribus optat; & Paullus *anathema eſſe pro fratribus*; & ipſe Dominus pro injuſtis pati mavult. Nullus horum, inquies. Quis ergo? Novatianus hoc præcepit. Immaculatus aliquis, & purus, qui Novatum non audierit, qui nunquam Eccleſiam deſeruerit, qui ab Epiſcopis Epiſcopus factus ſit, qui jure ordinario conſecratus, qui vacantem Cathedram in Eccleſia conſequutus? Quid ad te, inquies? Novatianus hoc docuit. At vel quando, Frater, quibuſve temporibus? Statim poſt Domini Paſſionem? Poſt Decii Principatum, ideſt, poſt trecentos prope annos Dominicæ Paſſionis. Quid ergo tunc? Prophetas ſequutus eſt ut Cataphryges, an * Philomenem aliquam, ut Apelles, an ipſe tantum auctoritatis accepit? Linguis loquutus eſt? Prophetavit? Suſcitare mortuos potuit? Horum enim aliquid habere debuerat, ut Evangelium novi

Exod. 32. *Rom.* 9.

* *Lege* Philomenon.

novi juris induceret. Etſi contra clamet Apoſtolus: *Licet nos, aut Ange-*
lus de Cælo(1)*evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis,* 1Evangelizaverit præterquam. *Vat.*
anathema ſit.

XXXIX. Novatianus ſic intellexit, inquies. Sed Chriſtus hoc docuit.
Ergo a Chriſti * uſque(2)Decii Principatum nullus intelligens? Poſt Decium * *Subaudi*, Advento.
denique omnis(3)Epiſcopus impatiens; omnes alii diſſoluti, qui ſe miſcere 2 Uſque ad. *Vat.*
perditis mallent, qui perire cum miſeris, qui alieno vulnere(4)vulnerari
Novatiano vindice, juſtitia liberatus; [5]auctore corrigitur quicquid er- 3 Epiſcopatus. *Vat.*
ravit. 4 Vulnerati, abſque interrogatione. *Vat.*

XL. Age, inquies, certemus exemplis, & ratione pugnemus. At ego
huc uſque ſecurus; ipſa Eccleſiæ ſerie, congregationis antiquæ pace con-
tentus, nullus diſcordiæ ſtudia didici, nulla certaminum argumenta quæ- 5 Novatiano auct. *Vat.*
ſivi. Tu poſtquam a reliquo corpore ſegregatus es, & a matre diviſus, ut
rationem facti tui redderes, totos Librorum receſſus aſſiduus ſcrutator in-
quiris, occulta quæque ſolicitas, quicquid exinde ſecurum eſt, inquietas.
Noſtri nihil ultro diſputavere majores, nuda eſt apud nos ipſa ſecuritas;
[6]quid attuleris de tua parte, [7]munitum. Ergo neſcio, quid Novatianus 6 Quicquid *Vat.*
egerit, quid Novatus admiſerit, quid Evariſtus tumuerit, quid Nicoſtratus 7Munitū eſt. *Vat.*
nunciarit: arma veſtra dum deſpicio, non novi; vide ſi cum inermi veri- 1. *Tim.* 3.
tate confligis. Exſpectemus tamen, quid objicias, quid loquaris. Poteritne * Renatum. *Vat.*
vel nuda veritas, innocentiave imperita ſubſiſtere?

XLI. Proponis, & recte quidem, Eccleſiam eſſe populum ex aqua, &
Spiritu Sancto * renovatum ſine negatione nominis Chriſti, templum, & do-
mum Dei, columnam, & ſtabilimentum veritatis, Virginem Sanctam ca-
ſtiſſimis ſenſibus, Sponſam Chriſti ex oſſibus ejus, & carne, *non habentem* *Eph.* 5.
maculam, neque rugam, integra Evangeliorum jura ſervantem. Quis hoc *Pſ.* 44. *Pſ.* 127.
noſtrum negat? Quin etiam addimus, Eccleſiam eſſe *Reginam in veſte au-* *Cant.* 6.
rata, & variegiata, fecundam vitem in lateribus domus Domini; matrem
adoleſcentularum, quarum non eſt numerus. Unam ſpecioſam columbam
[8]matris ſuæ, atque perfectam, ipſam omnium matrem, ædificatam in fun- 8Col. electam matr. *Vat.*
damentis Prophetarum, & Apoſtolorum, *& ipſo angulari lapide JESU* *Eph.* 2.
CHRISTO; domum magnam, vaſorum omnium diverſitate[9]locupletatam. 9 Locup. eſt. *Vat.*
Sed hæc noſtra poſterius, interim tua illa videamus.

XLII. *Eccleſia eſt populus ex aqua, & Spiritu Sancto renatus.* Age,
quis mihi fontem Dei[10]clauſit? Quis Spiritum rapuit? Quinimmo apud nos 10Clauſit. *Vat.*
aqua viva eſt ipſa, quæ ſalit a Chriſto; tu a fonte perpetuo ſeparatus, unde
generaris? Spiritus quoque Sanctus a principali matre non abiit; ad te un-
de pervenit? niſi forte diſcordantem ſecutus eſt, [11]tot Sacerdotibus dere- 11Et tot. *Vat.*
lictis, non conſecrata Sede contentus, detritum lacum adulterini fontis ad-
amavit. Veſtræ plebi unde ſpiritum quam non conſignat unctus Sacerdos?
Unde aquam, quæ a matrice diſceſſit? Unde innovationem, quæ cunabula
pronubæ pacis amiſit?

XLIII. *Eccleſia eſt populus ſine negatione nominis Chriſti.* Nulline apud
nos Confeſſores, Martyres nulli, nulli immaculati, atque integri Sacer- 12Carceres, quos cat. *Vat.*
dotes, quos(12)catenæ, quos ignes, quos gladii probaverunt? Fuere, in- 13 Calligo. *Vat.*
quies, ſed negatores recipiendo perierunt. Taceo, ne hæc quidem(13)col-
legio, quod Libellum de negatoribus, vel lapſis recipiendis, Novatianus
veſter, cum adhuc in Eccleſia degeret, & ſcripſit, & ſuaſit, & legit. In-
terim cui perſuadere poteris, quod lapſis receptis Eccleſia tota conciderit?
Quod admiſſis pœnitentibus, admittentium populus negator effectus ſit?
Quod ſi & remiſſior plebs aliqua fuit, etiam cæteræ(14), quæ non factum ejus 14Cæt. plebes *Vat.*
probarint, ſed conſuetudinem, & pacem ſequutæ ſint, Chriſtianumne(15)no- 15Chriſtianū nom. amiſerunt. *Vat.*
men amiſerunt? Accipe Jeremiæ vocem: *In diebus illis non dicent: Patres*
manducaverunt uvam acerbam, & dentes filiorum(16)*obſtupuerunt: ſed unuſ-* *Jer.* 31.
quiſque in ſuo peccato morietur. Nec apud Ezechielem tacet Dominus: 16Stupuerūt. *Vat.*
Quomodo anima patris, ita & anima filii, meæ ſunt. Unuſquiſque in ſuo *Ezech.* 18.
peccato morietur. Item infra: *Filius non accipiet facinus patris, neque* *Ibid.* 14.
pater accipiet facinus filii: juſtitia juſti ſuper eum erit. Ipſe tu illud ponis
exemplum: *Etſi fuerint*(17)*tres hi in medio, Noe, Job, & Daniel, non* 17Fuerit tres hi in medio eorum. *Vat.*
liberabunt filios, neque filias, ipſi ſoli ſalvi erunt. Ecce ſalvi ſunt ipſi,
qui in medio peccantium conſtituti ſunt, qui alios liberare non poſſunt. Tu
totum Orbem paucorum vinculis alligas, tu totam Eccleſiam exiguæ por-
tio-

Digitized by Google

tionis infirmitate condemnas. Quid? Apud te Sancti omnes, quos No vatus erudiit, quos Evariſtus elegit, quos Nicoſtratus docuit, quos Novat ianus inſtituit? Tu ſpinas, & tribulos reſugiſti? Tu non habes in tua fruge zizania? Tibi jam grana purgata ſunt? Ad te ſine ventilabro purgator ille venturus eſt? Tu ſolus ex omnibus paleas non habebis? Age, dic reliqua.

1. *Cor.* 12.
2. *Tit.* 2.
1 Par. omner. *Vat.*
2 A reliquo. *Vat.*

XLIV. *Eccleſia eſt Corpus Chriſti*. Corpus utique, non membrum: corpus multis in unum partibus, membriſque collectum, ſicut ait Apoſtolus: *Nam & corpus non eſt unum membrum, ſed multa*. Ergo Eccleſia plenum eſt corpus, & ſolidum, & toto jam Orbe diffuſum. Sicut Civitas, inquam, cujus partes (1) in unum: non, ut vos eſtis, Novatiani, quædam inſolens portiuncula, tuberque collectum, & (2) reliquo corpore ſeparatum.

Rom. 5.
3 Honore *Vat.*

XLV. *Eccleſia eſt Templum Dei*. Templum certe amplificum, domus magna, habens quidem *vaſa aurea, & argentea*, ſed & lignea, & fictilia, *quædam in* (3) *honorem*, multa vero magnifica in multiplices uſus variorum operum deſtinata.

Geneſ. 2.
Pſal. 127.
4 Secuti. *Vat.*

XLVI. *Eccleſia eſt Virgo Sancta, caſtiſſimis ſenſibus Sponſa Chriſti*. *Virgo*, verum eſt; ſed & Mater. *Sponſa*, manifeſtum eſt; ſed & uxor, & conjux de viro ſuo ſumpta. Ideoque *os de oſſibus, & caro de carne*. Nam de hac David dicit: *Uxor tua ſicut vitis fœcunda in lateribus domus tuæ, filii tui ſicut novellæ olivarum in circuitu menſæ tuæ*. Multus igitur huic Virgini partus, & proles innumera, qua totus Orbis impletur, qua circumfluis ſemper alvearibus populoſum fervet examen. Magna in filios cura matris iſtius, & mollis affectus: honorantur boni, caſtigantur ſuperbi, curantur ægroti: nullus perit, nemo deſpicitur, (4) ſecuti fœtus ſub indulgentia matris retinentur.

1. *Cor.* 3.
2. *Tim.* 2.
Epheſ. 5.
5 Admoneret. *Vat.*
6 Qui &. *Vat.*

XLVII. *Eccleſia eſt non habens maculam, neque rugam*. Hoc eſt, hæreſes non habens, non Valentinos, non Cataphrygas, non Novatianos. In his ſunt enim quidam ſinus maculoſi, atque rugoſi, pretioſiarum veſtium ornatibus invidentes. Cæterum peccator, & pœnitens non eſt Eccleſiæ macula: quia quamdiu peccat, & non pœnitet extra Eccleſiam conſtitutus eſt; ubi deſinit peccare, jam ſanus eſt. Hæreticus vero veſtem Domini, Eccleſiam Chriſti ſcindit, intercipit, vitiat, irrugat. *Cum enim ſchiſmata*; inquit, *& contentiones in vobis ſint, nonne carnales eſtis, & ſecundum hominem ambulatis?* Sed &, *ſermo eorum quaſi cancer ſerpit*. Hæc eſt macula unitatis, hæc ruga. Denique ubi ſuper his Apoſtolus loquitur, de amore Chriſti, & dilectione proponit: *Sicut Chriſtus*, inquit, *dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea*, ut hæreticos (5) ſummoveret, quia diligere non noverunt. Cæterum, cur hæc miſero pœnitenti? (6) quia & amare optat, & amari.

7 Eſt, int. Ev. jura cuſtodiens. *Vat.*
1. *Cor.* 11.
Epheſ. 4.

XLVIII. *Eccleſia* (7) *eſt integra Evangeliorum curam cuſtodiens*. Integra utique, quia tota, quia plena. Ubi præmium Fidelibus datur, ubi miſeris lacrymæ non negantur, ubi rogantium fletus auditur, ubi alligantur vulnerati, ubi curantur ægroti, ubi nihil ſibi vindicat inſolens ſanitas, & ſuperba juſtitia, ubi ſolicita in omnibus charitas perſeverat, omnia credens, omnia ſperans, omnia ſuſtinens. Unde illud Apoſtoli: *Quis infirmus eſt, & non ego infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non uror?* Ubi onera ſua ſuſtinet tota fraternitas communiter dolens, mutua pietatate ſecura, cuncti invicem ſuſtinentes in dilectione, ſatis agentes ſervare unitatem Spiritus in conjunctione pacis. Hnc erit Eccleſia, Symproniane Frater, hoc erit populus ex aqua, & Spiritu Sancto renatus in Chriſto.

Matth. 10.
8 Ap. Sacerdor, longe antequã Cornelius Romæ Epiſcopus ne ret. *Vat.*
9 Mundum. *Vat.*
10 Perlatæ ſũt. *Vat.*

XLIV. Neſcio, ais, an remitti peccatum ab Epiſcopis poſſit, cum dixerit Dominus: *Qui me negaverit coram hominibus, negabo eum coram patre meo, qui in Cælis eſt*. Cur igitur Novatianus tuus, ne falſo quidem adhuc Epiſcopatu (8) fieret, antequam Sacerdotio illius invideret, hæc ſuaſit? Habes Cypriani teſtimonium. Cypriani, quem nec vos unquam inſamare potuiſtis. Nam quodam in loco ad Antonianum hoc modo ſcripſit: *Additum eſt etiam Novatiano tunc ſcribente; & quod ſcripſerat, ſua voce recitante; & Moyſe, tunc Confeſſore, nunc jam Martyre, ſubſcribente; ut lapſis infirmis, & in exitu conſtitutis pax daretur, quæ literæ per totum* (9) *miſſæ ſunt, & in notitiam Eccleſiis omnibus* (10) *prælatæ ſunt*. Quid ais, Symproniane Frater? Novatianus hæc ſcripſit; & ut obſequium meræ voluntatis

ad-

adjungeret, etiam ſcripta recitavit. Teſtis eſt ejus dextera, teſtis quæ ſcripſit manus, teſtis lingua, quæ legit. Adhuc Cornelius, pro quo omnis hæc veſtra erupit invidia, Epiſcopus non erat. Longe poſterius cum pluri-mis Coepiſcopis, cum plurimis Confeſſoribus, ſtatimque Martyribus, ut idem Cyprianus ſcribit, aſſenſus eſt ſenum (1) conſilio, licere dare pacem. Si pœnitentiæ negandus eſt aditus, Novatianus in crimine eſt, qui hæc ſcripſit, ſuaſit, & legit. Ubi tunc impatiens rigor? Ubi ferox illa cenſura? Si nemo vobis Cornelium prætuliſſet, maneret illa (2) ſcribentis auctoritas.

L. Nunc diſplicet tota ſententia, nunc in nos tela jaciuntur, his ipſis ſubminiſtrantibus, quorum auctoritate convaluit cauſſa telorum. At in hanc ipſam hæreſim Novatiani quando (3) cœperunt? Audite quæſo, & totum ordinem veſtri erroris advertite. Cornelius jam Romæ Epiſcopus a ſexdecim Epiſcopis factus, locum Cathedræ vacantis acceperat, & in illa, qua fuit præditus, caſtimonia virginali, crebras perſecutiones irati Principis ſuſtinebat. Tum forte quidam Presbyter Novatus (4) ex Africa, fraudatis in Carthaginenſi Eccleſia viduis, (5) ſpoliatis pupillis, pecunia Eccleſiæ denegata, projecto extra domum patre, & eodem ſame mortuo, nec ſepulto, uxoris gravidæ utero calce percuſſo, partuque ejus effuſo, Romam venit. Et cum apud Carthaginem, urgentibus in Eccleſia fratribus, dies cognitionis ipſius immineret, hic latitavit.

LI. Nec multo poſt Novatianum iſtum Epiſcopatu Cornelii anxium (nam ſibi ſperaverat) cum aliquantis, ut in tali re ſolet, ex ſua parte fautoribus nutantem impellit, dubitantem fovet; ut magnum aliquid ſperet, hortatur. Invenit aliquos ex eorum numero, qui tempeſtatem perſecutionis illius evaſerunt, apud quos hanc ipſam de lapſis receptis Cornelio conflaret invidiam, dat eorum Epiſtolas ad Novatianum. Ille ex auctoritate Epiſtolarum, ſedente jam Romæ Epiſcopo adverſum fas Sacerdotii ſingularis, alterius Epiſcopi ſibi nomen aſſumit. Cornelium lapſis communicaſſe arguit, ſe (6) vendicat innocentem. Contra hunc mihi reddenda ratio eſt, contra hunc aſſerendus pudor, contra hunc vita (7) purganda.

LII. Sed & vos, inquies, Epiſcopi, talia cur probatis? Dicat hoc alius, tu (8) Novatianum defende. Inexcuſabilis videatur hæc cæteris cauſſa, tibi (9) licet grata ſit. Tibi innocens ſit quiſquis eſt pro te nocens. Ne accuſaveris alium eo crimine, quo tu non potes liberari. (10) Age, jam totum pudorem nos Epiſcopi debeamus, quia & Apoſtolorum nomen accepimus, quia Chriſti appellatione ſignamur. Negantem, inquis, Dominus negat, tu negantem nolo fatearis. Quis eum negantem confitetur? Qui ad pœnitentiam cogit, objurgat, crimen oſtendit, vulnera aperit, ſupplicia æterna commemorat, interitu carnis emendat? Hoc caſtigare eſt, non fateri. Ait nobis Dominus: *Vos eſtis ſal terræ*. Recte ergo pſallimus iſta dicendo, nec ad nihilum valebit quiſquis audierit. Vides non (11) proculcari a nobis ſententiam Domini, ſed probari; non abjici ſeveritatem, ſed voluntatem ejus aperiri.

LIII. Sed pœnitenti, inquies, peccata dimittis, cum tantum in Baptiſmate tibi liceat relaxare peccatum. Non mihi plane, ſed Deo ſoli, qui & in Baptiſmate donat admiſſum, & pœnitentium lacrymas non repellit. Cæterum quod ego facio, id non meo jure, ſed Domini: *Dei ſumus adjutores*, inquit, *Dei ædificatio eſt*. Et iterum: *Ego plantavi, Apollo* (12) *rigavit, ſed Deus incrementum dedit. Ergo neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat, Deus*. Quare ſive baptizamus, ſive ad pœnitentiam cogimus, ſeu veniam pœnitentibus relaxamus, Chriſto id auctore tractamus. Tibi videndum eſt, an Chriſtus hoc poſſit, an Chriſtus hoc fecerit.

LIV. Si pœnitentibus remiſſio peccatorum dari potuit, ais, Baptiſma non fuit neceſſarium. Inſulſiſſima comparatio! Baptiſmus enim Sacramentum eſt Dominicæ Paſſionis. Pœnitentium venia, meritum confitentis. Illud omnes adipiſci poſſunt, quia (13) gratia Dei donum eſt; ideſt gratuita donatio: labor vero iſte paucorum eſt, qui poſt caſum reſurgunt, qui poſt vulnera convaleſcunt, qui lacrymoſis vocibus adjuvantur, qui carnis interitu reviviſcunt.

LV. Fruſtra me poſuiſſe aſſeris illud exemplum, quod Deus dixerit: *Malo pœnitentiam peccatoris, quam mortem*. Quid ſi adjeciſſem illud Iſaiæ:

Cum

1 Sen. quam licet lapſis d. pac. Vat.

2 Illa Novatiani ſcrib. Vat.

3 *Locus videtur a Novatianis corruptus: aut forte loquatur de peccatoribus in hæreſim lapſis, ut annotavit Bellarminus Libro* 3. De Eccleſia, *Cap.* 9. *ad ſeptimum argumentum*.

4 *Subaudiendū reor* prolabi.

5 Spoliatiſque Vat.

* *Novatus quis fuerit, vide apud D. Cyprian. Ep.* 49. *ad Cornelium de Novati ſceleribus*.

6 Vindicat. Vat.

7 Purganda! Vat.

8 Novatiane. Vat.

9 Tò *Licet*, abeſt. Vat.

10 Age jam. Vat.

Matth. 5.

11 Inculcari. Vat.

1. *Cor.* 3.

1. *Cor.* 3.

12 Irrigavit. Vat.

13 Gratiæ. Vat.

Eze. 18.

Cum converſus ingemueris, tunc ſalvaberis, & ſcies ubi fueris. Quid ſi
Apocal. 2. id Apocalypſis: *Memento, unde cecideris, & age pœnitentiam, & fac prio-*
Rom. 3. *ra opera*. Hæc, inquies, Gentibus dicta ſunt ante Baptiſmum. Audi Apo-
ſtolum: *Scimus autem, quoniam quæcumque lex dicit iis, qui in lege ſunt,*
dicit, & loquitur. Ergo eos, qui ſine lege vixerunt, pœnitendi conditio
non tenebit. Qui etſi pœnituiſſent, libera id fide ſecerant, non impoſito
per legem vinculo pœnitendi.

LVI. Ergo & vel Judæi, inquies, qui ante Baptiſmum pœnituerunt,
poſt Baptiſmum pœnitere non poſſunt. Quis hoc te docuit, Frater Sympro-
niane? Quis ſuaſit, ut qui ante pœnituerit, poſtea pœnitere non debeat?
Sed poſterius hoc videbimus. Interim, ſi Judæis poſt Baptiſmum præcluſa
eſt pœnitentia, quia illam ante perſolverint, concede, vel Gentes, qua
pœnitentiæ legem ante neſcierint, poſterius pœnitere debere. Sed & de
Judæis nolo fallaris. Illi enim propterea prius pœnituerunt, quia vetus Ba-
ptiſma corruperant, & quaſi poſt Fidem Fide prodita pœnitebant. Audi
1. Cor. 10. Apoſtolum: *Nolo enim ignorare vos, Fratres, quia patres noſtri omnes*
1 Ediderunt. Vat. *ſub nube fuerunt, & omnes per mare tranſierunt, & omnes in Moyſe ba-*
ptizati ſunt in nube, & in mari, & omnes eundem cibum ſpiritualem (1)
ederunt, & omnes eundem potum ſpiritualem biberunt. Bibebant autem
de ſpirituali petra ſequenti; petra autem erat Chriſtus. Hoc ergo Baptiſma
violaverunt, & ideo pœnitebant. Videamus deinde quid dicas: *Si Deus*
ſæpius jubet hominem pœnitere, inquis, *ſæpius peccare permittit*. Quid
ais? Ergo qui ſæpius remedium criminis monſtrat, crimen oſtendit. Et me-
2 Nec ſemel p. v. h. Vat. dicus ille cum curat, aſſidue vulnerari docet. Deus nec (2) peccare vult ho-
minem ſemel, & tamen liberat a peccato. Nec utique quum liberat, pec-
catum docet, ſicut nec qui ab incendio liberat, incendium monſtrat, nec
qui naufragum eripit ſcopulis, in ſaxa compellit. Aliud eſt de periculo li-
berari, aliud ad periculum cogi. Et fortaſſe pateret hoc credi, ſi pœniten-
tia deliciæ putarentur; cui labor tantus imponitur, cui carnis interitus im-
peratur, cui juges lacrymæ, cui gemitus ſempiterni. Volet ergo ille ſana-
tus iterum ſe ſecari, rurſus exuri? Volet peccare iterum, & iterum pœni-
Joan. 5. tere? Cum ſcriptum ſit: *Noli adjicere peccatum, ne quid tibi deterius con-*
* Mihi videtur citare illa verba. *tingat*. Et adhuc: * *Aſſidue peccanti non miſereor*.

Eccl. 12. Non ei bene, qui aſſiduus eſt in peccatis. LVII. Quod ſi, ut ais, ad peccatum cogitur, cui pœnitentiæ medici-
na monſtratur; quid tandem ille facturus eſt, cui pœnitentia ipſa præcludi-
tur? cui, deſperato remedio, totum vulnus aperitur? cui prorſus ex inte-
gro vitæ aditus denegatur?.

Rom. 6. LVIII. In Baptiſmo, inquies, ſemel morimur, ſicut ait Apoſtolus: *An*
neſcitis, quoniam quicumque baptizati eſtis in Chriſto Jeſu, in morte ejus
baptizati eſtis? Conſepulti ergo eſtis ei per Baptiſmum in mortem; ut ſicut
Chriſtus reſurrexit ex mortuis, ſic & vos in novitate vitæ ambuletis. Quid
mirum! Docebat Apoſtolus, quod eſſemus novi, ut nemo peccaret; ſeque-
batur tamen, ut qui peccaverat, pœniteret. Hic integer, ille curatus vi-
veret. Innocens coronam, pœnitens veniam ſubiret. Ille præmium, iſte
Rom. 5. medicinam acciperet. Denique idem Apoſtolus dicit: *Nam ſi cum adhuc*
peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt, multo magis juſtificati
nunc in Sanguine ejus, ſalvi erimus per eum ab ira. Ab ira utique, quæ
peccantibus debebatur. Quod ſi Gentilem populum non paſſus eſt mori; mul-
to magis redemptum non patietur extingui. Nec abjiciet quos magno rede-
3 Tò Pretio deeſt. Vat. mit (3) pretio: nec (4) enim levis illi eſt jactura famulorum. Non morietur
4 Tò Enim abeſt. Vat. quidem amplius qui reſurgit, ut ſcriptum eſt. Sed ipſe eſt Advocatus apud
Patrem, ſed ipſe interpellat pro peccatis noſtris, haud deſpicabilis miſe-
rorum patronus, parumve idoneus deprecator. Reſponde, Frater, an fa-
mulos Dei diabolus poſſit opprimere, an non poſſit Chriſtus abſolvere?

LIX. Petri pœnitentiam dicis ante Domini Paſſionem fuiſſe. Hoc tibi
nemo propoſuit. Et tamen Petrus jam baptizatus erat. Huic enim dixerat
Joan. 13. Dominus: *Qui lotus eſt ſemel, non neceſſe habet iterum lavari*. Accepit
tamen poſtea remedium Chriſti, ſed ante pœnituit, & ante Sanctus eſt ha-
5 Ad hoc rē. Vat. bitus, quam ad (5) remedium perveniret. Nec pœnitentia ejus in memoriam
6 Ni. Vat. ſcriberetur, (6) niſi profuiſſet aliquid pœnitenti. *Flevit*, inquit, *amariſſi-*
Matth. 26. *me*. Non vis facere Fidelem quod Petrus fecit? Non vis prodeſſe nobis quod
Petro profuit? Age: Thomas meus nonne poſt Domini reſurrectionem de
re-

reſurrectione dubitavit? Nonne perfidiæ reus notatur a Domino, quum illi clavorum notæ, quum (1) præfoſſæ manus, quum lateris vulnus oſtenditur, quum ſic ad eum ait Dominus: *Noli eſſe incredulus, ſed fidelis*. Quid ergo? Erubuit pœnitere? Nonne humiliatus eſt? Nonne Deum, & Dominum ſuum illico confitetur? (2) Numquid non illum exomologeſis iſta commendat?

1 Perfoſſæ Vat.
Joan. 20.
2 *Numquid*. Deeſt. Vat.

LX. Jam quam argute caput illud abſolvis, quod ego potui; datam Epiſcopis poteſtatem, ut quæ ligaſſent in terra, ligata eſſent & in Cælis (3)! Dicis, hoc non ad Fideles, ſed ad Catechumenos pertinere; ut baptizandis adhuc ſcilicet populis, ſolvi licere crimina, vel teneri. Duorum denique Evangeliſtarum Capitula conjungis, ut unum eſſe videantur; & adjicis, quod Matthæus minus integre (4) proſecutus ſit, compleſſe Joannem; ut quia apud Matthæum dixerat Dominus: *Ite, & docete omnes gentes, baptizantes eas in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; apud Joannem impleverit, dicens: *Si cujus dimiſeritis peccata, (5) dimittuntur illi: cujus (6) retinueretis, & tenebuntur*. Ut hoc dimittere, vel ligare, ad gentes, quæ baptizandæ erant, pertinuiſſe videatur: quia prior Evangeliſta de gentibus præloquutus ſit; de ſolvendo autem, & ligando poſterior impleverit. Quid ais? Evangeliſtæ duo dimidiatos invicem ſenſus, & ſemiintegros retulerunt? Verba his invicem ratione defuerat; aut non in omnibus totum Spiritus Sanctus implebat, propoſitos perferens ſenſus, & ad plenum dicta definiens? Hominis confirmatum teſtamentum nemo ſuperordinat. Dei tabulam tabula diverſa mutabit? Quænam (7) in vobis hæc (8) vincendi cupido eſt, ut tale aliquid audeatis? Quid, quod apud Matthæum ipſum ante Paſſionem ſuam dixerat Dominus: *Quæcumque ligaveritis in terra, erunt ligata & in Cælo: & quæcumque ſolveritis in terra, erunt ſoluta & in Cælo?* Apud Matthæum hoc prædixerat Dominus, & nullam ibi gentium fecerat mentionem. Cur ergo illi Capitulum Joannis adjungis, ubi ſuum poſuit; & ita poſuit, ut a gentibus ſepararet? quod utique ſi ad gentes pertinere voluiſſet, potuit ipſe conjungere, quod ipſe ponebat.

3 *Forte* poſui.
4 Et quæ ſolviſſent in terra ſoluta eſſent & in Cælis. Vat.
Matth. 28.
5 Dimittentur illis. Vat.
6 Tenueritis. Vat.
7 Qua. Vat.
8 *Hæc* deeſt
Matth. 16.

LXI. Totum ergo quod quæris, apud Matthæum habes. Cur non univerſa legiſti, qui Epiſcopum doces? Primum præcepti iſtius caput repete. Ipſo ferente Matthæo, paullo ſuperius ad Petrum loquutus eſt Dominus; ad unum, (9) ideo, ut unitatem fundaret ex uno; mox idipſum in commune præcipiens, qualiter tamen ad Petrum incipit: *Et ego tibi dico* (inquit) *quia tu es Petrus, & ſuper iſtam petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi (10) non prævalebunt adverſus eam, & tibi dabo claves regni Cælorum: & quæcumque ligaveris ſuper terram, ligata erunt & in Cælis: & quæcumque ſolveris ſuper terram, erunt ſoluta & in Cælis*. Dic, Frater, de ſolis gentibus hoc loquutus eſt? *Super hanc petram ædificabo*, inquit, *Eccleſiam meam*. Eccleſiam non baptizatas gentes vocat? homo necdum renatus corpus eſt Chriſti? quid ſolvo gentibus? quod non eſt ligatum? Nam ſi non reputatum eſt, nec ligatum, quid alligo, quod nullo jure conſtringo? Gentilis homo liber eſt legi. Vide nunc e contrario, an in baptizatum utraque conveniant. Solvitur venia, quia peccato tenebatur; ligatur anathemate, quia ſolutus fuerat Fide, & per gratiam liberatus. Quod ſi (11) ad gentes hanc ſolvendi licentiam, vel ligandi ſpectaſſe concedam; multo magis ad baptizatos pertinuiſſe convincam. Nam ſi is ſolvi potuit, vel ligari, qui non habuit vinculum, quanto magis ille, quem Fidei jura tenuerunt?

9 Ad unum ideo, ut. Vat.
Matth. 16.
10 Inferorum non convaleſcent. Vat.
11 Et ad. Vat

LXII. Ais poſuiſſe Matthæum: *Si peccaverit in te frater tuus; vade, & corripe eum ſolus cum ſolo*. Ac ſtatim ſubjunxiſſe Dominum: *Quæcumque (12) ſolveris in terra, ſoluta erunt & in Cælis*. Ut ad fratris offenſam pertinere videatur. Age, non vides quod ſupra dicit: *Si in te peccaverit frater tuus?* Hic vero addit: *Amen dico vobis, quæcumque ſolveritis in terra &c.* Illud uni juſſit, hoc pluribus relaxavit: illud ipſe ſolvit, in quem admittitur, hoc vero Eccleſia: illud ſine Sacerdote, ſine fratribus, hoc ab omnibus impetratur: *Quæcumque ſolveritis*, inquit. Omnino nihil (13) excipit. *Quæcumque*, inquit: vel magna, vel modica: attende (14) quod ad Petrum dicat inferius, id quod pecca-

Matth. 18.
12 Solveritis. Vat.
13 Excepit. Vat.
14 Quid. Vat.

tur in hominem, ſeptuagies & ſepties relaxandum: ut oſtendat, alias vel
ſemel poſſe. Tamen qui in Petrum peccat, Dominum lædit; ſicut ad
I. Reg. 8. Samuel ipſe ſignificat: *Non te nullius momenti fecerunt, ſed me*. Conceditur ergo vel ſemel Eccleſiæ, quod nobis ipſis toties imperatur.

LXIII. Nunc ad erraticam ovem, (1) drachmam illam, & adoleſcen-
1 Et drach. *Vat.* riorem filium revertamur: quæ ego exempla cum ſtrictim ſcripto priore
tetigiſſem, tu plena repetiſti: edocens, & oſtendens, drachmam, & ovem,
& filium minorem, ad publicanos, & peccatores, hoc eſt, humilem po-
pulum, non ad Chriſtianæ plebis imaginem, nec ad formam fidelium
**For.* Adeſſe. pertinere. Gratulor me doceri. Intellectum vero non eſſe, * moleſte
ſero. Nam quid aſſeram? Ea quæcumque lex dicat, his qui ſub lege
ſunt, dicere. Utique & hoc principaliter ad priores dictum eſſe con-
ſentio, ſed in forma fidelium, ſed in imagine futurorum, ſicut Apoſto-
Rom. 7. lus dicit: *Hæc autem in figura contingebant illis. Scripta ſunt autem*
1. Cor. 10. *ad correptionem noſtram, in quos fines ſæculorum devenerunt*. Et ite-
rum: *Quæ omnia illis umbræ erant futurorum bonorum*. Certe ipſe an-
nuis, ad publicanos, & peccatores, hoc eſt, humilem populum, & ideo
juniorem, illa dictata. Dic ergo: an populus Chriſtianus ipſe eſt junior?
Epheſ. 2. an in radicem cohæſerit? an illa membra compegerit? *Ædificatus* (ut
2 Ipſi ang. ſcriptum eſt) *in fundamentis Apoſtolorum, & Prophetarum, &* (2) *ipſo*
lapidi. *Vat.* *angulari lapide Chriſto Jeſu. An Judæorum Deus tantum? Nonne &*
Rom. 5. *gentium? Immo & gentium*. Siquidem unus Deus, qui juſtificat impium
3 Et acrobyſtiam per fid. *Vat.* ex Fide, (3) & per Fidem. * Certe ille humilis populus, quem Deus
4 *Deeſt pars ſententiolæ exoleſcentib. Literis.* drachmæ, filio minori, & oviculæ conſerebat, Eccleſia fuit: unde Apo-
ſtoli, unde omnis turba credentium, unde populus Chriſtianus. Huic (4)
corpori noſtra etiam membra conjuncta ſunt, & totæ credentium portio-
4 Huic ergo. *Vat.* nes; ut in bonam olivam ex oleaſtro gentium convenirent, ſicut Apo-
Rom. 12. ſtolus dicit: *Participes ejus pinguedinis effectæ*. Atque ita unum omnes
eſſemus in Chriſto, Judæus & Græcus, ſervus & liber. Si ergo cum
illis hominibus (5) unum corpus ſumus; dicta ſunt & ad nos, quæ ve-
5 Humilibus. *Vat.* terum humiles audierunt: atque ita omni corpori nunciatum eſt, quic-
quid de corporis parte prædicatum eſt.

LXIV. Dicam adhuc planius. Ille poſterior populus, ille pauper,
ille mediocris, imago Eccleſiæ fuit, anima humilis & modeſta, anima
liberata per Chriſtum. Hanc venit Dominus ſalvam facere, hanc apud
inferos non reliquit, hæc eſt ovis illa, quæ humeris reportatur: ideſt,
niſu & vigore patientiæ. Hæc eſt drachma, quæ quæritur, & vicinis
inventa monſtratur. Vides formam ejus ſimilitudini pœnitentium conve-
nire? Vides miſericordiam uſque ad hoc tempus extendi? Vides quæ-
cumque Eccleſiæ naſcenti dicta ſunt, ad plenitudinem Eccleſiæ pertine-
Luc. 15. re? Inde ibi Dominus adjecit: *Sic* (6) *majus erit gaudium in Cælo ſu-*
6 *Majus* abeſt *Vat.* *per unum peccatorem pœnitentiam agentem, quam ſuper nonaginta no-*
7 Commonidos. *Vat.* *vem juſtis, quibus non fuit opus pœnitentia*. Nam ſi omnia illa ad (7)
commovendos nos ſcripta ſunt; cui tandem populus ille peccator hu-
milis comparabitur, niſi populo pœnitenti? Ac ſi figuris in ordinem
8 Sani. *Vat.* recurrentibus, nonaginta novem (8) ſanæ, omnis Eccleſia eſt, una vero
erratica, delinquentium portiuncula eſt: (9) ac drachma, quæ periit,
9 *Ac* deeſt. *Vat.* miſer ille peccator eſt. Rediens poſt mala ſua filius, redempto illi ſimi-
lis æſtimator.

LXV. Jam recte a me (10) ſitum vides, cum de pœnitentium cura-
10 Poſitum. *Vat.* tione tractarem, dixiſſe Dominum: *Non eſt opus ſanis* (11) *medico, ſed*
Marc. 2. *male habentibus*. Recte & illud: *Beati lugentes, quoniam ipſi conſola-*
11 Medicus. *buntur*. Quicquid de publicanis, & peccatoribus dictum eſt, ad ægros
Luc. 5. *Matth. 5.* omnes, & omnes miſeros pertinebit.

LXVI. *De ſolis* (ais) *ſcriptum eſſe martyribus. Beati lugentes*. Ne-
mo ergo, præter illos, peccata ſua plangit? Non David clamat: *Lavabo*
Pſal. 6. & 101. *per ſingulas noctes lectum meum*? Et iterum: *Quoniam cinerem, ſicut*
12 Edidi. *Vat.* *panem* (12) *edebam, & potum meum cum fletu miſcebam*? Non Jacob
Gen. 47. dicit: *Anni vitæ meæ duriſſimi*? Non Apoſtolus ad Timotheum: *Deſi-*
2. Tim. 2. *derans te videre, memor lacrymarum tuarum*? Nec tamen hoc de Mar-
tyre loquebatur. Quid nunc? Miſeri pœnitentes ſiccos habent oculos;
& qui peccaſſe ſe dolent, flere non norunt? Ipſi communicantes, ipſi

ſi-

fideles, lacrymas non habemus? Quempiam noſtrum, gaudente mundo gaudere delectat? Vos Novatiani, *jam ſatiati eſtis, divites facti eſtis, ſine nobis regnare cœpiſtis.* Non ergo * quiſque miſerabilis eſt, ita incipit eſſe miſerandus.

LXVII. Poſt hæc proponis, & dicis, ſcriptum eſſe per Dominum: *Omne peccatum, & blaſphemia remittetur hominibus. Qui autem in Spiritum Sanctum peccaverit, non dimittetur ei neque hic* (1) *nec in futuro.* Aut ego fallor, aut iſtud exemplum contra te valet. Nam ſi omne peccatum, & blaſphemia relaxabitur, vides veniam pœnitentibus non negari: ergo omne peccatum, ergo ipſa quoque blaſphemia. Habes (2) additum ſecundum Lucam: *Et qui in filium hominis peccaverit, remittetur ei.* Quid hoc amplius de miſericordia Dei, de clementia judicantis? An (3) non invidet oculus tuus, quia bonus eſt pater-familias? Non licet illi facere quod vult? quinimmo, *tu quis es, qui judicas* (4) *ſervum? Domino ſuo* (5) *ſtat, aut cadit. Potens eſt autem Deus ſtatuere illum. Sed qui in * Spiritu Sancto blaſphemaverit* (ait) *non remittetur ei.* Soles totas percurrere lectiones. Cur hic non legiſti, quid ſit iſtud *in ſpiritu?* Habes ſupra ſcriptum, (6) cum Dominus dæmonia verbo fugaret, & virtutes multas (7) ſpeciali vigore compleret, dixiſſe Phariſæos: *Hic non expellit dæmonia, niſi in Beelzebub principe dæmoniorum.* Hoc eſt in Spiritum Sanctum deliquiſſe, in ea blaſphemaſſe, quæ per Spiritum Sanctum gerebantur. In cæteris quippe peccatis, aut errore labimur, aut metu frangimur, aut carnis infirmitate (8) ſuperamus. Hæc cæcitas eſt non videre quod videas, & Sancti Spiritus opera diabolo deputare, eamque gloriam Domini, qua diabolus ipſe ſuperatur, diaboli appellare virtutem. Hoc eſt ergo, quod non dimittetur; reliqua bonis pœnitentibus, Frater Sympronianæ, donantur.

LXVIII. Poſt hæc, de ſarmentis, & vite proponis (9) ſic: Ait Dominus apud Joannem: *Ego ſum vitis vera, & Pater meus* (10) *agricola eſt. Omne ſarmentum in me, quod non affert fructum, tollet illud; & omne fructiferum purgabit illud.* Vides igitur, in ſarmentis fructum requiri; ideſt, bona opera pœnitentiæ, ſicut Joannes ait: *Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ.* Vides ſarmenta purgari, quæ ſunt detrimenta carnis, damna lætitiæ, damna patrimonii, vitæ labores: qui actus (11) proprii pœnitentium ſunt. Vides etiam (12) agriculturam Domini, qui ipſa etiam ſarmenta non perdat, ſed purget, & colligat (13) aliqua plane in (14) ignem, aliqua novellandis, paſtinandiſque vineis (15).

LXIX. Eli Sacerdos, ais, loquitur, & dicit: *Si vir in virum peccaverit, orabunt pro eo: ſi autem in Deum peccaverit, quis orabit pro eo?* Joannes itidem: *Si quis ſcit, peccare fratrem ſuum peccatum non uſque* (16) *ad mortem, poſtulabit pro eo, & dabit illi vitam Deus: eſt autem peccatum, quod ad mortem ducit, non pro illo dico, ut depreceris.* Vides, hoc totum ad peccata manentia pertinere, non ad eos, qui aliquando peccaverint, & cœperint pœnitere, antequam quiſquam pro illis roget. Longum eſt, ut exempla replicemus. Attende univerſa peccata, quibus Dominus comminatur, jam videbis eſſe præſentia. Quod ſi non proderit juſto in tempore iniquitatis ſuæ præterita juſtitia; non oberit impio in tempore juſtitiæ ſuæ iniquitas derelicta; cum ſcriptum ſit: *Relinquat impius vias ſuas, & vir facinoroſus cogitationes ſuas; & convertatur ad Deum, & miſericordiam conſequetur.* Quod ſi Deus etiam peccata præterita punivit, de non tranſactis, & prætermiſſis pœnam, ſupplicium nunque conſtituit. Age, non habet in ſua poteſtate mutare ſententiam? Non Raab, non Nabuchodonoſor regem, non Gabaonitas, non Ninivitas, non Segor a prædicto interitu liberavit? Non per ipſum Johel Vates hæc intulit: *Convertimini ad Dominum Deum veſtrum, ſimulque in jejunio, & fletu, & planctu; quia miſericors eſt, patiens, & magnanimus, & multæ miſerationis, & pœnitens in malitiis.* Et quis ſcit, ſi reverſus * pœnitebitur, & relinquet poſt ſe benedictionem? Quare ſicubi conſtitutam peccantibus pœnam probaveris, hoc tenebis; aut in (17) peccatis perſeverantibus coſtitutam, aut libertatem Deo relictam mutandæ, ſi pœniteas, ad meliora ſententiæ.

LXX. Ais adhuc ſcriptum: *Quod ſi manus tua, vel pes tuus ſcan-* de-

1\. Cor. 4.
* Ut.
Matth.
1 Neque in futuro. *Vat.*
2 Additum, ſec. L. *Vat.*
Luc. 18.
3 Aut invidet. *Vat.*
4 Judices. *Vat.*
Rom. 15.
5 Stet, aut cadat. *Vat.*
* *Lectio Eccleſia habet, Spiritum Sanctum.*
6 Quod cum. *Vat.*
7 Spirituali. *Vat.*
Matt. 12.
8 Superamus. *Vat.*
9 Proponis. Sic ait. *Vat.*
Joan. 15.
Matth. 3.
10 Agricultor. *Vat.*
11 Proprie poeſt. *Vat.*
12 Agriculturam Dominum. *Vat.*
13 Colligat. Aliqua &c. *Vat.*
14 Igne. *Vat.*
15 Vineis. *Vat.*
1\. *Joan.* 5.
16 Uſque. *Vat.*
Ezec. 18.
Jeſ. 6.
Dan. 3.
Job. 9.
Gen. 19.
Joel. 2.
* *Mire paſſiva voce dixit pœnitebitur.*
17 In deeſt. *Vat.*
Matth. 5.

dalizaverit te, abjice eum abs te. Quid ſit hoc, Moyſes, Deuteronomio teſtificante, prædixit: *Si autem precatus fuerit te frater tuus* (hi ſunt enim oculi, & manus noſtræ) *aut filia tua, aut uxor tua, quæ eſt in ſinu tuo, aut æqualis animæ tuæ, dicens: Eamus, & ſerviamus Diis, quos non noveras*. Deinde adjecit inſerius: *Deferes eum, & manus tua erit ſuper ipſum ad occidendum eum*. Vides ergo, non de pœnitentibus dictum, ſed de his, qui non ſolum ipſi in facinore perſeverant; verum etiam (1) nos ſcandalizare non deſinunt? Hi quamlibet chari ſint, reliquendi, quamlibet utiles, deſerendi ſunt.

Deut. 13.
1 In nos. *Vat.*

LXXI. Proponis adhuc, dixiſſe Apoſtolum Paullum: *Auferte malum ex vobis ipſis*. Malum utique perſeverans. Cæterum pœnitentia malum non eſt, cum David dicat: *Bonum eſt exomologeſin facere Deo*. Nec tamen mecum eſt ille (2) quem pœnitet, nec parte Sanctorum, nec pace conjungitur. Sed dicit Apoſtolus: *Si quis frater nominatur, & ſit aut fornicator, aut ſimulachris ſerviens, aut avarus, aut maledicus, aut ebrius, aut rapax, cum ejuſmodi nec cibum ſumere*. Vides, non ſine cauſſa (3) eſſe poſitum, *& ſit*? ideſt (4) quem necdum pœniteat, qui necdum improbus eſſe deſierit. Et certe de avaris, & ebrioſis, & maledicis ſimul dictum eſt.

1. *Cor.* 5.
Pſal. 91.
2 Qui. *Vat.*
Epheſ. 5.
3 *Eſſe*, deeſt. *Vat.*
4 Qui. *Vat.*

LXXII. Reſponde, Frater, an nullus ejuſmodi veſtra pace teneatur. Ergo inde eſt, & quod per Iſaiam Deus clamat: *Simul iniqui, & peccatores peribunt*. Non pœnitentes, non miſericordiæ opera procurantes, quibus apud eundem rurſus Iſaiam Deus dicit: *Etſi fuerint peccata veſtra ut phœnicium, ut nivem dealbabo: etſi ut* (5) *coccinum, ut lanam candidam* (6) *ea efficiam*.

Iſa. 1.
5 Coccum. *Vat.*
6 *Ea*, deeſt. *Vat.*

LXXIII. Attamen (7) ut ais, Apoſtolus condemnavit errantem. Nam ad Corinthios prima ita dicit: *Ipſe ego quidem abſens corpore, præſens autem ſpiritu, jam judicavi eum, qui tale facinus admiſit. In nomine Domini noſtri JESU CHRISTI, congregatis vobis omnibus in virtute Dei, tradere ejuſmodi Satanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini*. Nota, Frater, primum, quod non damnat eos, cum quibus iſte communicat; ſolus ipſe, qui tale facinus admiſerat, ſatanæ traditur, ſolus excluditur, ſalva pace Sanctorum. (8) Vos omnes Eccleſias pro uno peccatore damnatis. Deinde vides, quod hic ipſe peccator inceſtus, non morti traditur, ſed ſatanæ ad emendandum, ad colaphizandum, ad pœnitendum. Denique ait: *Ad interitum carnis*. Non tamen animæ, non etiam (9) ſpiritus; ſed ad ſolius carnis interitum, tentationes ſcilicet, carnis anguſtias, detrimenta membrorum, ſicut alibi de intemperantibus dicit: *Tribulationem autem carnis patientur ejuſmodi*. Vis hoc (10) ſcire? In ſecunda Corinthiorum hunc ipſum impium idem Paullus abſolvit, nam de ipſo ait: *Sufficit illi, qui ejuſmodi eſt, objurgatio ea, quæ ſit a pluribus,* (11) *ut e contrario magis donetis, & conſolemini, ne forte majori triſtitia abſorbeatur qui ejuſmodi eſt. Propter quod obſecro vos, ut conſtituatis in eum charitatem*. Item infra: *Si cui autem aliquid donaſtis, & ego. Nam & ego quod donavi, propter vos in perſona Chriſti, ut non poſſideatur a ſatana*. Vides mitiſſimam lenitatem longe a veſtro ſupercilio ſeparatam? longe a Novatiani fronte diſſimilem? communi vero vitæ, ac ſaluti omnium conſulentem?

7 Tamen ais. *Vat.*
1. *Cor.* 5.
8 *Vos*, deeſt. *Vat.*
2. *Cor.* 2.
9 Et. *Vat.*
10 *Hoc*, deeſt. *Vat.*
11 Itaut. *Vat.*

LXXIV. At etiam in nos ſeverus cenſor inveneris. (12) Dicis, ex Lege Cæleſti unum ex mandatis ſolvere non licere, nec communicare lupis agnos; & quod omnis conſenſus in crimine ſit, (13) & ideo qui picem tetigerit, inquinetur, nec ſit ulla ſocietas lucis ad tenebras, aut templo Dei cum idolis, aut conventio Chriſti ad Belial. Ideoque David dicit; *Furem videbas, & concurrebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas*. Ain tandem, (14) quia nos Domini mandata reſcindimus. Nos unum apicem legis inflectimus? (15) Novatiani, (16) quia tota Eccleſiæ, tota concordiæ, an (17) potius jura vinlarunt, qui poſt tot pacis annos, tot fœdera ſanctitatis, novas tibi leges, nova inſtituta, (18) novos ritus pepererunt, arcanum juſtitiæ inexorabili fronte ſimulantes? Nos in Eccleſiam lupos recipimus, qui Hæreticorum ora vitamus? an potius Novatiani, qui cum ipſi ſint rapaces lupi, paullo miſeriores ovi-

12 Inveheris. *Vat.*
13 *Ideo* abſque &. *Vat.*
Pſal. 49.
14 *Quis*, deeſt. *Vat.*
15 Aut Nov. *Vat.*
16 Qui. *Vat.*
17 *An potius* deeſt. *Vat.*
18 *Novos ritus* deeſt *Vat.*

oviculas reformidant? Nos conſentimus malis, nos picem tangimus, nos tenebris cohæremus, nos idolo, & (1) Belial jungimur? aut illi, qui Evariſtum, qui Nicoſtratum receperunt, cæteroſque ab Eccleſia recedentes, lingua, manu, moribus inquinatos? Nos cum adulteris, & furibus convenimus; an illi, qui Novatum vitæ ſuæ, & capiti prætulerunt; poſt interceptam pecuniam pupillorum, atque viduarum, miſeri parentis, & partus uxoris parricidam, non modo non pœnitentem, verum etiam gloriantem?

1 Belia. *Vat.*

LXXV. Verum Paullus Apoſtolus dicit: *Manus cito nemini imponas.* Docet idem, vel tarde, vel poſt pœnitentiam non negandas. Sed perdita Hiericho * Ahar filius (2) Carini, propter furtum veſtis occiſus eſt. Age, vos totos fures interficite pecuniarum noſtrarum, atque Librorum; & in Novati oſſa ſævite. Jugum illud rurſus accipite, *quod neque nos, neque patres noſtri portare potuerunt.* Quid ceſſatis, Novatiani, *oculum pro oculo, dentem pro dente* depoſcere, animam poſtulare, Circumciſionis, & Sabbathi redintegrare commercium? Necate fures, lapidate petulantes. Nolite in Evangelio legere, quod pepercerit Dominus etiam adulteræ confitenti, quam nemo damnarat: quod peccatricem, quæ lacrymis pedes ejus lavabat, abſolverit: quod Raab apud ipſam Hiericho Urbem Phœnicum liberavit: (3) quod Thamarem a (4) ſententia Patriarchæ (5) abſolverit: quod Sodomis quoque pereuntibus, Lothi filias non extinxerit, liberaturus & generos, ſi futurum excidium credidiſſent.

1. *Tim.* 5. — * *Acham filius Charmi.* — 2 Charmi. *Vat.* — *Joſ.* 7. *a Aſt.* 16. 6. — *Deuter.* 19. — Joan. 8. — Joan. 12. — 3 Liberavit. *Vat.* — 4 A, deeſt, *Vat.* — 5 Patriarchie. *Vat.*

LXXVII. Age, non tenes dicere apud David Dominum: *Cum his, qui oderunt* (6) *pacem, eram* (7) *pacificus*? Salomonis quoque ſententiam non tacere: *Frater fratrem adjuvans exaltabitur*? Quid Apoſtolus? *Fratres, etſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto; vos, qui ſpirituales eſtis, inſtruite hujuſmodi in ſpiritu manſuetudinis, conſiderantes voſmetipſos, ne tentemini. Invicem onera veſtra portate, & ſic adimplebitis Legem Chriſti.* Et illud, quod ante jam retuli: *Optabam enim anathema eſſe in Chriſto pro fratribus meis cognatis ſecundum carnem.* Et iterum: *Omnibus omnia factus ſum, ut omnes lucrifacerem.* Hoc eſt, eum vulneratis gemitus, cum ægrotantibus laborem, mortem eum moriente partiri, caſum fratrum cum ſtatu ſuo poſſe miſcere, aliquid de ſua ſanitate (8) decidere, & deficientibus adhibere medicinam.

Pſal. 110. — 6 Oderunt. — 7 Fui. *Vat.* — *Prov.* 8. — *Gal.* 6. — *Rom.* 9. — 1. *Cor.* 9. — 8 Decedere.

LXXVII. Quid vobis prodeſt ſuperba, & aſpera fronte durari, altis (9) regere cervicibus, vultus torquere (10) a miſeris, auditus, oculoſque præcludere? Nunquam, vos oro, cecidiſtis? Nulla in veſtris mentibus macula eſt? Nulla in oculis, oro, feſtuca? Quis gloriabitur, caſtum ſe habere cor, aut mundum ſe a peccatis? Credo, vos juſti, benevoli, temperantes, quibus membra omnia ſana ſunt, quibus omne corpus intactum, quibus medicus neceſſarius non eſt, nec medicina languorum. Intrate jam Cælum, Paradiſi aditus romphæa cedente penetrate, tot noſtrorum populis Deum unicum confitentibus, dona veſtra pia (11) claudite. Quæ ſi ſe longe aliter habent, quam implacabilis rigor rerum, & immanitas veſtra mentitur, jam intelligitis, Novatiani, Deum poſſe miſereri, jam miſeris fratribus de præterito confitentibus, vel feram patere medicinam: jam vulneratum illum, a Levita, & Sacerdote præteritum, per Chriſtum poſſe curari; jam Eccleſiæ preces humilibus non negandas, jam manus Sacerdotum (12) miſerandis fratribus exhibendas.

9 Rigere cervicibus. *Vat.* — 10 De miſ. *Vat.* — 11 Præcludite. *Vat.* — *Luc.* 10. — 12 Miſerendis. *Vat.*

LXXVIII. Nos autem intelligimus, ut exprobras, Eccleſiæ Dei columbam non felle amaram, non unguium laceratione violentam, parvulis quoque plumis, exiguiſque (13). Scimus etiam, ut (14) eum aquæ vivæ, fontemque ſignatum, nulla hæretici gurgitis labe ſordere, hortumque concluſum, plenum oleribus magnis pariter, & parvulis, vilibus, atque pretioſis. Octo quoque animas ex arca, ſed inter quas & Cham fuerit, & millia illa volucrum, (15) atque ferarum, bina, atque ſeptena, munda pariter, & immunda; fontes vero ſiccos, & nebulas turbinibus excitatas, hæreticorum ſterilitatem, & inſanarum vocum impetus arbitramur.

13 Exig. cādentem. *Vat.* — 14 Puteum. *Vat.* — *Geneſ.* 7. — 15 Vel. *Vat.*

LIX. Nec promittimus libertatem, cum ipſi ſervi ſimus pœnæ; ſed crimina noſtra confeſſi, reliquos etiam, ut fateantur, hortamur, credant-

1 Iannem. *Vat*

2. *Tim*. 3.

2 Jannes. *Vat*.

* Mente deeſt *Vat*.

dantque in eum, qui juſtificat impium ex Fide, qui reflectit ſententiam adverſus malitiam irrogatam. Attendimus quoque a falſis Prophetis, & lupis rapacibus, quum cavemus a vobis. Jamnem (1) vero, & Mambrem ſie reſtitiſſe Moyſi, ſicut vos Catholicis arbitramur. Inde ſic ponit Apoſtolus: *Quia ſicut Jamnes*, (2) *& Mambres reſtiterunt Moyſi, ita & hi reſiſtunt veritati: homines* * *mente corrupti, & a Deo reprobi, ſed ultra non proficient*. Inſipientia enim eorum manifeſta erit omnibus, ſicut & illorum fuit. Quod in vos dictum eſſe manifeſtum eſt, qui neque proficere amplius, neque inſipientiam veſtram celare potuiſtis.

Eccl. 34.

3 Diluitur. Sic *Vat*.

* Credulitas. *Vat*.

LXXX. *Qui baptizatur a mortuo, nihil proficit*. Utique qui hæretico fonte (3) dilutus, ſic & qui peccatoris oleo ungitur, ideſt, qui ſpiritu ſatiatur immundo. Ergo & filii ſanguinum vos eritis. Non enim pacem fratrum, ſed ſanguinem concupiſcitis. Fides falſa eſt veſtra * crudelitas. Adultera mulier, hæretica congregatio eſt; Catholica enim ab initio de viri ſui thoro, & thalamo non receſſit, nec alienos amatores, aut exſtraneos concupivit. Vos exſulem formam novo colore pinxiſtis, vos thorum veſtrum a conjugio ſeparaſtis antiquo, vos a matris unicubæ corpore receſſiſtis, novo placendi genere, novis corruptelarum illecebris expoliti.

4 Qua de lapſis, Moy. *Vat*.

Ezec. 14.

LXXXI. Nam quod Cyprianum Beatiſſimum mihi pro contrario teſte proponis, quia in Epiſtola (4), quæ de Lapſis eſt, Moyſen, & Danielem, & Job oraſſe pro peccatoribus dicat, nec impetraſſe, dicente Domino: *Etſi tres eorum fuerint, Noe, Job, Daniel, non liberabunt filios, neque filias, ſed ipſi ſoli ſalvi erunt*. Utinam, utinam, Cypriano teſte nitaris, utinam tam ſalubribus ſententiis acquieſcas. Ille enim cum lapſos ad pœnitentiam cogeret, qui pœnitere nolebant, dicentes, a Confeſſoribus, ſive Martyribus accepiſſe ſe pacem; docuit, & oſtendit, quod nec Patriarchæ illi pro non pœnitentibus impetrarent. Etenim quis liberare poſſit invitum? quis pro ſuperbis humiliari? quis pro non pœnitentibus impetrare? Quod utique cum diceret, ad pœnitentiæ cogebat remedia. Nec contra ſe locutus eſt aliquid Vir illius gravitatis, & meriti, ſed fundendas a peccatoribus preces docuit, & exomologeſin diligendam.

Exod. 23.

5 At. *Vat*.

6 Et tamen. *Vat*.

Exod. 32.

Ezec. 14.

7 Ita. *Vat*.

8 Roganti. *Vat*.

LXXXII. Ipſa tamen Cypriani exempla te permovent, quibus & Moyſen, & cæteros Sanctos non impetraſſe commemorat, qui pro peccatoribus poſtulabant. Ain? Non vides Moyſen pro quibus non impetraverit? Reverſus ad populum, quid audit in caſtris? Voces ebriorum, & cantus idolothyti perſonabant. Adhuc perſeverabat in nequitia populus, adhuc in ipſo crimine permanebat, (5) ac pœnitere non noverat. Attamen (6) quis tibi noſtrum dixit, quod Moyſes non impetraverit? Dixerat quidem illi Deus: *Si quis deliquit ante me, delebo eum de Libro*. Dixerat tamen auctoritate Judicis, & Domini poteſtate; ſed vide, quam cito reflexerit ſententiam adverſus populi malitiam irrogatam. Auſculta. Propheta ſtatim ibidem: *Et precatus eſt*, inquit, *Moyſes in conſpectu Domini Dei ſui: Quare Domine iraſceris ita* (7) *in populum tuum*? & reliqua. Item infra: *Et propitius factus eſt Dominus de malignitate, quam dixerat facere populo ſuo*. Vides lenitam eſſe iram Dei? Vides offenſam eſſe placatam? Et pro populo non (8) rogavit, nec quod fecerat pœnitenti.

9 Defendant. *Vat*.

Gen. 7.

Job. 42.

Gen. 19.

Act. 27.

10 A, deeſt.

11 Ais. *Vat*.

Ezec. 14.

LXXXIII. Sed Noe, inquis, & Daniel, & Job, filios, & filias liberare non potuerunt. Et hoc tale eſt. Si pro non rogantibus petant, ſi pro perſeveranti in crimine deprecentur; ſi non ſingulos, ſi non paucos, ſed millia multa (9) defendat. Cæterum Noe domum ſuam (10) a ruina publica liberavit; & Job recepit cuncta, quæ perdidit; & Daniel inſtantem illum ſapientibus Babyloniæ gladium oratione decuſſit. Loth certe pro ſalute Oppidi, Paullus pro vectoribus navis orat. Sic abſolvuntur a juſtis qui pœnitere noverunt.

LXXXIV. Poſtremo vel illud aſpicito, quod ſcriptum (11) ait: *Ipſi ſoli ſalvi erunt*. Qui illi? Ipſi utique, qui pro peccatoribus deprecantur, impune pro talibus poſtulabunt. Et cur Eccleſiam damnas? cur pro pœnitentibus prohibes deprecari? ſi etiam pro his petere licet, pro quibus

bus non licet impetrare? Lege igitur diligentius Cyprianum meum. Lege totam de Lapſis Epiſtolam; lege aliam, quam ad Antonianum dedit; ubi exemplis omnibus Novatianus urgetur: jam ſcies, quid de pœnitentium curatione pronunciet. Cyprianum loquor, veſtra oppugnatem, & Catholica jura retinentem. Tertullianus poſt hæreſin, (nam multa inde ſumpſiſtis) ipſum Epiſtola ſua, & ea ipſa, quam Catholicus edidit, audies confitentem, poſſe Eccleſiam peccata dimittere.

LXXXV. Vides ergo, Eccleſiam eſſe Reginam in veſte aurata, & variegata; multorum utique corporum, multorumque populorum varietate compoſitam. Non eſt coloris unius iſta pictura, nec in uno habitu emicat tanta diverſitas. Pars illa indumenti tegit, iſta componit. Nonnulla pectori adhæret, aliqua ultimo ſinu trahitur, & inter veſtigia ipſa ſordeſcit. Quædam purpuræ Martyrum comparatur, aliqua ſerico virginali, nonnulla ſinu plicante ſubſuitur, aut acu inſerente reparatur. *Alius enim ſic, alius autem ſic*, & tamen una in omnibus Regina componitur.

LXXXVI. Ergo eadem fœcunda vitis, & locuples, plures habens ramos, multo palmitum crine (1) diſtentior. Nihilne ex iſtis hyberno frigore laboravit? nihil aſperas grandines pertulit? nihil torridas incuſavit æſtates? Aſperior eſt hæc gemma palmitibus, iſta fortior, illa ſincerior: hæc ſe diffundit in fructus, hæc in ſolas exuberat frondes. Vitis tamen ubique formoſa.

1 Diſtincta. Aſpice. Numquid ingentes ubique botri, numquid omnis uva diſtentior? *Vat.*

LXXXVII. Mater hæc adoleſcentularum, *quarum non eſt numerus*. *Cantic. 1.* Calculare denique, ſi potes, Catholicos greges, & duc in digitos noſtræ plebis examina. Nec illa modo, quæ toto Orbe diffuſa ſunt, cunctis plena regionibus; ſed hæc, Frater Sympronianе, quæ tecum in proximis finibus, & vicina Urbe conſiſtunt. Contemplare, quot noſtros unus aſpicias, quot meorum populis ſolus occurras. Nonne, ut ſtillicidia fontibus magnis, nonne ut ab Oceano quædam gutta ſorberis? Dic, dic, an iſtæ adoleſcentulæ ex veſtra plebe generentur, an tu ſolus hoc parias? Noſtra eſt (inquam) iſta Regina, electa matri ſuæ, atque perfecta. Nihil quippe electum, niſi melius, & majus ex alio; nihil perfectum poteſt eſſe, niſi plenum.

LXXXVIII. Jam & illud attendite, an hæc potiſſimum ædificata ſit *in fundamentis Prophetarum, & Apoſtolorum ex ipſo angulari lapide* *Epheſ. 2.* JESU CHRISTO. Si ante te cœpit, ſi ante te credidit, ſi a fundamentis prioribus non receſſit, ſi non illa migravit, ſi non a reliquo corpore ſeparata, ſuos ſibi magiſtros, & propria inſtrumenta conſtituit, ſi quid inſolitum argumentata eſt, ſi quid novi juris invenit, ſi corpori ſuo repudium pacis indixit; plane tunc a Chriſto receſſiſſe videatur, tunc extra Prophetas, & Apoſtolos conſtitiſſe.

LXXXIX. Hæc igitur erit domus magna, locuples omnium diverſitate vaſorum, in qua purum refulget aurum, in qua ductile lucet argentum: verum, quæ (2) etiam lignea (ſicut ſcriptum eſt) & fictilia vaſa dignatur. Magna enim domus multos movet uſus, opera diverſa ſolicitat. Non ſolum quærit argentum, nec aureo tantum delectatur ornatu. Subinde plus decet magna contemptus, & inter nobiles ambitus exigua quoque jucunda ſunt. Nullus artifex opera ſua deſpicit, nec vilia ſibi putat eſſe, quæ fecit. Et unde pro peccatoribus paſſum putas Chriſtum, niſi quod perdere noluit quicquid ipſe formavit? Unde illum putas, hodieque (3) interpellare pro miſeris, niſi quod modicum (4) eumque, & deſpectiſſimum non repellit? Neminem ex his, quos acceperit, perditurus, ligneo licet, ac fictili comparentur; atque ita in domo ſua omnia vaſa componit.

2 Et. *Vat.*
2 *Tim. 2.*
3 Hod. patrem int. *Vat.*
4 Mod. quoque *Vat.*

XC. Tandem, Frater Sympronianе, non pigeat eſſe cum multis, tandem libeat reduvias Novatianorum, & perſegmina veſtra contemnere. Tandem Catholicos greges, & tam late patentes Eccleſiæ populos intueri. Ubi unus, (inquies) ibi & ego; & ubi duo, ibi Eccleſia; ubi unus tamen concors, ubi (5) duo, pacifici. Ubi unus, & Eccleſia: quanto magis ubi plures? *Meliores* (inquit) *duo, quam unus: & ſpartum triplex non rumpitur*. Audi David: *Pſallam nomini tuo in Eccleſia multa.* Et iterum: *In populo gravi laudabo te*. Et: *Deus Deorum loquutus eſt: & vocavit terram ab Ortu ſolis uſque ad Occaſum*. Quid ſemen Abrahæ ſe-

5 Ubi pacifici duo. *Vat.*
Pſalm. 49.
Gen. 22.

ſecundum ſtellarum modos, & numeros arenarum, veſtra paupertate con-
1 An Nov. Vat. tentum: *Benedicentur in te*, inquit, *omnes tribus terræ*. Dic, (1) Novatianus has impleat? Non tam parum ſanguine ſuo redemit Deus, nec tam puuper eſt Chriſtus.

XCI. Cognoſce jam, Frater, Eccleſiam Dei dilatantem tabernacula
Pſalm. 112. ſua, & aulæorum palos dextra, ſiniſtraque figentem: intellige, *ab Ortu ſolis uſque ad Occaſum laudabile nomen Domini*. Vide, vide, quæſo, Novatianis in verba luctantibus, Catholicas agi toto orbe divitias.

XCII. Super omnibus, quibus a te ſum conſultus, inſtruxi. Nullum ex propoſitis caput, ſententiamve præterii. Ad ipſos apices, & verba reſpondi. Si conſulentis animo requiſiſti, amanter oſtenſum eſt. Si laceſſentis, haud ſegniter diſputatum. Subjungam, quum vacuum erit, &
2 Non. Vat. aliam Epiſtolam, in qua (2) nos veſtra redarguam, ſed noſtra proponam: quam ſi benigne, & ſine faſtidio legeris, fortaſſe non lædet. Interim in iſta peto, ut ſingula quæque percenſeas. Omnia cito lecta prætereunt: ſi chariſmata meliora deſideras, & bonæ eruditionis (3) ani-
3 Eruditionis. Vat. mam geris, non facile tam vera contemnis. Dominus te in æternum cuſtodire, & protegere dignetur, & Chriſtianum vivere faciat ad concordiam ſpiritualem. Amen.

NOTÆ IN HANC EPISTOLAM.

§. 50. QVidam Presbyter Novatus.] De hoc Novatiani pſeudo-epiſcopatu, Cyprianus Libro, De unitate Eccleſiæ: *Hi* (inquit) *ſunt, qui ſe ultro apud temerarios convenas ſine divina diſpoſitione præficiunt, qui ſe Præpoſitos ſine ulla ordinationis lege conſtituunt; qui, nemine Epiſcopatum dante, Epiſcopi nomen ſibi aſſumunt &c.*

§. 67. *Rite intellige lector verba Sancti Paciani, reliqua peccata dimitti bonis pœnitentibus, non autem blaſphemiam in Spiritum Sanctum: quia ordinarie, & ut plurimum, peccatum ejuſmodi non curatur per veram pœnitentiam, juſto judicio, deſerente Deo, ac in reprobum ſenſum trahente eos, qui ita peccant. Vide Bellarminum Lib.* 2. De pœnitentia. *Cap.* 16.

§. 84. Lege totam de lapſis Epiſtolam.] *Exſtant plures D. Cypriani Epiſtolæ de Lapſis, videlicet* 10. *ad Presbyteros, & Diaconos*: De iis qui temeraria feſtinatione præcipites Lapſis communicaverunt. 11. *ejuſdem prope argumenti*: Ad Martyres & Confeſſores. 13. *Ad Clerum*, De Lapſis Catechumenis, ne vacui communione exeant. Anonymus.

PARÆNESIS EJUSDEM SANCTI PACIANI

SIVE LIBELLUS (4) EXHORTATORIUS AD POENITENTIAM.

4 De pœnitentibus. Vat. XCIII. ETſi aliquoties, tumultuoſe licet, de pœnitentium curatione non tacui; memor tamen Dominicæ ſolicitudinis, quæ propter unius oviculæ detrimentum, cervicibus etiam ſuis, & humeris non pepercit, integrato gregi referens peccatricem delicatam;
Luc. 15. 5 Condere. Vat. conabor (ut potero) tantæ virtutis exemplum etiam ſtylo (5) concedere, ac Dominici laboris induſtriam, mediocritate, qua dignum eſt, ſervus imitabor.

XCIV. Unum illud vereor, dilectiſſimi, ne ſolitæ contrarietatis adverſis, inculcando, quæ fiunt, admoneam magis peccata, quam repri-
6 Noſtratium Vat. mam: meliuſque fuerit, Attici Solonis exemplo, tacere de magnis ſceleribus, quam cavere: euſque progreſſis noſtratum (6) moribus, ut admonitos ſe exiſtiment, quum vetantur. Hoc enim, puto, proxime, Cer-
7 Diligentius Vat. vulus ille profecit, ut eo diligentior (7) fieret, quo impreſſius notabatur. Et tota illa reprehenſio dedecoris expreſſi, ac ſæpe repetiti, non compreſſiſſe videatur, ſed erudiſſe luxuriam. Me miſerum! Quid ego facinoris admiſi? Puto neſcierant Cervulum facere, niſi illis reprehendendo monſtraſſem.

XCV. Verum ſit illud Dei refugæ, aut extra Eccleſiam conſtituti, etiam exaſperati ſunt caſtigationis injuria: indignati ſcilicet, mores ſuos ab aliquo poſſe reprehendi. Atque ut cœnum ſolet tum maxime fœtere, cum moveas, & incendium tum magis ardere, ſi vertas; & rabies, tum vehementius ſævire, ſi provoces; ita illi objurgationis neceſſariæ ſtimulos contrario calce fregerunt, non ſine ſuo quidem malo, & vulnere repugnantes.

XCVI. Vos

XCVI. Vos tamen, dilectiſſimi, a Domino mementote poſitum: *Argue ſapientem, & amabit te*; (1) *atque ſtultum, & odio te habebit*. Et iterum: *Ego quos diligo, redarguo, & caſtigo*. Atque ideo (2) blandam hujus mei operis, ac ſolicitam diligentiam, & ſecundum Domini voluntatem a meipſo Fratre veſtro, ac Sacerdote ſuſceptam, amorem potius credite, quam rigorem, ſequendo amabiliter, non pertinaciter repugnando.

Prov. 9. 1 Argue. *Vat.* *Apoc.* 3. 2 Ad bla. *Vat.*

XCVII. Præterea nullus exiſtimet, hunc ipſum de pœnitentiæ inſtitutione ſermonem, ſolis tantummodo pœnitentibus ordinatum, ne propter hoc, quiſquis extra hunc gradum poſitus eſt, ea quæcumque dicentur, veluti in alios deſtinata faſtidiat, cum in hanc quaſi fibulam, totius Eccleſiæ diſciplina * notetur, quando & Catechumenis, ne in hoc tranſeant, & Fidelibus, ne in hoc redeant, providendum ſit, ipſis vero pœnitentibus, ut celeriter ad hujus operis fructum perveniant, laborandum.

* Alias *contectatur*.

XCVIII. Sermonum tamen meorum hic ordo ſervabitur. Primum, ut de modo criminum ediſſeram, ne quis exiſtimet omnibus omnino peccatis ſummum diſcrimen impoſitum. Tum de his Fidelibus dicam, qui remedium ſuum erubeſcentes, male verecundi (3) ſint, & inquinato corpore, ac polluta mente communicant. In conſpectu hominum timidiſſimi, ante Dominum vero impudentiſſimi, profanis manibus, & polluto ore contaminant Sanctis quoque & Angelis Altare metuendum. Tertio de his erit ſermo, qui confeſſis bene, apertiſque criminibus, remedia pœnitentiæ, actuſque ipſos exomologeſis adminiſtrandæ, aut neſciunt, aut recuſant. Poſtremo illud apertiſſimum enitemur oſtendere, quæ pœna ſit, aut non agentibus pœnitentiam, aut etiam negligentibus; atque ideo in vulnere ſuo, ac tumore morientibus; quæ (4) rurſus ſit corona, quod præmium, conſcientiæ maculas recta, & ordinaria confeſſione purgantibus.

3 Sunt. *Vat.* 4 Autem. *Vat.*

XCIX. Primum igitur, ut diximus, de modo peccantium retractemus, ſedulo requirentes, quæ ſint peccata, quæ crimina, ne quis exiſtimet, propter innumera delicta, quorum fraudibus nullus immunis eſt, me omne hominum genus indiſcreta pœnitendi lege conſtringere. Apud Moyſen, & Veteres minimi quoque peccati, & quadratis (5) unius, ut ita dixerim, rei in eodem infelicitatis æſtuario volutati ſunt. Et qui Sabbatha violaverant, & qui immunda contigerant, & qui eſcarum vetita præſumpſerant, & qui murmurabant, & qui pariete corrupto, & qui veſte maculata in Templum ſummi Regis intraverant, & qui Altarium his obnoxii manu contrectaverant, aut veſte contigerant, ut in Cælum aſcendere citius fuerit, aut emori ſatius, quam hæc univerſa ſervare.

5 Quadrantis. *Vat.*

C. His igitur nos omnibus, multiſque præterea carnalibus vitiis, ut citius ad deſtinata (6) quiſque perveniat, Sanguis Domini liberavit redemptos a ſervitute Legis, & libertate Fidei emancipatos. Ideoque Apoſtolus Paullus, *Vos autem*, inquit, *in libertatem vocati eſtis*. Hæc illa libertas, quod non omnibus adſtringimur, quibus veteres tenebantur; ſed donata, ut ita dixerim, ſylva delictorum, & remediorum indulgentia deſtinata, in pauca concluſi ſumus, & neceſſaria, quæ & ſervare facillimum eſſet credentibus, & cavere; ut meritiſſimo tartarum non recuſaret, qui tantæ donationi (7) ingratus, ne hæc quidem pauca ſervaſſet. Quæ ſint autem iſta, videamus.

6 Quiſque abeſt. *Vat.* *Gal.* 5. 7 Donationis. *Vat.*

CI. Poſt Domini Paſſionem Apoſtoli, tractatis omnibus, atque diſcuſſis, Epiſtolam tradiderunt his, qui ex Gentibus erediderant, perferendam. Cujus Epiſtolæ ſententia hæc fuit: *Apoſtoli, & Presbyteri Fratres bis, qui ſunt Antiochiæ, & Syriæ, & Ciliciæ Fratribus, qui ſunt ex Gentibus, ſalutem. Quoniam audivimus, quoſdam ex nobis exiiſſe, & conturbaſſe vos verbis*. Item infra: *Viſum eſt enim Sancto Spiritui, & nobis, nullum amplius imponi vobis pondus, præterquam hæc: Neceſſe eſt, ut abſtineatis vos ab idolothytis, & ſanguine, & fornicatione, a quibus obſervantes, bene agetis. Valete*. Hæc eſt Novi Teſtamenti tota concluſio. Deſpectus in multis Spiritus Sanctus hæc nobis capitalis periculi conditione legavit. Reliqua peccata meliorum operum compenſatione curantur: hæc vero tria crimina, ut baſiliſei alicujus affla-

Act. 15.

afflatus, ut veneni calix, ut læthalis arundo, metuenda ſunt: non enim vitiare animam, ſed intercipere noverunt. Quare tenacitas humanitate (1) redimetur, convicium ſatisfactione penſabitur, triſtitia jucunditate, aſperitas lenitate, gravitate levitas, honeſtate perverſitas; & quæcumque contrariis emendata proficiunt. Quid vero faciet contemptor Dei? Quid aget ſanguinarius? Quod remedium capiet fornicator? Numquid aut placare Dominum deſertor ipſius poterit, aut conſervare ſanguinem ſuum qui fudit alienum, aut redintegrare Dei templum qui illud fornicando violavit? Iſta ſunt capitalia, Fratres, iſta mortalia.

1 Redimitur. *Vat.*

1. *Joan.* 5. CII. Nunc audite Joannem, & confidite, ſi poteſtis: *Si quis ſcit*, inquit, *fratrem ſuum peccare peccatum non uſque ad mortem, petat pro eo, & dabit illi vitam Dominus, ſi quis deliquit peccatum non ad mortem. Eſt autem peccatum, quod ad mortem ducit, non pro eo dico, ut deprecetis*. Sed ſi placet, etiam ſeparatim audite de ſingulis. Moyſen pro blaſphematore populo deprecantem, ſic appellat Deus: *Si quis*, inquit, *deliquerit ante me*, (2) *delebo illum de libro meo*. Et de homicida Dominus hoc judicat: *Si quis*, inquit, *gladio occiderit, gladio morietur*. Et de fornicatore Apoſtolus dicit: *Ne violaveritis*, inquit, *templum Dei, quod eſtis vos. Qui autem templum Dei violaverit, diſperdet illum Deus*.

Exod. 31. 2 Delebo. *Vat.*

Exod. 21. *Matth.* 25.

CIII. Scripta ſunt hæc * DD. FF. & perpetuis cæſa monumentis; ſcripta, & inciſa, non dico ceris, & charta, & ære, vel calamo, ſed Libro Dei vivi: *Cælum, & terra tranſibunt, iota unum*, inquit, *aut apex non poterunt tranſire, priuſquam omnia compleantur*. Quid ergo? moriendum eſt? Multi etiam animo in hæc peccata ceciderunt. Multi ſanguinis rei, multi idolis mancipati, multi adulteri. Addo etiam, non ſolas manus in homicidio plecti, ſed & omne conſilium, quod alterius animam impegit in mortem: nec eos tantum, qui thura menſis adolevere profanis, (3) ſed omnem prorſus libidinem extra uxorium thorum, & complexus licitos evagantem, reatu mortis adſtringi. Hæc quicumque poſt Fidem fecerit, Dei faciem non videbit. Deſperavere tantorum criminum rei. Quid vobis ego feci? Numquid non fuit in poteſtate, ne fieret? Nulluſne admonuit? Nemo prædixit? Tacuit Eccleſia? Nihil Evangelia dixerunt? Nihil Apoſtoli comminati ſunt? Nihil rogavit Sacerdos? Quid quæritis ſera ſolatia? Tunc decuit, quum licebat. Dura iſta vox eſt, ſed qui vos felices dicunt, in errorem vos mittunt, & ſemitas pedum veſtrorum conturbant. Facinoris viam monſtrant innoxiis, qui nocentibus poſt ſcelera blanditur. Ergo, inquiet aliquis, perituri ſumus? & ubi miſericors Deus, qui mortem non invenit, nec lætatur in perditione vivorum? Moriemurne in peccatis noſtris? Et quid facies tu Sacerdos? Quibus emolumentis tot Eccleſiæ detrimenta penſabis? Accipite remedium, ſi deſperare cœpiſtis, ſi miſeros vos agnoſcitis, ſi timetis. Qui nimium confidit, indignus eſt: *Super quem*, inquit Dominus, *reſpiciam, niſi ſupra humilem, & quietum, & trementem verba mea*.

* *Dilectiſſimi Fratres ſignificari arbitror.*

Matth. 5.

3 Sed omnem diſſipaverũt. *Vat.*

Hæc a Sanctiſſimo Patre tantum comminive dicta indicat, quod paulo poſt ſubjũgit: Accipite remedium, ſi deſperare cœpiſtis &c.

Iſai. 66.

CIV. Vos ergo primum appello, Fratres, qui criminibus admiſſis pœnitentiam recuſatis. Vos, inquam, poſt impudentiam timidos, poſt peccata verecundos; qui peccare non erubeſcitis, & erubeſcitis confiteri; qui cum mala conſcientia Dei Sancta contingitis, & Altare Domini non timetis, qui ad manus Sacerdotis, qui in conſpectu Angelorum ſub fiducia innocentiæ acceditis, qui Divinæ patientiæ inſultatis, qui tacenti Deo, veluti neſcienti, pollutam animam, & profanum corpus ingeritis. Audite, quid fecerit Dominus, tum deinde quid dixerit. Cum populus Hebræorum, Hieroſolimis Arcam Domini reportaret, (4) & ex domo Aminadab Iſraelitis; Ozas, qui non explorata conſcientia latus Arcæ attigerat, occiſus eſt; & tamen ille, non ut aliquid ex ea fumeret, ſed ut declinantem ad lapſum vituli contineret, acceſſerat. Tanta infuit cura Divinæ reverentiæ, ut audaces manus, nec ob auxilium ſuſtineret. Clamat idem Dominus, & dicit: *Omnis mundus manducabit carnem, & anima quæcumque contigerit de carne Sacrificii ſalutaris, & immunditia* (5) *ſuper illa eſt*, (6) *pereat anima illa de populo*. Antiquane iſta ſunt, & modo non fiunt? Quid ergo? Deſiit Deus noſtra cu-

4 Et, deeſt. *Vat.*

2. *Reg.*

Levit. 7. 22. 5 Imm. ejus. *Vat.* 6 Periet. *Vat.* *Rom.* 2.

curare? An ultra conſpectum mundi receſſit, & neminem ſpectat e Cælo? An patientia illius ignorantia eſt? Abſit, inquies. Videt ergo quæ facimus, ſed utique exſpectat, & patitur, & pœnitentiæ tempus indulget, & Chriſto ſuo præſtat, ut differat, ne cito pereant quos redemit. Bene tu peccator intellige. Spectaris a Domino, potes illum placare, ſi velis. Sed antiquum ſit iſtud, quod ad menſam Dei accedere non licuit immundis; evolvite Apoſtolos, & novella cognoſcite.

Quem locum citat D. Petrus. *2. Petr. 3.*

CV. In prima Corinth. Paullus hæc intulit: *Quicumque*, inquit, *manducaverit, aut biberit Calicem Domini indigne, reus erit Corporis, & Sanguinis Domini.* Item infra: *Qui enim manducat, & bibit indigne, judicium ſibi manducat, & bibit, non dijudicans* (1) *Corpus Domini. Propterea*, inquit, *inter vos multi infirmi, & ægri, & dormiunt multi. Quod ſi noſipſos judicaremus, non utique judicaremur. Quum judicamur autem, a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur.* Intremuiſtis, an non? *Reus erit*, inquit, *Corporis, & Sanguinis Domini.* Humanæ animæ reus non poſſet abſolvi, Dominici Corporis violator evadit? *Qui manducat*, inquit, *& bibit indigne, judicium ſibi manducat, & bibit.* Evigila peccator, time in viſceribus tuis præſens judicium, ſi quid tale feciſti. *Propterea*, inquit, *inter vos multi infirmi, & ægri, & dormiunt multi.* Jam ſi quis futura non metuit, vel præſentem ægritudinem, præſentemque obitum reformidet. *Quum judicamur*, inquit, *a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur.* Lætare peccator, ſi in hoc ſæculo, aut morte interciperis, aut languore conſumeris, ne puniaris poſt ſæculum. Intellige quantum ſceleris admittat qui ad Altare venit indignus, cui pro remedio computatur, quum aut morbis laborat, aut morte diſſolvitur.

1. Cor. 11. *Domini noſtri longanimitatem, ſalutem arbitramini, ſicut Frater noſter Paullus ſcripſit &c.* 1 *Diſcernens. Vat.* *1. Cor. 5.*

CVI. Quod ſi veſtra vobis vilis eſt anima, parcite populo, parcite Sacerdotibus. Clamat Apoſtolus: *Exiguum fermentum totam maſſam fermentat.* Quid facies tu, propter quem omnis maſſa corrumpitur? propter quem laboratura eſt tota Fraternitas? Vives tot animarum reus? Excuſaberis, cum tibi communionem ſuam imputaverint innocentes? cum te Eccleſia dixerit ſuæ cladis auctorem?

1. Tim. 5.

CVII. Ecce iterum Apoſtolus ad Sacerdotem: *Manus cito nulli imponas, nec communices peccatis alienis.* Quid facies tu, qui decipis Sacerdotem? Qui aut ignorantem fallis, aut non ad plenum ſcientem probandi difficultate confundis? Rogo ergo vos, Fratres, etiam pro periculo meo per illum Dominum, quem occulta non fallunt, (2) deſinere vulneratam regere (3) conſcientiam. Prudentes ægri medicos non verentur, ne in occultis quidem corporum partibus etiam ſecaturos, etiam peruſturos. Meminimus quoſdam, remota etiam, & verecunda membrorum non erubeſcentes, in ferro, & cauterio, & graviſſima illa pulveris mordacitate duraſſe. Et quantum eſt illud, quod homines præſtiterunt! Peccator timebit? Peccator erubeſcet, perpetuam vitam præſenti pudore mercari? & offerenti manus Domino, vulnera male tecta ſubducet? Et habet aliquid, quod in illo erubeſcat, qui Dominum læſit? An ſic illi melius eſt perire, ne tu pudore timidus ſine pudore moriaris? non faciens pudori locum, plus de detrimento ejus acquiras, cui pro te melius eſt perire? Quod ſi Fratrum oculos erubeſcitis, conſortes caſuum veſtrorum timere nolite. Nullum corpus membrorum ſuorum vexatione lætatur; (4) pariter dolet, & ad remedium collaborat. In uno, & altero Eccleſia eſt: (5) In Eccleſia vero Chriſtus. Atque ideo qui Fratribus peccata ſua non tacet, Eccleſiæ lacrymis adjutus, Chriſti precibus abſolvitur.

2 Deſinite. *Vat.* 3 Tegere. *Vat.* 4 Immo par. *Vat.* 5 *In.* abeſt. *Vat.*

CVIII. Nunc ad eos ſermo ſit, qui bene, ac ſapienter vulnera ſua pœnitentiæ nomine confitentes; nec quid ſit pœnitentia, nec quæ vulnerum medicina, noverunt; ſimileſque ſunt illis, qui plagas quidem aperiunt, ac tumores, medicisque etiam aſſidentibus confitentur; ſed admoniti quæ imponenda ſunt, negligunt, & quæ bibenda, faſtidiunt. Quod tale eſt, ac ſi dicat aliquis: ecce ego æger, ecce ego vulneratus ſum, ſed nolo curari ſtomachum. Hoc erat, ſed videte, quid ſtultius.

CIX. Additur etiam morbus ad cauſſam, & vulnus adjungitur, & con-

contraria quæque imponuntur, pernicioſa potantur. Quo maxime malo Fraternitas hæc laborat, delictis veteribus nova inſuper adjungendo peccata. Ergo gravius erupit in vitium, & pernicioſiſſima jam tabe cruciatur. Quid ergo faciam nunc Sacerdos, qui curare compellor? Serum eſt in ejuſmodi. Verumtamen ſi quis eſt veſtrum, qui ſecari, & exuri ſuſtineat, adhuc poſſum. Ecce ſcalpellum Propheticum: *Convertimini*,

Joel. 2. 1 *In*, deeſt. *Vat.*

inquit, *ad Dominum Deum veſtrum, ſimulque in* (1) *jejunio, & fletu, & planctu, & ſcindite corda veſtra*. Nolite hanc ſecturam timere, Dulciſſimi. Suſtinuit illam David, jacuit in cinere ſordenti, ſacco inſuper horrente deformis. Ille quondam gemmis aſſuetus, & purpuris, texit in jejunio animam ſuam, cui maria, cui ſylvæ, cui flumina ſerviebant, promiſſaſque divitias terra parturiens; madidus lacrymis conſumpſit oculos illos, quibus gloriam Dei viderat, & infelicem ſe, miſerumque confeſſus eſt pater Mariæ: Judæi etiam dominator Imperii Rex

Maria ex ſtirpe Danielis. 2 Jubas. *Vat.* 3 Barbarum. *Vat.* 4 Incurvis. *Vat.*

ille Babylonius, exomologeſin deſertus operatur, & ſeptenni ſqualore decoquitur. Leonum in illo (2) juba, impexa cæſaries, & (3) barbarus horror exſuperat, & longe (4) incurius unguibus manus horrentes; aquilas mentiuntur, cum fœnum in morem bovis ederet patientium ruminator herbarum. Hæc tamen illum Deo pœna commendat, & in ſua quondam Regna reſtituit. Quem horrebant homines, Deus recipiebat, ipſa illa malæ tractationis calamitate felicem. Ecce ſectio, quam ſpopondi, qui potuerit tolerare, ſanabitur.

CX. Admovebo adhuc ignes de cauterio Apoſtolico. Videamus, an ferre poſſitis: *Judicavi* (inquit) *congregatis vobis, & ſpiritu meo, in*

1. Cor. 5. 5 *Hominem*, abeſt. *Vat.*

virtute Domini Jeſu Chriſti, tradere ejuſmodi (5) *hominem ſatanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit in diem Domini*. Quid dicitis pœnitentes? Ubi eſt veſtræ carnis interitus? An quod in ipſa pœnitentia lautiores ſemper inceditis, convivio farti, balneis expoliti, veſte compoſiti? Ecce aliquem video, aliquando frugi, aliquando pauperculum, aliquando vili tunica ſordulentum: nunc bene cultus, & locuples, & decorus eſt, quaſi imputet Deo, quod illi ſervire non potuit, & morientem animam recreet voluptate membrorum. Bene, quod mediocres ſumus, cæterum & illa faceremus, quod quoſdam non putet lautiores, marmoribus (6) regi, auro opprimi, ſerico fluere, cocco rubeſcere. Si

6 Tegi. *Vat.*

quid ferruginei pulveris in ſupercilio fulgeret, aut ficti nitoris in genas rutilet, aut coacti ruboris in labia deſudet; iſta forſitan non habetis. Non deſunt tamen vobis hortulani, maritive (7) ſeceſſus, & exquiſitius

7 Maritimive. *Vat.*

vinum, & lautiora convivia, & defecatio ſenectutis. Sic agite, ſic eredite, quando vivetis.

CXI. Non ſuſtineo jam, Fratres. Daniel cum ſodalibus ſuis ſacco tectus, & cinere, jejunio etiam exſanguis, hæc loquitur: *Peccavimus, fa-*

Dan. 6.

cinus admiſimus, impie geſſimus, trangreſſi ſumus præcepta, & judicia

Dan. 2.

tua. De Azaria itidem Scriptura Divina: *Stans* (inquit) *Azarias precatus eſt, & aperiens os ſuum exomologeſin faciebat Deo ſimul cum ſodalibus ſuis*. David ipſe: *Lavabo* (inquit) *per ſingulas noctes lectum me-*

Pſ. 6.

um, lacrymis meis ſtratum meum rigabo. Nos vero, quid tale, quid ſimile? Non dico illa, quæ congregamus ad cumulum, cauponando, mercando, rapiendo; foris lucra, intus libidines aucupando; nihil agendo ſimpliciter, nihil pauperibus largiendo, nihil fratribus remittendo. Ne hæc quidem, quæ videri etiam a Sacerdote poſſunt, & Epiſcopo teſte laudari; ne hæc quidem quotidiana ſervamus; flere in conſpectu Eccleſiæ, perditam vitam ſordida veſte lugere, jejunare, orare, provolvi; ſi quis ad balneum vocet, recuſare delicias; ſi quis ad convivium roget, dicere: Iſta felicibus, ego deliqui in Dominum, & periclitor in æternum perire. Quo mihi epulas, qui Dominum læſi? Tenere præterea pauperum manus, viduas obſecrare, Presbyteris advolvi, exoratricem Eccleſiam deprecari, omnia prius tentare, quam pereas.

CXII Scio, quoſdam ex fratribus, & ſororibus veſtris cilicio pectus involvere, cineri incubare, jejunia ſera meditari; & non talia, fort aſſe, peccarunt. Quid de fratribus loquar? Capræ (8) feræ, ut dicunt reme-

8 Capreæ. *Vat.* *Capræ dictamno plagis ſuis medentur.*

dia ſua noverunt: confixas quippe audio venenatis ſagittis, ſaltus peragrare Dictæos, quoad dictamni caule detonſo, ſalutarium virulento latice ſuccorum pulſa decutiant tela corporibus. Nos ignita diaboli ſpicula, nullo pœ-

pœnitentiæ ſucco, nullo exomologeſis gramine repellimus. Excæcatos hirundo pullos novit * oculare de ſua Chelidonia: nos lumina mentis amiſſa nulla malæ tractationis radice curabimus? Ecce nec capreia, nec hirundini homo ſimilis, cæcitati ſuæ invidet, & dolori.

Hirundo pullorum oculis medetur Chelidonia.

* *Oculare*, verbum novè poſitum.

CXIII. Conſiderate nunc, Fratres, (1) quid in fine promiſimus: quis fructus hæc opera, vel contra, quis exitus conſequatur. Peccatoribus delicatis, & pœnitentiam non agentibus Spiritus Domini comminatur, & dicit: *Dilectum veritatis non receperunt, ut ſalvi fierent: ac propterea mittet illis operationem erroris, ut credant mendacio, ut judicentur omnes, qui non crediderunt veritati, ſed ſibi placent in injuſtitiam.* Item Apocalypſis de meretrice ſic loquitur: *In quantum clarificavit ſe, & deliciis exercuit; tantum date ei tormentum, & luctum.* Et Apoſtolus Paullus: *An ignoras, quoniam bonitas Dei in pœnitentiam te perducit? Tu autem ſecundum duritiam tuam theſaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis juſti judicii Dei.*

1 Quod. *Vat.*

2. *Theſſ.* 2.

Apocal. 18.

Rom. 2.

CXIV. Timete igitur, dilectiſſimi, juſta judicia, omittite errorem, damnate delicias; properat jam tempus extremum; tartarus, & gehenna laxatos impiis ſinus pandunt. Poſt animarum tempeſtiva ſupplicia, redivivis quoque perpetua corporibus pœna ſervatur. Nemo Titii jecur credat, & (2) vulturem Poetarum. Ipſe ſibi materiam recreſcentium corporum reparat ignis æternus. Attendite, ſi non creditis: aquarum impetus, qui ignibus [3] furit, ſupplicio nutriente, reparabitur. Si de cruciatu exomologeſis [4] retracti, gehennam recordemini, quam vobis exomologeſis extinguet. Vim ejus, & de præſentibus æſtimate; cujus fumariola quædam, maximos montes ſubterraneis ignibus decoquunt. Æſtuant indefeſſis flammarum globis [5] Æthna, & Liſaniculus, & Veſuvius Campanus: & quo nobis judicii perpetuitatem probent, diſſiliunt, devorantur, nec ullis tamen ſæculis finiuntur.

2 Vulturum. *Vat.*

3 Fuerit. *Vat.*

4 Retractatis. Gehennam recordamini. *Vat.*

5 Æthna Siculus. *Vat.*

CXV. Attendite in Evangelio divitem ſolius adhuc animæ ſuppliciis laborantem. Qualis tandem illa redituris pœna corporibus! quis in illa ſtridor dentium! quis fletus oculorum! Mementote, Fratres, quia apud inferos exomologeſis non eſt, nec pœnitentia tunc tribui poterit, conſumpto tempore pœnitendi. Feſtinate dum in vita eſtis, dum cum adverſario iter facitis. Sæculares ecce ignes timemus, & carnificum ungulas expaveſcimus: comparate cum his æternas torquentium manus, apiceſque flammarum nulla ætate morientium.

Luc. 16.

Matth. 8. 13.

Luc. 13.

CXVI. Per (6) Eccleſiæ fidem rogo vos, Fratres, per ſolicitudinem meam, per communes omnium animas obteſtor, & deprecor, ne pudeat in hoc opere, ne pigeat, oportuna quamprimum remedia ſalutis invadere, dejicere mœroribus animum, ſacco corpus involvere, cinere perfundere, macerari jejunio, mœrore conficere, multorum precibus adjuvari. In quantum pœnæ veſtræ non (7) pepercitis, in tantum vobis Deus parcet. Eſt enim mitis, & patiens, & multæ miſerationis, & qui ſententiam flectat adverſus malitias irrogatam. Ecce promitto, polliceor, ſi ad Patrem veſtrum vera ſatisfactione redeatis, nihil ulerius errando, nihil priſtinis adjiciendo peccatis, dicendo etiam humile aliquid, & flebile *Peccavimus in conſpectu tuo Pater: jam non ſumus digni nomine filiorum*. Continuo de vobis, & pecus illud recedet immundum, & ſiliquarum eſca deformis. Continuo revertentes, & ſtola * veſtiti, & annulus honorabit, & paternus iterum complexus accipiet. Ecce ipſe loquitur: *Nolo mortem peccatoris, quantum ut revertatur, & vivat.* Et iterum: *Nonne* (ait) *qui ceciderit, reſurget; & qui averſatus fuerit, convertetur?* Et Apoſtolus dicit: *Potens eſt Deus ſtatuere illum*

6 Per ego vos Ec. Fid. ſr. *Vat.*

Matth. 8.

7 Pepercetis. *Vat.*

* Melius, veſtiet.

Luc. 15.

Ezec. 33.

Apoc. 2.

Luc. 15.

CXVII. Apocalypſis etiam ſeptem Eccleſiis, niſi pœnitentiam egerint, comminatur. Nec utique non pœnitentibus comminaretur, niſi ignoſceret pœnitentibus. Etiam ipſe Deus dicit: *Memento ecce unde cecideris, & age pœnitentiam*. Et iterum: *Cum converſus ingemueris, tunc ſalvaberis, & ſcies ubi fueris.* Nec quiſquam adeo peccatricis animæ vilitate deſperet, ut ſe jam non neceſſarium Deo credat. Neminem noſtrum perire vult Dominus; etiam modici, & minimi requiruntur. Si non creditis, intuemini: ecce in Evangelio drachma requiritur, & vicinis inventa monſtratur. Ovicula ſuppoſitis reportanda cervicibus, non eſt oneroſa paſtori. Super unum peccatorem pœnitentiam agentem in Cælis Angeli gaudent, & chorus cæleſtis exultat. Heus tu peccator, rogare ne deſinas! Vides ubi de tuo reditu gaudeatur. Amen.

LE-

LECTORI.

CXVIII. *Hucuſque S. Pacianus in Paræneſi; cui ſtatim decreveram adjungere libellum ipſius* De Baptiſmo. *Sed cum hic non ſolum exſtet cum aliis ipſius ſcriptis apud Bibliothecam Veterum PP. præſertim Aniſſonianam; ſed nec conferri potuerit cum ms. Sereniſſimæ Suecorum Reginæ ob anguſtiam temporis; nec denique ſpectet ad refutandam hæreſim Novatianam, quam hucuſque oſtendimus damnatam ſemper fuiſſe a Patribus Hiſpanis; viſum fuit illum hoc loci prætermittere, & ſtatim adjicere Notas quaſdam in præjactas Epiſtolas, atque in Paræneſin, ſive Exhortationem ad pœnitentiam, quæ eſt illarum veluti appendix, aut antidotum veneni illius, quod fortaſſe oriri poſſet occaſione impugnandi acrius hæreſin prædictam.*

NOTÆ CARDINALIS DE AGUIRRE

IN SCRIPTA

SANCTI PACIANI.

IN EPISTOLAM PRIMAM.

CXIX JAM monui initio, me ea S. Paciani ſcripta contra Novatianos intra hoc volumen recudere voluiſſe, ut uberius depellerem invidiam Novatianiſmi, a quibuſdam conflatam multis Hiſpaniæ Epiſcopis; ac præſertim Oſio, & ſociis ejus in Concilio Eliberitano, & Sardicenſi, ubi multi Canones ea auſteritate conditi ſunt, ut cenſuerint aliqui, etiam e Catholicis, Patres illos lapſis poſt Baptiſmum omnem prorſus veniam, aut januam ad reconciliationem præcluſiſſe. Sed enim licet eam cenſuram multipliciter rejecerim in ſuperioribus Diſſertationibus, & latius in *Commentariis ad Concilium Eliberitanum*; proderit eidem defenſioni confirmandæ auctoritas S. Paciani Epiſcopi Barcinonenſis, omnium opinione doctiſſimi, & piiſſimi, qui jam florebat longe, & late vivente adhuc Oſio.

CXX. Nimirum Oſius cum aliis quinque Epiſcopis Hiſpanis interfuit Concilio Oecumenico, ac numeroſiſſimo Sardicenſi anno Chriſti CCCLVII. ac demum centenarius obiit Sirmii an CCCLVII. (ut ibidem oſtendimus) vel Cordubæ an. CCCLX. ut aliis placet. Tunc autem S. Pacianus jam erat celebris in Hiſpania, cum, teſte S. Hieronymo in *Catalogo*, mortuus fuerit ſub Theodoſio Principe *in ultima ſenectute*. Theodoſius porro imperavit ab anno CCCLXXIII uſque ad CCCXCV. Itaque colligitur, quo tempore obiit Oſius, Pacianum maturæ jam ætatis fuiſſe, annorum nempe plus minus ſexaginta, & magnæ exiſtimationis; veluti qui viginti annis poſtea, aut circiter, in extrema ſenecta periodum diuturnæ vitæ clauſerit, ſummum circa annum CCCLXXX. Quin & Cardinalis Bellarminus in aureo Libro, *De Scriptoribus*, Pacianum ipſum florentem, ac ſcribentem collocat anno CCCLX. id eſt, triennio poſt mortem Oſii.

CXXI. Certum autem videtur, Pacianum adeo obſervantem, ac religioſum in doctrina Patrum ſequenda, ut ejus ſcripta indicant, nihil tradere auſum, tam adverſus Novatianos, quam circa pœnitentiam de peccatis agendam, niſi juxta ſenſum Eccleſiæ, ac regulas SS Patrum, eorum præſertim qui ſuo ipſius ſæculo Canones Pœnitentiales tradiderant, primum quidem in Concilio Emeritano intra Hiſpaniam, deinde in Arelatenſi I. apud Galliam, ac tandem in Oecumenico Sardicenſi. Itaque tam Paciani, quam Oſii, & aliorum Epiſcoporum intra Eccleſiam Catholicam eo quarto ſæculo, idem circa pœnitentiam ſenſus, & plane orthodoxus fuit, quamvis non omnino æqualis quoad auſteritatem. Hæc enim aliis, & aliis temporibus major, vel minor fuiſſe invenitur pro varietate, neceſſitate, aut conditione rerum occurrentium.

CXXII. Cum autem non ſit mentis meæ, aut præſentis inſtituti, in ea S. Paciani ſcripta edere Commentarium (quo certe digniſſima ſunt, ut peccatores quique meminerint unde exciderunt, & congruam de delictis pœnitentiam agere doceantur, ac perſuadeantur) ſed breves tantum Notas, illas excurrendo proferam, reſpondentes numeris marginis præmiſſis unicuique paragrapho a principio ad finem Scriptorum ipſius.

Ad §. 1. *Pacianus Sympronianо Fratri, &c.*] Dolet hæreſes abſque numero fere quolibet tempore ab ipſa ætate Apoſtolorum, & deinceps, ortas fuiſſe in Eccleſia: ac præcipuas earum refert, proprio cujuſque Auctore nominato, atque in iis Novatianam; & Sympronianum ipſum de Fide, ac ſinceritate ſuſpectum, monet ab iis omnibus recedendum eſſe, ſiquis Catholici nomine dignoſci, aut cenſeri velit. Nimirum ab eo alieniſſimos eſſe omnes hæreticos, veluti *Marcioniſtas*, *Apollinariacos*, *Cataphrygas*, *Novatianos*, *& cæteros ejuſmodi*.

CXXIII. Ad §. 2. *Quid? Parva nobis, &c.*] Allegat generatim Viros Apoſtolicos, Sacerdotes primos, ac nominatim Cyprianum Martyrem, & Doctorem, ac cæteros annoſos Epiſcopos, Martyres, & Confeſſores. Unicuique enim eorum veluti teſſera fuit. *Chriſtianus mihi nomen eſt, Catholicus vero cognomen*: id eſt, *Univerſalis*, ſive univerſa Fidei dogmata retinens. Idem quoque interpretantur, *univerſis mandatis Dei obediens*. Quod certe non faciunt quicumque propter hæreſin a communione Eccleſiæ Catholicæ dividuntur.

CXXIV. Ad §. 13. *De pœnitentia vero, &c.*] Hinc Sympronianum de Novatianiſmo ſuſpectum, ac ſubinde alios ſimiles, aut deteriores in ea parte, propius admonere incipit,

pit, deſiderium ſuum oſtendens, ne quis poſt Baptiſmum egeat pœnitentia, cum melius ſit innocentiam ſervare. At poſito, quod hanc amiſerit crimine aliquo, hortatur ad reſipiſcendum: non ut ſub ſpe veniæ accipiendæ iterum delinquat; ſed potius ut horrore commiſſi ſceleris digne pœniteat, confiteatur humiliter, & fructus veræ, ac perpetuæ emendationis proferat. Hac enim vindicta placatur Deus, & juſtitia amiſſa recuperatur. Quod variis Scripturæ teſtimoniis, & exemplis comprobat, adverſus Novatianorum duritiam, qua nolebant Lapſos, licet digne pœnitentes, unquam ab Eccleſia ſcelerum ſuorum veniam accipere: immo & negabant ipſi, eam poteſtatem a Chriſto Domino concedam, ut poſtea apparebit.

CXXV. Ad §. 19. *Scio, Frater, hanc ipſam pœnitentiæ veniam non paſſim omnibus dari; nec antequam, aut interpretatio Divinæ voluntatis, aut viſitatio fuerit, relaxari: magno pondere, magnoque librumine, poſt multos gemitus, effuſionemque lacrymarum, poſt totius Eccleſiæ preces, ita veniam veræ pœnitentiæ non negari, ut judicaturo Chriſto nemo præjudicet.*] His graviſſimis verbis, & attenta conſideratione digniſſimis, S. Pacianus ita reſpuit crudelitatem Novatianorum, ut ſimul præcaveat, aut frænet errorem contrarium Sacerdotum, facile, ac tenere habenas laxantium, qui abſque *magno pondere, magnoque libramine*, peccatoribus non rite diſpoſitis abſolutionem a peccatis largiri audent, & *judicaturo Chriſto præjudicare* non metuunt.

CXXVI. Sane hanc doctrinam didicit Pacianus ex ſacris Literis, & perpetuo uſu Eccleſiæ, ac monitis SS. Patrum, præſertim Cypriani, quem impenſe laudat. Is enim variis locis ita Novatianos refellit, ut tamen auſteritatem pœnitentiæ ad veniam ſcelerum obtinendam graviſſimis, ac terribilibus verbis ſæpe commendet, præſertim toto fere Libro, *De Lapſis*. Libellos Martyrum, jam jam ſubiturorum glorioſam pro Chriſto necem, indiſcriminatim oblatos pro Lapſis ad communionem recipiendis, ante editos veræ pœnitentiæ fructus, redarguit velut intempeſtivos, & nihil iis in eo ſtatu profuturos. Lege Epiſtolas ipſius x. xi. xii. xiv. xxiii. xxvii. & xxix. juxta editionem Pamelii; ſive illas, quæ iis reſpondent in recentiore alia Nicolai Rigaltii.

CXXVII. Nimirum Cyprianus citato Libro, *De lapſis*, inter plura alia, docens non perfunctoriam, ſed ſeriam, & integram converſionem peccatoris ad Deum eſſe debere, ait, *Convertamur ad Deum mente tota, & pœnitentiam criminis veris doloribus exprimentes Dei miſericordiam deprecemur*. Et inſuper: *Iram & offenſam ejus jejuniis, fletibus, planctibus, ſicut admonet ipſe, placemus*. Ac plenius alio ejuſdem Libri loco inſtruens Sacerdotes, qualiter cum pœnitentibus agant, ita quorundam negligentiam, aut facilitatem in abſolvendo redarguit: *Cum ſcriptum ſit*: Qui vos felices dicunt, in errorem vos mittunt, & ſemitas pedum veſtrorum turbant; *qui peccantem blandimentis adulantibus palpat, peccandi fomitem ſubminiſtrat: nec comprimit delicta ille, ſed nutrit. At qui conſiliis fortioribus redarguit, ſimul atque inſtruit fratrem, promovet ad ſalutem*. Quos diligo (*inquit Dominus*) redarguo, & caſtigo. *Sic oportet, & Dei Sacerdotem non obſequiis decipientibus fallere, ſed remediis ſalutaribus providere. Imperitus eſt medicus, qui tumentes vulnerum ſinus manu parcente contrectat, & in altis receſſibus viſcerum incluſum virus dum ſervat, exaggerat. Aperiendum vulnus eſt & ſecandum, & putraminibus amputatis, medela fortiore curandum. Vociferetur, & clamet licet, & conqueratur æger impatiens per dolorem: gratias aget poſtmodum, cum ſenſerit ſanitatem.*

CXXVIII. Statim autem invehitur acrius contra Sacerdotes nimium lenes, & laxones erga Lapſos, & ſcelerum reos, quibus indiſcretam, & infructuoſam remiſſionem, ſive impunitatem indulgebant: *Emerſit* (inquit) *Fratres dilectiſſimi, novum genus cladis, & quaſi parum perſecutionis procella ſævierit, acceſſit ad cumulum ſub miſericordiæ titulo malum fallens, & blanda pernicies. Contra Evangelii vigorem, contra Domini, ac Dei Legem temeritate quorundam laxatur incautis communicatio: irrita, & falſa pax, periculoſa dantibus, & nihil accipientibus profutura. Non quærunt ſanitatis patientiam, nec veram de ſatisfactione medicinam: pœnitentia de pectoribus excuſſa eſt: graviſſimi extremique delicti memoria ſublata eſt. Operiuntur morientium vulnera: & plaga lethalis altis, & profundis viſceribus infixa, diſſimulato dolore contegitur.*

CXXIX. Hæc ille glorioſus Doctor, ac Martyr, gravi, & attenta conſideratione digniſſima, non modo iis, qui ſceleribus ſuis gratiam in Baptiſmo receptam abjecerunt; verum etiam Sacerdotibus, ad quorum tribunal, & Doctoribus, ad quorum conſilium recurrunt: ne forte indulgentius cum pœnitentibus agentes, & leviſſimam ſatisfactionem pro peccatis graviſſimis imponentes, *peccatorum alienorum participes efficiantur*, ut totidem verbis monet Concilium Tridentinum Seſſ. xiv.

CXXX. Huc etiam ſpectat, quod idem Cyprianus ſub finem citati Libri, *De Lapſis* adjungit, præ oculis habita a S. Paciano, & aliis Patribus: quæ juxta majorem, aut minorem numerum, & gravitatem peccatorum intelligi debent: *Deus quantum pietate Patris indulgens, ſemper, & bonus eſt, tantum Judicis majeſtate metuendus eſt. Quam magna deliquimus, tam granditer defleamus, Pœnitentia crimine minor non ſit. Putaſne tu, Dominum poſſe placari, quem verbis perfidis abnuiſti; cui patrimonium præponere maluiſti? cujus templum ſacrilega contagione fœdaſti? quem tuum non eſſe dixiſti? Orare oportet impenſius, & rogare, diem luctu tranſigere, vigiliis noctes, ac fletibus ducere, tempus omne lamentationibus lacrymoſis occupare, ſtratos ſolo adhærere cineri, in cilicio, & ſordibus volutari: poſt indumentum Chriſti perditum, nullum jam hic velle veſtitum: poſt diaboli cibum, malle jejunium: juſtis operibus incumbere, quibus peccata purgantur: eleemoſynis frequenter inſiſtere, quibus anima liberantur &c.*

CXXXI. Sed multus ſim, & promiſſam brevitatem tranſgrediar, ſi plura ſimilia ex eodem Cypriano, Tertulliano, Ambroſio, Baſilio, Cæſario, Gregorio, aliiſque SS. Patribus,

Digitized by Google

bus, immo & aa S. Carolo Borromæo, noſtris temporibus adeo vicino, proferre velim, tam contra nimiam negligentiam peccantium in ſatisfaciendo majeſtati Dei offenſi, quam adverſus oſcitantiam, & temeritatem quamplurium Sacerdutum, Doctorum, aut Scripturum, in iis admonandis, corrigendis, & hortandis ad agendum dignos pœnitentiæ fructus, ſive ſcelerum numero, & gravitati reſpondentes, ut exponit ſpeciatim S. Gregorius Magnus Hom. 20. in Evangelia, ad verba illa: *Facite fructus dignos pænitentiæ*. Sed tamen moneo, neminem privata auctoritate poſse renovare Canones illos veteres Pœnitentiæ jam diu obſuletos, quatenus ea ſolo jure Ecclaſiaſtico ortum ducunt. Standum eſt regulis probatis ab Eccleſia Romana, præſertim in Tridentino Seſs. *XIV.* & Legibus prudentiæ Chriſtianæ.

IN EPISTOLAM SECUNDAM.

CXXXII. AD §. 20. *In quæſtione prolixa &c.*) Hinc patet, Sympronianum Novatianiſmo præoccupatum, ægre tuliſſe admonitiones S. Paciani, & fraudulento animo ad ajus Epiſtolam primam reſcripſiſſe interrogando, inſtar Rabbinorum, præſumentium de doctrina ſua, & volentium Chriſtum Dominum capere in ſermone. Erat enim tumidus, audax, eruditulus, & jactator illius tenuis, ac puerilis humaniorum literarum notitiæ, qua grammaticaſtri quidam ſuperbire, & graviſſimis SS. Patrum ſcriptis inſultare ſolent. Idem imbutus paradoxo illo immani Stoicurum, omnia peccata æqualia cenſuit, & Lapſos abſque ullo diſcrimine ſolius Dei judicio relinqui debere, nec dandam iis eſſe actionem pœnitentiæ, aut, ea peracta, abſolvendos ab Eccleſia, veluti cui nulla ad id eſſet poteſtas. Quem errorem S. Pacianus ſupra, atque Epiſt. III. ſequenti deſumptum arbitratur ex hæreſi κατὰ Phrygas, ſicuti, & ex Secta Montani plura alia impia dogmata a Novatianis deſumpta fuiſſe obſervat S. Dionyſius Alexandrinus, apud Euſebium Libro 7. *Hiſtoriæ*, Capit. 7. Thaodoretus Lib. 3 *Hæreticarum fabularum*, & Sanctus Auguſtinus in Epiſtola 108.

CXXXIII. Ad §. 22. ad finem: *Novatus, inquam, patre prodito, Eccleſia derelicta, partu uxoris effuſo. Egone Apoſtaticus, an Novatianus, quem abſentem Epiſtola Epiſcoporum finxit, quem, conſecrante nullo, linteata Sedes accepit?*) Memorat ſcelera Novati, a quo primum Secta illa ortum habuit, & ſubinde Novatiani, qui illam propagavit, & famoſiorem reddidit. Porro Novatus fuit Epiſcopus in Africa, turpiſſimæ, ac flagitioſiſſimæ vitæ, cujus avaritiam, crudelitatem, & parricidia deſcribit S. Cyprianus Epiſtola XLIX. quam præ oculis videtur habuiſſe S. Pacianus, ubi hanc ſcribebat. Cum autem Cyprianus ipſa decreviſſet, Lapſos nun eſſe crudelitar repellendos, ſed diuturniore, ac ſevera ſatisfactione probandos; Feliciſſimus Presbyter ſchiſma conflavit, cui adhæſit Novatus, conturbans Eccleſiam Africanam, & ſubinde Romam veniens, ubi invenit Novatianum Presbyterum. Hic ambitione, & invidia furens ob S. Cornelium ſibi prælatum in Pontificatu, eacitavit ſchiſma, & primus inter omnes Antipapa extitit, lintao candido indutus, veluti in ſignum munditiei, quam affectabat Secta Catharorum. Prupterea videtur dicera Pacianus de illo: *Quem, conſecrante nullo, linteata Sedes accepit*. Novatianus itaque Presbyter Romanus, adverſus Cornelium legitimum Papam, concedentem veniam Lapſis poſt pœnitentiam dignam, conſpiravit cum Novato, ejuſque Sectam ampliavit adeo, ut quaſi illius conditor babeatur, apud Epiphanium, Nazianzenum, Auguſtinum, Ambroſium, Philaſtrium, Socratem, ſicuti & apud noſtrum Pacianum.

CXXXIV. Ad §. 33. *Cypriani Epiſtolas mibi placere miraris? Quidni beati Martyris, & Catholici Sacerdotis? Novatianum mibi ingeris*] Uſque adeo inſaniebat Sympronianus amore Novatiani, ut hunc, licet volentem intrare ad Pontificatum aliunde, quam per oſtium, & rebellem in Eccleſiam Catholicam, præferret S. Epiſcopo & Martyri ac Doctori Cypriano in ſcriptis ſuis; veluti noctuam aquilæ, aut teſtudinem equo. Verum inſaniam Semproniani rafellit Pacianus prolatis in medium Novatiani vitiis, quod ſolum imbutus ſæculari Philoſophia, ab Eccleſia Dei vivi degeneraſſet; radicam Legis antiquæ, fontem veteris populi reliquiſſet, Cornelio Pontificatum invidiſſet, Novati inſaniæ ſe accommodaſſet, ac tanquam Epiſcopum ſe geſſiſſet abſque conſecratione legitima.

CXXXV. Nec vero tantum iis ſordibus inquinatus fuit Novatianus, qui alioqui ſe τῶν Καθαρῶν, id eſt, *Purorum*, principem haberi volebat, ſed etiam aliis pluribus. Fuarat enim ordinatus Presbyter contra Canonum inſtituta, quibus arcebantur ab Ordinibus Eccleſiaſticis quotquot in lecto decumbentes ob ægritudinem, baptizati fuerant, qualiter eidem contigerat. Deinde, uti erat ſuperbia, & ambitione plenus, dumtaaat Baptiſmum a ſe collatum jactabat validum, illumque conferebat orthodoxis ipſis, ac rite antea baptizatis, ſi quis forte ad Sectam ipſius defeciſſet. Unde & januam aperuit novæ Sectæ Donatiſtarum, quæ tamdiu poſtea graſſata fuit, præſertim in Africa. Vide plura alia infra num. 143.

CXXXVI. Ad §. 34. *Porro etiamſi paſſus eſt aliquid Novatianus &c.*] Etiam in boc inſaniebat Sympronianus, ut ad præferendum Cypriano Novatianum diceret, hunc illi Martyrio præcurriſſe, omnino abſque ulla veri ſpecie, aut fundamento in verbis ejuſdem Cypriani. Hic nunquam memorat aliquid pro Fide paſſum Novatianum, ſed potius eum redarguit veluti perſecutorem Sancti Cornelii, cui Pontificatum invidebat, non modo Martyris, ſed & Ducis aliorum Martyrum, & jam coronati, ſuperſtite ipſo Novatiano, cui animus non fuit ad fareudam pro Chriſto necem.

CXXXVII. Sane tam procul fuit S. Cyprianus a referando Novatiano inter Martyres, ſive inter eos, qui aliquid pro vera Fide paſſi ſunt, ut potius utriuſqua errores exagitaverit, qua verbis, qua ſcriptis, Epiſtolis plurimis, etiam modo exſtantibus, & præterea Libro, *De uni-*

Digitized by Google

unitate Eccleſiæ Catholicæ , ad revocandum ab hæreſi Novati , ac Novatiani omnes illos Confeſſores , quos ambo ii , literis , & exemplo pravo ſeduxerant , & a Cornelii Pontificis legitimi obedientia ſeparaverant .

CXXXVIII. Profuit autem plurimum Liber ille Cypriani , ejuſque Literæ . Nam qui Novatianiſmo infecti erant Confeſſores , agnito errore, in Eccleſiæ ſinum, & unitatem redierunt, obedientia exhibita legitimo Vicario Chriſti , Cornelio, ut ex mutuis ipſius, & Cypriani Epiſtolis XLVI. XLVII. XLVIII. & XLIX. conſtat : ubi & illa reſipiſcentium formula legitur : *Nos Cornelium Epiſcopum ſanctiſſimæ Catholicæ Eccleſiæ, electum a Deo omnipotente, & Chriſto Domino noſtro ſcimus . Nos errorem noſtrum confitemur ; nos imposturam paſſi ſumus perfidia, & loquacitate captioſa . Nam etſi videbamur , quaſi quandam excommunicationem cum ſchiſmatico , & hæretico homine habuiſſe ; ſincera tamen mens noſtra in Eccleſia fuit . Nec enim ignoramus unum Deum eſſe , unum Chriſtum eſſe Dominum , quem confeſſi ſumus . unum Spiritum Sanctum, unum Epiſcopum in Eccleſia Catholica eſſe debere .*

IN TERTIAM EPISTOLAM.

CXXXIX. AD § 37. *Tractatus omnis Novatianorum , &c.*] Refert Sanctus Pacianus ſummam doctrinæ Novatianorum ſibi a Symproniano miſſam , & in eo ſitam , *ut mortale peccatum Eccleſia donare non poſſit ; immo quod ipſa pereat , recipiendo peccantes* . Aurea vero ſunt , quæ ſtatim ſubdit S. Pacianus in exprobrationem , ſimul & impugnationem adeo inſani , & impii Dogmatis , præſertim ex teſtimoniis Scripturæ Sacræ , & exemplis in ea contentis .

CXL. Itaque Novatus , & Secta ab illo denominata Novatianorum , non modo erravit in nimia auſteritate erga quoslibet poſt Baptiſmum peccantes ; ſed etiam in neganda poteſtate Eccleſiæ ad veniam , ſive reconciliationem iis largiendam . Quo eodem ſenſu id impium Dogma intellexit Paciani ſynchronos Epiphanius κατὰ Καθαρῶν , *contra Catharos* (ipſi ſunt Novatiani) Hæreſi XXXIX. (alias LIX. juxta partitionem Petavii) quibuſdam additis . Cum enim præcedenti Capite de Valeſiis egiſſet, mox de Novatianis ita tractare aggreditur : Καθεξῆς δὲ τούτων Καθαροὶ τινες λεγόμενοι ἐφύησαν , ἀπὸ Ναβάτου , ὡς πολὺς ᾄδεται λόγος . οὗτος ὁ Ναβάτος ἐπὶ τῆς Ῥωμαίων ὑπῆρχεν , ἐν καιρῷ τοῦ διωγμοῦ τοῦ πρὸ Μαξιμίνου γενομένου πρῶτον . τάχα οἶμαι Δεκίου τότε ὄν , ἢ Αὐρηλιανοῦ . ἀπὸ δὲ τῆς προφάσεως τῶν ἐν τῷ διωγμῷ παραπεσόντων ἐπάρματι ἀρθεὶς , ἅμα τοῖς ἀπαγομένοις αὐτῷ μὴ θελήσας κοινωνῆσαι τοῖς μετανοήσασιν ἀπὸ τοῦ διωγμοῦ , εἰς αἵρεσιν ταύτην τέτραπται , λέγων μὴ εἶναι σωτηρίαν , ἀλλὰ μίαν μετάνοιαν . μετὰ δὲ τὸ λουτρὸν , μηκέτι δύνασθαι ἐλεῆσαι παραπεπτωκότα . Id eſt : *Proximi ab iſtis* (nempe Valeſiis) *Cathari* (id eſt , *puri* , & candidis veſtibus incedentes) *quidam exorti ſunt a Novato , ut fama percrebuit. Novatus porro Romæ perſecutionis illius tempore fuit , quæ eam anteceſſit , quam Maximinus excitavit ; quæ Decii , ut opinor, aut Aureliani fuit . Quamobrem propter eos , qui in illa perſecutione lapſi fuerant , cum arrogantia una cum ſuis* (ecce jam Novatianos ejus gregales) *inflatus , eos in communionem nollet admittere, qui poſt perſecutionem pœnitentiam ſuſceperant , ad eam ſe convertit hæreſim , ut nullam eſſe ſpem ſalutis aſſereret , atque unam dumtaxat eſſe pœnitentiam . Qui autem poſt Baptiſmum delinqueret , NULLAM ERGA EUM MISERICORDIAM ADHIBERI POSSE .*

CXLI. Ecce qualiter manifeſto SS. Epiphanii , & Paciani teſtimonio , Novatiani propterea Lapſis in peccatum mortale poſt Baptiſmum actionem pœnitentiæ, & remiſſionem negarent , quod crederent , Eccleſiam nullatenus illam largiri poſſe . Id autem ab utroque eo S. Præſule rejicitur palam teſtimoniis Scripturæ, exemplisque manifeſtis . Unde durities inexorabilis Catharorum , ſive Novatianorum , erga Lapſos , non proceſſit ex zelo ſalutis animarum, & ſtudio diſciplinæ Eccleſiaſticæ , quemadmodum auſteritas Oſii, & aliorum Patrum in Conciliis , Eliberitano , Arelatenſi I. & Sardicenſi Oecumenico , in quibus multi Canones ſtatuti fuerunt ſatis ſeveri . Hi enim Patres ita Lapſis negabant perpetuo communionem ob quædam graviſſima crimina , ut tamen faterentur poteſtatem Eccleſiæ a Chriſto conceſſam ad omnia dimittenda . Conceſſa itaque Eccleſiæ poteſtate, ſolum cenſebant, uſum moderandum , & ſeverius diſpenſandum , ut terrore ejus pœnæ homines in officio continerentur .

CXLII. Cæterum Novatiani errabant capitaliter , negando, poteſtatem fuiſſe a Chriſto conceſſam ad remittendum peccata poſt Baptiſmum commiſſa: indeque abducebantur ad actionem pœnitentiæ Lapſis negandam , & reconciliationem exhibendam . Non eos zelus ſalutis animarum impellebat , cum illas abſque remedio relinquerent , veluti in deſperationis hiatu. Non ducebantur impulſu charitatis , quæ patiens, & benigna eſt, atque omnia ſuſtinet, omnia ſperat , ut inquit Apoſtolus . Superbia , & tumor Phariſaicus mentis , qua ſe ſolos jactabant Catharos , ſive puros , in cauſa erat , ut indignarentur, & deſpicerent miſeros quoſque, ſi forte , vel ob infirmitatem ſolam , poſt ſalutare lavacrum in aliquod peccatum mortale labi contigiſſet . Et certe intolerandum præterea eſt , quod Novatus illorum Patriarcha, cujus crimina pudenda ſupra ex ſanctis Patribus memoravimus , ac nominatim ex Paciano, tam delicatus , & inexorabilis eſſet circa aliena peccata , qui propriis onuſtus longe gravioribus, egebat majori indulgentia . Sed forte Phariſaico illo genio occæcatus , & trabem in oculo proprio non videns , in alieno feſtucam notabat , uti ſuperbiſſimi hypocritæ ſolent .

CXLIII. Nimirum , huc maxime ſpectat , quod S. Pacianus poſtea num. 50. de eodem Novato inquit : *Ex Africa, fraudatis in Carthaginenſi Eccleſia viduis , ſpoliatis pupillis , pecunia Eccleſiæ denegata , projecto extra domum patre , & eodem fame mortuo , nec ſepulto , uxoris gravidæ utero calce percuſſo , partuque ejus effuſo , Romam venit .* Hic ita-

que tantorum criminum reus, Catharorum, ſive Purorum anteſignanus fuit, veniam Lapſis negantium, qua ii longe minus digni erant. Vide ſupra num. 134.

CXLIV. Quod autem Novatus *μίαν μετάνοιαν*, *unam pœnitentiam*, ſive unicam eſſe dicebat, non uſurpat eo ſenſu, quo in Canonibus ſacris, & apud veteres Patres ſæpe legitur, monetque Syricius Papa in Epiſtola ad Himerium Tarraconenſem Epiſcopum poſtea exhibenda, pœnitentiam unicam eſſe debere poſt Baptiſmum. Ipſi enim loquuntur de pœnitentia ſolenni Canonibus ſtatuta, quæ ſemel tantum agebatur, licet diuturno tempore, & poſt lavacrum regenerationis, pro certis criminibus atrocioribus, ac nonnunquam toto vitæ decurſu. Novatus autem & gregales, illam *unam pœnitentiam*, in ſolo Baptiſmo ſitam arbitrabantur, & nullam poſtea admittebant, negato prorſus Pœnitentiæ Sacramento, & Clavibus Eccleſiæ ad ſolvendum, vel ligandum rejectis, contra manifeſtum Chriſti oraculum, ac promiſſum.

CXLV. Eam impietatem, ſimul & inſaniam, tam ſapienter,& fortiter impugnat S. Pacianus hoc loco, ut Novatianis, adhuc ſuo ævo eandem Hæreſiarchæ ſui cramben recoquentibus, & in iis Semproniano, mutis eſſe licuerit. Digna certe lectu eſt elegans, erudita, ac nervoſa S. Præſulis invectiva; & ejus ſtylus ſatis oſtendit, quam verſatus ille eſſet in lectione veterum ſcriptorum Eccleſiæ, præſertim Tertulliani, ac Cypriani. Denique omnia hæc Paciani ſcripta digniſſima ſunt, ob inſignem pietatem, eruditionem, & eloquentiam, præclaro aliquo Commentatore, & illuſtratore, non minus quam aliæ lucubrationes Patrum præcedentium, aut ſequentium, quibus enucleandis, & exornandis tot præſtantes Viri ſuum ſtudium, & operam contulerunt.

CXLVI. Omnes vero Semproniani objectiones, cavillos, tricas, & effugia, proponit Pacianus decurſu totius Epiſtolæ, eaque præcludit ineluctabilibus argumentis ex Scriptura Sacra deſumptis, & ea methodo, ac vi, ut nihil ipſi reponendum, aut excipiendum relinquere videatur. Evolve illa omnia, quæſo, lector erudite, & fatebere, nihil præſtantius hiſce Epiſtolis inveniri in ſcriptis veterum Eccleſiæ Patrum.

CXLVII. Ad §. 92. Conſignat clave aurea Sanctus Pacianus pulcherrimam Epiſtolam, & diſputationem adverſus Novatianos, conteſtans Semproniano eorum defenſori, ſe omnibus prorſus ſibi propoſitis, aut objectis reſpondiſſe, ne uno quidem verbo, aut apice neglecto. Itaque inconcuſſam demonſtrat Eccleſiæ doctrinam teſtimoniis Scripturæ manifeſtis, traditione Apoſtolorum, & communi præcedentium Patrum aſſenſu firmatam, de Lapſis poſt Baptiſmum reconciliandis, abſolvendis, & ad pacem Eccleſiæ recipiendis; non quidem dum in ſceleribus perſiſtunt, aut non pœnitent, ſed ubi dignis pœnitentiæ fructibus exhibitis, ſe idoneos, ſive diſpoſitos exhibent ad veniam recipiendam. Quam in rem ſpecioſa præſertim ſunt verba illa ex §. 81. *Utinam Cypriano teſte niteris: utinam tam ſalubribus ſententiis acquieſcas. Ille enim cum Lapſos ad pœnitentiam cogeret, qui pœnitere nolebant, dicentes, a Confeſſoribus, ſive Martyribus accepiſſe ſe pacem; docuit, & oſtendit quod nec Patriarchæ illi* (nimirum Moyſes, & alii, de quibus antea loquutus fuerat) *pro non pœnitentibus impetrarent, Etenim quis liberare poſſit invitum? quis pro ſuperbis humiliari? quis pro non pœnitentibus impetrare? Quod utique cum diceret, ad pœnitentiæ cogebat remedia.*

CXLVIII. Quare S. Pacianus hac diſertiſſima Epiſtola nullatenus Lapſis miniſtrat occaſionem peccandi ſub ſpe veniæ (ut Novatiani effutiebant) ſed potius ſtantes poſt Baptiſmum ſæpiſſime hortatur, ut innocentiam in eo acceptam, ſive regenerationis gratiam retineant. Poſito autem, quod illam ſcelere aliquo ſuperveniente amiſerint; hortatur illos ad dignam pœnitentiam agendam, & plenam cordis contriti, atque humiliati converſionem ad Deum, quam ipſe non deſpicit, ſed benigne admittit, atque ejuſdem ſuaſu, & inſtinctu Eccleſia mater recipit, ut veniam, & gratiam aſſequantur.

CXLIX. Eidem doctrinæ S. Paciani conſonat per omnia S. Epiphanius citata Hæreſi LIX. κατὰ τῶν Καθαρῶν, alias XXXIX. omnino legendus; ubi & paullo poſt initium luculenter exponit celebrem illum, ac difficilem locum Hebræorum 6. v. 8. *Impoſſibile eſt eos, qui ſemel illuminati ſunt &c.* quo Novatiani abutebantur ad crudelitatem ſuam firmandam. Nam licet ex Apoſtolo ibidem conſtet, renovationem illam, ſeu regenerationem in Chriſto per Baptiſmum, ſemel amiſſam per crimen aliquod, iterum haberi non poſſe (non enim Baptiſmum iterare fas eſt) attamen ex eodem loco verbis ſequentibus ſatis colligitur, iiſdem Lapſis eſſe remedium, ſi æmulentur chariſmata meliora, ſi amplectantur viciniora ſaluti, ſi opera digna pœnitentiæ faciant, quæ nunquam obliviſcitur Deus. Unde concludit Epiphanius ex verbis, & ſenſu Pauli: Θεὸν ἀντιλήπτορα τῆς ἀγαθοεργίας αὐτῶν, καὶ ἀπὸ τῶν παραπτωμάτων τελειότατα μετανοούντων, καὶ ἐπιστρεφόντων, καὶ μεταμελομένων. *Deum recte ab iis factorum eſſe ſuſceptorem, qui delictorum ſuorum abſolutam pœnitentiam capeſſerent, ſeque adeo converterent, animumque mutarent.*

CL. Subdit autem illico Epiphanius (per omnia conſonans Paciano, cujus Epiſtolas illas fortaſſe legit, & ſaltem legere potuit, atque intelligere, utpote πεντάγλωττος dictus) Δέχεται ἂν ὁ ἅγιος λόγος &c. *Quamobrem cum Divinus ſermo, tum ſancta Dei Eccleſia perpetuo pœnitentiam approbat; non quod mollior, ac dilutior ſit, aut pigriores illos faciat, qui in illo ſtudio decurrunt: ſed ut Dei gratiam humanitatemque non rejiciat, ac cujuſque cauſſæ modum, & rationem conſideret.* Quibus plane obſtruitur os Novatianis, miſericordiæ Dei interminæ limites deſignare auſis, & piiſſimæ Matris Eccleſiæ benignitatem accuſantibus, velut nimium effuſam in eos, qui de male actis poſt Baptiſmum ſerio, ac digne pœnitent.

IN PARÆNESIN.

SIVE

LIBELLUM EXHORTATORIVM AD PŒNITENTIAM.

CLI. AD §. 93. *Etſi aliquoties &c.*] Quem timorem antea præmiſerat S. Pacianus, ne forte quiſquam ex laude, & fructu pœnitentiæ adverſus Novatianos occaſionem arriperet delinquendi, aut in minori pretio habendæ renovationis, ſeu innocentiæ per Baptiſmum receptæ; eundem repetit initio fere hujus Paræneſeos: *Unum illud vereor* (inquit) *dilectiſſimi, ne ſolitæ contrarietatis adverſis inculcando quæ fiunt, admoneam magis peccata, quam reprimam.* Quam timendi occaſionem multis proſequitur.

CLII. Sed enim non ita mollem, aut laxam pœnitentiam Lapſis præſcribit S. Præſul, ut ejus metu non deterrerentur homines a lapſu poſt Baptiſmum. Auſteritas enim vitæ tunc præſcripta pœnitentibus juxta ſacros Canones, adeo formidanda erat, ut paſſim homines in officio contineret, ne gratiam in Baptiſmo receptam vilipenderent, & tali, ac tanto Chriſti Redemptoris beneficio ingrati exiſterent. Itaque rebus utrimque expenſis, hanc Exhortationem profert, tum Catechumenis, ut ſe præparent ad vitam Chriſtianam agendam; tum baptizatis, ut retineant juſtitiam, & ſanctitatem per regenerationem acceptam; tum poſtea Lapſis, ut dignos pœnitentiæ fructus exhibeant.

CLIII. Ad §. 98. *Sermonum tamen meorum hic ordo ſervabitur &c.*] Adverſus Stoicos, & ipſorum in ea parte ſequaces Novatianos, præmittit, non omnia peccata eſſe æqualia, nec omnibus eandem ſummam pœnam infligi. Hinc tranſit ad reprehendendum illos Fideles, qui verecundia quadam impudenti renuunt ſe accuſare de criminibus commiſſis, *& inquinato ore, ac polluta mente communicant.* Hi merito dicuntur ab ipſo: *in conſpectu hominum timidiſſimi, ante Dominum vero impudentiſſimi, profanis manibus, & polluto ore contaminantes Sanctis quoque, & Angelis Altare metuendum.* Deinde vero procedit adnotandum illos, qui peccata quidem aperiunt, & confitentur; verum remedia pœnitentiæ, actioneſque præſcriptas in exomologeſi rite adminiſtranda, aut neſciunt, aut exſequi nolunt. Denique proponit, ſe oſtenſurum, quæ pœna maneat, quiſnam infeliciſſimus exitus immineat, nolentibus agere pœnitentiam, aut negligentibus: quænam pariter corona parata ſit *conſcientiæ maculas recta, & ordinaria confeſſione expurgantibus.*

CLIV. Ut autem id exponat, diſtinguit inter peccata, & crimina. Nam poſt Legem Evangelicam, licet omnes homines in peccata labantur, non propterea ſeveriſſimis illis pœnitentiæ Canonibus conſtringuntur. Certe non ita accidere modo obſervat Pacianus, uti olim ſub Lege Moyſis, ac veterum, quando minimorum peccatorum rei, vel unius quadrantis, gravi onere premebantur, quod exemplis pluribus confirmat, & qualiter Chriſtus ab illo jugo nos liberaverit, ac, teſte Apoſtolo, tranſtulerit in libertatem filiorum Dei.

CLV. Itaque *donata ſylva delictorum, & remediorum indulgentia deſtinata, in pauca concluſi ſumus: quæ & ſervare facillimum eſſet credentibus, & cavere: ut meritiſſimo tartarum non recuſaret, qui tantæ donationi ingratus, ne hæc quidem pauca ſervaſſet*]. Ubi audis, *facillimum ſervata credentibus*, quod Chriſtus jubet, intellige, per gratiam Fidei, quæ *credentibus* data eſt, & per auxilia reliqua ipſius Chriſti ad obſervationem mandatorum neceſſaria, quibus facilis, ac ſuavis illa redditur: cum tamen homines ſub Lege veteri duro jugo, gravique onere multiplicium præceptorum, & cæremoniarum premerentur.

CLVI. Itaque prolato in medium teſtimonio illo celebri ex Actis Apoſtolorum Cap. 15. ubi baptizati declarantur liberi a jugo illo veteri Legis Moſaicæ, colligit Pacianus, tribus capitibus comprehendi crimina illa maxime gravia, quæ etiam in Lege Evangelica, ſub interminatione mortis æternæ nobis prohibentur.

CLVII. *Neceſſe eſt, ut abſtineatis vos ab idolothytis, & ſanguine, & fornicatione, a quibus obſervantes, bene agetis*]. Hæc Apoſtolorum verba, immo Spiritus Sancti in Concilio Hieroſolymis habito, dicuntur a S. Paciano, *Novi Teſtamenti tota concluſio*, tamquam iis tria omnino capitalia prohibeantur, idolorum cultus, homicidium, & actio quælibet venerea extra matrimonium: *Quid vero faciet* (inquit) *contemptor Dei*? Eam notam *contemptoris Dei* inurit deſerentibus veram Fidem, ſive tranſeuntibus ad infidelium caſtra. *Quid aget ſanguinarius*? nimirum, homicida. *Quod remedium capiet fornicator*? Cujus nomine comprehenditur generatim mœchia, inceſtus, & quælibet turpitudinis, vel incontinentiæ ſpecies. Vide quæ circa id diximus nos Tomo II. Libro 2. in Concilium Eliberitanum Capite 8. Trium iſtorum gravitatem ſummam ponderat, & veniæ difficultatem, præ aliis minoribus delictis: quorum alia remedia minus aſpera, & magis obvia, proponit ab illis verbis: *Reliqua peccata meliorum operum compenſatione curantur &c.*

CLVIII. Nota, S. Pacianum minime inficiari alia peccata, præter illa tria, eſſe obnoxia æternæ damnationi: veluti furtum, maledicentiam, perjurium &c. Solum ait, hæc meliorum operum compenſatione curari: quoniam præter contritionem veram, ſive converſionem totius cordis ad Deum (quæ eſt remedium generale) per actus virtutum contrariarum quodammodo compenſari poſſunt. Unde nec iis peccatis indicitur graviſſima illa, & ſolennis pœnitentia juxta ſacros Canones, cum alio ſatisfactionis genere expiari poſſint. Expianda tamen ſunt juxta majorem, aut minorem peccati deformitatem; idque non ſolum Leges juſtitiæ exigunt, & offenſa Deo irrogata, ſed etiam conſideratio illa S. Cypriani ſupra num. 130. præmiſſa: *Quam magna deliquimus, tam granditer defleamus. Pœnitentia crimine minor non ſit &c.*

CLIX. Cæterum tria illa crimina gravio-

ra, Idololatriæ, homicidii, & fornicationis, *ut baſiliſci alicujus afflatus, ut veneni calix, ut lethalis arundo, metuenda ſunt.* Nimirum, ad eorum vindictam, & ſatisfactionem potiſſimum indicta eſt ſacris Canonibus adeo diuturna, & horrenda pœnalium macerationum acerbitas: ut iis aſperioribus remediis, jejuniis, humi-cubationibus, ciliciis, fletu, ac planctu continuo, placetur Deus graviſſime offenſus, & æternæ damnationis pœna incurſa temporaneis afflictionibus evadatur.

CLX. Inter tria illa crimina graviora primo loco ponitur Idololatria, quæ in Concilio Eliberitano Cap. 1. dicitur *crimen principale.* Statuitur enim ibi: *Ut qui poſt Fidem Baptiſmi ſalutaris adulta ætate ad templum idoli idololatraturus acceſſerit, & fecerit quod eſt CRIMEN PRINCIPALE, nec in finem eum communionem accipere.* Eodem modo loquutus fuerat antea Tertullianus Libro, *De Idololatria*, Initio dicens: *Principale crimen generis humani, ſummus ſæculi reatus, tota cauſſa judicii idololatria.*

CLXI. Similiter Cyprianus Epiſtola x. Ad Clerum, & xi. Ad Martyres, & xii. Ad plebem, ac libro, *De Lapſis*, id crimen vocat, modo *graviſſimum, & extremum*, modo *ingens, & immenſum*; qualiter etiam loquuntur Presbyteri, & Diaconi Romæ conſiſtentes in ea Epiſtola, quæ eſt inter Cyprianicas xxx. juxta editionem Pamelii, alias Lib. 5. Epiſtola xiii. Etenim, ut idem ſcribit ad S. Stephanum Papam Epiſt. LXXII. alias Lib. 2. Epiſt. 1. *Quod majus poteſt eſſe delictum, aut quæ macula deformior, quam adverſus Chriſtum ſtetiſſe, quam Eccleſiam ejus, quam ille Sanguine ſuo paravit, & condidit, diſſipaſſe? quam Evangelicæ pacis, ac dilectionis oblitum, contra unanimem, & concordem Dei populum, hoſtilis diſcordiæ furore pugnaſſe?* Unde Conſtantinus Magnus, teſte Conſtantio ipſius filio, Lib. 2. Codicis Theodoſiani, *De Paganis*, Libro 4 & 6. ejuſdem Tituli, & Codicis, ſcelus id graviſſimum idololatriæ, pœna capitis, & confiſcatione bonorum multandum ſanxit, non ſolum in aggreſſoribus, ſed etiam in Rectoribus Provinciarum, ſi id crimen vindicare negligerent. Quam pœnam pariter poſtea infligendam decreverunt utriuſque ſucceſſores Gratianus, Valentinianus, ac Theodoſius, immo & impius alioqui Julianus ſimul cum Conſtantio, antequam aperte ad caſtra Ethicorum tranſiret. Huc ſpectant Canones Eliberitani primi quatuor, & deinceps XL. XLI. XLVI. LIX.

CLXII. Secundum crimen *ſanguinis*, ſive homicidii, in Concilio illo Apoſtolorum memoratum, & a S. Paciano expenſum inter tria præcipua, quam exſecrandum, & grave ſit, clamat terra ipſa ad Deum ultorem ab initio mundi ob Abelem occiſum; clamat natura communis parens, & innatum conſcientiæ lumen: clamant denique innumera Scripturæ teſtimonia, Legeſque omnes Eccleſiaſticæ, & Civiles in homicidas latæ ſub pœna mortis: ut proinde quiſquis auſus fuerit tam immane ſcelus committere, patienter eam vindictam a Judice ſubeat; aut ſi forte quavis occaſione impunis evaſerit, ſtudeat acerbiſſimo pœnitentiæ genere, jejunio, fletu, & caſtigatione corporis aſſidua, in corde contrito, & humiliato placare Deum graviſſime offenſum, ne tandem experiatur juſtum, & terribilem ultorem. Vide ſpeciatim inter Canones Eliberitanos V. VI. & LXIII.

CLXIII. Tertium denique crimen, *fornicationis* nomine ab Apoſtolis notatum, & omnia incontinentiæ peccata generatim comprehendens (ſicuti & *mœchiæ* vocabulum in Conciliis, ut alio loco obſervavimus) pariter inter tria illa numeratur, & in ſacris Canonibus diuturno, ac graviſſimo expiationis genere afficitur, & eo diuturniore, ac ſeveriore, quo exſecrabilius illud eſt juxta varias ſpecies, ac circumſtantias. Lege in eiſdem Canonibus Eliberitanis ſpeciatim VII. cum aliis ſeptem ſequentibus, ac deinde XVIII. XXX. XXXI. XLVII. LXI. & LXIV. cum aliis ſeptem ſequentibus, ac tandem LXXVIII. ut mittam plurimos alios diverſorum Conciliorum Canones, quibus omne incontinentiæ genus variis, ac graviſſimis pœnis afficitur, & juxta majorem, aut minorem ſceleris gravitatem, aut frequentiam diuturna ſatisfactionum acerbitate expiandum decernitur, qualiter monet generatim S. Pacianus ſupra num. 19. & in hac ipſa Parænesi, præſertim infra num. 116.

CLXIV. Certe eodem fere tempore, quo S. Pacianus hæc ſcribebat in Hiſpania, florebat in Græcia S. Baſilius Magnus, in cujus Epiſtola Canonica III. ad Amphilochium Canone LIX. hæc leguntur: Ὁ πόρνος ἑπτὰ ἔτεσιν ἀκοινώνητος ἔσται τῶν ἁγιασμάτων, β' προσκλαίων, καὶ β' ἀκροώμενος, β' ὑποπίπτων, καὶ ἑνὶ συνεστὼς, τῷ δὲ ὀγδόῳ δεχθήσεται εἰς τὴν κοινωνίαν. *Fornicator ſeptem annis non communicabit Sanctis: duobus deflens, & duobus audiens, & duobus ſubſtratus, & in uno ſolo conſiſtens: octavo autem ad communionem admittatur.* Lege S. Auguſtinum Serm. 162. alias Fragmento XII. *De verbis Apoſtoli* 1. Corinth. 6. ubi graviſſime invehitur adverſus peccatum fornicationis, etiam illius, quæ *ſimplex* dici ſolet, tanquam in turpiſſimum ſcelus; & ſimiliter S. Cyprianum Epiſt. LII. alias Libro IV. Epiſt. II. ubi invehitur adverſus Novatianum, quod Libellaticis negaret pacem, mœchis autem, ſive fornicatoribus concederet; cum tamen hi deterioris conditionis ſint. Paradoxon cenſeres, ſi a me traditum. Sed deſine mirari, lectis ejuſdem Cypriani verbis non longe a fine: *Si ſe* (inquit de Novatiano) *cordis, & renis ſcrutatorem conſtituit, & judicem, per omnia æqualiter judicet &c. — fraudatores & mœchos a latere, atque comitatu ſuo ſeparet: quando multo, & gravior, & pejor ſit mœchi, quam Libellatici cauſſa: cum hic neceſſitate, ille voluntate peccaverit: hic exiſtimans, ſibi ſatis eſſe, quod non ſacrificaverit, errore deceptus ſit: ille matrimonii expugnator alieni, vel lupanar ingreſſus* (ecce, ubi tam adulterium, quam ſimplicem fornicationem comprehendit) *ad cloacam, & cœnoſam voraginem vulgi, ſanctificatum corpus* (per Baptiſmum ſcilicet) *& Dei templum* (alludit ad verba Apoſtoli 2. Corinth. 6.) *deteſtabili colluvione violaverit &c.*

CLXV. Videtur autem Cyprianus hæc ſcribens, ob oculos habuiſſe magiſtrum (ita appellabat Tertullianum) Libro, *De pudicitia*, ubi eandem quæſtionem movet, & minoris ſceleris reum cenſet Libellaticum, quam

for-

fornicatorem , dum ait : *Quis magis negavit, qui Chriſtum vexatus , an qui delectatus amiſit ? qui cum amitteret , doluit ; an qui cum amitteret , luſit ?*

CLXVI. Eant nunc , & dediſcant perniciosiſſimum errorem ſuum , quotcumque homines tam facile , tam intrepide , atque inverecunde , corpus ſuum in Baptiſmo ſanctificatum , & Dei templum (juxta phraſin Apoſtoli) violare non metuunt; nec reputant ingens peccatum , quod Spiritus Sanctus , quod Apoſtoli in Concilio Hieroſolymitano , inter tria capitalia ſcelera , ſive præcipua , Chriſtianis fugienda numerant : quæ , ut inquit Pacianus hoc loco , *quaſi baſiliſci alicujus afflatus , ut veneni calix , ut lethalis arundo , metuenda ſunt* . Et ſi forte adhuc obſtinate quiſquam velit , ipſum loqui de mœchia ſolum p æſse uſurpata pro adulterio ; deponat pervicaciam iſtam ; cum & in Concilio illo plane Divino , ſermo ſit nominatim , *De fornicatione* , & ipſe S. Præſul in hac Parænesi num. 103. eum locum exponens , teſtetur , *omnem prorſus libidinem extra uxorium thorum , & complexus licitos evagantem , reatu mortis adſtringi* . Quo eodem ſenſu inter præcepta Decalogi , ſextum illud : *Non mœchaberis* , communiter, & generatim vetare dignoſcitur omne prorſus libidinis inconceſſæ genus , cujuſcumque demum ſpeciei ſit , & illa etiam , quæ *contra naturam* dicuntur ; atque juxta Tertullianum , in ea parte laudatum ab omnibus , *furiæ* , ac *monſtra* dicuntur , *& ab omni tectu Eccleſiæ ſummota* , quoniam in ea lapſi nullatenus intra tectum Eccleſiæ admittebantur .

CLXVII. Ad §. 103. *Hæc quicumque poſt Fidem fecerit , Dei faciem non videbit . Deſperavere tantorum criminum rei &c.*] Notandum maxime verba , illhæc cum minis *quibus* ſubjunctis , non proferri abſolute , ſive ex proprio ſenſu a S. Paciano ; ſed ſolum referri, & objici , veluti rationem dubitandi , aut tanquam argumentum , quo Novatiani contendebant , hominibus baptizatis , in ea tria ſcelera lapſis , nullum ſupereſſe remedium , nullam in Eccleſia poteſtatem ad ea remittenda, nec auctoritatem ad concedendam iis actionem pœnitentiæ .

CLXVIII. Ad §. 103. *Accipite remedium , ſi deſperare cœpiſtis , ſi miſeros vos agnoſcitis , ſi timetis . Qui nimium confidit , indignus eſt*] Hinc Pacianus potiſſimam ſuæ Parænesεos partem impendit in refutationem Novatianæ Sectæ , & argumenti proiecti , exhortans lapſos in triplex prædictum ſcelerum genus , ut ſerio , ac digne pœnitentiam agant , ac ſubinde veniam obtineant , Ac primum ubi deſperare incipiunt pondere immani peccatorum deterriti , monet , ut agnoſcant miſerrimum ſtatum , in quem ſe ultro conjecerunt , & timorem Dei concipiant : *Qui enim nimium confidit , indignus eſt veniæ.* Nimirum videtur ſeipſum ignorare , neque ullum horrorem concipere de peccatis commiſſis , nec attendere , unde eciderit, nec timorem habere judiciorum Divinorum , quiſquis nimium confidit . Videtur quaſi meretricia fronte non erubeſcere , nec vereri Deum iratum , & pro nihilo reputare ſcelera commiſſa , quiſquis præfidenter ſe gerit , & veluti ſecurus ſperat , antequam ex intimo cordis affectu plangat . In quod probandum allegat Pacianus teſtimonium illud Dei apud Iſaiam Cap. 3. juxta verſionem antiquam , qua ſuo ipſius tempore utebatur Eccleſia : *Supra quem reſpiciam , niſi ſupra humilem , & quietum , & trementem verba mea ?*

CLXIX. Ad §. 104. *Vos ergo primum appello , Fratres , qui , criminibus admiſſis , pœnitentiam recuſatis : vos , inquam , poſt impudentiam timidos , poſt peccata verecundos : qui peccare non erubeſcitis , & erubeſcitis confiteri : qui cum mala conſcientia Dei Sacra contingitis , & Altare Domini non timetis : qui ad manus Sacerdotis , qui in conſpectu Angelorum ſub fiducia innocentiæ acceditis : qui Divinæ patientiæ inſultatis : qui tacenti Deo , veluti neſcienti , pollutam animam , & profanum corpus ingeritis .*

CLXX. Viſum reſumere integra ea verba Paciani , quoniam graviſſima ſunt , & temporibus noſtris maxime congruunt , quibus longe major eſt facilitas , ac temeritas peccandi , & multo minor conſuetudo digne pœnitendi , quam illo quarto ſæculo , in quo admodum vigebat ſeveritas Canonum , ac diſciplinæ Eccleſiaſticæ . Nimirum , ut inquit doctiſſimus , ac piiſſimus Cardinalis Bellarminus in Dominica in quartam Adventus Concione IX. *Digna pœnitentiæ opera* (Actuum 20. v. 20 a Spiritu Sancto requiſita) *non ſolum in moribus noſtris , ſed vix jam in Libris reperiuntur* . Itaque nunc multo magis , quam ævo illo , oportet eam doctrinam inculcare , & expendere .

CLXXI. Semper equidem , & tempore S. Paciani , & modo , fuerunt gravium criminum rei inter Chriſtianos ; verum cum hoc diſcrimine , quod primis illis ſæculis ii longe pauciores erant , & plerique ex iis juxta Canonum ſeveritatem pœnitebant ; nonnulli autem id recuſabant , quos Pacianus hoc loco reprehendit , & admonet , ut digne pœniteant . At poſtremis hiſce ſæculis cum multo plures trium illorum ſcelerum rei ſint (ut alia minora taceam) longe pauciores exiſtunt , qui dignos pœnitentiæ fructus edant , qui ſpiritu vere contrito , & humiliato convertantur et toto corde ad Deum , & cum debita diſpoſitione confiteantur , ac ſacratiſſimam Euchariſtiam recipiant . Inde modica plurium emendatio , aut nulla , & novi , atque aſſidui fere lapſus , ac ſubinde irrequietus confeſſionum , & peccatorum circulus .

CLXXII. Sed enim verbis nuper exſcriptis Pacianus nominatim invehitur adverſus ſceleratos illos , qui , ut ſupra præmiſerat , *remedium ſuum erubeſcentes , male verecundi ſunt* (id eſt , Sacerdoti peccata confiteri non audent) *& inquinato corpore , ac polluta mente communicant : in conſpectu hominum timidiſſimi , ante Dominum vero impudentiſſimi &c.* Quanta vero illorum ſeges ſit noſtris temporibus , non modo tot exempla Libris vulgata , & vere tremenda , tacentium peccata in confeſſione , & propterea ſubeuntium æternas pœnas , oſtendunt : ſed etiam teſtatur experientia Sacerdotum excipientium crebro confeſſiones , præſertim in Miſſionibus , aut in Oppidis exiguis . Contingit enim paſſim invenire pſeudo-pœnitentes utriuſque ſexus , etiam in deveſa , aut extrema ætate , qui aut plurimis annis

annis, aut toto ſere vitæ decurſu, tacuerint peccata aliquot graviora, vel probroſa in confeſsionibus, etiam ſrequentibus, & cauteriata conſcientia acceperint ſacroſanctum Chriſti Corpus, in majorem ſui ipſorum damnationem. Hi certe a Paciano jure dicuntur *in conſpectu hominum timidiſſimi, ante Dominum vero impudentiſſimi*. Quos proinde hoc loco teſtimoniis, & exemplis e Scriptura erutis reprehendit, & monet ad confitendum.

CLXXIII. Ad §. 108. *Nunc ad eos ſermo ſit, qui bene, ac ſapienter vulnera ſua pœnitentiæ nomine confitentes; nec quid ſit pœnitentia, nec quæ vulnerum medicina, noverunt: ſimileſque ſunt illis, qui plagas quidem aperiunt, ac tumores, mediciſque etiam aſſidentibus confitentur: ſed admoniti quæ imponenda ſunt, negligunt, & quæ bibenda, faſtidiunt. Quod tale eſt, ac ſi dicat aliquis: ecce ego vulneratus ſum: ſed nolo curari*.

CLXXIV. Reſumpſi integre verba hæc Paciani, quoniam magni momenti erant ævo ipſius, ſed multo majoris noſtro ſæculo. Licet enim, uti paullo ante monuimus cum ipſo, frequenter ſatis inveniantur qui ſruſtra confiteantur, & ſcelerate communicent, ob peccata quædam turpiora in confeſſione omiſſa; at longe plures ſunt, qui propter defectum culpabilem diſpoſitionis debitæ confeſſiones irritas peccatorum faciant, impie communicent, & novis, ac frequentibus ſacrilegiis quotidie ſceleratiores fiant.

CLXXV. Imprimis enim plures negligenter admodum conſcientiam ſuam examinant, etiamſi multi menſes, aut fortaſſe anni, ab ultima confeſſione fructuoſa, & ſalutari tranſierint. Non enim imitantur Ezechiam Regem ajentem Iſaiæ 48. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*. Non ſatis explorant ſinus, & latebras conſcientiæ ſuæ. Solum illa peccata graviora memorant, quæ ſtatim fere in oculos incurrunt. Alia, etiam mortifera, cogitationum iniquarum, delectationum impurarum, odii proximorum, ambitionum, &c. quorum ignoratione, aut negligentia culpabili laborant, nullatenus excutiunt, & multo minus confiteri proponunt, Itaque ex gravi ipſorum ſocordia, aut valde exigua cura inquirendi, ſive examinandi peccata, oritur, ut confeſſioni deſit neceſſaria diſpoſitio examinis, ac ſubinde doloris fructuoſi peccatorum, & propoſiti veri emendationis. Non enim cohærere poteſt fructuoſus de peccatis dolor, & verum, atque efficax emendationis propoſitum, cum peccato gravi actuali, quod in ipſa confeſſione committitur ex defectu notabili diligentis examinis.

CLXXVI. Alii vero, quamvis *bene, ac ſapienter vulnera ſua pœnitentiæ nomine confitentes; nec quæ ſit pœnitentia, nec quæ vulnerum medicina, noverunt*. Nimirum aliqui eorum errant, putantes, totum pœnitentiæ onus ſitum eſse in examinanda diligenter conſcientia, & integre confitendis peccatis Sacerdoti: quaſi ulterius non ſit neceſſum de iis omnibus ex animo dolere, & veram, ac ſupernaturalem deteſtationem ex toto corde concipere, cum firmo propoſito ſatisfaciendi, & corrigendi vitam de cætero. Itaque prætermittentes diſpoſitionem hanc jure Divino, & naturali requiſitam ad veniam obtenendam, & Sacramentum Pœnitentiæ rite recipiendum, nullum omnino ex confeſſione fructum reportant, ſed potius damnum, ac ſacrilegium incurrunt. Quare ii, licet integre confiteantur, non propterea vere pœnitent, quia juxta Pacianum, *nec quid ſit pœnitentia, noverunt*.

CLXXVII. In eadem fere navi ſunt ii, qui licet ſciant, neceſſarium omnino eſſe, ultra confeſſionem integram, verum habere dolorem, & deteſtationem de omnibus peccatis, cum propoſito firmo ſatisfaciendi, & corrigendi vitam; adeo immerſi ſunt curis, aut cupiditatibus ſæculi, vel adeo negligentes circa ſuam æternam ſalutem, ut non ſatis expendant miſerum ſuum ſtatum, nec quantum amiſerint, nec quas pœnas in æternum ſubeundas incurrerint, nec quam graviter Deum offenderint, nec quam ingrati extiterint, poſt tot inſignia ipſius beneficia, præſertim redemptionis, *rurſum crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei, & oſtentui habentes*, ut loquitur Apoſtolus Hebræorum 6. nec denique qualiter ipſum ex toto corde diligere, honorare, ac timere debeant. Ex defectu earum conſiderationum oritur, ut non ſtudeant orationibus, lacrymis, jejuniis, ac piis aliis operibus, impetrare a Deo ea gratiæ excitantis, & adjuvantis auxilia, quibus reipſa, atque omnino efficaciter convertantur, ac ſerio proponant ſatisfacere majeſtati Dei offenſæ. Unde & ex ipſorum voluntaria negligentia ſequitur, ut raro, aut nunquam, ii ſe præparent digne ad accipiendam peccatorum veniam per abſolutionem Sacerdotis: *Quo maxime malo fraternitas hæc* (inquit Pacianus, & nos melius de ætate hac dicere poſſumus) *laborat, delictis veteribus nova hæc adjungendo peccata*. Si quando enim, his temporibus maxime, experimento deprehenditur, pleroſque homines gravium criminum reos, poſt confeſſiones ejuſmodi ad eadem peccata, præſertim venerea, reverti, neque unquam integre abſtinere uſque ad mortem, in qua non tam ipſi peccata deſerunt, quam ab iis deſeruntur, ut utar phraſi SS. Patrum. Itaque tam procul ſunt ab emendatione criminum præcedentium, ut potius nova, ac propterea deteriora, frequenter uſque ad mortem adjiciant.

CLXXVIII. Hoc adeo ſrequenti experimento edoctus Cardinalis Bellarminus Tomo VI. editionis Colonienſis anni MDCXVII. ſcripſit Concione XXXII. *De Reſurrectione Domini*, non longe a fine, verba hæc: *At inquis, tametſi iſta non ſervo* (nimirum quæ paullo ante præmiſſa fuerant pietatis, & continentiæ opera) *tamen poſtea ad confeſſionem accedo, atque ita crucem meam fero. Verum eſt quidem: ad confeſſionem accedis. Sed qua contritione? quo dolore? quo deſiderio ſatisfaciendi? quo propoſito non peccandi? Certe tales confeſſiones hoc noſtro ſæculo fiunt, ut ego vehementiſſime reformidem illas audire. Nonne ſingulis annis promittis Sacerdoti, te diligentiam adhibiturum, ut non pecces? Nonne ſtatim promiſſionis oblivíſceris? Nonne anno ſequenti cum iiſdem peccatis, & fortaſſe pluribus, & majoribus, ad eum accedis?*

CLXXIX. Hæc ille pro Concione in Eccleſia publice proferebat Lovanii circa annum MDLXXX. florenti ætate adhuc, quæ poſtea ſe-

nex

nex an. MDCXIV. Joanni Dulmenio Theologiæ Profeſſori, ac ſubinde Simoni Ryckio Minoritæ edenda permiſit, ut hic teſtatur in Epiſtola nuncupatoria ad eundem Cardinalem, præfixa editioni prædictæ Colonienſi, factæ, & vulgatæ ſeptennio ante ipſius mortem, quæ contigit Romæ anno MDCXXI. ætatis LXXIX. Hæc, inquam, docuerat Bellarminus eo tempore, quo Probabiliſmus *vix*, aut ne vix quidem, ortus fuerat, nec patuerat lata *illa* via tot laxarum, intolerabilium, & perniciosarum opinionum libertati faventium: quarum XLV. damnavit Alexander VII. poſteà LXV. Innocentius XI. & tandem Alexander VIII. duas adhuc deteriores, de peccato Philoſophico, & dilectione Dei, tamquam neminem ſub reatu conſcientiæ eſtringente in decurſu vitæ moralis. Quid diceret Bellarminus, ſi infelicia ille tempora nactus fuiſſet, in quibus eæ opiniones prævalebant, & in praxi a Confeſſariis, ac pœnitentibus recipiebantur? Quomodo poſtea non dixiſſet urgentiori ratione, quod longe ante illas dixerat: *Certe tales confeſſiones hoc noſtro ſæculo fiant, at ego vehementiſſime reformidem illas audire?*

CLXXX. Audiendus idem Cardinalis Concione IX. in Dominicam IV. Adventus, parte illius poſteriore ſub initium, per omnia cohærens verbis S. Paciani, in quibus explanandis verſamur: *Satis nobis eſſe cenſemus* (inquit) *ſi confuſo quodam modo peccata noſtra, tanquam hiſtoriam quandam Sacerdoti referamus. Sed non ita eſt: fallimur vehementer: a recta via aberramus. Et multi ſunt, qui eo quod jam confeſſi ſunt, pedem unum ſe habere arbitrantur in Cœlo: qui tamen, ſi recte conſiderent, videbunt, ſe pedem unum in terra, alterum in gehennam poſuiſſe. Nec enim confiteri, ſed bene confiteri, hominibus Cœlum aperit.*

CLXXXI. Proſequitur ſtatim: *Incipiamus a contritione. Veniunt nonnulli ad confeſſionem, adferunt unam ſarcinam peccatorum, quam duo equi ferre non poſſent: habebunt interdum decem, aut viginti, & quinquaginta peccata mortalia, præter ea, quorum non recordantur: non amplifico, extenuo potius. Multi ſunt, qui nullum diem ſine novis peccatis mortalibus tranſegerunt; & tamen nullæ ſunt lacrymæ, nulli gemitus, nulla ſigna veri doloris: quin etiam nonnulli vix genua figere dignantur in terra; ſed uno genu dumtaxat, & illo ſuper pulvinari interdum poſito, ita manent, quaſi furari abſolutionem, & ſtatim aufugere vellent: nec veſtium pompam deponant, nec ullum ſignum doloris oſtendant. Haccine eſt contritio?* Scindite corda veſtra, *inquit Joel. Cap.* 2. & non veſtimenta veſtra. *An ſcindit cor ſuum ille, qui nunquam intrat in cor ſuum?*

CLXXXII. *Scriptura Sacra, cum de pœnitentia loquuntur, ubique cinerem, & cilicium commemorant; & nunc planctum amarum, nunc luctum unigeniti adhibendum eſſe docent. Doctores vero, mirum eſt profecto quid dicant, cum de pœnitentia verba faciant. Siquidem eam baptiſmum laborioſum, baptiſmum lacrymarum, tabulam ſecundam poſt naufragium, vocant. Beatus Gregorius Nazianzenus, Oratione ſecunda*, De Baptiſmo: Recipio, *inquit*, pœnitentes, ſi lacrymis rigatos videro. *Audite laudatiſſimum Cyprianum in Sermone*, De Lapſis. Quam magna deliquimus, *inquit*, tam granditer defleamus, alto vulneri diligens, & longa medicina non deſit; pœnitentia crimine minor non ſit. Putaſne, Dominum cito poſſe placari, quem verbis perfidis abnuiſti, cui patrimonium præponere maluiſti, cujus templum ſacrilega contagione violaſti? Putaſne, facile eum miſereri tui, quem tuum non eſſe dixiſti? Orare oportet impenſius, & rogare: diem luctu tranſigere, vigiliis noctes, ac fletibus ducere; tempus omne lacrymoſis lamentationibus occupare, ſtratos ſolo adhærere cineri, in cilicio volutari, & ſordibus.

CLXXXIII. *Hæc B. Cyprianus vere pœnitentibus præſcribit. At cur hodie, quæſo, tam raros hujus generis pœnitentes videmus, niſi quia in ſolitudinem cordis intrare non novimus? Tanta enim eſt gravitas, & turpitudo peccati, & uſque adeo deformem, & horribilem efficit animam peccatoris, ut ſola ejus conſideratio, ſi diligens, ſi attenta ſit, claudere poſſit hominem in cubiculo, & hoc in eo efficere, ut nihil ei in poſterum libeat, quam lacrymari.*

CLXXXIV. *Quid, ſi attenta, & profunda cogitatione hæc apud te volvere incipias? Heu mihi! Primum Patrem illum dulciſſimum, Auctorem omnis boni, & mei amantiſſimum offendi, qui me undique beneficiis vallavit, cujus tot ſigna charitatis video, quot bona, vel in me, vel in aliis video. Quæ tanta eſt mea durities! Dominus meus virgis cæditur, ſpinis coronatur, clavis configitur, ut veteribus meis ſceleribus medeatur, & ego ſemper addo nova. Ille nudus in cruce, & Sanguine perfuſus, tota exhauſtus, ſalutem, & converſionem meam ſitire ſe clamat; & ego ſemper pergo acetum ei, & fel amariſſimum propinare? Deinde illius in me iram, atque indignationem provocavi, cujus eſt tanta majeſtas, tanta poteſtas, ut omnes Principes, omnes Reges, omnes domines, omnes Angeli cum eo comparati, vix pulveris granum unum meritò appellari poſſint. Nec enim tam facile nos modicum pulverem flatu diſſipamus, quam facile poſſit Deus ſolo nutu, & unico momento, omnem mundi gloriam, atque pompam penitus delere.*

CLXXXV. *Quis mihi præterea explicabit, de quanta gloria ruerim, & de quo Libro vitæ nomen meum deletum ſit? Hæres eram Regni Cœleſtis, vitæ æternæ nunquam finiendæ. Ab hac tanta felicitate, ne ſorte tam præclara, & omnibus modis maxima, excidi miſer per peccatum. Et quid inde lucratus ſum? Jam prope ipſas ſum tenebras exteriores: nec magis procul abſum a gehenna, quam abſint ab aquis, qui navigant mare. Quam cito frangitur tabula, tam cito ruunt illi præcipites in profundum. Quam cito frangitur maceries iſta putrida corporis mei, quæ momentis ſingulis ruinam minatur, tam cito, & ego ſine ullo remedio in gehennam deſcendam. Fortaſſe igitur cras, fortaſſe hac nocte, fortaſſe hodie in illis ſempiternis ardoribus habitare incipiam. Hæc, inquam, ſi attente cogitare volueris, fieri non poterit, quin ex oculis tuis ſca-*

ſcaturiant fontes lacrymarum, nec laborabis, ut ad genua Sacerdotis te abjicias, & manibus complicatis, oculis in terram defixis, totus confuſus, & tremens, ſcelera tua confitearis; quin etiam impedient verba ſingultus, & ſuſpiria cum oratione miſcebis.

CLXXXVI. *Intravit pœnitens David in cor ſuum, ideo lavabat per ſingulas noctes lectum ſuum, & lacrymis ſtratum ſuum rigabat. Intravit pœnitens Publicanus in cor ſuum, & ideirco non audebat oculos ſuos ad Cœlum levare, & pectus cum dolore, & lacrymis feriebat. Intravit pœnitens illa peccatrix in cor ſuum, & tantam de interiore turpitudine confuſionem concepit, ut omnem confuſionem exteriorem nihil eſſe putaret. Intravit pœnitens Theodoſius Imperator potentiſſimus in cor ſuum, ideirco Sceptri, & Purpuræ, & omnis pompæ Imperialis oblitus, poſtea quam multos menſes facinus ſuum defleverat, ad Eccleſiam veniens, coram omni populo reprehenſionem atrociſſimam primum patienter tulit; deinde non ſtans, nec genibus flexis, ſed plane proſtratus, lacrymis terram rigabat, capillos vellebat, pectus feriebat, omnibus quibus poterat modis Domino ſatisfaciebat. Hi ſunt igitur fructus ſolitudinis, hæc non alibi quàm in receſſu cordis oriuntur. Ingrediamur, ingrediamur cor noſtrum, & viam Domini in ſolitudine dirigamus.*

CLXXXVII. Hucuſque doctiſſimus ille Cardinalis, qui tanquam plurimum verſatus in ſacris Literis, & ſcriptis Patrum, nihil aliud tradendum cenſuit, præſertim circa pœnitentiam, quam quod in iis legerat, & nominatim in Paciano noſtro: cujus hæc ſcripta aurea quo magis lego, eo magis exoſculor, & admiror: nec invenio in ullo alio ex Patribus Eccleſiæ ſolidiorem eruditionem, ſpiritum præſtantiorem, aut eloquentiam magis ad movendum, & perſuadendum accommodatam. Sane qui ſcripſit hæc, putandus eſt plura alia æque pretioſa ſcripſiſſe, quæ temporum injuria perierint, aut citentur adhuc cum blattis, & tineis. Si quando detecta fuerint, moneo poſteros, ut ea publici juris faciant ſimul cum hiſce opuſculis, & juſto aliquo Commentario illuſtranda, aut exornanda curent, in honorem tanti Præſulis, & communem Eccleſiæ utilitatem. Equidem S. Hieronymus laudat præterea aliud Opus S. Paciani inſcriptum *Αέρβος*: alii dicunt *Κέρβος*. Apud Librum Hieronymi, *De Scriptoribus* Græce verſum a Sophronio, *Κέρβος*: & judicio Eraſmi eſt nomen proprium illius, contra quem ſcripſit Pacianus. Eruditiſſimus D. Nicolaus Antonius ſuſpicatur legendum *Κέρνος*, quo nomine appellabatur vas quoddam fictile in loculos diſtinctum, & variis fructibus plenum: qualiter & inter ſcripta veterum fuit, *Πέπλος*, *Στρῶμα*, *Ἀμαλθείας κέρας*, ſive Amaltheæ cornu. Quicquid vero ſit de varia ejus nominis interpretatione, id certum, ac maxime dolendum eſt, eum Librum interiiſſe cum ingenti Reipublicæ literariæ jactura.

CLXXXVIII. Ad §. 109. *Quid ergo nunc faciam Sacerdos, qui curare compellor?*] Propoſita jam difficultate medendi iis, qui integre confitentur, nec tamen opera congrua pœnitentiæ exſequi volunt; Inquirit Pacianus, quid ſibi, quid aliis Sacerdotibus deliberandum ſit, dum eos curare ex officio compelluntur. Reſpondet autem, eam curationem ſperari poſſe, ſi peccatores ſe ſinant ſecari, & exuri ſcalpello illo Prophetico Joelis 2. *Convertimini ad Dominum Deum veſtrum: ſimulque in jejunio, & fletu, & planctu, & ſcindite corda veſtra.* Hæc ſi faciant, non dubitat Pacianus, etiam poſt Baptiſmum lapſis veniam, & pacem ſpondere, quam Novatiani ex tumore mentis, & ſupercilio Phariſaico negabant.

CLXXXIX. *Nolite hanc ſecturam timere, dulciſſimi*] Vide quo ſpiritu lenitatis, & dulcedinis, ſanctus, & innoxius Præſul, peccatores quoslibet, etiam in graviſſima crimina lapſos, & auſteriora opera detrectantes, ad pœnitendum invitet, quos Novatiani potius in deſperationis profundum impellere videbantur. Invitat ſuaviter ad proferendum dignos pœnitentiæ fructus, exemplo magnorum Regum, præſertim Davidis, & Nabuchodonoſoris: quorum ingentes gemitus, lacrymas, pallorem, jejunia, dejectionem, humiliationemque admirandam, elegantiſſime deſcribit, & qualiter per eos labores, afflictiones, auſteritatemque vitæ, veniam a Deo piiſſimo impetraverint. Iis exemplis præmiſſis, erigit peccatores quoſque ſimiliter pœnitentes in ſpem certam ſalutis, & concludit: *Ecce ſectio, quam ſpopondi: qui potuerit tolerare, ſanabitur.* Itaque quotquot confitentes palam ſcelera ſua, & aperientes Medico ſpirituali vulnera, non aſſequuntur ſalutem, ideo ea carent, quia ſecari, & curari nolunt.

CXC. Ad §. 110. *Admovebo adhuc ignes de cauterio Apoſtolico: videamus, an ferre poſſitis, &c.*] Exemplis prajactis Regum pœnitentium addit aliud inceſtuoſi illius Corinthii, quem in vindictam, & curationem ejus magni ſceleris Apoſtolus tradidit ſatanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus eſſet in die Domini, ut habetur 1. Cor. 5. Porro is erat baptizatus abſdubio, & computatus inter Chriſtianos Corinthios, ac graviſſime lapſus in fornicationem inceſtuoſam cum noverca, qualis nec inter Gentiles permittebatur. Et tamen Apoſtolus illum per interitum carnis, ſive mortificationem, & perpeſſionem dolorum, atque afflictionum condignam, ſalvandum cenſuit. Refellitur itaque eo illuſtri exemplo crudelitas Novati, nemini baptizato, & graviter lapſo tribuentis pœnitentiæ locum, aut ſpem veniæ, atque in id ſuadendum abutentis teſtimonio ejuſdem Apoſtoli, Hebræor. 6. qui tam perſpicue hoc alio loco, 1. Corinth. 5. mentem ſuam exponit Novatiano errori contrariam.

CXCI. Ad §. 110. *Quid dicitis pœnitentes? Ubi eſt veſtræ carnis interitus?* Propoſitis jam iis exemplis pœnitentiæ aſperrimæ, ſimul & veniæ, in Regibus potentiſſimis, & inceſtuoſo illo Corinthio ſatanæ tradito in carnis interitum, Pacianus graviſſime invehitur adverſus Chriſtianos in ſcelera lapſos, qui nolunt, aut non audent interimere carnem ſuam gladio, aut cruce mortificationis, ut ſalvi fiant. Præcipue vero carpit eos, qui *in ipſa pœnitentia*, nimirum, quando accedunt ad confitendum, aut quando exſequuntur opera pœnitentiæ a Sacerdote præſcripta, *lautiores ſemper incedunt, convivio farti, balneis expoliti, veſte compoſiti.* Itaque quo tempore maxime deberent,

rent, imitatione quadam illorum Regum acerbiſsime pœnitentium, & Corinthii incestuoſi, lacrymoſo vultu incedere, jejuniis affligi, dolore frangi, cilicio veſtiri, cinere operiri, & ſacco, carnemque interimere, ſeu crucifigere cum ſuis vitiis, ac concupiſcentiis, ut alibi monet idem Apoſtolus, tunc irreverentius ſe gerunt. Nihil de faſtu, pompa, aut ornatu veſtium deponunt: nihil de conviviis, ac deliciis corporis.

CXCII. Niſi S. Pacianus hæc nobis teſtaretur accidiſſe ſuo ævo, longe meliori quam noſtro, & in quo primitivæ Eccleſiæ fervor maxima ex parte permanebat, vix aliquis crederet. Oportet autem omnino id credere; verum dumtaxat de paucis quibuſdam, aut non ita multis apud Barcinonem ampliſsimam Urbem, ubi hæc ſcribebat. Mirum enim non eſt, inter tot millia civium nobilium, & opulentorum, fuiſse aliquos, qui crimina admiſſa confitentes, nollent digne pœnitere, aut carnem interimere cruciatibus, jejuniis, vigiliis, aliiſque macerationibus; ſed potius luxui, deliciis, ornatui, ac pompæ indulgerent, ſicut antea. Cæterum longe plures lapſorum confitentium aliter omnino ſe habuiſſe tunc, ac modeſtiori habitu, parciore cibo, ac potu, aliiſque auſteritatibus uſos fuiſſe, dubium non eſt, nec fervor Chriſtianorum ejus ætatis aliter judicare nos ſinit.

CXCIII. Verum quid dicam de noſtro tempore, ubi in pleriſque ſaltem lapſis experimur, quod Pacianus tunc in paucis quibuſdam lamentabatur? Qua pompa, quam amplo veſtitu, quanto ornatu, & quam multipliciter exquiſito corporis cultu, multi nobiles viri, ac feminæ, quamvis nonnulli gravium ſcelerum ſibi conſcii, immo & forte graviſſimorum, paſsim incedunt, etiam ubi ad confitendum peccata veniunt? adhuc diebus ipſis Quadrageſimæ, ſpeciatim ad pœnitendum inſtitutis, quin & in Hebdomada Majore, ubi Chriſtus Dominus propter nos tam dura, tam terribilia, tam intoleranda paſſus fuit? Quæ forma pœnitentium eſt iſthæc? Quis ex corde contritos, & paratos ad veram correctionem, ac ſatisfactionem facile credat, quos ita pompoſos, deliciis plenos, conviviis deditos, ludis, choreis, aliiſque ſæculi delectationibus videt? Quid ſibi volunt cæſaries illæ, ſeu comæ adſcititiæ, a viris, & feminis, immo & a multis Clericis, magno pretio emptæ, calamiſtratæ, retortis crinibus curvatæ, quas geſtant domi, ac foris, etiam ubi ad confitendum accedunt, & ad recipiendum in Altari tremendum, ac venerabile Euchariſtiæ Sacramentum?

CXCIV. Ad §. 110. *Ecce aliquem video, aliquando frugi, aliquando pauperculum, aliquando vili tunica ſordulentum; nunc bene cultus, & locuples, & decorus eſt, &c.* Dolet Pacianus ſpeciatim hiſce verbis, quod vel ipſi viles homines, viri, & feminæ, e medio vulgi, imitari velint divitum, ac magnatum luxum, ubi ad pœnitentiam accedunt. Licet enim alias ſordido habitu, aut nullo cultu incedere ſoleant, & victu rudi vitam tolerent; ubi tamen Eccleſiam ingrediuntur ad exhomologeſin, ſive confeſsionem peccatorum faciendam, ornati, ſplendidi, ac decori, inſtar divitum, incedunt. Si iis facultates ſuppeterent, minime dubitarent imitari quoſdam opulentiores, & *quaſdam lautiores*, atque inſtar earum *auro opprimi, ſerico fluere, cocco rubeſcere*, ferrugineo pulvere in ſupercilio fulgere, ficto nitore in gemmas rutilare, aut coacto rubore in labiis deſudare. Quæ in multis opulentiorum videre licet, etiam in vilioribus feminis viderentur, ſi facultas eſſet. Sed *iſta forſitan non habetis*, ſubdit Pacianus, quaſi vilibus feminis non deſit voluntas, ſed ſolum poſsibilitas tanti luxus habendi. Quem defectum ſtatim ab iis utcumque ſuppleri, aut compenſari ait; quia non deſunt iis *hortulani maritimive receſſus, & exquiſitius vinum, & lautiora convivia, & defæcatio ſenectutis.* Id eſt, fucus, & pigmenta, & purpuriſſum, & ceruſſa, quibus macies, livor, & rugæ ſenectutis diſsimulentur.

CXCV. Ad §. 111. *Non ſuſtineo jam, Fratres, &c.*] Recenſitis jam luxibus quorumdam pſeudopœnitentium ſui temporis, exardet Pacianus, & vehementer in eos invehitur, velut impie delicatos, & ſcelerate molles, exemplis variis, ac primum Danielis, atque ſodalium; qui, innocentiſsimi licet, ſacco tecti, cinere operti, & jejunio pene exſangues, clamabant ad Dominum: *Peccavimus, facinus admiſimus, tranſgreſſi ſumus præcepta, & judicia tua.* Similiter eodem Capite Danielis 6. de Azaria inquit Scriptura: *Azarias precatus eſt, & aperiens os ſuum exhomologeſin faciebat Deo ſimul cum ſodalibus ſuis.* David quoque, homo ſecundum cor Dei, Pſalmo 6. *Lavabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo.*

CXCVI. Hiſce exemplis præmiſsis, tonat & fulminat Pacianus adverſus lapſos in crimina, & recuſantes opera digna pœnitentiæ: *Nos vero quid tale, quid ſimile?* Quaſi diceret: Quæ impudentia, quis furor mentis eſt, poſt tot flagitia commiſſa, poſt graviſsime offenſam Dei majeſtatem, nolle humiliari, nolle jejuniis, vigiliis, lacrymis, macerationibus corporis, atque intimo dolore animi, placare divinam iram: quando vel innocentes illi pueri, & David, etiam poſt dimiſsum ſibi peccatum, iis aſperrimis mediis uſi ſunt ad demerendum Deum? Qua fronte criminoſi utriuſque ſexus, vice ſacci, & cilicii, jejunii, ac fletus, cineris & horroris, induuntur ſerico, & coccino, convivantur, & rident, ac cæſariebus ſuis pretioſum pulverem ſuperimponunt? Quæ inſania eſt, ut qui imitari deberent Publicanum pectus tundentem, nec oculos in Cælum levare auſum, ac Magdalenam lacrymantem, Davidem, & Nabuchum pœnitentes, ſicut imitati ſunt errantes; id præſtare nolint, duro corde ad fletum, & blando ad delicias? Quid, quod rei damnationis æternæ, & immemores judiciorum Dei judiciorum, tam intolerabili faſtu incedant, nec ſequi velint exempla pœnitentium illorum, ſed luxus Sardanapali, aut licentiam Laidos Ephyreæ? Neque enim aliter ille, aut iſta incedere potuit, ac modo pſeudo-pœnitentes multi, inimici Crucis Chriſti, *quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorum*, ut Apoſtolus loquitur.

CXCVII. *Non dico illa, quæ congregamus &c.*] Increpato jam luxu, & faſtu eorum impœnitentium, reprehendit inſuper nova pec-

cata ipſorum addita præcedentibus : dum vice macerationum , & operum pœnalium , quæ ſponte ſubire , & exercere deberent , contrahunt novas delictorum labes , aut proſequuntur antiquas, *cauponando , mercando , rapiendo ; foris lucra , intus libidines aucupando ; nihil agendo ſimpliciter, nihil pauperibus largiendo , nihil fratribus remittendo .*

CXCVIII. *Ne hæc quidem , quæ videri etiam a Sacerdote poterant , & Epiſcopo teſte laudari , &c.*] Carpit inſuper lapſos illos , & detrectantes ſeriam ad Deum converſionem , emendationemque , quod ne illa quidem exteriora pœnitentiæ ſigna exhiberent , quæ a Sacerdotibus videri , & ab Epiſcopis probari poſſent , ac quotidie ab aliis pœnitentibus in facie Eccleſiæ ſervabantur ; nimirum , ut idem Pacianus mox ſubjungit, *flere in conſpectu Eccleſiæ , perditam vitam ſordida veſte lugere , jejunare , orare, provolvi : ſi quis ad balneum vocet , recuſare delicias : ſi quis ad convivium roget , dicere : Iſta felicibus , ego deliqui in Dominum , & periclitor in æternum perire . Quo mihi epulas , qui Dominum læſi ? Tenere præterea pauperum manus , viduas obſecrare, Presbyteris advolvi , exoratricem Eccleſiam deprecari , omnia prius tentare quam pereas .* Omnia hæc , & plura alia , erant exercitia verorum pœnitentium , etiam tempore Paciani ; qualiter & ævo Tertulliani , cujus phraſin ſatis notam , tum hoc loco , tum præcedentibus , maxime imitatur , & energiam illam ſingularem ad perſuadendum . Ea vero a pſeudo-pœnitentibus Barcinonenſis Urbis prætermiſſa dolet , ut proinde , nec populo , nec Sacerdotibus , nec Epiſcopo , ullum exterius ſignum vere converſionis proferrent .

CXCIX. Ad §. 1 ta. *Scio, quoſdam ex fratribus, & ſororibus veſtris cilicio pectus involvere , cineri incubare , jejunia ſera meditari : & non talia fortaſſe peccarunt*]. Hoc exemplo ſatis obvio virorum, & mulierum inſontis vitæ , levia ſua peccata expiantium ſacco , cinere , & jejunio, ad ſeram uſque noctem, exprobrat Pacianus magnis peccatoribus duritiem ſuam , & nimiam lenitatem , immo potius veram crudelitatem erga ſeipſos ; quod læthaliter vulnerati , nollent ea remedia adhibere , quibus alii utriuſque ſexus utebantur adhuc ſani , & innoxii , ne ſalutem ſpiritalem amitterent . Et hoc ipſum multo magis ævo noſtro doleri debet , quod plurimi peccatis onerati non exhibeamus pœnitentiæ opera , ſaltem in eo gradu, quo legimus quotidie facta olim, & nunc fieri ſcimus ab innumeris fere viris , ac feminis , ſpeciatim pietati deditis ab ineunte ætate , in quolibet ſtatu, & conditione . Ipſi in die univerſalis judicii teſtes , & accuſatores erunt impœnitentiæ noſtræ , ſi vel poſt crimina , agere , & pati negligamus , quod ii ſine ullo gravi lapſu præſtiterunt .

CC. *Quid de fratribus loquar &c.*] Subjungit exprobrationi præcedenti , ad majorem cumulum, exempla caprarum , & hirundinum, quibus & antea Tertullianus uſus fuerat , ſibi medentium dictamno , & chelidonia , ubi vulneratæ, aut exoculatæ ſunt : ut vel earum imitatione diſcamus peccatores vulneribus altis , & ægritudinibus animæ , opportunum adhibere remedium pœnitentiæ .

CCI. Ad §. 553. *Conſiderate nunc Fratres &c.*] Inſuper ex Apoſtolo 2. Theſſalon. Cap. 2. Rom. 2. & Apocal. 18. *peccatoribus delicatis , & pœnitentiam non agentibus* , minas adjungit , & illam præcipue, ut qui veritatem noluerunt recipere ad ſalutem , ſinantur labi in operationem erroris , & credant mendacio , quia non acquieverunt veritati , ſed ſibi in injuſtitia placuerunt . Hanc pœnam ſequitur alia mortis æternæ, & tormentorum juxta menſuram criminum , quibus *ſecundum duritiam ſuam theſaurizarunt ſibi iram in die iræ , & revelationis juſti judicii Dei .*

CCII. Ad §. 114. & ſequentes uſque ad finem totius Parænesis , nihil addendum occurrit , nec addi poteſt divinæ eloquentiæ , & ponderi auctoritatis, ac rationis, quo Pacianus peccatores quoſque ad digne pœnitendum hortatur , urget , terret , atque horrorem incutit . Evolve , lector, evolve quæſo , & profunda conſideratione tecum expende . Miſerum me , ac te , ſi ad tonitrua tanta , & talia non expaveſcimus , ſi ad clangorem horrificum talis tubæ non expergiſcimur , ſi ad planctum, ad gemitus , ſuſpiria , contritionem cordis, & reliquos pœnitentiæ fructus dignos proferendos , & continuandos, non excitamur .

CCIII. Verum hiſce immorari non audeo, quoniam conſcientia meorum peccatorum terreor , & timeo alios reprehendere, cum ipſe longe iis deterior ſim . Quæ protuli huc uſque adverſus pſeudo-pœnitentes , non meo nutu , non quaſi ea me ipſo dixi ; ſed nomine Paciani ſanctiſsimi Præſulis , qui nullius ſceleris ſibi conſcius , potuit fidenter reprehendere, quod mihi maximo peccatori , ignorantiis , negligentiis , ac miſeriis pleno , via repræſentare licet . Tu , Paciane , Sacerdotum gemma , divini honoris zelator , peritiſsime animarum curandarum medice , e Cœlo cura , ut ſcripta hæc tua , Dei timorem , & amorem ſpirantia , lapſos quoſque ad veram pœnitentiam excitent , perſuadeant , atque invicte trahant. Ignoſce mihi , ſi animo peccatorum ſarcina onuſto , ſi non recto corde , ſi impuris manibus , ſi terrenis affectibus occupatus , ſacra hæc , & cæleſtia tua documenta tangere, & aliis proponere auſus ſum. Sed licet verba mea non ſint lectu digna , tua tamen hæc Parænesis , ſive Exhortatio ad Pœnitentiam , legi, ac relegi , & ad unguem obſervari digniſsima eſt .

COROLLARIA QUÆDAM OPPORTUNA
CIRCA DOCTRINAM VETERUM HISPANIÆ PATRUM
De Pœnitentia agenda .

CCIV. Colliges s. ea dictis , alieniſsimum ſemper fuiſſe a mente Epiſcoporum Hiſpaniæ in Concilio Eliberitano , ac poſtea in Arelatenſi 1. Galliæ , & tandem in Sardicenſi, quorum utrique aliquot illorum , cum magno illo Oſio inter-

terfuerunt, ut hæreſin Novati, & ſequacium inſtaurarent. Nam licet in nonnullis Canunibus diſciplinem ſeveriorem aſſerendam curaverint, attentis circumſtantiis temporis ita exigentibus; nunquem ii dubitaverunt de poteſtate Clavium a Chriſto conceſſa ad remittendum peccata quælibet poſt baptiſmum commiſſa: multo eutem minus illam negarunt inſtar Novati. Hic certe capitaliter lapſus fuit negando Eccleſiæ eam euctoritatem remittendi, ae ſubinde concedendi actionem pœnitentiæ lapſis. Hiſpeni autem Petres, & S. Pacianus cum iis, oppoſitum plane docuerunt, quoad utramque pertem; ut ex aliis Cenonibus eorundem Conciliorum, & ex prœjactis Epiſtolis, ac Paræneſi, palam conſtat.

CCV. Colliges II. Patres Hiſpanos, & in iis S. Pacianum, ita rejeciſſe hæreſin Novatianorum, ut tamen ceverent ab extremo contrario. Nimirum, quo tempore Novetus omnem ſpem veniæ lapſis præcludebat, etiamſi pœnitentiæ opera laborioſiſſima proferrent, eodem alii ex lepſis remiſsionem, ac pacem, communionemque ſibi ipſis pollicebantur, immo & quaſi jure debitam extorquere volebant, poſt nullos, aut valde exiguos pœnitentiæ fructus, ex vi Litererum, ſeu Libellorum, quibus Confeſſores Chriſti jam jam martyrium ſubituri, pro iis recipiendis pracabantur. Hunc abuſum intolerebilem exſtirpare ſtatim ſtuduit S. Cyprianus, & Clerus Romanus Epiſtolis mutuis, ſtatuto medio inter utrumque extremum, ut lapſis quidem venia concederetur propter Literas Confeſſorum eorundem: at non antequam competentes fructus pœnitentiæ feciſſent, quibus idonei, & vicini jam eſſent ed tantam gratiam conſequendam, judicio Epiſcoporum.

CCVI. Tempore autem S. Paciani, & Concilii Sardicenſis, cum jam ceſſaſſent perſecutiones Gentilium, non eret occaſio, ut aliqui martyrium ſubirent, ac per conſequens, neque ut in earcere, aut laniena poſiti, pro lapſis intercederent, aut paſsiones ſuas in ſatiſfactionem offerrent. Quepropter lapſis unicum remedium ſupererat, pœnitentiæ illius diuturnæ, & acerbæ, quæ ſacris Canonibus pro qualitate, & numero criminum ſtetute erat, niſi forte cum quibuſdem ex cauſa juſte, & rationebili aliqua ejus pars minuenda eſſet arbitrio Epiſcoporum, uti in Concilio Nicæno Cenone XI. indultum fuit. Alioqui lapſi in aliquod illorum trium criminum, quæ *capitalia*, aut *priacipalia* dicebantur, omnia pœnalia opera iis præſcripta exhibebant, & percurrebant diu quetuor illos, aut quinque ſolennis pœnitentiæ gradus, antequam abſolutionem acciperent, & pacem Eccleſiæ, ſive communionem aſſequerentur.

CCVII. Quod ipſum poſt tempus S. Paciani obſervatum fuit multis ſæculis in Hiſpania, ut ſuis locis videbimus. Nunc ſatis ſit indicare Canonem XXI. Concilii III. Toletani a S. Leendro Archiep. Hiſpalenſe celebrati anno DLXXXIX. cum aliis ſexaginte duobus Epiſcopis totius Hiſpaniæ, ubi Cenone XXI. ſtatuitur, *Ut pœnitentes ſecundum modum antiquorum Canonum agere pœnitentiam debeant.* Aliis ſubinde temporibus Eccleſia meter piiſſima, ſe habere cœpit mitius, & liberalius theſauro Indulgentiarum uti, quibus lapſi alioqui vere contriti, & fervide pœnitentes, plurimum juvari, & ſublevari poſſunt: ſupplente theſauro infinito meritorum Chriſti, Deiparæ, ac Sanctorum, quod nobis deeſt, curentibus tamen ſatisfacere per jejunia, oretiones, eleemoſynas, aliaque pietatis, & pœnitentiæ opere; quæ per ſe ſola, & ſine ſuffregio illo, raro ſufficerent ad plenam expiationem, ſatisfactionemque.

CCVIII. Hæc egentes, vitebimus utrumque illud erroneum extremum Novatianorum, & impœnitentium; & ut inquit S. Epiphanius Hæreſi LIX. οὐκ ἐκκλινοῦμεν ἐντεῦθεν ἢ ἐντεῦθεν, ὁδῷ βασιλικῇ βαδιοῦμεν· ἔστι γὰρ ὁδὸς βασιλική, ἥτις ἐστὶν ἡ τοῦ Θεοῦ Ἐκκλησία. *Non declinabimus hac, aut illac: via regia gradiemur. Eſt enim regia quædam via, nimirum Eccleſia Dei, ac veritatis iter. Unuſquiſque vero prædictorum errorum, regia via relicta, ad dexteram, ſiniſtramve deflectens, deinceps in immenſam aberrationem ſeſe committens abripitur; adeo ut nullum deinceps modum habeat in qualibet erroris inſolentia.*

JOSEPHI CATALANI ADDITIO.

Cum pœnitentia ſit ſecunde poſt neufregium tebula, ea peccatoribus de ſelute proprie ſolicitis, tam neceſſaria cenſenda eſt, quem paſſis neufregium, & vitam mediis e fluctibus eripere cupientibus tabule; atque adeo quæ neceſſites unumquemque ſuæ ſaluti in æternum conſulere compellit, eadem & peccatores ad pœnitentiæ confugium recurrere cogit, Chriſto terribiliter intonente, ac comminante: *Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis*; & S. Auguſtino, ſeu quovis alio Auctore Sermonis 254. in Appendice novæ editionis: *Non aliter ſalvi fieri non poſſumus, niſi confiteamur pœnitentes, quod inique geſſimus negligentes*. Hinc Sancta Mater Eccleſia non ſine aliquo animi horrore peſtiferas hæreticorum voces audire potuit, quibus ut ſecuras ſectatorum ſuorum conſcientias redderent, vim, & neceſſitatem pœnitentiæ enervere, & convellere tentabant queles primis Eccleſiæ ſæculis extitere Mathematici, & Manichæi, de quibus S. Cæſarius Arelatenſis Epiſcopus Sermone 253. in Appendice S. Auguſtini novæ editionis: *Dicit homini ſerpens ille per Mathematicos, & Manichæos, ne confiteatur homo peccatum*. Quanam vero retione? *Per Mathematicos*, inquit, *ſic loquitur: Numquid homo peccat? Stellæ ſic ſunt poſitæ; neceſſe eſt, faciat ut homo peccatum. Dicit ergo per Mathematicos; quia ſtella facit, ut homo peccet, nam ipſe non peccat*. Pergit Cæſarius, ſubditque: *Item per quoſdam Manichæos ita ſuggerit: Non tu peccas, gens tenebrarum peccat, tu non habes peccatum*. Tali ratiocinio cum ſe juſtos comprobare contenderent, pœnitentiæ neceſſitatem e medio tollebant, morboſque diſſimulentes, Confeſſionis remedium, quæ, ut eit ibidem Cæſerius, *initium ſanitatis eſt*, penitus refugiebant.

Hæc, & alie hæreticorum deliramenta notavit jam, ſugillavitque inſignis Theologus, veteriſque, ac novæ Eccleſiæ diſciplinæ periſſimus Edmundus Mertene, Lib. I. *De anti-*

Digitized by Google

qui Eccleſiæ ritibus, Capite vi. Articulo 1. Num. 1. Sed ut & alios hæreticos omittam, qui Pœnitentiæ Sacramentum, ejuſque partibus bellum indixere, dicam nonnihil de ea pœnitentiæ parte, quæ ſatisfactio appellatur, cujus cauſa Catholicæ Eccleſiæ hoſtes amplam diſſidii, & diſcordiæ occaſionem cum maxima Chriſtiani populi pernicie arripuerunt. Certe inter ſatisfactionis hoſtes numerandi ſunt antiqui hæretici, denominati Audiani, qui tempore Imp. Valentiniani ſenioris Eccleſiam vexarunt. Ita enim de iis ſcribit Theodoretus Libro iv. hæreticarum fabularum, Cap. x. *Deinde confeſſis dant veniam, non tempus ad pœnitentiam definientes, ſicut Eccleſiæ Leges præcipiunt, ſed poteſtate condonantes*.

Verum antiquis omiſſis, Sectarii omnes, qui poſtremis temporibus contra Catholicos vexillum erexere, unanimi conſenſu negarunt exiſtentiam ſatisfactionis, quæ ſit pars Sacramenti Pœnitentiæ: *Quod dictum eſt*, Verba ſunt Chemnitii in ſuo examine, parte 2. *optimam, & aptiſſimam pœnitentiam eſſe novam vitam, hanc habet ſententiam. Poſt acceptam Fide propter Chriſtum remiſſionem peccatorum, non requiri præterea aliam ſatisfactionem, aut expiationem pro peccatis, cum ſimus in Chriſto conſummati; ſed requiri illud, quod Scriptura præſcribit: Deſine a malo, & fac bonum.* Nitebantur vero illi Sectarii triplici fundamento, ut notavit Juveninus in ſuo celebri Opere, *De Sacramentis*, Diſſertatione vi. Quæſtione vi. Cap. 1. Contendebant ii hæretici, nempe 1. nullum remanere debitum pœnæ temporalis, ſaltem in altera vita, hic peccato quoad culpam dimiſſo. Contendebant 2. quod licet per pœnas temporales pie toleratas averti poſſint hujus vitæ calamitates, tamen eæ pœnæ a Sacerdotibus per virtutem Clavium injungi minime poſſint. Contendebant 3. nullis omnino operibus, etiam ex Gratia Dei factis ineſſe vim Deum placandi: *Vehementer odi*, inquit Lutherus in Aſſertione Articuli 5. *& ſublatum vellem hoc vocabulum*, ſatisfactio, *quod non modo in Scripturis non invenitur, ſed & periculoſum habet ſenſum, quaſi Deo quiſquam poſſit pro ullo peccato ſatisfacere, cum gratis ille ignoſcat omnia*. Similia reperire eſt apud Philippum Melanctonem in Apologia Confeſſionis Auguſtanæ, in Articulo, *De Confeſſione, & Satisfactione*.

Sed non minus horrendi ſunt & hi errores, quos merito damnavit Oecumenica Synodus Tridentina Seſſione xiv. *De Pœnitentia*, Cap. viii. confutaruntque paſſim ingnes Theologi, præſertim vero præſtantiſſimus Cardinalis Bellarminus, Lib. iv. *De Sacramento Pœnitentiæ*, Cap. 1. & pluribus ſeqq. Porro quam ſevera eſſet antiqua Eccleſiæ diſciplina in pœnitentiis injungendis, jam fuſe explicuimus Tomo 1. Conciliorum in Appendice ad Canonem xi. Concilii 1 Nicæni œcumenici, ubi varios Pœnitentiæ gradus enarravimus, ac alia ad veterem Pœnitentium diſciplinam ſpectantia. Sed quamvis priſcus rigor remiſſus ſit, adhuc tamen memorati Concilii Tridentini Patres ſerio inculcarunt, ut ſatisfactio pœnitentium gravitati criminum reſpondeat, dum citato Capite viii. ſic inter alia ſtatuunt: *Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum ſpiritus, & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, ſalutares, & convenientes ſatisfactiones injungere*.

Rationes hujus Decreti, quod alias & ſacræ Scripturæ, & Patrum teſtimoniis nititur, mirifice enarrantur in eodem Tridentini Concilii Capite, eaſque lubet hoc loco recenſere, ut vel ex iis intelligas, quanta digni ſint reprehenſione Confeſſarii molles, qui, nulla habita graviſſimorum, & repetitorum criminum ratione, leviſſimas illa confeſſis pœnitentias imponut. Prima itaque ratio ex eo ducitur, *quod Divinæ juſtitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante Baptiſmum per ignorantiam deliquerint, aliter vero qui ſemel a peccatis, & dæmonis ſervitute liberati, & accepto Spiritus Sancti dono, ſcienter templum Dei violare, & Spiritum Sanctum contriſtare non formidaverint*. Ratio altera, quam adhibet Concilium, ut ſatisfactionem peccatis proportionatam commendet, eſt, ut laborum, qui in pœnitentiæ judicio ſubeundi decernuntur, metus peccantes revocet, & quaſi fræno quodam coerceat, ne in peccata denuo prolabantur: *Et Divinam*, ait Synodus, *clementiam decet, ne ita nobis abſque ulla ſatisfactione peccata dimittantur, ut occaſione accepta, leviora putantes, velut injurii, & contumelioſi Spiritui Sancto, in graviora labamur, theſaurizantes nobis iram in die iræ. Procul dubio enim magnopere a peccato revocant, & quaſi fræno quodam coercent hæ ſatisfactoriæ pœnæ, cautioreſque, & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt*. Tertia ratio ex eo petitur, quod congruæ ſatisfactiones multum conferant ad evellendos pœnitentis habitus vitioſos: *Medentur quoque peccatorum reliquiis, & vitioſos habitus male vivendo comparatos contrariis virtutum actionibus tollunt*. Quarta ratio in eo poſita eſt, quod aptæ ſint ad avertendam imminentem a Domino pœnam: *Neque vero ſecurior ulla via in Eccleſia Dei unquam exiſtimata fuit ad amovendam imminentem a Domino pœnam: quam ut hæc pœnitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequentent*. Quinta demum, & poſtrema ratio, qua utitur Concilium Tridentinum, deſumitur ex conformitate, quam quiſque pœnitens habere debet cum Chriſto, quem Deus Pater ſingulis pœnitentibus ad exemplum propoſuit: *Accedit ad hæc, quod dum ſatisfaciendo patimur pro peccatis, Chriſto Jeſu, qui pro peccatis noſtris ſatisfecit, ex quo omnis noſtra ſufficientia eſt, conformes efficimur, certiſſimam quoque inde arrham habentes, quod ſi compatimur, & conglorificabimur*. Vide Morinum, Lib. v. *De Pœnitentia*, Cap. iv. & ſeq. Juveninum, & præ ceteris religioſiſſimum æque, ac doctiſſimum inclytæ Societatis Jeſu Theologum, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem Bellarminum, *De Sacramento Pœnitentiæ*.

At non me latet memoratas Concilii rationes parum curari, ne dicam flocci pendi a modernis quibuſdam Caſuiſtis, qui conſuentes, ut ait Propheta, pulvillos ſub omni cubito, & condentes cervicalia ſub capite univerſæ ætatis, non ſemel pro eluendis adulteriis, ac ſtupris homini paucarum recitationum Dominicarum, & Angelicarum ſalutationum preces, & levia quædam opera imponunt; ajentes etiam,

Tri-

Tridentinum Decretum, quo Patres juſſerunt pro qualitate criminum ſalutares, & convenientes ſatisfactiones injungendas, vel eſſe merum conſilium, vel ſaltem Sacerdotibus non imponi ſub pœna peccati læthalis, vel demum loqui Concilium de ſatisfactione, quæ ſit medicinalis, non autem quæ in præteriti peccati vindictam injungetur,

Has profecto ineptias egregie confutavit laudatus Jueninus, aliique graviſſimi, ac zelantiſſimi Auctores. Et in primis vox illa, *debent*, quam adhibet Tridentinum, nuſquam adhibita legitur, ut ſignificetur res, quæ non ſit præcepti, ſed conſilii tantum. Secundo, cum ſacra Synodus vocem illam illi ſententiæ ſubjiciat: *Divinæ juſtitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur qui ante baptiſmum per ignorantiam deliquerint, aliter vero qui ſemel a peccatis, & dæmonis ſervitute liberati, & accepta Spiritus Sancti dona, ſcienter templum Dei violare, & Spiritum Sanctum contriſtare non formidaverint*, aperte patet, non de mero conſilio, ſed de præcepto ſtricte ſumpto vocem illam omnino intelligi oportere. Ridiculum vero eſt quod ajunt Caſuiſtæ, præceptum, quod Sacerdotibus imponitur, non eſſe ſub pœna peccati læthalis: contrarium enim perſpicue evincitur ex Tridentini Decreti verbis, ajentis, Miniſtros, qui in pœnitentiis injungendis, molliorem, quam par ſit, praxim amplectuntur, ſeu qui convenientes pro gravitate criminum, & qualitate, ſatisfactiones non injungunt, ſcelerum, quæ pœnitens accuſaverit, participes fieri, ac reos: *Ne ſi forte peccatis conniveant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, leviſſima quadam opera pro graviſſimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiuntur*. Ineptiſſimum inſuper eſt, cum inquiunt, Decretum exponi debere de ſatisfactione medicinali, non vero de vindice peccati præteriti: enim vero hæc reſponſio expreſſis Sanctæ Synodi verbis opponitur: *Habeant autem*, inquit, *præ oculis, ut ſatisfactio, quam imponunt, non ſit tantum ad novæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & caſtigationem; nam Claves Sacerdotum non ad ſolvendum dumtaxat, ſed & ad ligandum conceſſas etiam antiqui Patres, & credunt, & docent*.

Libet nunc, quæ hactenus diximus, auctoritate corroborare, non Auctorum priſcorum, quorum doctrinam perperam vulgus exoletam non ſemel judicat, non unius privati, & indiſcreti hominis, ſed eximii, ac zelantiſſimi Præſulis Sancti Caroli Borromæi, qui in Inſubria toti præluxit Orbi terrarum. Is profecto hanc regulam, Actorum parte IV. Sacris pœnitentiæ Miniſtris ſervandam præſcripſit: *Videant*, inquit, *ne pro peccatis gravibus leviſſimas pœnitentias imponant: id quod & Confeſſoribus, & pœnitentibus periculoſum eſt, cum id a ſacris Litteris, & a Conciliorum Decretis, & a Sanctorum Patrum ſententia alienum ſit. Nam divinæ Litteræ ab eis, qui pœnitentiam agunt, hoc efflagitant, ut fructus dignos pœnitentiæ faciant, utque ad Dominum convertantur in jejunio, fletu, & planctu. Et vero qui peccatis gravibus leves quaſdam pœnitentiæ modos imponunt, hi (Canon inquit) conſuunt pulvillos ſecundum Propheticum ſermonem ſub omni cubito manus, & faciunt cervicalia ſub capite univerſæ ætatis ad capiendas animas. Imo Concilium Tridentinum docet, alienorum peccatorum participes fieri eos Confeſſores, qui dum cum pœnitentibus indulgentius agunt, leviſſima quadam opera pro leviſſimis delictis injungunt.* Utinam hodie aliquibus in locis, minime invenientur Sacerdotes molles, nimiumque indulgentes, qui ſacrarum Litterarum, & Patrum monita, & Conciliorum Decreta non parvi pendant; exitioque animabus ſuis, & alienis non ſint.

Multa ex dictis hucuſque pene ad verbum deſcripſi ex noſtro Commentario ad Canonem XI. Concilii I. Nicæni, quibus operæ pretium ducimus unum illud adjungere, quod ad inſtructionem Confeſſariorum, ac Pœnitentium docet Sanctiſſimus Pontifex, & Doctor Eccleſiæ Gregorius Magnus in Homilia XX. in Evangelia, ubi exponens verba illa S. Joannis Præcurſoris Domini in Evangelio Lucæ Capite 3. *Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ*, hæc lecta digna, ac mentibus Fidelium imprimenda habet: *In quibus verbis notandum eſt, quod Amicus Sponſi non ſolum fructus pœnitentiæ, ſed dignos pœnitentiæ admonet faciendos. Aliud namque eſt fructum facere pœnitentiæ, aliud dignum pœnitentiæ fructum facere. Ut enim ſecundum dignos pœnitentiæ fructus loquamur; ſciendum eſt, quia quiſquis illicita nulla commiſit, huic jure conceditur, ut licitis utatur. At ſiquis in fornicationis culpam, vel fortaſſe, quod eſt gravius, in adulterium lapſus eſt, tanto a ſe licita debet abſcindere, quanto ſe meminit & illicita perpetraſſe. Neque enim par fructus boni operis eſſe debet ejus, qui minus, & ejus, qui amplius deliquit; aut ejus, qui nullis, & ejus, qui in quibuſdam facinoribus cecidit, & ejus, qui in multis eſt lapſus. Per hoc quod dicitur*, Facite dignos fructus pœnitentiæ, *uniuſcujuſque conſcientia convenitur, ut tanto majora acquirat bonorum operum lucra per pœnitentiam, quanto graviora ſibi intulit damna per culpam*. Itaque juxta doctrinam S. Gregorii Pontificis, ac Doctoris ad benignitatem potius, quam ad ſeveritatem proclivis, etiamſi licita eſſent Theatra, aleæ, choreæ, aliaque id genus oblectamenta, qui graviter peccavit, & multo magis qui graviſſime, & frequenter deliquit, abſtinere his omnino debet.

Ceterum neceſſariam eſſe ſatisfactionem, ut alios Patres omittam, pluribus docet Catechiſmus Romanus Parte 2. *De Sacramento Pœnitentiæ*, Num. LXXXIV. & ſeqq. præſertim vero Num XCI. ubi hæc habet. *Quæ cum ita ſint, facile erit Fidelibus perſuadere, quam neceſſarium ſit, ut pœnitentes in hoc ſatisfactionis ſtudio ſe exerceant. Docendi enim ſunt, duo eſſe, quæ peccatum conſequuntur, maculam, & pœnam; ac quamvis ſemper culpa dimiſſa, ſimul etiam mortis æternæ ſupplicium apud inferos conſtitutum condonetur; tamen non ſemper contingit, quemadmodum a Tridentina Synodo declaratum eſt*, Seſſione ſcilicet XIV. Cap. VIII. Can. 12. & 15. *ut Dominus peccatorum reliquias, & pœnam certo tempore definitum, quæ peccatis debetur, remittat*. Probat id quidem Catechiſmus Romanus variis

riis Sacræ Scripturæ exemplis, quæ operæ pretium duco recenſere hoc loco, ut vel ex iis ignorantes quidam Concionatores redarguantur, qui, poſthabitis Sacrarum Literarum exemplis, alia confingunt, quibus a peragenda ſeria pœnitentia peccatores avertuntur. Sic autem Catechiſmus ſubjicit: *Cujus rei perſpicua ſunt exempla in Sacris Literis. Geneſis tertio Capite, Numerorum XII. & XXII. & aliis permultis locis; ſed illud Davidis clariſſimum, & maxime illuſtre intuemur, cui etſi Nathan dixerat* (II. Regum XII.) Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum, non morieris: *is tamen graviſſimas pœnas ultro ſubiit, Dei miſericordiam his verbis dies, noctesque implorans:* Amplius lava me ab iniquitate mea, & a peccato meo munda me: quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper. *Quibus verbis illud petitum eſt a Domino, ut non ſolum crimen, ſed pœnam etiam crimini debitam condonaret, atque a peccati reliquiis purgatum, in priſtinum decoris, & integritatis ſtatum reſtitueret. Atque hæc cum ſummis precibus peteret, eum tamen Dominus tum filii ex adulterio ſuſcepti, tum Abſalonis, quem unice diligebat, defectione, & morte multavit, aliiſque pœnis, & calamitatibus affecit, quas illi antea intentarat. In Exodo etiam* (Capite XXXII.) *etſi Dominus Moſis precibus exoratus, populo idololatræ pepercerat, tamen minatus eſt, ſe tanti flagitii graves pœnas repetiturum eſſe; ipſeque Moſes teſtatus eſt, fore, ut illud Dominus ſeveriſſime in tertiam, & quartam uſque generationem ulciſceretur.* Hæc vero a Sanctis Patribus in Eccleſia Catholica ſemper tradita eſſe, ipſorum auctoritate apertiſſime comprobari, ſubdit ſtatim idem laudatus Catechiſmus Romanus loco citato, ad cujus calcem variorum Patrum loca etiam citantur. Videri itaque poſſunt S. Auguſtinus, Lib. 2. *De peccatorum meritis, & remiſſione*, Cap. 34. & contra Fauſtum Lib. XXII. Capite LXVI. & præſertim in Joannem Tractatu CXXIV. paulo ante medium; S. Gregorius Lib. IX. Moralium, Cap XXIV. S. Chryſoſtomus in Homilia VIII. ad populum Antiochenum; S. Ambroſius, *De pœnitentia*, Lib. II. Cap. V.

Ex eodem præterea Catechiſmo Romano docemur, ut non modo in irroganda ſatisfactionis pœna Sacerdotes nihil ſuo arbitratu ſtatuant, ſed omnia juſtitia, & pietate dirigenda exiſtiment; atque ut hac regula peccata metiri videantur, operæ pretium eſſe ait, *interdum eis ſignificare, quæ pœnæ quibuſdam delictis ex veterum Canonum præſcripto, qui pœnitentiales vocantur, conſtitutæ ſint.* Eadem docet S. Carolus in aureis Actis Eccleſiæ Mediolanenſis, Parte IV. in Rubricis, ſeu Inſtructionibus de Sacramento Pœnitentiæ, Capite inſcripto, *De modo imponendæ pœnitentiæ*, ubi ſic inter alia inquit: *Pœnitentiis præterea culpas graves perpendenti, ſibi ob mentis oculos proponet Canones pœnitentiales, qui lumen & ſibi, & pœnitenti quoque afferant, quo videant, quemadmodum pro peccati ratione, pœnitentia & imponenda, & ſuſcipienda ſit.* Tum poſtquam dixit, eorum Canonum pœnitentias, *ut tempora ferunt*, pro charitate, & prudentia ſua a Confeſſario minuendas, *prout peccati, & peccatoris circumſtantiæ requirent*, ita mox ipſum Confeſſarium, ac pœnitentes monet: *Demonſtrabit tamen iis, qui gravius peccarint, quo magis ſcelerum ſuorum magnitudinem agnoſcant, quanta ipſis pœnitentia ex Canonum regulis imponenda eſſet; nec vero putent, ſua peccata levia eſſe, quia parva illis pœnitentia data eſt; ſed hoc factum eſſe, ne eam, quæ pro culparum ratione injungenda erat, deſerant cum periculo ſalutis ſuæ. Proinde pœnitentes ideo hortandi erunt, ut præter pœnitentiæ opera impoſita, plura etiam alia præſtare conentur.*

Fruſtra itaque ſunt qui peccatores graviſſimis peccatis onustos vitam molliem ducere ſinunt, mundique pompas, choreas, aliaque opera ſatanæ conſectari. Neque enim, ad conſequendam æternam vitam, peccatoribus prodeſt, ſi relicta penitus pœnitentia, piiſque operibus neglectis, ſalvari ſperent. Hæreticorum error hic eſt, jam in Concilio Tridentino damnatus, noſtra ſatisfactione Paſſionem Chriſti obſcurari: *Neque vero id*, ait Catechiſmus Romanus, *perfectiſſimam, & cumulatiſſimam Chriſti Domini ſatisfactionem obſcurat; ſed illud potius contra evenit, ut multo clariorem, & illuſtriorem reddat. Ea enim copioſior Chriſti gratia videtur eſſe, quod non ſolum ea nobiſcum communicantur, quæ ipſe ſolus, ſed illa etiam, quæ tamquam caput in membra ſuis ſanctis, & juſtis hominibus promeruit, ac perſolvit; qua ratione fieri perſpicuum eſt, ut juſtæ, & honeſtæ piorum actiones tantum ponderis, & dignitatis habeant. Chriſtus enim Dominus tanquam caput in membra, & vitis in palmites, gratiam ſuam in eos, qui ſibi per charitatem conjuncti ſunt, diffundit. Quæ quidem gratia bona opera noſtra ſemper antecedit, comitatur, & conſequitur, & ſine qua mereri, & ſatisfacere Deo nullo modo poſſumus.* Atque hæc ſatis ſint pro noſtra additione ad Parænesin S. Paciani, & ad Notas, quibus illam illuſtravit præſtantiſſimus Cardinalis de Aguirre.

FINIS TOMI PRIMI.

1-1.48

Digitized by Google

2·1·48

Z

Digitized by Google

R · 1 · 6 3.

Digitized by Google

005654735

Digitized by Google

FIRENZE - BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE
PROGG. - 2.1.48 Vol.I° (61)
RESTAURO - 1998
LABORATORIO - RAIMONDO MILIO
RESTAURATORE PROGETTISTA - CLAUDIO MONTELATICI

SINTESI DELLE OPERAZIONI EFFETTUATE:

controllo numerazione, pulizia a secco con pennello morbido, risarcimento con montaggio a scarnire con carta giapponese di adeguato spessore e colore, Vanrow, veleture con velo giapponese 502 e Tylose MH300P al 2%, carte di guardia Ingres struttura F, cucitura su n. 6 nervi di spago, indorsatura con tela di mussola e pelle di capra scarnita, capitelli cuciti su anima di spago e fili di lino neutro e colorato, incartonatura dei quadranti in cartone accoppiato al durevole, nuova legatura in piena pelle di capra al vegetale (Scaricaciottoli) con dorso attaccato, adesivi Tylose MH300P e Vinavil 59 al 15%.

COLLAUDATORE
DATA DEL COLLAUDO

LAB. RESTAURO LIBRI R. Milio